BIBL. NAZ.
VITT. EMANUELE III
XXXIX
F
41
NAPOLI

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
COMOEDIÆ N. VI.
Et in eas:
ÆLII DONATI VC. ORATORIS
VRBIS ROMÆ. ET EVGRAPHII
VETERIS GRAMMATICI
COMMENTARIA.
FR. LINDENBRVCHIVS.

Collatis MSS. veteribuſque exemplaribus recenſuit, auxit, & OBSERVATIONIBVS inluſtrauit: adiecto indice vberrimo.



PARISIIS,
Ex officina PLANTINIANA:
Apud HADRIANVM PERIER, via Iacobæa.

∞ IↃ. CII.
CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

NAPOLI
B. R. NEAPOLI

LECTORI.

QVEM NVNC damus, Lector, auctorem, ſuo ſibi ingenio ſatis placere poſſe confido, nę curionis ope vel vllius commendatitia indigeat. Quapropter elogium hic illius contexere, inſuperhabendum ratus ſum; ne laudatum ab omnibus concelebrare ſi vellem, actam rem agere potius videar, quam opis quid auxilijq́ue conferre. Quid vltra Varronis, Tullij, Horatij, aliorumq́ue magnorum virorum encomia deſideramus? Quæ ſuo loco digeſſimus, vt omnium oculis velut in tabula exponeremus, quale iudiciũ vel ipſi antiqui de eo ſemper tulerint. Ergo igitur id mihi curę fuit, ne quidquam, ad nitelam eius & ſplendorem quod faceret, ſciens omitterem. Non denegarunt nobis hac in re operam ſuam amici noſtri, viri litterati. Inprimis vero multum adiuti ſumus diligentia celeberrimi Icti Fr. Pithœi, qui duo nobis exẽplaria ſuppeditauit, alterum fratris B. M. alterum manu ſua emendatũ; adſcriptis interdum verſibus Menandri, Apollodori, &c. quod hic ſemel profiteri ſatius duco, ne totiens monere tædioſum ſit. His acceſſit MS. liber, quem ex bibliotheca Regis Galliæ habui-

mus; cuius tanta viſa eſt antiquitas, nec minor bonitas, vt vel ſolus ſufficeret, cuius fidem ſequeremur. Vſi ſumus & alii ſcriptis codd. ſed qui perparum profuerunt; nam & recentiores erant, & ſi quid variarent, id leuidenſe admodum atque exigui momenti.

DONATI duo exemplaria habui; & illa Pithæorum manu collata; quorum auxilio in hoc commentario plurimæ lacunæ ſuppletæ, aliaque infinita errata integritati ſuæ reſtituta ſunt. Iuuerunt etiam nonnihil collectanea quędã, quæ in bibliotheca regia, & ſcedæ P. Danielis, viri humaniſſimi. Sed vnum hic incommodum; quod Græca fere omnia, in omnibus libris quaſi de compacto, adeo vitioſe ſcripta, vt raro quid inde boni extricare, vel quod ſpecie recti placeret, expiſcari potuerim. Itaque non meo ſaltim, ſed magnorum quoque virorum iudicio, characteres vitioſos proponere volui, vt cuilibet pro captu ac lubidine emendandi cauſa relinqueretur integra.

EVGRAPHIVM non vni debemus; nam præter illa quæ huius auctoris ipſus olim in Anglia nactus, ex antiquiſſimo codice Ant. Loiſelli I^{ti}. alia multa edita ſunt; & quæ huic deerant, viciſſim ex Fr. Oliuarij libro ſuppleta. Cetera vero quæ deſiderantur, ſi tanti videbuntur, à felicioribus meliori ſeculo fortaſſisan in lucem proferri poterũt; nobis negatum fuit. Extat in bibliotheca regia commentum in hunc Comicum, Eugraphij titulo inſignitum: ſed adeo ineptum, adeoque nugis plenum, vt vere quis ex Luciorum ſchola detonſi cuiuſdam tenebrionis dixerit blatteramentum. Id-

circo etiam nobis religio fuit, eiuſmodi affanijs hanc editionem coinquinare.

Poſtremo; Obſeruationes quaſdam adieci, breues illas quidem, & meo more modoque factas. magis vt de varietate lectionis & fide veri conſtaret, quam vt prolixe hic omnia explicarentur. Quod ego ſane rectius magiſtros in ludo & vmbra facturos iudico, ne publice τὴν ἀκρίβειαν ἐκθεατρίζειν neceſſum habeamus, aut cum inſanientibus furere; qui nullum amplius librum prodire patiuntur, niſi ingentibus ſuis commentarijs oneratum, ὡς ἂν ἄχθος εἴη ἡμιόνων πολλῶν. Proinde Lector, ſi probus eris laus mihi tribuenda eſt, quod egi; venia danda quod reliqui. Feliciter.

Extraict du Priuilege du Roy.

PAR grace & priuilege du Roy, il eſt permis à ADRIAN PERIER, marchant Libraire en l'Vniuerſité de Paris, d'imptimer ou faire imprimer, & expoſer en vente ce preſent liure intitulé *Pub. Terentij Carthag. Afri Comœdiæ. Et in eas: Ælij Donati & Eugraphij veteris Grammat. Commentaria, &c.* Et defenſes ſont faictes à tous Imprimeurs, Libraires & autres, d'imprimer ou faire imprimer, vendre ny diſtribuer leſdits liures d'autre impreſſion que de celle dudit PERIER, ou de ſon conſentement, iuſques à ſix ans finis & accomplis, ſur peine de confiſcation deſdits liures & d'amende arbitraire, comme plus amplement eſt contenu & declaré par lettres ſur ce donnees; à Paris ce 13. Iuill. mil ſix cens deux.

Par le Roy.

Signé DE LAVETZ.

ELOGIA VETERVM
DE PVB. TERENTIO.

Varro, Parmenone: Nonius in Poſcere.

IN argumentis Cæcilius poſcit palmam; in ethe ſin Terentius; in ſermonibus Plautus.

Cicero de optimo genere oratorum.

In re quod optimum ſit quæritur: in hominibus dicitur quod eſt. Itaque licet dicere, & Ennium ſummum Epicum poëtam, ſi cui ita videtur; & Pacuuium Tragicum; & Cæcilium fortaſſe Comicum. Vnum vero eſt genus perfecti, à quo qui abſunt, genere differunt, vt ab Accio Terentius, ſed in eodem non ſunt pares.

Et infra.

Iidem & Andriam & Synephebos, nec minus Terentium & Cæcilium, quam Menandrum legunt. Quod eſt igitur eorum in orationibus e Græco conuerſis faſtidium, nullum cum ſit in verſibus.

Lib. VII. Ep. 3. ad Attic.

Secutus ſum, non dico Cæcilium, Mane vt ex portu in Piræum (malus enim autor latinitatis eſt) ſed Terentium, cuius fabellæ, propter elegantiam ſermonis putabantur à C. Lælio ſcribi, Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræum.

In Lælio.

In Andria familiaris meus Terentius dixit.

Horatius lib. Epiſt. ad Auguſt.

Dicitur Afrani toga conueniſſe Menandro;
Plautus ad exemplar Siculi properare Epicharmi,
Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte;
Hos ediſcit, & hos arte ſtipata theatro
Spectat Roma frequens.

Volcatius Sedigitus, apud A. Gell. lib. 15. cap. 24.

Multos incertos certare hanc rem vidimus,
Palmam Poëtæ comico cui deferant.
Eum, me iudice, errorem diſſoluam tibi:
Vt contra ſi quis ſentiat, nihil ſentiat,
Cæcilio palmam Statio do comico.
Plautus ſecundus facilè exſuperat ceteros.
Dein Næuius qui ſeruet, pretium tertiu' ſt.
Si erit, quod quarto, dabitur Licinio.
Poſt inſequi Licinium facio Atilium.
In ſexto ſequitur hos loco Terentius.
Turpilius ſeptimum, Trabea octauum obtinet.
Nono loco eſſe facilè facio Luſcium.
Decimum addo cauſa antiquitatis Ennium.

Velleius Paterculus, lib. 1.

Dulceſque Latini leporis facetiæ per Cæcilium, Terentiumque, & Afranium ſubpari ætate nituerunt.

Fab. Quinctilian. lib. 9.

In Comœdia maxime claudicamus; licet Varro dicat, Muſas Ælij Stolonis, Plautino ſermone locuturas fuiſſe, ſi Latinè loqui vellent: licet Cæcilium laudibus ferant: licet Terentij ſcripta ad Scipionem Africanum referantur: quæ tamen ſunt in hoc genere elegantiſſima, & plus adhuc habitura gratiæ, ſi intra verſus trimetros ſtetiſſent.

Idem Declamat. 9. ſiue Gladiator.

Terentium, quem inter ceteros captiuos, ſecundo Punico bello, Scipio Africanus vinculis exoluerat, memoriæ tradidere maiores, inſigne receptæ libertatis pileo teſtantem in triumpho ducis eſſe conſpectum.

Plinius lib. 1. Epiſt. 16.

Legit mihi nuper epiſtolas, quas vxoris eſſe dicebat, Plautum vel Terentium metro ſolutum legi credidi.

A. Gellius lib. 7. cap. 14.

Vera autem & propria huiuſmodi formarum exempla in Latina lingua M. Varro eſſe dicit; vbertatis Pacuuium, gracilitatis Lucilium, mediocritatis Terentium.

Auſonius in protreptico ad Nepotem.

Tu quoque qui Latium lecto ſermone Terenti
Comis & adſtricto percurris pulpita ſocco,
Ad noua vix memorem diuerbia coge ſenectam.

Hieronymus in Chronico, Olymp. 155. ann. 3.

P. Terentius Carthaginienſis comœdiarum ſcriptor ob inge-

nium

nium & formam libertate donatus, in Arcadia moritur: qui primam Andriam antequam Aedilibus, Cæcilio multum ſe miranti legit.

Idem: de optimo genere interpretandi.

Terentius Menandrum, Plautus & Cæcilius veteres comicos interpretati ſunt: numquid hærent in verbis? ac non decorem magis & elegantiam in tranſlatione conſeruant, quam veritatem interpretationis.

Idem ad Paulinum.

Habet vnumquodque propoſitum principes ſuos. Romani duces imitentur Camillos, Fabricios, Regulos, Scipiones, Philoſophi proponant ſibi Pythagoram, Socratem, Platonem, Ariſtotelem: Poëtæ æmulentur Homerum, Virgilium, Menandrum, Terentium.

Paulus Oroſius lib.4.cap.19.

Scipio iam tunc cognomento Africanus, triumphans vrbem ingreſſus eſt, quem Terentius, qui poſtea Comicus, ex nobilibus Carthaginienſium captiuis pileatus, quod indultæ ſibi libertatis inſigne fuit, triumphantem poſt currum ſecutus eſt.

Sidonius Apollinar. Carm.20.

Quid vos eloquij canam Latini
Arpinas, Patauine, Mantuane,
Et te Comica qui doces Terenti,
Et te, tempore qui ſatus ſeuero,
Graios Plaute ſales lepore tranſis?

Rufinus Grammaticus Antiochenſis.

Agnouit metrum ſeruátque Terentius artem;
Nam prologos trimetro didicit componere verſu,
Scænarúmque actus primos pede claudit eodem.

Seruius in illud lib. 1. Æneid. *talibus incuſat.*

Sciendum eſt Terentium propter ſolam proprietatem omnibus comicis eſſe præpoſitum, quibus eſt quantum ad cætera ſpectat inferior.

Fl. Soſipater Chariſius lib. 11.

ἬΘΗ, *vt ait Varro de Latino ſermone lib. 5. nulli alij ſeruare conuenit quam Titinnio & Terentio.* πάθη *vero Trabea, inquit, & Attilius, & Cæcilius facile mouerant.*

Iſidorus in Chronic.

Per idem tempus Scipio Africam vicit: Terentius Comicus claruit.

Ex antiquo Codice MS. in bibliotheca Regia.

Natus in excelſis tectis Carthaginis altæ
Romanis ducibus bellica præda fui.
Deſcripſi mores hominum, iuuenúmque ſenúmque,
Qualiter & ſerui decipiant dominos.
Quid meretrix, quid leno dolis, confingat auarus;
Hæc quicunque legit, ſic, puto, cautus erit.

DE ÆLIO DONATO.

Hieronym.in Chronico Olymp.284.

Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus præceptor meus Romæ inſignis habentur: è quibus Victorinus etiam ſtatuam in foro Traiano meruit.

Idem Apolog.aduerſ.Rufinum.

Puto quod puer legeris Aſpri in Virgilium & Salluſtium commentarios: Vulcatij in orationes Ciceronis: Victorini in Dialogos eius, & in Terentij Comœdias præceptoris mei Donati, æque in Virgilium, & aliorum in alios. Plautum, Lucretium, Flaccum, Perſium, atque Lucanum. Argue interpretationes eorum, quare non vnam explanationem ſecuti ſunt, & in eadem re quod vel ſibi, vel alijs videatur enumerent.

Hieronym. in cap.1. Eccleſ.

Comicus ait: Nihil eſt dictum quod non ſit dictum prius: vnde & præceptor meus Donatus cum ipſum verſiculum exponeret, Pereant, inquit, qui ante nos noſtra dixerunt.

D. Victoris Epiſcop. Turonenſis Chronicon MS. in Conſtantio filio Conſtantini.

Victorinus Rhetor & Donatus Grammaticus inſignes Romæ habentur.

PVB. TERENTII AFRI CARTHAGINIENSIS VITA.

Auctore Aelio Donato VC.

PVBLIVS Terentius Afer, Carthagine natus, ſeruiuit Romæ Terentio Lucano Senatori. à quo ob ingenium & formam, non inſtitutus modo liberaliter, ſed & mature manumiſſus eſt. Quidam captum eſſe exiſtimant. quod fieri nullo modo potuiſſe Feneſtella docet: quum inter finem ſecundi belli Punici, & initium tertij natus ſit, & mortuus: nec ſi à Numidis aut Getulis captus ſit, ad ducem Romanum peruenire potuiſſet, nullo commercio inter Italicos & Afros, niſi poſt deletam Carthaginem, cœpto. Hic cum multis nobilibus familiariter vixit: ſed maximè cum Scipione Africano, & C. Lælio: quibus etiam corporis gratia conciliatus exiſtimatur. Quod & ipſum Feneſtella arguit, contendens vtroque maiorem natu fuiſſe. Quamuis & Cornelius Nepos æquales omnes fuiſſe tradat, & Porcius ſuſpicionem de conſuetudine per hæc faciat,

Dum laſciuiam nobilium & fucoſæ laudes petit:
Dum Africani voce diuina inhiat auidis auribus:
Dum ad Furium ſe cœnitare, & Lælium, pulchrum putat:
Dum ſe amari ab hiſce credit, crebrò in Albanum rapi
Ob florem ætatis ſuæ: ipſus ſublatis rebus ad ſummam
Inopiam redactus eſt.
Itaque è conſpectu omnium abijt in Græciam, in terram vltimam,
Mortuus eſt in Stymphalo, Arcadiæ oppido: nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:

Saltem vt eſſet quò referret obitum domini ſeruulus.

Scripſit comœdias ſex. ex quibus primam Andriam cùm ædilibus daret, iuſſus antè Cærio recitare; ad cœnantem cùm veniſſet, dictus eſt, initium quidem fabulæ, quòd erat contemptiore veſtitu, ſubſellio iuxta lectulum reſidens legiſſe: poſt paucos verò verſus inuitatus vt accumberet, cœnaſſe vnà, deinde cætera percurriſſe non ſine magna Cærii admiratione. Et hanc autem, & quinque reliquas æqualiter populo probauit. quamuis Volcatius de enumeratione omnium ita ſcribat, *Sumetur Hecyra ſexta ex his fabula.*

Eunuchus quidem bis die acta eſt: meruitque pretium quantum nulla antea cuiuſquam comœdia, id eſt octo milia nummum. propterea ſumma quoque titulo aſcribitur. Nam Adelphorum principium Varro etiam præfert principio Menandri. Non obſcura fama eſt adiutum Terentium in ſcriptis à Lælio & Scipione, quibus cumfamiliariter vixit. Eandem ipſe auxit: nunquam enim niſi leuiter ſe tutari conatur, vt in prologo Adelphorum;

Nam quod iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Hunc adiutare, aſſiduéque vnà ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens exiſtimant,
Eam laudem hic ducit maximam: cum illis placet,
Qui vobis vniuerſis, & populo placent:
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore vſus eſt ſine ſuperbia.

Videtur autem ſe leuius defendiſſe, quia ſciebat Lælio & Scipioni non ingratam eſſe hanc opinionem; quæ tamen magis & vſque ad poſteriora tempora valuit.

Qu. Memmius in oratione pro ſe ait: *P. Africanus, qui à Terentio perſonam mutuatus, quæ domi luſerat ipſe, nomine illius in ſcenam detulit.* Nepos authore certo comperiſſe ſe ait, C. Lælium quondam in Puteolano Kal. Martiis admonitum ab vxore, temporius vt diſcumberet, petiiſſe ab ea ne interpellaretur: ſerius tandem ingreſſum triclinium dixiſſe, non ſæpe in ſcribendo magis ſucceſſiſſe ſibi: deinde rogatum vt ſcripta illa proferret, pronuntiaſſe verſus qui ſunt in Heautontimorumeno,

Satis pol proterue me Syri promiſſa huc induxerunt.

Santra Terentium exiſtimat, ſi modo in ſcribendo adiutoribus indiguerit, non tam Scipione & Lælio vti potuiſſe, qui tunc adoleſcentuli fuere: quàm C. Sulpitio Gallo homine docto, & qui conſularibus ludis initium fecerit fabularum dandarum: vel Qu. Fabio Labeone, & M. Popilio, conſulari vtroque, ac poëta. Ideo ipſum non iuuenes deſignaſſe, qui ſe adiuuiſſe dicerentur: ſed viros, quorum operam, & in bello, & in otio, & in negotio populus ſit expertus. Poſt editas comœdias nondum quintum atque

trigeſimum egreſſus annum, cauſa euitandæ opinionis, quia videbatur aliena pro ſuis edere: ſeu percipiendi Græcorum inſtituta moréſque, quos perinde exprimeret in ſcriptis, egreſſus vrbem eſt, neque amplius redijt. de morte eius Volcatius tradit;

Sed vt Afer ſex populo dedit comœdias,
Iter hinc in Aſiam fecit: nauim cum ſemel
Conſcendit, viſus nunquam eſt. ſic vita vacat.

Qu. Coſconius redeuntem è Græcia periſſe in mari dicit cum centum & octo fabulis, conuerſis à Menandro. Cæteri mortuum eſſe in Arcadiæ Stymphalo, ſiue Leucadia tradunt, Cn. Cornelio Dolabella, M. Fuluio nobiliore coſs. morbo implicitum acri, dolore ac tædio amiſſarum ſarcinarum, quas in naui præmiſerat, ac ſimul fabularum quas nouas fecerat. Fuiſſe dicitur mediocri ſtatura, gracili corpore, colore fuſco. reliquit filiam, quæ poſt equiti Romano nupſit. Item hortulos xx. iugerum, via Appia ad Martis villam: quo magis miror Porcium ſcribere,

———nihil Publius
Scipio profuit, nihil ei Lælius, nihil Furius,
Tres per idem tempus qui agitabant nobiles facillime.
Eorum ille opera ne domum quidem habuit conductitiam:
Saltem vt eſſet, quò referret obitum domini ſeruulus.

Hunc Afranius quidem omnibus comicis præfert, ſcribens in Compitalibus, *Terentio non ſimilem dices quempiam.*

Volcatius autem non ſolum Næuio, & Plauto, & Cæcilio, ſed Licinio quoque poſtponit. Cicero in Limone hactenus laudat,

Tu quoque, qui ſolus lecto ſermone Terenti,
Conuerſum expreſſúmque Latina voce Menandrum
In medio populi ſedatis vocibus effers;
Quidquid come loquens, ac omnia dulcia dicens.

Item C. CÆSAR,

Tu quoque tu in ſummis, ô dimidiate Menander,
Poneris, & merito, puri ſermonis amator,
Lenibus atque vtinam ſcriptis adiuncta foret vis
Comica, vt æquato virtus polleret honore
Cum Græcis, neque in hac deſpectus parte iaceres,
Vnum hoc maceror, & doleo tibi deeſſe Terenti.

Hæc Suetonius Tranquillus. Nam duos Terentios Poëtas fuiſſe ſcribit Metius, quorum alter Fregellanus fuerit Terentius Libo, alter libertinus Terentius Afer patria, de quo nunc loquimur. Scipionis fabulas edidiſſe Terentium Valgius in Actœone ait.

Hæ quæ vocantur fabulæ, cuiæ ſunt?
Non has, quas iura populis Terentius dabat,
Honore ſummo affectus fecit fabulas.

Duæ ab Apollodoro tranſlatæ eſſe dicuntur comico, Phormio & Hecyra: quatuor reliquæ à Menandro. ex quibus magno ſucceſſu & pretio ſtetit Eunuchus fabula: Hecyra ſæpe excluſa, vix acta eſt.

DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

INITIVM Tragœdiæ & Comœdiæ à rebus diuinis eſt inchoatum: quibus pro fructibus vota ſoluentes operabantur antiqui. Nam incenſis iam altaribus, & admoto hirco, id genus carminis, quod ſacer chorus reddebat Libero patri, Tragœdia dicebatur, vel ἀπὸ τοῦ τράγου καὶ τῆς ᾠδῆς, hoc eſt ab hirco, hoſte vinearum, & à cantilena. eius ipſius rei apud Virgilium plena fit mentio. vel quòd hirco donabatur eius carminis Poëta: vel quòd vter eius muſti plenus ſolemne præmium cantoribus fuerat; vel quòd ora ſua fæcibus perlinebant ſcenici, ante vſum perſonatum ab AEſchylo repertum. Fæces enim dicuntur Græcè τρύγες. Et his quidem cauſis Tragœdiæ nomen eſt inuentum. At verò nondum coactis in vrbem Athenienſibus, cum Apollini Nomio, vel ΑΓΥΙΕΩ͂ id eſt paſtorum vicinorúmque præſidi Deo, conſtructis aris in honorem diuinæ rei circum Atticæ vicos, villas, pagos, & compita feſtum carmen ſolenniter cantarent: orta eſt Comœdia ἀπὸ τοῦ κωμάζειν καὶ ᾄδειν, quod eſt comeſſatum ire cantantes. quod à Poëtis ſolenni die, vel amatoriè laſciuientibus choris comicis non abſurdum eſt. Itaque vt rerum, ita etiam temporum ipſorum cœpto ordine Tragœdia primo prolata eſſe cognoſcitur. Nam vt ab incultis, & feris moribus paulatim peruentum eſt ad manſuetudinem, vrbéſque ſunt conditæ, & vita mitior atque otioſior proceſſit: ita res tragicæ longè ante comicas inuentæ. Quamuis autem retro priſca voluentibus reperiatur Theſpis Tragœdiæ primus inuentor: & Comœdiæ veteris pater Eupolis cum Cratino, Ariſtophanéque eſſe dicatur: Homerus tamé, qui ferè omnis Poëticæ largiſſimus fons eſt, etiam his carminibus exempla præbuit, & velut quadam ſuorum operum lege præſcripſit: qui Iliadem inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ feciſſe monſtratur. Nam poſt illius tale, tantúmque documentum, ab ingenioſiſſimis imitatoribus & digeſta ſunt in ordinem, & diuiſa ea, quæ etiam tum temerè ſcribebantur adhuc impolita, atque in ipſis rudimentis haudquaquam, vt poſtea facta ſunt, decôra atque læuia. At nos ea, quæ propriæ de Tragœdia dicenda ſunt, titulo propoſiti operis inſtátes, in alia tempora differamus: & de his fabulis iam loquamur, quas Terentius imitatus eſt. Poſtquam demonſtrandæ originis cauſa de vtriuſque generis initio diximus: quod neceſſe eſt iam dicemus.

Comœdia

Comoedia ferè vetus, vt ipſa quoque olim Tragœdia, ſimplex carmen (quemadmodum iam diximus) fuit : quod chorus circa aras fumantes nunc ſpatiatus, nunc conſiſtens, nunc reuoluens gyros, cum tibicine concinebat. Sed primo vna perſona ſubſtituta eſt cantoribus, quæ reſpondens alternis choro, locupletauit variauítque rem muſicam. tum altera, tum tertia, & ad poſtremum creſcente numero, per authores diuerſos, perſonæ, pallæ, cothurni, ſocci, & cæteri ornatus atque inſignia ſcenicorum reperta : & ad hoc vnicuique ſuus habitus: & ad vltimum qui primarum partium, qui ſecundarum, & tertiarum, qui quartarum atque quinctarum actores eſſent, diſtributa & diuiſa quinquepartito tota eſt fabula. quæ tamé in ipſis ortus ſui velut quibuſdam incunabulis, & vix dum incipiens, κωμωδία ἐπώνυμος καὶ ἀρχαία dicta eſt : ἀρχαία idcirco, quia eſt de nobis parum cognitis vitiis : ἐπώνυμος autem, quia ineſt in ea velut hiſtorica fides veræ narrationis, & denominatio omnium, de quibus liberè deſcribebatur. Etenim per priſcos Poëtas, non vt nunc, penitus ficta argumenta: ſed res geſtæ à ciuibus palàm cum eorũ ſæpe, qui geſſerant, nomine decãtabantur. ideo ipſa ſuo tempore moribus multum profuit ciuitatis: cum vnuſquiſque caueret, culpa ne ſpectaculo cæteris eſſet, & domeſtico probro. Sed cum Poëtæ abuti licentius ſtylo, & paſſim lædere ex libidine cœpiſſent plures bonos, ne quiſquam in alterum carmen infame proponeret, lege lata ſiluere. Et hinc deinde aliud genus fabulę, id eſt ſatyra ſumpſit exordium. quę à ſatyris, quos illotos ſemper ac petulantes deos ſcimus eſſe, vocitata eſt. etſi aliunde nomen traxiſſe prauè putant alij. Hæc, quæ ſatyra dicitur, eiuſmodi fuit, vt in ea quamuis duro & veluti agreſti loco, de vitiis ciuium tamen ſine vllo proprij nominis titulo carmen eſſet. Quod item genus Comœdiæ multis obfuit Poëtis, cum in ſuſpicionem potentibus ciuibus veniſſent, illorum facta deſcripſiſſe in peius, ac deformaſſe genus ſtylo carminis. quod primo Lucilius nouo conſcripſit modo, vt poeſin inde faceret, id eſt vnius carminis plures libros. Hoc igitur, quo ſuprà diximus modo, coacti omittere ſatyram, aliud genus carminis τὴν νέαν κωμωδίαν, hoc eſt nouã comœdiam reperêre Poëtæ: quæ argumento communi magis, & generaliter ad omnes homines, qui mediocribus fortunis agũt, pertineret : & minus amaritudinis ſpectatoribus, & eadem opera multum delectationis afferret: concinna argumento, conſuetudine congrua, vtilis ſententiis, grata ſalibus, apta metro. Vt igitur ſuperiores illæ ſuis quæque celebrantur authoribus: ita hæc νέα κωμωδία cum multorum antea, tum præcipuè Menandri, Terentiíque eſt. de qua cum multa dicenda ſint, ſat erit tamen velut admonendi lectoris cauſa, quod de arte comica veterum chartis continetur, exponere. Comœdia vetus vt ab initio chorus fuit, paulatímque perſonarum numero in quinque actus proceſſit: ita paulatim velut attrito atque extenuato choro ad nouam Comœdiam ſic peruẽnit, vt in ea non modo, non inducatur chorus, ſed ne locus quidem vllus iam relinquatur choro. Nam poſtquam otioſo tempore faſtidioſior ſpectator effectus, tunc cum ad cantores ab actoribus fabulæ

tranſibat, conſurgere & abire cœpiſſet: admonuit Poetas primò quidem choros prætermittere, locum eis relinquentes: vt Menander fecit, hac de cauſa, non vt alii exiſtimant, alia. Poſtremò ne locum quidem reliquerunt: quod Latini fecerunt Comici. vnde apud illos dirimere actus quinquepartitos difficile eſt. Tum etiam Græci prologos non habent more noſtrorum, quos Latini habent. Deinde θεοὺς ἀπὸ μηχανῆς, id eſt Deos argumentis narrandis machinatos, cæteri Latini inſtar Græcorum habent: Terentius non habet. Ad hoc προτατικὰ πρόσωπα, id eſt perſonas extra argumentum accerſitas, non facilè cæteri habent: quibus Terentius ſæpe vtitur, vt per harum inductiones facile pateat argumentum. Veteres, etſi ipſi quoque in metris negligentius egerunt iambici verſus, duntaxat in ſecundo & quarto loco: tamen à Terentio vincuntur reſolutione huius metri, quantum poteſt, comminuti ad imaginem proſæ orationis. Tum perſonarum leges circa habitum, ætatem, officium, partes agendi, nemo diligentius Terentio cuſtodiuit. Quinetiam ſolus auſus eſt cum in fictis argumentis fidem veritatis aſſequeretur, etiam contra præſcripta comica meretrices interdum non malas introducere: quibus tamen, cur bonæ ſint, & voluptas per ipſum & cauſa non deſit. Hæc cum artificioſiſſima Terentius fecerit: tum illud eſt admirandum quod & morem retinuit vt Comœdiam ſcriberet: & temperauit affectum, ne in Tragœdiam tranſiliret. quod cum aliis rebus minimè obtentum & à Plauto, & ab Afranio, & Accio, & multis ferè magnis Comicis inuenimus. Illud quoque inter Terentianas virtutes mirabile, quòd eius fabulæ eo ſunt temperamento, vt neque extumeſcant ad tragicam celſitudinem, neque abiiciantur ad mimicam vilitatem. Adde quòd nihil abſtruſum ab eo ponitur: aut quod ab hiſtoricis requirendum ſit, quod ſæpius Plautus facit, & eo eſt obſcurior in pluribus locis. Adde quòd argumenti ac ſtyli ita attente memor eſt, vt nuſquam non cauerit, aut curauerit ea, quæ obeſſe potuerunt: tum quòd media primis atque poſtremis ita nexuit, vt nihil additum alteri, ſed aptum ex ſe totum, & vno corpore videatur eſſe compoſitum. Illud quoque mirabile in eo primo, quòd non ita miſcet perſonas quatuor, vt obſcura ſit earum diſtinctio. Et item quòd nihil ad populum facit actorem, velut ex Tragœdia loqui. quod vitium Plauti frequentiſſimum eſt. Illud etiam inter cętera eius laude dignum videtur, quòd locupletiora argumenta ex duplicibus negotiis delegerit ad ſcribendum. nam excepta Hecyra, in qua vnius Pamphili amor eſt; cæteræ quinque binos adoleſcentulos habent. Illud verò tenendum eſt, poſt νέαν κωμῳδίαν Latinos multa fabularum genera protuliſſe: vt Togatas, à ſcenicis atque argumentis Latinis: Prætextatas, ab dignitate perſonarum, & Latina hiſtoria: Attelanas, à ciuitate Campaniæ, vbi actitatæ ſunt plurimæ: Rhyntonicas, ab actoris nomine: Tabernarias, ab humilitate argumenti & ſtyli: Mimos, ab diuturna imitatione vilium rerum & leuium perſonarum. Inter Tragœdiam autem & Comœdiam cum multa, tum in primis hoc diſtat: quòd in Comœdia mediocres fortunæ hominum, parui impetus periculáque, lætíque ſunt exitus actionum. At in Tragœdia,

omnia contraria, ingentes perſonæ, magni timores, exitus funeſti habentur. Et illic turbulenta prima, tranquilla vltima. In Tragœdia contrario ordine res aguntur. Tum quòd in Tragœdia, fugienda vita; in Comœdia, capeſſenda exprimitur. Poſtremo, quòd omnis Comœdia de fictis eſt argumentis: Tragœdia ſæpe ab hiſtorica fide petitur. Latinæ fabulę primo à Liuio Andronico ſcriptæ ſunt, adeo vt ad has res etiam tum recentes idem & Poëta & actor fabularum ſuarum fuiſſet. Comœdiæ autem, motoriæ ſunt, aut ſtatariæ, aut miſtæ. Motoriæ, turbulentæ: ſtatariæ, quietiores: miſtæ, ex vtroque actu conſiſtentes. Comœdia per quatuor partes diuiditur, Prologum, Protaſin, Epitaſin, Cataſtrophem. Prologus eſt velut præfatio quædam fabulæ: in quo ſolo licet, præter argumentum aliquid ad populum, vel ex Poëtæ, vel ex ipſius fabulæ, uel ex actoris commodo, loqui. Protaſis, primus eſt actus, initiúmque dramatis. Epitaſis, incrementum proceſſúſque turbarum: ac totius, vt ita dixerim, motus erroris. Cataſtrophe, conuerſio rerum eſt ad iucundos exitus, patefacta cunctis cognitione geſtorum.

Comoedia, eſt fabula diuerſa inſtituta continens, affectuumque ciuilium ac priuatorum: quibus diſcitur quid ſit in vita vtile, quid contrà euitandum. Hanc Græci ſic definiere, *κωμῳδία ἐστὶν ἰδιωτικῶν, καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή*. Comœdiam eſſe Cicero ait, *imitationem vitæ, ſpeculum conſuetudinis, imaginem veritatis*. Comœdiæ autem à more antiquo dictę: quia in vicis huiuſmodi carmina initio agebantur, apud Græcos: vt in Italia Compitalitiis ludicris, admiſto pronunciationis modulo, quo, dum actus commutantur, populus detinebatur. Aut *ἀπὸ τῶν κωμῶν*, hoc eſt, ab actu vitę hominum, qui in vicis habitabant, ob mediocritatem fortunarum: non in aulis regiis, vt ſunt perſonæ Tragicæ. Comœdia verò, quia poëma ſub imitatione vitę atque morum ſimilitudine compoſitum eſt, in geſtu & pronuntiatione conſiſtit. Comœdiam apud Gręcos dubium eſt quis inuenerit primus: apud Latinos certum eſt. Comœdiam & Tragœdiam Togatam primò Liuius Andronicus reperit: atque, *Comœdiam eſſe quotidianæ vitæ ſpeculum*: nec iniuria. nam vt intenti ſpeculo veritatis lineamenta facilè per imagines colligimus: ita lectione Comœdiæ imitationem vitæ, cõſuetudiniſque non ægerrimé animaduertimus. Huius autem originis ratio ab exteris ciuitatibus, moribúſque peruênit. Athenienſes namque Atticam cuſtodientes elegantiam, cum vellent malè viuentes notare, in vicos & compita ex omnibus locis læti, alacréſque veniebant: ibíque cum nominibns ſingulorum vitam publicabant: vnde nomen compoſitum vt comœdia vocaretur. hæc autem carmina in pratis primum mollibus agebantur. nec deerant præmia, quibus ad ſcribendum doctorum prouocarentur ingenia: ſed & actoribus munera offerebantur, quo libentius iucundò vocis flexu ad dulcedinem commendationis vterentur. Caper namque pro dono his dabatur, quia vitibus noxium animal habebatur: à quo etiam Tragœdiæ nomen exortum eſt. Nonnulli autem ex amurca olei fæce, quæ eſt humor aquatilis, Tragœdiam dici vocaríque maluerunt. Qui ludi cum per artifices in honorem Liberi patris

agerentur, etiam ipſi Comœdiarum Tragœdiarúmque ſcriptores huius Dei velut patris numen colere venerarique cœperunt. cuius rei probabilis ratio extitit. ita enim carmina inchoata proferebantur, vt per ea laudes eius, & facta glorioſa celebrari, proferrique conſtaret. tum paulatim fama huius artis increbuit. Theſpis autem primus hęc ſcripta in omnium notitiam protulit. Poſtea AEſchylus ſecutus exemplum, publicauit. de quibus ita Horatius in arte Poetica loquitur;

Ignotum tragicæ genus inueniſſe camœnæ
Dicitur, & plauſtris vexiſſe poëmata Theſpis,
Quæ canerent, agerentque peruncti fæcibus ora.
Poſt hunc perſonæ, pallaéque repertor honeſtæ
AEſchylus, & modicis inſtrauit pulpita tignis:
Et docuit magnúmque loqui, nitique cothurno.
Succeſſit vetus his Comœdia non ſine multa
Laude: ſed in vitium libertas excidit, & vim
Dignam lege regi. lex eſt accepta: chorúſque
Turpiter obticuit ſublato iure nocendi.
Nil intentatum noſtri liquêre Poëtæ:
Nec minimum meruêre decus, veſtigia Græca
Auſi deſerere, & celebrare domeſtica facta,
Vel qui prætextas, vel qui docuêre togatas.

FABVLA generale nomen eſt. eius duæ primæ partes ſunt, Tragœdia & Comœdia. Si Latina argumenratio ſit, prætextata dicitur. Comœdia autem multas ſpecies habet. aut enim palliata eſt, aut togata, aut tabernaria, aut artellana, aut mimus, aut thintonica, aut planipedia. Planipedia autem dicta ob humilitatem argumenti eius, ac vilitatem actorum, qui non cothurno aut ſocco vtuntur in ſcena, aut pulpito, ſed plano pede: vel ideò quòd non ea negotia continet, quæ perſonarum in turribus, aut in cœnaculis habitantium ſunt, ſed in plano & humili loco. Perſonati primi egiſſe dicuntur Comœdiam Cincius & Faliſcus: Tragœdiam Minutius & Prothonius. Omnium autem Comœdiarum ſcripta ex quatuor rebus omnino ſumuntur; nomine, loco, facto, euentu. Nomine, vt Phormio, Hecyra, Gurgulio, Epidicus. Loco, vt Andria, Leucadia, Brunduſina. Facto, vt Eunuchus, Aſinaria, Captiui. Euentu, Commorientes, Adelphi, Heautontimorumenos. Comœdiarum formę ſunt tres, Palliatæ, Græcum habitum ferentes: quas nonnulli tabernarias vocant. Togatæ, iuxta formam perſonarum habitum togarum deſideranres. Attellanæ, ſalibus & iocis compoſitæ, quæ in ſe non habent niſi vetuſtam elegantiam. Comœdia autem diuiditur in quatuor partes, Prologum, Protaſin, Epitaſin, Cataſtrophen. Prologus eſt prima dictio, à Græcis dicta πρόλογος, id eſt antecedens veram fabulæ compoſitionem elocutio. Eius ſpecies quatuor ſunt, συστατικὸς, commendatitius: quo

fabula vel Poëta commendatur. ἀναφορικὸς, relatiuus: quo aut aduerſario maledicta, aut gratiæ populo referuntur. ὑποθετικὸς, argumentatiuus: fabulæ argumentum exponens. μικτὸς, miſtus: omnia hæc in ſe continens. Inter Prologum & Prologium quidam hoc intereſſe voluerunt: quia prologus eſt velut præfatio quædam fabulæ, in quo ſolo ſcilicet præter argumentum, aliquid ad populum vel ex poëta, vel ex ipſius fabulæ, vel actoris commodo loquitur. Prologium autem eſt, cum tantùm de argumento dicitur. Protaſis eſt primus actus initiúmque dramatis, quo pars argumenti explicatur, pars reticetur ad populi expectationem tenẽdam. Epitaſis eſt incrementum proceſſuſque turbarum, ac totius vt ita dixerim nodus erroris. Cataſtrophe eſt cõuerſio rerum ad iocundos exitus, patefacta cunctis cognitione geſtorum. In pleriſque fabulis ipſarum nomina priora ponebãtur, quàm Poëtarum: in nonnullis Poëtarum, quàm fabularum. cuius moris diuerſitatem antiquitas probat. Nam cum primum aliqui fabulas ederent, ipſarum nomina pronunciabantur antè, quam Poëtæ pronuntiarentur, ne aliqua inuidia à ſcribendo deterreri poſſent. Cum autem per editionem multarum Poëtæ iam eſſet authoritas acquiſita, rurſus priora Poëtarum nomina proferebantur: vt per ipſorum vocabula fabulis attentio acquireretur.

Actas diuerſis ludis manifeſtum eſt inſcribi. Nam ludorum quatuor ſunt ſpecies, quos Curules AEdiles munere publico curant. Menlenſes, magnis diis conſecragati, quos Græci μεγαλησίους appellant. Funebres, ad retinendum populum inſtituti, dum pompa funeri decreta in honorem patricii viri plenè inſtruitur. Plebii, qui pro ſalute plebis eduntur. Apollinares, Apollini conſecrati. In ſcena duæ aræ poni ſolebant, dextra Liberi, ſiniſtra eius dei cui ludi fiebant: vnde Terentius in Andria ait,

Ex ara hac ſume verbenas.

Hinc Vlyſſem palliatum ſemper inducunt: ſiue quòd aliquando inſaniam ſimulauit: quo tempore tectum ſe eſſe voluit, ne agnitus cogeretur in bella prodire. ſeu ob ſingularem ſapientiam, qua tectus munitúſque plurimum ſociis profuit. Huius enim virtutis erat, animi ſemper decipientis ingenium. Nõnulli Ithacæ incolas, ſicut Locros, palliatos fuiſſe commemorãt. Achillis & Neoptolemi perſonæ, diademata habent: quamuis regalia ſceptra nunquam tenuerint: cuius argumenti probatio talis inducitur, quòd nunquam cum reliqua Græciæ iuuentute ad gerenda cum Troianis bella, ſacramenta coniurationis inierunt, nec vnquam ſub Agamemnonis imperio fuerunt.

Comicis ſenibus candidus veſtitutus inducitur, quòd is antiquiſſimus fuiſſe memoratur. Adoleſcẽtibus diſcolor attribuitur. Serui comici amictu exiguo cõteguntur, paupertatis antiquæ gratia, vel quo expeditiores agant. Paraſiti cum intortis palliis veniunt. Læto, veſtitus candidus: ærumnoſo, obſoletus purpureus, diuiti: pauperi, phœniceus datur: militi, chlamys purpurea: puellæ habitus peregrinus inducitur. Leno pallio varij coloris vtitur. Meretricio ob auaritiam luteum datur. Syrmata dicta ſunt ab eo, quòd trahuntur: quæ res ab ſcenica luxuria inſtituta eſt. Eadem in luctuoſis perſonis

incuriam ſui per negligentiam ſignificant. Aulæa quoque in ſcena intexta ſternuntur,quòd pictus ornatus erat,ex Attalica regia Romam vſque perlatus:pro quibus ſiparia ætas poſterior accepit. Eſt autẽ mimicũ velum, quod populo obſiſtit, dum fabularum actus commutantur. Diuerbia histriones pronuntiabant. Cantica verò temperabantur modis non à Poëta,ſed à perito artis muſicæ factis. Neque enim omnia iiſdem modis in vno cantico agebantur,ſed ſæpe mutatis. Vt ſignificant qui tres numeros in Comœdiis ponunt, qui tres continent mutatos modos cantici illius. Qui huiuſmodi modos faciebant, nomen in principio fabulæ & ſcriptoris & actoris ſuperponebant. Huiuſmodi adeò carmina ad tibias fiebant, vt his auditis, multi ex populo antè diſcerent quam fabulam acturi ſcenici eſſent, quàm omnino ſpectatoribus ipſis antecedens titulus pronuntiaretur. Agebantur autem tibiis paribus aut imparibus, & dextris aut ſiniſtris. Dextræ autem tibiæ ſua grauitate ſeriam Comœdiæ dictionem pronuntiabant. Siniſtræ & ſerranæ acuminis leuitate iocum in Comœdia oſtendebant. Vbi autem dextra & ſiniſtra acta fabula inſcribebatur, miſtim ioci & grauitates denuntiabantur.

TERENTII AFRI
COMOEDIÆ N̄. VI.

ANDRIA. EVNVCHVS.
HEAVTONTIMORVMENOS.
ADELPHOE. HECYRA.
PHORMIO.

FELICITER CALLIOPIO

Ita in MS. Regio.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. ANDRIAM.

*S*ORORE M *falſò creditam meretriculæ,*
Genere Andriae, Glycerium vitiat
Pamphilus.
Grauidáque facta, dat fidem vxorem ſibi
Fore hanc, nam aliam pater ei deſponderat
Gnatam Chremetis: atque vt amorem comperit,
Simulat futuras nuptias, cupiens ſuus
Quid haberet animi filius, cognoſcere.
Daui ſuaſu non repugnat Pamphilus.
Sed ex Glycerio natum vt vidit puerulum
Chremes, recuſat nuptias, generum abdicat.
Mox filiam Glycerium inſperato agnitam,
Dat Pamphilo hanc, aliam Charino coniugem.

ÆLII DONATI, V.C. ORATORIS VRBIS Romæ, Præfatio in Andriam Terentij.

COMOEDIA Andria, cum Palliata ſit, de loco nomen accepit, & à Menandro prius, & nunc ab ipſo Terentio: qui cùm de Chryſide loqueretur, ſic ait, *Hei vereor nequid Andria apportet mali.* & hoc commune vocabulum eſt & in Græca, & in Latina lingua. Hæc maiori ex parte motoria eſt, continétque actus amatorum adoleſcentium, & patrum piorum. Sunt ibi callidi ſerui, aſtutæ ancillæ, ſeueri ſenes, adoleſcentulæ

liberales. In hac primæ partes ſenis Simonis ſunt, ſecundæ Daui, tertiæ Chremetis, & deinceps reliquorum. Prologus in hac acer inducitur, & in aduerſarios non mediocriter exaſperatur: ſed tamen id ſubtiliter, vt omnia laceſſitus facere videatur, ac dicere. Hic protaſis ſubtilis, epitaſis tumultuoſa, cataſtrophe penè tragica: & tamen repente ex his turbis in tranquillum peruenit. Hæc prima acta eſt ludis Megalenſibus M. Fuluio, & M. Glabrione, ædilibus Curulibus. Egerunt L. Attilius Prænestinus, & L. Ambiuius Turpio. Modos fecit Flaccus Claudij filius tibiis paribus, dextris & ſiniſtris. & eſt tota Græca, edita M. Marcello, & Sulpitio coss. pronunciatáque eſt Andria Terentij ob incognitum adhuc nomen Poëtæ, & minoris apud populum authoritatis ac meriti. Diuerbiis authenticis lepidè diſtincta eſt: & ſucceſſu ſpectata proſpero, hortamento Poëtæ fuit ad alias conſcribendas. Initium autem προτατικὸν πρόσωπον, id eſt aduentitiam perſonam recepit Soſiæ, propter euoluendam argumenti obſcuritatem. Perſona autem protatica ea intelligitur, quæ ſemel inducta in principio fabulæ, in nullis deinceps fabulæ partibus adhibetur. Adnotandum ſanè puellarum liberalium nullam orationem in proſcenio induci, in comœdia Palliata, præter inuocationem Iunonis Lucinæ: quæ & ipſa quoque poſt ſcenam fieri ſolet.

ARGVMENTVM.

CHREMES Atticus, pater Paſibulæ & Philumenæ, cum ex his duabus ſe Paſibulam perdidiſſe falsò crederet relictam Athenis, nec viſam poſtea multo tempore: tanquam vnicam ſibi putabat Philumenam: quam Charinus adoleſcens Athenienſis adamabat vnicè, & ſibi petebat vxorem. Sed pater eam Pamphilo cuidam Simonis filio vltrò deſponderat: qui Pamphilus contra ſororem Chryſidis, ac peregrinam tum creditam, Paſibulam ſupradictam alteram Chremetis filiam, ſub nomine Glycerij, latenter ſic amauit, vt ex ea filium ſuſcepiſſet inſcio patre. qua re intellecta commotus Simo pater Pamphili, dum per falſas nuptias tentat animum Pamphili, multis modis à Dauo ipſe deluditur ſeruo, periculóque Charini, & Pamphili motus error in fabula, vſque ad eum finem ductus eſt, dum Athenas veniens Andrius quidam Crito rem aperiat, & nodum fabulæ ſoluat: per quem agnita Paſibula recipitur à parentibus, & traditur Pamphilo amanti: Philumena verò Charino deſpondetur, & traditur exoptanti. Perſpecto argumento ſcire debemus hanc eſſe virtutem Poëticam, vt à nouiſſimis argumenti rebus incipiens initium fabulæ, & originem narratiuè reddat ſpectatoribus: authorémque præſentem ſibi exhibeat, vbi finis eſt fabulæ. hunc enim orbem & circulum Poëticæ virtutis non modo ſecuti ſunt Tragici, comicíque authores: ſed Homerus etiam & Virgilius tenuerunt. Diuiſionem actuum in Latinis fabulis in-

ternoſcere difficile eſt. cauſam iamdudum demonſtrauimus. Vnde autem, aut quo modo, quamuis ægrè, tamen intelligi diſtinguique poſſint, eſt operæpretium dicere. Principio dicendum eſt, nullam perſonam egreſſam quinquies, vltra exire poſſe. Sed illa re plerumque decipimur, quod perſonam, cùm tacuerit, egreſſam falsò putamus: quæ nihilominus in proſcenio tacens loquendi tempus expectat. Eſt igitur attentè animaduertendum, vbi & quando ſcena vacua ſit ab omnibus perſonis: vt in ea chorus, vel tibicen audiri poſſit. quod quum viderimus, ibi actum eſſe finitum debemus agnoſcere. Confundit ſæpè lectorem id, quòd perſona in ſuperiori ſcena deſinens, & in proxima incipiens loqui, non intelligitur ingreſſa: quod ipſum experientes ſtatim diiudicant de rerum ac temporum quantitate. poteſt enim fieri vt & ſit ingreſſa ac egreſſa, quam prauè credimus de proſcenio non receſſiſſe. Poſſe autem quinto egredi perſonam, non & neceſſe eſſe dicimus: vt appareat vltrà exire non poſſe. In Tragœdia & parcius exire & ſolere pariter & licere. Primus actus in Andria narrationem Simonis apud Soſiam continet argumenti: quòd populus hac occaſione perdiſcit mox querelam apud ſe Daui de domino, & eiuſdem cum domino verba: & rurſus eiuſdem ſerui deliberationem quid rerum gerat. Secundi actus hæc ſunt, Charini verba primò cum Birria ſeruo, & poſt cum ipſo Pamphilo de nuptiis Philumenæ. Daui interuentus & cum eo diſputatio de nuptiis Pamphili. Pamphili ſermo cum patre dolo conſentientis in nuptias. Birriæ verba. Daui callida oratio aduerſum ſenem. Tertio actui hæc attribuuntur, Myſidis cum obſtetrice colloquium, Dauo ac Simone audientibus. partus Glycerij ſuſpectus ſeni: & Daui apud eum fraudulenta ſermocinatio. Simonis verba cum Chremete de nuptiis. Daui perturbatio ac Pamphili. Quartum actum per hæc intelligimus, prima Charini verba ſunt indignantis, velut fidem ſibi non ſeruatam à Pamphilo: tum Myſidis verba apud Pamphilum, eiuſdémque queſtus. Daui adminiſtratio doli aduerſus Chremetem. In quinto actu Simonis & Chremetis propè iurgium diſputatio, tum detectio fallaciarum Daui, tum indignatio patris aduerſus filium, tum Critonis interuentus: & per eum cognitis rebus in tranquillum res acta, ducentibus vxores quas concupiuerant Pamphilo & Charino. Illud non commouere nos debet, quod in hortum actuum diſtinctione videntur de proſcenio non diſceſſiſſe perſonæ quædam: ſed tenere debemus ideò Terentium vicinitatis mentionem feciſſe in principio, vt modico receptu & adeſſe & abeſſe perſonam intelligamus. nihil ergo ſecus factum eſt ab antiquis, qui ad hunc modum Terentianas fabulas diuiſerunt.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

BIRRIA *ſeruus.*
CHARINVS *adoleſcens.*
CHREMES *ſenex.*
CRITO *hoſpes.*
DAVVS *ſeruus.*
DROMO *lorarius.*
GLYCERIVM *meretrix.*
LESBIA *obſtetrix.*
MYSIS *ancilla.*
PAMPHILVS *adoleſcens.*
SIMO *ſenex.*
SOSIA *libertus.*

IDIOMATA PERSONARVM PRAECIPVARVM.

Simo *pius in filium, ſed natura vehementior.* Pamphilus *pius in patrem, ſed fideliter amans, & cordatus ut adoleſcens.* Dauus *vafer, ac ſpei pertinacis.* Charinus *ſimplex, ac nullius conſilij.* Birria, *Dauo diſsimillimus, deſperandi author.* Crito *pauper, ſed ob probitatem impatiens contumeliæ.* Chremes *pius in filiam, alioqui Simonis diſſimillimus, ingenio ſedato & placido componens omnia.* Myſis *callida & heræ amans.*

RATIO NOMINVM.

Simo *dictus eſt à ſpecie. Simi enim ferè ſunt iracundi.* Chremes, παρὰ τὸ χρέμπτειν, *quòd ſenes tuſsi expurgent pectus.* Pamphilus *à fideli amore.* Charinus *à beneuolentia animi.* Soſias, *quòd ſeruatus in bello.* Dauus *à patria. Opinor &* Birria, *ſicut &* Myſis. *Nam* Myſi, *quemadmodũ Phryges, ſeruile genus erat.* Glycerium *à voluptate.* Leſbia, *à patria.* Crito, *quòd controuerſiam dirimat.* Dromo *à curſu.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
ANDRIA.

ACTA LVDIS MEGALENSIB. M. FVLVIO ET M. GLABRIONE AEDILIB. CVRVLIB. EGERVNT L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI FILIVS, TIBIIS PARIB. DEXTRIS ET SINISTRIS. ET EST TOTA GRAECA, EDITA M. MARCELLO, CN. SVLPITIO COSS.

PROLOGVS.

POETA quum primùm animum ad ſcribendum appulit,
Id ſibi negoti credidit ſolùm dari,
Populo vt placerent, quas feciſſet fabulas.
Verùm aliter euenire multò intelligit.
Nam in prologis ſcribundis operam abutitur,
Non qui argumentum narret, ſed qui maleuoli.
Veteris poëtæ maledictis reſpondeat.
Nunc, quam rem vitio dent, quæſo animum aduortite.
Menander fecit Andriam & Perinthiam.
Qui vtramuis rectè norit, ambas nouerit.
Non ita diſsimili ſunt argumento, ſet tamen
Diſsimili oratione ſunt factæ, ac ſtylo.
Quæ conuenêre, in Andriam ex Perinthia
Fatetur tranſtuliſſe, atque vſum pro ſuis.

Id iſti vituperant factum, atque in eo diſputant,
Contaminari non decere fabulas.
Faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant.
Qui cum hunc accuſant, Næuium, Plautum, Ennium
Accuſant: quos hic noſter authores habet:
Quorum æmulari exoptat neclegentiam
Potius, quàm iſtorum obſcuram diligentiam.
Dehinc vt quieſcant, porrò moneo, & deſinant
Maledicere, malefacta ne noſcant ſua.
Fauete, adeſte æquo animo, & rem cognoſcite,
Vt pernoſcatis, & quid ſpei ſit relliquùm:
Poſthac quas faciet de integro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ ſint vobis prius.

ÆLII DONATI V.C. ORATORIS VRBIS ROMÆ COMMENTARIVS.

POETA QVVM PRIMVM ANIMVM AD SCRIBENDVM APPVLIT. Principium factum eſt à commédatione perſonæ, quòd prudens, quòd honeſtus Terentius. & honore maiore Poëtam potiùs quàm Terentium dixit: vt illum, hoc ipſo, de quo laborat, nomine ornaret. POETA QVVM PRIMVM. Omnis huius prologi intentio hoc agit, vt nouo Poetæ veniam paret, & veteri odium: & vt, quàm maximè modeſtum, miniméque errantem Terentium probet. POETA QVVM PRIMVM ANIMVM AD SCRIBENDVM APPVLIT. Senſus hic eſt, Propoſuerat quidem Poëta noſter vt in prologis argumenta narraret: ſed hoc imputat Lucio Lauinio aduerſario, qui eum facere non permiſit quod propoſuerat, maledictis ſuis ad reſpondendum eundem prouocans.

APPVLIT. *Appellere* propriè dicitur, cum ex pelago aut freto quis ad litus acceſſerit. Virgilius, *Hinc me digreſſum veſtris deus appulit oris.* APPVLIT. In ſecunda lectione ATTVLIT fuit: ſed APPVLIT magis: Nam poſtea ſic, *Animum ad vxorem appulit.*

NEGOTI. *Modo* pro moleſtia & cura, non labore.

POPVLO VT PLACERENT. *Vt* ne non ſignificat: nec eſt modò coniunctio.

FABVLAS. Ad FECISSET retulit fabulas, non ad PLACERENT. & eſt figura ſyllepſis.

FECISSET. Bene *feciſſet*, non *ſcripſiſſet*. Vnde & Poëtæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν, id eſt à faciendo dicti ſunt. Sic Virgilius, *Pollio & ipſe facit noua carmina.*

VERVM ALITER MVLTO INTELLIGIT. Sic Virgilius, *Maior rerum mihi naſcitur ordo.* Et, *Maius opus moueo.* Non enim hoc ſe elegiſſe dicit, ſed quaſi ex ordine ipſo natum ſibi eſſe. INTELLIGIT. Quod credimus, plerunque falſum: quod intelligimus, certum eſt. ALITER autem, contra ſignificat. Virgilius. *Dijs aliter viſum.* VERVM ALITER MVLTO INTELLIGIT. Adeò nec præparauerat, nec intenderat quenquam lædere, vt ſpe falſus, laceſſitúſque hoc faciat.

OPERAM ABVTITVR. *Vtimur* fructibus rei, quæ ab amantibus ſaluo vſu nobis ſubminiſtratur. *Abutimur*, quando deperdimus & rem & fructum. Nam vſui eſt ager, domus: abuſui vinum, oleum, & cætera huiuſmodi. Cicero, *Non debet* (inquit) *ea mulier, cui vir bonorum ſuorum vſumfructum legauit, cellis vinarijs & olearijs plenis relictis, putare*

id ad ſe pertinere. vſus enim, non abuſus legatus eſt. ea inter ſe ſunt contraria. Hæc in Topicis.

ARGVMENTVM NARRET. Quod verè prologi eſt officium.

QVI. Pro *vt*, ergo non eſt modò pronomen.

SED QVI MALEVOLI VETERIS POETÆ. Primum à natura, *maleuoli*: deinde à tempore, vel ab inuidia, *veteris*: à ſigno æmulationis, *poetæ*. *Vetus* plerunque refertur ad laudem: interdum ad vituperationem, vt hic. & alibi, *Vetus, veternoſus ſenex*.

VETERIS. Pro carioſi & quaſi rancidi poſuit. atque ideo maleuoli: non criminibus, ſed maledictis. Quid autem inter *maledictum* & *crimen* interſit, docet Cicero in Tuſculanis. VETERIS. Ratio inuidiæ. POETAE. Cauſa inſectationis.

MALEDICTIS. Criminatio aduerſarij. VETERIS POETÆ. Quia ſenex Lucius edebat fabulas, adoleſcentulo tunc Terentio. Et eleganter, *maleuoli veteris maledictis*: commendatio Poëtæ à perſona aduerſarij.

RESPONDEAT. Excuſatio reſpondentis, quòd non obſiſtat, ſed reſpondeat.

NVNC QVAM REM. *Quam*, qualem.

VITIO DENT. Vituperent, culpent. *Vituperare*, eſt male vitio dare etiam bona.

NVNC QVAM REM VITIO DENT. nunc animaduertite: an, nunc vitio dent: Et oratorie quaſi multos facit, cum vnum ſuprà dixerit. vt Virgilius, *Deſiſte manum committere Teucris*. NVNC QVAM REM VITIO. Propoſitio eſt.

ADVERTITE. Legitur & ATTENDITE. vnde manifeſtum eſt & *aduertite* & *attendite* non eſſe plenum, niſi addideris *animum*.

MENANDER FECIT ANDRIAM. Narratio eſt. & propriè fecit. ſcribit enim Terentius, qui verba adhibet tantum: facit Menander, qui etiam argumentum componit. ſed ſæpè ad laudem Terentij, FECIT, pro eo quod eſt tranſtulit.

VTRAMVIS. Prima ſcena Perinthiæ, penè iiſdem verbis quibus Andria, ſcripta eſt, cætera diſſimilia ſunt, exceptis duobus locis, altero ad verſus XI, altero ad verſus XX, qui in vtraque fabula poſiti ſunt. QVI NORIT VNAM, AMBAS NOVERIT. Omnem rem vno verſu nouerit. VTRAMVIS. Deeſt HARVM.

NON ITA DISSIMILI SVNT. Ordo, Ita non ſunt. Ergo ITA ſubdiſtinguendum.

SED TAMEN. Diſcretio eſt à ſuperioribus, & eſt ἀνακόλουθον. Non enim ſuprà poſuit QVIDEM.

NON ITA DISSIMILI SVNT ORATIONE. *Ita* pro valdè & cautè: potuit enim dici, Quomodo ergo ſunt duæ diſſimili oratione? ITA. ne Menandrum culpare videatur *ita* adiunxit, quod laudis eſt.

ORATIONE AC STYLO. *Oratio* in ſenſu eſt: *ſtylus* in verbis. *Oratio* ad res refertur: *ſtylus* ad verba. *Stylus* non eſt in tempore, ſed prolata oratione. *Oratio* autem eſt & in cogitatione, & in prolatu. Orationem in ſententiis dicunt eſſe, ſtylum in verbis, argumentum in rebus. Ergo in poëmate oratio eſt.

QVÆ CONVENERE IN ANDRIAM. Apparet non de induſtria, ſed caſu eſſe tranſlata ea quæ ex Perinthia in Andriam eodem ſenſu, iiſdémque verbis perſcripta fuerunt. QVÆ CONVENERE IN ANDRIAM. Vnam ergo, non duas tranſtulit. QVÆ CONVENERE IN ANDRIAM. Quæ apta & commoda fuerunt in Andriam Latinam, non Græcam, fatetur tranſtuliſſe. Sed quare ſe onerat Terentius, cum poſſit videri de vna tranſtuliſſe? Sic ſoluitur, Quia conſcius ſibi eſt primam ſcenam de Perinthia eſſe tranſlatam, vbi ſenex ita cum vxore loquitur, vt apud Terentium cum liberto. at in Andria Menandri, ſolus ſenex eſt.

ID ISTI VITVPERANT FACTVM. *Iſti*, ad reprehenſionem ſumitur perſonæ: interdum rei reprehenſionem ſignificat: vt Virgilius, *Quid petis iſtis?*

VITVPERANT. Vitium rei parant.

DISPVTANT. Immorantur, calumniantur, argumentantur.

CONTAMINARI. Propriè *contaminare* eſt manibus luto plenis aliquid attingere. & contaminare, attingere eſt, & polluere. Virgilius, *Linquere pollutum hoſpitium*, id eſt contaminatum. CONTAMINARI. Tangi & relinqui polluta manu: ac per hoc velut fœdari aut maculari: vt ipſe ait, *Ne hoc gaudium contaminet vita ægritudine aliqua.*

CONTAMINARI NON DECERE. id eſt, ex multis vnam non decere facere.

FACIVNT NE. *Ne* quidam corripiunt, & cum interrogatione pronuntiant, quidam producunt. quorum alij *ne* pro *nec* accipiunt: id eſt, non. alij *ne* pro valde, vt: *Ne ego homo ſum infælix.* & Cicero. *Ne illi vehementer errant.* Et hoc melius: nam ſtatim infert, *Qui cum hunc accuſant, Næuium, Plautum, Ennium accuſant.* In ſingulis magna emphaſis authoritatis: ſed ordo non eſt ſeruatus. Ennius namque ante Plautum fuit: ſed quod eſt ſummæ authoritatis, Ennium vltimum dixit. NE. Nimis, multum, plurimum.

QVI CVM HVNC. Terentium, inquit, ſpecialiter accuſantes, neſciunt ſe bonis omnibus maledicere, quos ille imitatur: & argumeotum eſt ab exemplo & authoritate.

DEHINC VT QVIESCANT. Rectè. nam *quieſcere* ille dicitur, qui eſt inſolens & inquietus. PORRO. Porro, in futurum dixit.

MONEO. Terribiliter dixit. Cicero, *Moneo, prædico, antè denuntio.* Liberatus culpa etiam terret, alibi etiam criminaturus aduerſarios.

FAVETE. Iam ad auditores conuertitur, à quibus fauorem captat. FAVETE. Quaſi dicat, Hoc aduerſarij faciunt. Vos autem, quod in vobis eſt, fauete. Vos ergo fauorem facite. Et ADESTE non vt abſeotibus dicit, quippe qui corporibus præſto erant: ſed, intenti eſtote, fauete, ſilete. ſic & Pontifices dicunt, FAVETE LINGVIS, fauete verbis. Vnde Virgilius, *Ore fauete omnes.* ADESTE. Animis ſcilicet auxilium præbete: vt aduocatus reo dicitur adeſſe.

ÆQVO ANIMO. Ab honeſto.

ET REM COGNOSCITE. A iuſto. COGNOSCITE. Pernoſcite. Sic dixit, *Cognoſcite vt pernoſcatis*, quemadmodum in Hecyra, *Orator ad vos venio ornatu prologi, Sinite exorator ſim.* VT PERNOSCATIS. Ab vtili.

RELLIQVVM. Sunt qui pro *relliquorum* accipiant: vt ſit ſenſus, De hac fabula ſumite ſpecimen, vt ſciatis an cæteræ vobis ſpectandæ ſint. Nam poſtmodum dictum alio prologo, *Alias cognoſtis eius, quæſo hanc noſcite.* RELLIQVVM. Quaſi diceret, Poſtremum. ergo aduerbium eſt, id eſt τὸ λοιπόν. Sed ſiue hoc relliquum dicit, ſiue *relliquûm* pro *relliquorum*, geminato v ſcribitur.

DE INTEGRO. Vtrum denuo, an ex integris Græcis?

QVAS FACIET COMOEDIAS. Syllepſis, vt ſuprà. ad verbum enim FACIET declinauit, non ad SPECTANDAE SINT. SPECTANDAE. Propriè, vt fabulæ, id eſt probandæ. EXIGENDAE. Excludendæ.

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

SIMO ſenex. SOSIA ſeruus.

VOS iſthæc intrò auferte: abite. Sosia
Ades dum: paucis te volo. SO. *dictum puta:*
Nempe vt curentur rectè hæc. SI. *Imò aliud.*
SO. *quid eſt,*
Quod tibi mea ars efficere hoc poßit amplius?
SI. *Nihil iſtac opus eſt arte ad hanc rem quam paro:*
Sed ijs quas ſemper in te intellexi ſitas,
Fide & taciturnitate. SO. *expecto quid velis.*
SI. *Ego poſtquam te emi, à paruulo vt ſemper tibi*
Apud me iuſta, & clemens fuerit ſeruitus,
Scis. feci, è ſeruo vt eſſes libertus mihi,

Propterea quòd ſeruiebas liberaliter.
Quod habui ſummum pretium, perſolui tibi.
SO. *In memoria habeo.* SI. *haud muto factum.*
SO. *gaudeo,*
Si tibi quid feci, aut facio, quod placet Simo:
Et id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam.
Set mihi hoc moleſtum eſt: nam iſtæc commemeratio,
Quaſi exprobratio eſt immemoris beneficij,
Quin tu vno verbo dic, quid eſt, quod me velis.
SI. *Ita faciam. hoc primùm in hac re prædico tibi,*
Quas credis eſſe has, non ſunt veræ nuptiæ.
SO. *Cur ſimulas igitur?* SI. *rem omnem à principio audies,*
Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum
Cognoſces, & quid facere in hac re te velim.
Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia,
Liberius viuendi fuit poteſtas: nam antea
Quî ſcire poſſes, aut ingenium noſcere,
Dum ætas, metus, magiſter prohibebant? SO. *ita eſt.*
SI. *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli,*
Vt animum ad aliquod ſtudium adiungant, aut equos
Alere, aut canes ad venandum, aut ad philoſophos:
Horum ille nihil egregie præter cætera
Studebat: & tamen omnia hæc mediocriter.
Gaudebam. SO. *non iniuria: nam id arbitror*
Apprime in vita eſſe vtile, vt NE QVID NIMIS.
SI. *Sic vita erat: facile omneis perferre ac pati,*
Cum quibus erat cunque vnà ijs ſeſe dedere:
Eorum obſequi ſtudijs: aduorſus nemini:
Numquam præponens ſe illis: ita, facillime
Sine inuidia laudem inuenias, & amicos pares.
SO. *Sapienter vitam inſtituit: nanque hoc tempore,*
OBSEQVIVM AMICOS, *veritas odium parit.*
SI. *Interea mulier quædam ab hinc trienniuni*
Ex Andro commigrauit huc viciniæ,
Inopia, & cognatorum neglegentia
Coacta, egregia forma, atque ætate integra.
SO. *Hei vereor, nequid Andria apportet mali.*
SI. *Primùm hæc pudice vitam, parce, ac duriter.*

Agebat, lana ac tela victum quæritans.
Set poſtquam amans acceſsit pretium pollicens,
Vnus & item alter, ITA ut ingenium eſt omnium
Hominum à labore procliue ad libidinem,
Accepit conditionem, dein quæſtum occipit.
Qui tum illam amabant, fortè, ita vt fit, filium
Perduxêre illuc, ſecum vt vnà eſſet, meum.
Egomet continuo mecum; Certè captus eſt,
Habet. obſeruabam mane illorum ſeruulos
Venienteis aut abeunteis: rogitabam, Heus puer,
Dic ſodes; quis heri Chryſidem habuit? Nam Andriæ
Illi id erat nomen. SO. *teneo.* SI. *Phædrum aut Cliniam*
Dicebant, aut Niceratum. nam hi tres tum ſimul
Amabant. Eho quid Pamphilus? Quid? ſymbolam
Dedit; cœnauit. gaudebam. Item alio die
Quærebam: comperiebam nihil ad Pamphilum
Quidquam attinere. enimuero ſpectatum ſatis
Putabam, & magnum exemplum continentiæ.
Nam qui cum ingeniis conflictatur eiuſmodi,
Neque commouetur animus in ea re tamen,
Scias poſſe habere iam ipſum ſuæ vitæ modum.
Cum id mihi placebat, tum vno ore omnes omnia
Bona dicere, & laudare fortunas meas,
Qui gnatum haberem tali ingenio præditum.
Quid verbis opus eſt? hac fama inpulſus Chremes,
Vltro ad me venit, vnicam gnatam ſuam
Cum dote ſumma filio vxorem vt daret.
Placuit, deſpondi. hic nuptiis dictus eſt dies.
SO. *Quid obſtat, cur non veræ fiant?* SI. *audies.*
Ferè in diebus paucis, quibus hæc acta ſunt,
Chryſis vicina hæc moritur. SO. *ô factum bene!*
Beaſti; metui à Chryſide. SI. *ibi tum filius*
Cum illis, qui amabant Chryſidem, vnà aderat frequens;
Curabat vnà funus, triſtis interim,
Nonnunquam conlachrumabat. placuit tum id mihi;
Sic cogitabam, Hic paruæ conſuetudinis
Cauſa mortem huius tam fert familiariter:
Quid ſi ipſe amaſſet? quid hic mihi faciet patri?

Hæc ego putabam eſſe omnia humani ingeni,
Manſuetique animi officia, quid multis moror?
Egomet quoque eius cauſa in funus prodeo,
Nihil ſuſpicans etiam mali. So. *hem, quid eſt?* Si. *ſcies.*
Effertur: imus. Interea inter mulieres
Quæ ibi aderant, fortè vnam aſpicio adoleſcentulam,
Forma: So. *bona fortaſſe.* Si. *& vultu Soſia*
Adeò modeſto, adeò venuſto, vt nihil ſuprà.
Quia tum mihi lamentari præter ceteras
Viſa eſt; & quia erat forma præter ceteras
Honeſta & liberali, adcedo ad pediſequas.
Quæ ſit, rogo. ſororem eſſe aiunt Chryſidis.
Percuſſit ilico animum, Atat, hoc illud eſt,
Hinc illæ lachrumæ; hæc illa'ſt miſericordia.
So. *Quàm timeo, quorſum euadas.* Si. *funus interim*
Procedit: ſequimur: ad ſepulchrum venimus:
In ignem poſita'ſt: fletur. Interea hæc ſoror,
Quam dixi, ad flammam adceſſit imprudentius
Satis cum periclo, ibi tum exanimatus Pamphilus
Bene diſſimulatum amorem & celatum indicat.
Adcurrit: mediam mulierem complectitur:
Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?
Tum illa, vt conſuetum facile amorem cerneres,
Reiecit ſe in eum flens quàm familiariter.
So. *Quid ais?* Si. *redeo inde iratus, atque ægrè ferens.*
Nec ſatis ad obiurgandum cauſæ. diceret,
Quid feci? quid commerui, aut peccaui pater?
Quæ ſeſe in ignem inijcere voluit, prohibui,
Seruaui. honeſta oratio eſt. So. *rectè putas:*
Nam ſi illum obiurges, vitæ qui auxilium tulit:
Quid facias illi, qui dederit damnum aut malum?
Si. *Venit Chremes poſtridie ad me, clamitans,*
Indignum facinus; comperiſſe Pamphilum
Pro vxore habere hanc peregrinam, ego illud ſedulo
Negare factum. ille inſtat factum. denique
Ita tum diſcedo ab illo, vt qui ſe filiam
Neget daturum. So. *non tu ibi gnatum?* Si. *ne hæc quidem*
Satis vehemens cauſa ad obiurgandum. So. *qui, cedo?*

SI. Tute ipſe his rebus finem præſcripſiſti pater!
Propè adeſt, quum alieno more viuendum eſt mihi:
Sine nunc meo me viuere interea modo.
SO. Quis igitur relictus eſt obiurgandi locus?
SI. Si propter amorem vxorem nolit ducere,
Ea primùm ab illo animaduertenda iniuria eſt.
Et nunc id operam do, vt per falſas nuptias
Vera obiurgandi cauſa ſit, ſi deneget:
Simul ſceleratus Dauus ſiquid conſilij
Habet, vt conſumat nunc, cum nihil obſint doli:
Quem ego credo manibus, pedibúſque obnixè omnia
Facturum, magis id adeò, mihi vt incommodet,
Quàm vt obſequatur gnato. SO. quapropter? SI. rogas?
Mala mens, malus animus: quem quidem ego ſi ſenſero.
Set quid opus eſt verbis? Sin eueniat, quod volo:
In Pamphilo vt nihil ſit moræ; reſtat Chremes,
Qui mihi exorandus eſt; & ſpero confore.
Nunc tuum eſt officium, has bene vt adſimules nuptias:
Perterrefacias Dauum: obſerues filium,
Quid agat, quid cum illo conſilij captet. SO. ſat eſt.
Curabo..eamus iam nunc intrò. SI. I-præ, ſequar.

VOS ISTAEC INTRO AVFERTE. In hac ſcena hæc virtus eſt, vt argumēti narratione actio ſcenica videatur, vt ſine faſtidio longus ſermo ſit, ac ſenilis oratio. VOS ISTAEC. Hæc ſcena pro argumenti narratione proponitur, in qua fundamenta fabulæ iaciuntur: vt virtute Poëtæ, ſine officio prologi, vel θεῶν ἀπὸ μηχανῆς, & periocham comœdiæ populus teneat, & res agi magis quàm narrari videatur. VOS ISTAEC INTRO AVFERTE ABITE. Molliter retenturus, & experturus Soſiam, imperat vt remaneat. addit etiam cauſam aliis abeundi, dicendo, *Iſtac intrò auferte*: ne ſuſpicionem iniiciat, Soſiam communicandi ſecreti cauſa remanſiſſe. Et bene, AVFERTE *Auferimus* enim ea quæ cum faſtidio cernimus. *Ferimus* ea quæ cum honore tractamus. Deinde quaſi reſpicientes increpat, dicendo. ABITE. *Abite*, concitatius legendum eſt: quia & reſpectantes properanter diſcernit à Soſia. Soſiæ perſona protatica eſt. non enim vſque ad finem perſeuerat: vt eſt Daui in Phormione, in Hecyra Philotidis & Syræ.

ADESDVM. *Ades*, imperatiuum eſt. *dum* παρέλκον: eſt enim productio, & adiectio ſyllabæ: vt *Ehodum ad me*.

PAVCIS TE VOLO. Deeſt *colloqui*, & *verbis*: & eſt figura ellipſis.

DICTVM PVTA. Ad hoc reſpondet, vt agi res videatur, quemadmodum ſuprà diximus.

NEMPE VT CVRENTVR RECTE HAEC. Diligenter coquantur. *Curatio*, propriè medicorum eſt: *cura*, relliquorum, ſed coquina medicinæ famulatrix eſt.

HAEC. δεικτικῶς. NEMPE VT CVRENTVR. Deeſt *vis*: vt ſit, *nempe vis*.

IMO ALIVD. Bene ἀντίθηκεν τὸ IMO, & deeſt *volo*.

MEA ARS. *Ars ἀπὸ τῆς ἀρετῆς:* dicta eſt per ſyncopam· *ἀρετὴ* autem virtus eſt. Virtutis verò quatuor generales ſunt partes, Prudentia, Iuſtitia, Fortitudo, & Temperantia. ſed prudentia, in multis rebus deſcendit.

EFFICERE. *Facere*, eſt in opere eſſe: ſed *efficere*, perfectionem deſignat.

NIHIL ISTAC OPVS EST ARTE. Mire ait, *arte opus* non eſt, ſed *opus eſt artibus.*

SED HIS QVAS SEMPER IN TE INTELLEXI SITAS. Ipſe hîc ſignatiſſimè oſtendit, multas variáſque artes eſſe, id eſt ἀρετάς, quæ virtutes intelliguntur. SED HIS. Zeugma à ſuperiore, quod ſubaudiatur artibus. SITAS. conſtitutas, poſitas.

FIDE ET TACITVRNITATE. *Fides*, eſt commendatorum fida executio, vel obſeruantia. *Taciturnitas* verò, obſeruantiæ genus in ſilentio conſtituta, & in celando ſecreta. Quærit autem taciturnitatem, ne prodat Pamphilo ſecretum quod ei commendaturus eſt. Fidem, ad complenda: taciturnitatem, ad celanda mandata.

EXPECTO. *Expecto*, deſydero: vt Virgilius, *Expectate venis.*

QVID VELIS. Deeſt, *ſcire.* nam ſi dixiſſet, *quod velis*, nihil deſyderaſſet.

EGO POSTQVAM. Commendatio perſonæ potius quàm ſerui: ne contra filium leni ſeruo aliquid committi indecore videatur.

TE EMI A PARVVLO. Tale eſt, *Paruulum ego te Iugurtha*, apud Salluſt. A PARVVLO. Non enim à paruo, ſed à paruulo.

SCIS. hoc eſt, à paruulo ſcis.

SEMPER. Continuationem ſignificat *ſemper.*

IVSTA ET CLEMENS. Ita dixit IVSTA: vt alibi, *Non neceſſe habeo omnia pro meo iure agere.* Quid enim non iuſtum domino in ſeruum? IVSTA. In qua nihil iniquum iubetur: *Clemens*, in qua etiam de iuſto multum remittitur.

APVD ME IVSTA. Id eſt, moderata, æqualis. cui contrarium ait Virgilius, *Et iniquo pondere raſtri.* Et, *Iniuſto ſub faſce viam dum carpit.* Nam qui IVSTAM, debitam, nunc dici putant, nihil afferunt ad iuuandam ſententiam. IVSTA ET CLEMENS FVERIT SERVITVS. Libertatem imputaturus, clementem intulit ſeruitutem. SERVITVS. Mire *ſeruitutẽ* pro dominatu poſuit. Sic Salluſtius, *Deinde ſeruili imperio patres plebẽ.*

FECI E SERVO VT ESSES LIBERTVS MIHI. Dulcem libertatem fecit operatione & tractatione verborum, dicendo ex ſeruo libertum. non enim tantam haberet gratiam, ſi dixiſſet *feci libertus vt eſſes*: quàm ſi dicat, *feci è ſeruo vt eſſes libertus*. acſi quis dicat, *feci vt eſſes ſanus*, non tantam haberet gratiam, quàm ſi dicat, *feci vt ex ægro ſanus eſſes.* ET MIHI. emphaſim habet: quod mihi libertus factus ſis, non filio. Aut ideo MIHI additum eſt: quia libertus ad aliquem dicitur. Et bene *mihi*: nõ *filio*, id eſt ne pertimeſceret filium, cui nec liberti munus debeat. E SERVO. Mire addit è ſeruo: vt vim beneficij exprimeret. SCIS, FECI E SERVO VT ESSES LIBERTVS MIHI, Hinc Virgilius,

Nympha decus fluuiorum, animo gratiſſima noſtro,
Scis vt te cunctis vnam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Iouis ingratum aſcendere cubile,
Prætulerim, cælique libens in parte locarim.

LIBERALITER. Bene: quia omne bonum libero aptum eſt, malum ſeruo. Idem alibi, *Factum à vobis duriter, immiſericorditérque: atque etiam ſi eſt, pater, dicendum magis apertè, illiberaliter.* Et bene admonuit cur dederit beneficium, eadem & nunc officia quæſiturus. Nunc enim dicit artificioſè, quia ſuprà ait, *Nihil iſthac opus eſt arte.*

SERVIEBAS. Bene imperfecto tempore, non perfecto, vſus eſt: vt oſtendat eum potuiſſe ſibi etiam, atque etiam ſeruire, quale eſt illud Virgilij,

——Atque omnes pelagique minas, cælique ferebat
Inualidus.—— Vt oſtendat eum quamuis inualidus eſſet, tamen adhuc potuiſſe laborem exercitiúmque ferre.

SVMMVM PRETIVM. Libertatem dicit.

• PER SOLVI TIBI. Quia *pretium* dixerat, *perſolui* dixit propriè. PERSOLVI TIBI, Modeſtè pretium redditum dixit, non beneficium erogatum.

IN MEMORIA HABEO. Hoc eſt, non ſum ingratus. IN MEMORIA HABEO.

Plus dixit, *in memoria habeo*: quàm ſi dixiſſet, *ſcio*. Nam quæ ſcimus, poſſumus obliuiſci: quæ verò memoriæ commeudamus, nunquam amittimus.

HAVO MVTO FACTVM. Vetuſte: non me pœnitet. nam ſiquid pœniteret, *infectum velle* dicebant: an ſecundum ius, quod aduerſus libertos ingratos eſt, vt in ſeruitutem reuocentur? ſed hoc non conuenit ſenem dicere. Legitur & MVLTO: hoc eſt damno, reprehendo. quod ſi eſt, ſic intelligeretur, non nollem factum. Nemo enim poteſt factum, infectum reddere. Sed admirabiliter dixit, vt dicimus, *nollem factum*, nollem hunc exitum. Ergo *haud muto factum*, non pœnitet me facti.

SI TIBI QVIO FECI, AVT FACIO. Et feciſſe ſe, & adhuc facere oſtendit, quamuis eum manumiſiſſet. GAVDBO SI TIBI QVIO IECI, AVT IACIO QVOO PLACEAT. Fœlicitatis eſt, vt ea quæ facta, & facienda ſunt, grata ſint. *Quid* pro aliquid.

AOVERSVM TE. Apud te, & penes te. ADVERSVM. ſine dubio præpoſitio eſt. *Aduerſus* participium poteſt eſſe, ab eo quod eſt *aduerto*, ſed alibi. *Ergo aduerſum te*, dixit, pro apud te.

EXPROBRATIO. *Exprobratio* eſt commemoratio beneficij cum enumeratione factorum. QVASI EXPROBRATIO. Rectè oſtendit ſe in memoria habere. Sunt qui ad beneficium referunt *Immemor*: vt, *Memorem Iunonis ob iram*. vt ſit ſenſus, Iſthæc commemoratio, quaſi eſt exprobratio immemoris beneficij. id eſt cuius nemo meminerit.

QVIN TV VNO VERBO. Vno verbo, vno ἀξιώματι, vna ſententia. Nam ἀξίωμα ſententia eſt, vel enuntiatio, vno verbo nexam continens & perfectam intelligentiam. ἀξίωμα enim conſtat ex nomine & verbo. Sed hic, quod eſt ἀξίωμα? hoc eſt, *Has bene vt adſimules nuptias*. ergo omnis virtus, adſimulatio eſt. QVEN TV VNO VERBO. Vna ſententia: vt in Adelphis,

——non meum illud verbum facio, quod tu Mitio
Bene ac ſapienter dixti dudum: vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta attenti ſumus.

Nam malè intelligit qui putat *adſimules* verbum ſignificare.

ITA FACIAM. Hoc eſt vno verbo dicam. & quod verbum promittit, ibi dicit, *Nunc tuum officium eſt, has bene vt adſimules nuptias.*

QVAS CREOIS ESSE HAS. Syllepſis.

CVR SIMVLAS IGITVR. Virgilius, *Et quæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?*

EO PACTO. *Pacto*, modo. quoniam antecedit pactum, modus ſequitur. Ergo ab eo quod præcedit, id quod ſequitur dicit.

ET GNATE VITAM, ET CONSILIVM MEVM COGNOSCES: ET QVED FACERE IN HAC RE TE VELIM. Nam iſtæ diuiſiones ſunt. *Gnati vitam*: quoniam dicturus eſt, *Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis Soſia. Conſilium meum*: quia dicturus eſt. *Et nunc id operam do*. ET QVED FACERE IN HAC RE TE VELIM: quia dicturus eſt, *Nunc tuum eſt officium*. ET GNATE VITAM, ET CONSILIVM MEVM COGNOSCES, ET QVEO FACERE IN HAC RE TE VELIM. Tripartita diſtributio. ET GNATI VITAM. Vitam filij in duas partes diuidit in narratione: in ante actam bonam, & præſentem malam: & incipit mala ibi, *Interea mulier quædam*. Et bene actæ vitæ narratio ad eam rem valet, vt oſtendat quàm iuſtus dolor patri ſit ſpe decepto.

NAM ES. Neceſſario es poſitum pro nomine ἀναφορὰ ad illud, GNATE VITAM, nam ſi non poſuiſſet hoc pronomen, Soſia erat intelligendus. NAM IS. Pamphilus. POSTQVAM EXCESSIT EX EPHEBIS. Argumenta per coniecturas. EX EPHEBIS. *Ephebia* prima ætas adoleſcentiæ eſt; adoleſcentia eſt extrema pueritiæ. EXCESSIT EX. Cum ſufficeret vnum.

LIBERIVS. *Liberius*, non eſt comparatiuus gradus: non enim potuit liberè ante viuere, dum ætas, metus, magiſter prohibebant. Ergo deeſt ALIQVANTO: vt ſit, aliquanto liberius. LIBERIVS VIVENOI. deeſt *ei*.

QVI SCIRE. *Scimus* quod certum eſt: *Noſcimus* quæ adhuc incerta deſyderamus.

Idem alibi, *Forma in tenebris noſci non quita eſt.*

METVS, MAGISTER. *Magiſter* pædagogus.

ITA EST. Intercidit poëta, ne ſolus Simo loqueretur. cæterum non erat reſpondendi locus neceſſarius.

QVOD PLÆRIQVE OMNES. Hæc adiectio dicitur, in primo poſita loco. adiectiones verò, aut in prima parte orationis, aut in vltima adiiciuntur. hic ergo PLAERIQVE, ex abundantia poſitum eſt: OMNES verò, neceſſario additum eſt. Et alibi, *Caleſces plus ſatis.* In vltimo, ſicut, *Interea loci, interibi.* Attendenda eſt ſanè locutio, QVOD PLAERIQVE OMNES. Aut enim QVOD in QVAE vertendum eſt, vt ſit, Quæ plærique omnes. Aut QVOD ad ſingula eorum ſtudiorum adiugendum erit, *Equos alere, canes ad venandum.* Aut certè erit figurata locutio, vt eſt illud.

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minimè multos lædere:
In his poëta hic nomen profitetur ſuum.

ET alibi, *Aperite actutum oſtium.* PLAERIQVE OMNES FACIVNT. ἀρχαϊσμὸς eſt. Nam errant qui PLAERIQVE παρέλκον intelligunt: aut qui ſubdiſtingunt PLAERIQVE, & ſic inferunt *omnes.* hoc enim pro vna parte orationis dixêre veteres eodem modo Græci παμπολλα, & Latini *pluſſatis.* Nævius in bello Punico, *Plærique omnes ſubiguntur ſub ſuum iudicium.* Figuratè Terentius, παρέλκον τῷ ἀρχαϊσμῷ. *Quod plærique omnes faciunt*, pro, quæ faciunt plærique adoleſcentuli.

HORVM ILLE NIHIL EGREGIE. Eſt ergo figuratiuum: quod eſſet rectum, Quæ plæriqne omnes faciunt adoleſceutuli, horum ille nihil egregie præter cætera ſtudebat.

ADOLESCENTVLI. Bene diminutiue, vt propter ætatem facilè ignoſcatur.

ADIVNGANT. alligent, aptent, aut accommodent.

AVT EQVOS ALERE, AVT CANES AD VENANDVM. Si & eqnos ad venandum alunt, quomodo & canes? quod multi docti improbant: & dicunt ſeparata eſſe: & *ad venandum* extra orationem, pro ad venatum. vt, *Venatum Æneas, vnáque miſerrima Dido.*

AD PHILOSOPHOS. Ellipſis pulchra & familiaris Terentio. Nam poſſumus ſubaudire audiendos: ſiue ſectandos. AD PHILOSOPHOS. Vitium eſt: quia dixit, *ad aliquod ſtudium.* aut ſi ad philoſophos: ſeparanda locutio eſt, ſic, vt animum adiungant ad philoſophos.

EGREGIE. *Egregium* dicitur quod ex grege eligitur. ſed hic *egregie*, valdè, nimis. non eſt ergo ad laudem poſitum, Hæc, inquit, vt cætera ſimiliter ſtudebat.

PRAETER CAETERA. Mediocriter. ergo non extenuauit rem, ſed ad laudẽ retulit.

GAVDEBAM. Non dixit *laudabam*, ſed *gaudebam. Laudat* enim etiam alienus: *Gaudet* qui pater eſt.

NON INIVRIA. Intempeſtiuè Soſia reſpondet: ſed prudentia tantæ ſententiæ, compenſauit importunitatem. APPRIME. Adiectio eſt confirmationis.

VT. Admirabiliter dixit. VT NE QVID NIMIS. Sententia non incongrua ſeruo, quia eſt peruulgata. & non refertur ad perſonam domini dicentis: & de quo dicitur. an magis quia Soſiæ conuenit eiuſmodi character in verbis? NE QVID NIMIS. Deeſt AGAS: vt ſit, Nequid nimis agas.

FACILE OMNES PERFERRE. Latens argumentatio eſt, qua filium ad meretricẽ commeaſſe errans pater, non ad corruptelam, ſed ad obſequium amicorum crediderit. PERFERRE AC PATI. *Ferre*, eſt cum certo tempore: *Perferre*, finem expectat effectus. Feruntur onera, & Suſtinentur ſupplica. PERFERRE. Mediocriter. ſtultos, odioſóſque.

CVM QVIBVS ERAT CVMQVE. Figura τμῆσις.

DEDERE. Plus eſt *dedere*, quàm *conſentire*: quemadmodum in hoſtium poteſtatem hoſtes ſe dedunt. *Dedere* ergo, pertinacibus. HIS SESE DEDERE. *Dedere ſe* & obſequi ſuperioribus: non *aduerſari*, paribus: non ſe *præponere*, inferioribus.

EORVM OBSEQVI STVDIIS. commodior ſcilicet. EORVM OBSEQVI STV-

DIES. Talem eſſe Pamphilum adiuuat argumentum fabulæ, ſimul & Charinum.

ITA. Deeſt faciens, volens, agens.

VT FACILLIME SINE INVIDIA. Salluſtius, *Et cum omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus eſſe.*

INVENIAS. Secunda perſona pro tertia: vt, *Migrantis cernas.*

NAM HOC TEMPORE OBSEQVIVM AMICOS, VERITAS ODIVM PARIT. Improbatur à ſapientibus hæc ſententia. Nam obſequium aſſentator debet, veritatem amicus: ſed in theatro dicitur, non in ſchola. OBSEQVIVM AMICOS. Hic verſus per improperium eſt, VERITAS ODIVM PARIT. Falſum eſt autem quod Cicero dixit, *obſequium* primum dixiſſe Terentium: cum & Plautus & Næuius antè dixerint. & eſt ſententia παράδοξος, & magis theatro apta, quàm officio, de qua Tullius multa dixit: OBSEQVIVM AMICOS. Sententia, probabilis magis, quàm neceſſaria & honeſta.

INTEREA. Interea, eſt cum habet inſtantiam ſuperiorum actorum.

MVLIER QVAEDAM. Sic dixit, quaſi ignoraret nomen eius, paulò pòſt Chryſidem nominaturus: ſed ideò vt gratam expectationem faciat, ſimúlque lectorem auidum nominis reddat. Vt Virgilius paulo pòſt nominaturus, ait, *Ecce manus iuuenem interea poſt terga reuinctum.* INTEREA MVLIER. Hìc digreſſio eſt. nam propoſuit Gnati vitam dicere.

ABHINC TRIENNIVM. Artificioſè dixit *triennium*, cùm poſſet plus minúſve temporis ponere: vt ſit veriſimile, vnum annum fuiſſe pudicæ, parcæque vitæ: ſequutum, conditionis acceptæ: tertium, mortis. Primo ergo anno ignorata eſt domus Chryſidis Pamphilo: ſecundo, Glycerio cognitus: tertio, nupſit Glycerium Pamphilo, & pariter inuenit parentes.

HVC VICINIAE. *Viciniæ* παρέλκον. huc loci, vel huc locorum, Legitur & *huic viciniæ.*

INOPIA, ET COGNATORVM NEGLIGENTIA) Laudatis Pamphili moribus, qui mox ducet vxorem, ſupereſt vt futuræ quoque matronæ, id eſt Glycerio, probitatem debitam pro perſona reddat. quæ quia honeſta nunquam eſſe poterit, ſi ſic eam conſtet ante nuptias impudicam ductam eſſe: partim defendenda, partim laudanda eſt Chryſis, cum qua commorata eſt: quem quoniam neceſſe eſt meretricem fateri, in conditione turpiſſimi nominis multùm ſumitur excuſatio voluntatis. ET COGNATORVM. Hic nos iam parat ad Critonis aduentum.

EGREGIA. id eſt eminenti, præſtantíque.

ATQVE AETATE INTEGRA. Integra eſt ætas quæ in flore conſiſtit, cui neque addendum iam ſit, neque quicquam adhuc ſit imminutum. vt Virgilius: *Integer annis Aſcanius.* Et contulit duo ad quæſtum meretricium congrua.

HEI VEREOR NEQVID ANDRIA APPORTET MALI. ANDRIA, mire. audiuit enim exceſſiſſe ex ephebis Pamphilum, illatámque mentionem mulieris peregrinæ, adoleſcentulæ, pulchræ. NEQVID ANDRIA. Eleganter, ex Andro. Andria, nomẽ oſtẽdit & mulieris & fabulæ. Et bene, APPORTET: quia *portare* ignotis eſt.

PRIMVM HAEC. Defendit, vt diximus, vitam Chryſidis, vt potuerit apud eam rectè morata eſſe Glycerium, quæ ex argumento matrona erit. PRIMVM HAEC PVDICE. Bene HAEC quidem, id eſt illa quæ coacta eſt.

DVRITER. Contra rationem regulæ: debuit enim dicere *dure*, ab eo quod eſt *durus*. Et tamen eſt differentia. eſt enim *duriter*, ſine ſenſu laboris: *dure* autem, crudeliter. illud, ad laborem: hoc, ad ſæuitiam relatum eſt. ſed *dure* in alterum: *duriter* in nos aliquid facimus.

LANA AC TELA Subdiſtingue *tela*. Finis enim eſt laboris. VICTVM QVAERITANS. vt Virgilius,

—— cum fœmina primum,
Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerua
Impoſitum cinerem, & ſopitos ſuſcitat ignes.

Deinde finem laboris intulit, non cibum, ſed victum. *Cibus* enim eſt qui etiam

delicatis

delicatis præbetur. *Victus*, in paruis aridiſque alimoniis eſt conſtitutus. Vnde Virgilius, *Victum infelicem baccas, lapidoſáque corna Dant rami.* ———

Et poſt tantum laborem, *victum*, non cibum dixit. vt Virgilius, *At patiens operum, paruóque aſſueta iuuentus.* Et non *quærens*, ſed *quæritans* dixit. *Quærit* enim, qui ad plenum & perpetuum reponit: *Quæritat*, qui vix quotidie inquirendo victum inuenit. LANA AC TELA VICTVM. Artificioſè, vt videatur pudicè apud eam futura matrifamilias educari poſſe, quam meretricem neceſſitas fecit.

SED POSTQVAM AMANS. Amator fingere poteſt: Amans verè amat.

VNVS ET ITEM ALTER. Poſt vnum duo, ex quibus alter, vt ſint tres; inquit enim poſt, *Nam hi tres tum ſimul amabant*: vt, *Alter ab vndecimo.* Ergo *alter*, non eſt ſecundus, ſed tertius. VNVS ET ITEM ALTER. Id eſt. plures: quæſtus iam meretricius factus eſt.

PROCLIVE. *Procliue* eſt porrò inclinatum, vel pronum inclinatúmque.

ACCEPIT CONDITIONEM. Cum vno quæſtus non eſt: cum altero non eſt: cum multis fit. CONDITIONEM. *Conditio* eſt pactio certam legem in ſe continens.

VT INGENIVM EST OMNIVM HOMINVM. Alia defenſio Chryſidis: vt quæ antè fecerat, ipſius ſint: quæ poſtea peccauerit, naturæ hominum adſcribantur.

PERDVXERE. Inuitum iſſe Pamphilum his verbis ſignificat. *Perducuntur* enim neceſſitate coacti. Hoc etiam verbum iudices pronunciare ſolent. Et hoc eſt quod ſuprà ait, *Hi ſeſe dedere, eorum obſequi ſtudijs.* VT VNA ESSET, MEVM. Et productè legitur ESSET, vt cibum capiat. & correptè, vt alibi: *Eſſem vna quacum cupiebam Antipho.* VNA. ſimul, id eſt vnà cibum caperet. PERDVXERVNT ILLVC SECVM. ſecum duxere, vt ſecum eſſet.

EGOMET CONTINVO MECVM. Bene *mecum*: vt appareat nihil temerè conſtitutum, vel prolatum foras. hoc ipſum ſatis quæſitum eſſe, quod ſtatuit de falſis nuptijs, & infenſus eſſet filio. EGOMET CONTINVO MECVM. Deeſt voluebam, cogitabam, verſabam.

CAPTVS EST. tenetur & irretitur: ex tranſlatione ferarum, atque venatus.

HABET. id eſt vulneratus eſt. *Habet* enim qui percuſſus eſt: & propriè de gladiatoribus dicitur: quia prius alij vident, quàm ipſi ſentiant ſe percuſſos. HABET. ſic dicitur de eo qui lætaliter vulneratus eſt. Virgilius, *Hoc habet, hæc melior magnis data victima diuis.* Ergo quid ſequitur captum, niſi occidi: CAPTVS EST. Salluſt. *Sin captus prauis cupidinibus.*

CERTE. ſine dubio, pro certo captus eſt: ἰδίως περὶ μὲς

OBSERVABAM MANE. *Mane* aduerbialiter. OBSERVABAM. Deeſt tamen. hoc eſt, quamuis captus erat, & hæc tamen obſeruabam.

ROGITABAM. Non *rogabam*, ſed *rogitabam*: quia ſedulo faciebat.

DIC, SODES. *Dic*, imperatiuum eſt: ideo temperauit iniuriam blandimento, *ſodes*. eſt autem ſi audes; vel *ſis*, ſi vis: nam delirat qui σῶος ζῇς interpretatur *ſodes*. DIC SODES. Exhortantis eſt vox, *Amabo, Rogo.*

QVIS HERI CHRYSIDEM HABVIT? NAM ANDRIAE ILLI, ID ERAT NOMEN. Opportune nomen intulit Chryſidis. Et bene ILLI. quaſi dicat, quam tu Andriam nominaſti.

NAM ANDRIAE ILLI, ID ERAT NOMEN. Attico more, peregrinæ mulieri, à patria nomen impoſuit. Et ſimul celebrat nomen Comœdiæ, dicendo, *Ex Andro commigrauit*: Et nunc, *Nam Andriæ illi id erat nomen.*

QVID? SYMBOLAM DEDIT. Sed ſubdiſtingue QVID? vt ſit vox quærentis quid dicat de Pamphilo. SYMBOLAM DEDIT. Mire, nulla pro Pamphilo negatio facti eſt poſita: ſed per puerilem ſimplicitatem omnia geſta narrata ſunt. & quidem tacitum eſt, non celatum: ſed vt non factum eſſe ita videatur.

EHO, QVID PAMPHILVS? Primo ſic egit vt de Pamphilo quærere videretur. ad vltimum adiecit nomen: ne quid reliqui faceret.

COENAVIT. Cætera in geſtu ſunt quærentis quid dicat de Pamphilo, nec inuenientis.

ITEM ALIO DIE. *Item*, ſimiliter. & vide, diligentiæ tempus adiectum, quaſi non ſufficeret vnus dies.

COMPERIEBAM. Vide ſi non verba patris ſunt, & de rebus venereis circa filij mentionem agentis.

NIHIL AD PAMPHILVM QVICQVAM. περίλκον. nam abundat QVICQVAM. nam *nemo quiſquam*, non dicitur.

SPECTATVM. Ad Pamphilum, non ad exemplum refertur: & *ſpectatum*, probatum.

ET MAGNVM EXEMPLVM CONTINENTIAE. ὑπερβολὴ laudis, Pamphilus exemplum continentiæ.

NAM QVI CVM. *Qui*, animus ſcilicet, aut certè homo ſubaudiendum.

ANIMVS. Deeſt EIVS.

CVM INGENIIS. *Ingenia* pro hominibus poſuit.

CONFLICTATVR. id eſt atteritur. *Conflictatio* eſt tactus corporum inuicē, & colliſio.

NEQVE COMMOVETVR. Vtrum animus, an homo? vt ſubaudiamus *eius*. NEQVE ANIMVS COMMOVETVR. Vtrum deeſt *eius*? An ordo eſt, qui animus, cum ingeniis conflictatur eiuſmodi, neque commouetur in ea re tamen: ἀνακόλουθον: eo quòd non præmiſſo LICET, vel QVANQVAM, ſubiecit TAMEN. Salluſtius, *Atque edita vndique, tribus tamen cum muris & magnis turribus.*

SVAE VITAE MODVM. Moderationem, regimen.

CVM ID MIHI. *Cum*, id eſt præter-quàm quòd.

TVM VNO ORE OMNES. *Omnes* ne pater amore falli videretur. & ideo mox ait, *Bene diſſimulatum amorem, & celatum indicat.*

LAVDARE FORTVNAS MEAS. ἐμφατικώτερον *fortunas*, quàm *fortunam*. & de more. vt, *Qui te tanti talem genuere parentes.* Et, *Vade ait, ô fœlix nati pietate.* Et Plautus, *Fortunatus qui illum eduxit ſibi.*

HAC FAMA. An verè laudatus ſit, ſingula hæc pro argumentis ſunt: & excuſatio eſt, non eſſe ſtultitia falſum, ſed impulſum.

IMPVLSVS. Bene *impulſus*: vltro enim venire impulſus eſt, qui daret contra officium ſoceri.

VNICAM GNATAM SVAM. Abundat quidem SVAM: Sed tamen aſſeuerantius eſt. VNICAM GNATAM. Quid ſi tædio multorum filiorum? at vnicam.

CVM DOTE SVMMA. Quid ſi pauper eſt? at eum dote ſumma.

PLACVIT. Cum pronuntiatione, *placuit*. PLACVIT. συντομία. adeò bona conditio fuit, vt quamuis vltro obiiceretur, tamen ſtatim placeret.

DESPONDI. Ex veteri more, quo ſpondebat etiam petitoris pater: vnde *ſponſus* & *ſponſa* dicitur. DESPONDI. propriè. nam de ſponſo dicitur. quia *ſpondet* puellæ pater: *deſpondet*, adoleſcentis.

HIC DICTVS EST DIES. Vtrum conſtitutus? an dicatus? vt *Iunoni infernæ dictus ſacer*. CHRYSIS. Commemorat nunc quæ eſſet Chryſis.

VICINA HAEC. Suprà enim ait, *Ex Andro commigrauit huc viciniæ*. VICINA HAEC. ἀνάμνησις.

O FACTVM BENE. Animaduerte, vbique à Poëta ſic induci comicas mortes, vt cùm ad neceſſitatem argumenti referantur, non ſint tamen tragicæ. Nam aut meretrix ſumitur, aut ſenex, aut de duabus ſimul vxoribus vna vxor. Itaque huiuſmodi obitus, aut mediocri triſtitia excipitur, aut etiam gaudio. O FACTVM BENE. quaſi qui dixerit, *Vereor ne quid Andria apportet mali.*

BEATI. Artificioſe quidem *gaudium* ſubiecit, ne mors in Comœdia, luctus in tragœdia perſonaret.

METVI A CHRYSIDE. *Metuo* illum dico, qui mihi ipſi aliquid facturus eſt. *Timeo* ab illo, cuius cauſa poſſum aliquid mali pati, etiam ſi ipſe nihil in me mali conſulat. METVI A CHRYSIDE. ἀρχαϊσμός.

VNA ADERAT FREQVENS. Vt ſuprà, *Cum quibus erat cumque vnà, his ſeſe dedere.* ADERAT FREQVENS. Poſſumus enim adeſſe, & frequentes non eſſe, ſi præſentes non

adhæremus his quibus adſumus. & *frequens*, vt miles apud ſigna.

CVRABAT VNA FVNVS. *Funus*, eſt pompa exequiarum: dictum à funalibus. etenim noctu efferebantur, propter ſacrorum celebrationem diurnam. CVRABAT VNA FVNVS. Vt non potuerit in exequiis videre patrem.

INTERIM. Deſcriptio eſt huius rei quæ ad narrationem pertinet ſuperiorem.

NONNVNQVAM CONLACHRVMABAT. Illis enim magis cauſa flendi fuerat, qui, quam amabant, amiſerant. hic amore propter ſuam Glycerium conlachrumabat, qui alienis lachrymis ſuas commodabat.

SIC COGITABAM. Ac ſi diceret, hoc cogitabam. ſenſum tantùm cogitationis dicere debuit: ſed quia SIC COGITABAM dixit: ipſum geſtum cogitantis exponit, & dicitur *μίμησις*.

HIC PARVÆ CONSVETVDINIS CAVSA. hoc eſt, conuiuij tantum: & quia dixerat puer hoc ſolùm egiſſe Pamphilum, nihil aliud, *Symbolum dedit, cœnauit.*

TAM FERT FAMILIARITER. id eſt, grauiter. nam quæ nobis ſunt familiaria, grauia ſunt animo noſtro. *Familiariter*, quaſi familiaris: an potius familiariter.

QVID HIC MIHI FACIET PATRI? *Mihi*, circa me. Et poſtquam MIHI dixit, pondus intulit nominis, dicendo PATRI. QVID HIC MIHI. Vide quàm venuſte repetierit HIC.

HÆC EGO PVTABAM. *Putare* eſt eius qui ſimplicitate pectoris aberrauit. Cicero, *Non putauit, lapſus eſt.* HÆC EGO PVTABAM. Cum adhuc nihil peccationis oſtenderit, tamen dolor in futura prorumpit: vt, *Et gener auxilium Priamo, Phrygibúſque ferebat.* HVMANI INGENI. Circa Chryſidem.

MANSVETI. Circa amicos.

EGOMET QVOQVE. Vt & ipſe Pamphilus, aut etiam ego, quem minus crederes.

EIVS CAVSA. Eiuſdem manſuetudinis & humanitatis, & eius Pamphili.

IN FVNVS PRODEO. *In funus*, in pompam exequiarum: quod à funalibus dictum eſt, id eſt vncis vel cuneis candelabrorum, quibus delibuti funes, & * in genu cerei fomites infiguntur.

NIHIL SVSPICANS ETIAM MALI. Bene ſuſpendit auditorem. ETIAM. Alia eſt ſuſpenſio audientis, & excuſatio alia. ETIAM. Adhuc.

EFFERTVR. ἐκφέρεται, Græcum eſt. quod vitans Virgilius, ne diceret *effertur*, inquit

——— tum corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt.

Efferri propriè dicuntur cadauera mortuorum: & *ire* propriè ad exequias. Virg.

Ite, ait, egregias animas, quæ ſanguine nobis Hanc patriam peperere. ———

VNAM ASPICIO. Ex conſuetudine dicit vnam, vt dicimus, *Vnus eſt adoleſcens.* tolle VNAM, & ita fiet vt ſenſui nihil deſit: ſed conſuetudo mirantis non erit expreſſa. *Vnã* ergo τῷ ἰδιωτισμῷ dixit: vel *vnam*, pro quandam.

ADOLESCENTVLAM FORMA ET VVLTV. Et hîc duo ſunt, & ætas & forma. quibus additur pudor. quia meretrix non eſt.

FORMA ET VVLTV. Forma immobilis eſt & naturalis: vultus, mouetur & fingitur.

ET VVLTV SOSIA ADEO MODESTO. Quia formæ laudatio cum meretrice commiſſa eſt, progreditur artifex Poëta ad laudanda ea, quæ honeſtiora ſunt, quàm forma.

ET VVLTV SOSIA. Quid hîc deeſt, vt eam nurum dignetur Simo, niſi ſola cognitio? & formam probat in puella Pamphili pater, & matronalem modeſtiam miratur in vultu, & venuſtatem ſtupet. Nónne ergo iam cernimus hoc præſtruxiſſe Terentium, vt cum Chremetis filiam eſſe cognouerit Simo, hanc potiùs eligat, quàm Philumenam, nurum? quanquam ex ſororia pulchritudine, & amore Charini, & Daui laudatione idipſum quoque probe monſtrauerit nobis. VVLTV. Hæc laus adiuuat poſt cognitionem futuram nurum.

ADEO MODESTO, ADEO VENVSTO. *Modeſtus*, ad probitatem vultus, & mo-

rum pertinet. *Venuſtus*, ad naturam corporis. atque adeò ſibi vultum fingere multi poſſunt: formam nemo.

VT NIHIL SVPRA. ἔλλειψις Terentiana. nam non neceſſe eſt ſubiungere duos verſus. QVIA TVM MIHI. Excuſatio neceſſaria.

PRÆTER CÆTERAS. Id eſt, plus quàm cæteræ.

HONESTA AC LIBERALI. *Honeſta*, ad formam: *Liberali*, ad vultum retulit.

PERCVSSIT. Hoc eſt, ſuſpicio, vel aliquid tale.

ATAT. Interiectio admirantis.

HOC ILLVD. δεικτικὸν eius rei eſt, quam in animo conceperamus. Virgilius, *Hoc illud germana fuit.*

HINC ILLÆ LACHRYMAE. *Hinc*, ex hac cauſa.

QVAM TIMEO. Non videtur adhuc Soſiæ plenum amoris argumentum, adeò pendet ad ea quæ dicturus eſt Simo.

EVADAS. Id eſt exeas, vel peruenias.

FVNVS PROCEDIT. *Funus* à funalibus dictum eſt, vt ſuprà notauimus. & eſt funus, pompa exequiarum. Et bene, *funus procedit*, *nos ſequimur*, dixit: quaſi poſt ipſam morituri: vnde *exequiæ* dicuntur. FVNVS INTERIM PROCEDIT. ἀσύνδετον.

AD SEPVLCHRVM. *Sepulchrum* κατ' ἀντίφρασιν vt diximus, quòd ſine re pulchra ſit. an quòd ibi ſine pulſu ſint, id eſt mortui? an quòd illic animæ à viuis ſepelliantur, id eſt ſeparentur? Et ſepulchrum dixit futurum, non quòd iam eſſet. *Sepulchrum* enim à ſepeliendo dictum. Virgilius propriè, *At pius Aeneas ingenti mole ſepulchrum impoſuit.* IN IGNEM POSITA EST. ἔλλειψις. non enim eſt QVAE. Et mire, cum funus ſuprà dixerit.

FLETVR. Hîc bene impersonaliter, fletur ab omnibus. extrema enim quæque mortuorum omnes commouent ad lachrymas.

HAEC SOROR. Id eſt quam dixi eſſe ſororem Chryſidis.

AD FLAMMAM. Innuit affectum ſororis, vnde omnes vinceret: cæteri enim flent: hæc flammæ ſe ingerit. Virgilius,

> *Extinctum nymphæ crudeli funere Daphnim,*
> *Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.*

IBI TVM EXANIMATVS. A voluntate, à facultate, à ſummo ad imum, vbi ſunt dicta & facta, ibi eſt πάθος. & mire IBI.

BENE DISSIMVLATVM. *Bene*, multum. an quaſi dolens, quòd etiam negaturus ſit Chremeti, dixit BENE?

INDICAT. Omnia ſignificanter. non oſtendit inquit, ſed indicat: non accedit, ſed accurrit: non veſtem aut manus, ſed mediam mulierem: non tenet, ſed complectitur. & quia his tribus rebus inducitur in alicuius rei geſtionem perſona: affectu, facto, dicto. Affectus eſt quod ait, *Ibi tum exanimatus Pamphilus.* Factum quod ait, *Accurrit, mediam mulierem complectitur.* Dictum quod ait, *Mea Glycerium inquit, quid agis? cur te is perditum?* INDICAT. *Indicium* propriè eſt oris & linguæ. factis ergo indicat. non enim dixit, *amo.* ACCVRRIT. Virgilius, *Interiora domus irrumpit limina, & altos*

> *Conſcendit furibunda rogos.* ———

MEA GLYCERIVM. *Mea*, quaſi amator. GLYCERIVM. Quaſi familiaris dixit.

QVID AGIS. Quaſi perturbatus.

CVR TE IS PERDITVM. Quaſi conſolaturus.

VT CONSVETVM FACILE AMOREM CERNERES. Mire, non ſuſpicaretur, dixit: ſed *cerneres.* & eſt ordo, vt facile cerneres. ſed *cerneres*, ſicut ſuprà, *Laudem inuenias & amicos pares.*

REIECIT SE IN EVM. Obiicitur ei quod à Glycerio factum eſt: vt, Quis enim vnquam tam palàm de honore, tam vehementer de ſalute ſua contendit, quàm ille atque illius amici, vt ne hæc mihi delatio detur.

QVID AIS. Non interrogantis, ſed mirantis eſt.

IRATVS ATQVE AEGRE FERENS. *Iratus*, culpa. *ægre ferens*, quia præter ſpem.

NEC SATIS. Mire expreſſit indulgentiam patris erga filium. erat, inquit, cauſa: ſed pro amaritudine obiurgationis non erat ſatis, hoc eſt, non idonea videbatur. Nec ſatis ad obiurgandum. Deeſt HABVI, vel ERAT. Virgilius, *Nec ſat rationis in armis*. & hic, ERAT vel HABVI, deeſt ad ſententiam. DICERET. Deeſt ENIM.

QVID FECI. Mire fiduciam prætulit argumento, quod eſt in ſequenti verſu.

QVID FECI, QVID COMMERVI AVT PECCAVI. αὔξησις à maioribus ad minora. Et *feci*, quaſi facinus dixit. *Facere* enim quis & homicidum dicitur. *Commerui*, minoris culpæ eſt. *Peccaui*, multo minoris, vel leuioris.

QVAE SESE. Illic, mea Glycerium: hic pronomen dixit. mira diſſimulatio, tanquam illam præter periculum neſciat.

NAM SI ILLVM. Argumentum per rationem à contrario. vt ſi dicas, *Viro forti præmium debetur, ſi deſertori pœna conſtituta eſt.*

TVLIT. Pro attulit. ſed multa ſignificat: & aliàs pertulit. Virgil. *Non tulit hanc ſpeciem furiata mente Chorœbus*. Aliàs ſuſtulit, vt idem, *Omnia fert ætas, animum quoque*. pro aufert.

ILLI. Pro illo. DEDERIT DAMNVM, AVT MALVM. *Damnum*, id eſt: *malum*, ipſius hominis.

VENIT CHREMES. Argumentum ex coniectura, de teſtibus. Et mire ſuprà, *Vbi venit ad me*. Ergo hìc cauſa iuſti doloris oſtenditur, quia dolet etiam Chremes: nam potuit, non daturus filiam, non venire.

POSTRIDIE AD ME CLAMITANS. Vt ſine dilatione ſciri poſſet. & CLAMITANS, indignantis eſt: vt, *Clamant omnes.*

INDIGNVM FACINVS. Diſtinguendum, vt per ſe intelligatur indignum facinus, & ipſe doleat Pamphilum corrumpi.

COMPERISSE. Ergo ab aliis: vt appareat verum quod ait, *Tum vno ore omnes*, &, *Hac fama impulſus Chremes*. INDIGNVM FACINVS COMPERISSE. Deeſt *ſe*: incertáque diſtinctio.

PAMPHILVM. Cum emphaſi dixit, id eſt pudentem & bene moratum. Et nec amicam, ſed PRO VXORE. Mire ergo, quaſi non hoc doleat quòd amet, ſed quòd pro vxore habeat. Et ſimul excuſatur filiam denegaturus ſocer.

HANC PEREGRINAM. Hanc, cum contemptu dictum eſt. & *peregrinam*, vt alibi, *Adeóne eſt demens ex peregrina?* nam hoc nomine etiam meretrices nominabantur.

EGO ILLVD SEDVLO. Quanto affectu pater factum, quod videat, negabat! SEDVLO. Quomodo *ſedulo*, ſi negabat? an *ſedulo*, vt Soſiæ? id eſt ſimpliciter. SEDVLO. Quia non ſemel negauit, vel ille inſtitit.

FACTVM. impersonaliter. NEGARE FACTVM. Officium patris, & ſimul per hoc expreſſio probationis. ILLE INSTAT FACTVM. Plautus, *Inſtare factum*; ſimilis eſt ἀρχαϊσμός. INSTARE FACTVM. Vetuſte, id eſt inſtat dicere factum eſſe.

DENIQVE. Quid denique? ad ſummam properat, & ad finem dictorum. DENIQVE. id eſt poſtremo. DISCEDO. Proprie: non enim abeo. vnde *diſceſſio*.

VT QVI SE NEGET. Probauit quod non volebat ſenex Soſiæ: adhuc ſupereſt vt oſtendat quòd non ſit iraſcendum, quin iuſtè iraſcatur.

NON TV IBI GNATVM. ἀποσιώπησις, vel ellipſis. deeſt inuaſiſti, obiurgaſti, adortus es. AD OBIVRGANDVM. incuſandum, inclamandum.

TV TE HIS REBVS. Modo non addidit DICERET.

PROPE ADEST. Propè adſunt nuptiæ: in proximo ſunt metæ libertatis: & ideò auidius voluptatia ſub finem carpenda ſunt.

QVVM ALIENO. *Quum* pro quo. hoc enim ſignificat *quum*.

MEO ME VIVERE INTEREA MODO. Meo modo, mea voluntate, meo arbitrio.

RELICTVS EST OBIVRGANDI LOCVS. Mire obiurgandi: tanquam incenſus pater in filium videretur. nam ſuprà commotus plus per ἀποσιώπησιν ſignificauerat.

SI PROPTER. Hoc erat ſecundum in diuiſione, *Et conſilium meum cognoſces*. SI PROPTER AMOREM. Initium conſilij ſui demonſtrandi.

NOLIT. Legitur & *nollet*.

Ab illo animadvertenda iniuria. Nota participium à paſſiuo, *animaduertenda*, caſtiganda, vindicanda eſt. Ab illo iniuria. quam facit, non quam patitur. Ea primum animadvertenda iniuria. Vt iam hoc ſit peccatum quòd recuſat nuptias, non quòd peccat adoleſcens. Ideo ergo primum dixit, animaduertenda iniuria eſt, vindicanda, exequenda eſt. Et bene ea ab illo dixit iniuria. certiſſimam enim notat perſonam, que debeat pro iniuriis pœnas ſoluere. quòd ſi dixiſſet, iniuria eius, ἀμφιβολίαν feciſſet, vtrum quam paſſus eſt ab alio, an quam ipſe aliis intulit.

Et nunc id. Hic reddit quod dixerat, *Conſilium meum cognoſces*. Id, id eſt *propter id*. Vera. ἀντίθετον. quia falsa dixit, intulit vera.

Manibus, pedibusque. Prouerbiale. id eſt omnibus membris.

Obnixe. cum conatu, inſtanter contra conantem.

Magis id. Id, propter id.

Incommodet. noceat, incommodum afferat. Mihi vt incommodet. Non enim, inquit, prodeſt filio amare meretricem.

Qua propter. Mire Soſia interrogat, quaſi nulla cauſa ſit fallendi dominum.

Mala mens. Voluntas, eſt mens, etiam ratio. Mala mens. Argumentum à natura, & an aliquis ſine cauſa malus, an ab impulſione. Mala mens. Quia dixit, Magis vt lædat, quàm vt proſit.

Qvem qvidem ego si sensero. ἀποσιώπησις eſt, grauiſſimam pœnam oſtendentis.

Exorandvs. Legitur & *expurgandus*. ſi *expurgandus*, lege *cui*, non *qui*: quia *cui* per Q veteres ſcripſere.

Confore. Ab eo quod eſt *confit*: id eſt perficitur, futurum tempus infinitiui modi *confore* facit, id eſt perfectum iri. Sic in Adelphis, *Verum quid ego dicam? hoc confit quod volo*. Confieri, id eſt perfici. vnde *confectum negotium* dicitur, vel *confecta res* quæ ad plenum perficitur. Virgilius, ——— *nunc qua ratione quod inſtat Confieri poſſit, paucis, aduerte, docebo*. Nvnc tvvm est officivm. Hoc ad illud tertium reſpicit, quod dixit, Et quid facere in hac re te velim. Has bene vt adſimules nuptias: perterre facias Dauum: hoc erat tertium de his, quæ dicturum ſe promiſerat.

Adsimvles. Hoc eſt vnum verbum adsimvles: quod dixit, *Quin tu vno verbo dic, quid eſt quod me velis*. Perterrefacias. Venuſte & poëtice.

Observes filivm. Obſeruatio in duabus rebus eſt, in obſequio, & ſpeculando.

Cvrabo. Vt coquus, & ſuprà ſic, *Nempe vt curentur rectè hæc*.

I prae. Figura ἀναστροφὴ, quod nos *prai* dicimus.

Actvs primi scena II.

Simo. Davvs.

NON dubium eſt, quin vxorem nolit filius.
Ita Dauum modo timere ſenſi, vbi nuptias
Futuras eſſe audiuit: ſet ipſe exit foras.
D. Mirabar, hoc ſi ſic abiret. & eri ſemper-lenitas,
Verebar, quorſum euaderet,
Qui poſtquam audierat non datum iri filio vxorem ſuo,
Numquam cuiquam noſtrum verbum fecit, neque id ægrè tulit.
S. At nunc faciet: neque, vt opinor, ſine tuo magno malo.
D. Id voluit, nos ſic nec opinanteis duci falſo gaudio,

Sperantis iam amoto metu, inter oſcitantes opprimi,
Ne eſſet ſpatium cogitandi ad diſturbandas nuptias.
Aſtute! S. *carnufex, quæ loquitur?* D. *erus eſt, neque prouideram.*
S. *Daue.* D. *hem. quid eſt?* S. *ehodum ad me.* D. *quid hic volt?* S. *quid ais?* D. *qua de re?* S. *rogas?*
Meum gnatum rumor eſt amare. D. *id populus curat ſcilicet.*
S. *Hoccine agis, an non?* D. *ego verò iſtuc.* S. *ſet nunc ea me exquirere,*
Iniqui patris eſt. nam quod antehac facit, nihil ad me attinet:
Dum tempus ad eam rem tulit, ſini, animum vt expleret ſuum.
Nunc hic dies aliam vitam adfert, alios mores poſtulat.
Dehinc poſtulo, ſiue æquumſt, te oro Daue, vt redeat iam in viam.
D. *Hoc quid ſit.* S. *omnes, qui amant, grauiter ſibi dari vxorem ferunt.*
D. *Ita aiunt.* S. *tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum,*
Ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem plerúmque applicat.
D. *Non hercle intellego.* S. *non? hem.* D. *non: Dauus ſum, non Oedipus.*
S. *Nempe ergo apertè vis, quæ reſtant, me loqui.* D. *ſanè quidem.*
S. *Si ſenſero hodie quidquam in his te nuptijs*
Fallaciae conari, quo fiant minus:
Aut velle in ea re oſtendi, quàm ſis callidus:
Verberibus cæſum te Daue in piſtrinum dedam vſque ad necem,
Ea lege atque omine, vt, ſi te inde exemerim, ego pro te molam.
Quid? hoc intellextin'? an nondum etiam ne hoc quidem?
D. *imò callide:*
Ita aperte ipſam rem modo locutus, nihil circuitione vſus es.
S. *Vbi vis, facilius paſſus ſim, quàm in hac re, me deludier.*
D. *Bona verba quæſo.* S. *inrides? nihil me fallis. ſet dico tibi.*
Ne temerè facias. neque tu haut dicas tibi non prædictum:
Caue.

NON DVBIVM Narratione iam habita, perſona Soſiæ non erat neceſſaria. ergo ſubſiſtit ſenex, per quem agenda ſunt reliqua. NON DVBIVM. Ad hoc certus inducitur Simo, vt magis perturbetur inopinata conſenſione Pamphili ad ducendam vxorem,& præterea nihil agat cum Chremete de tradenda filia,confirmādiſque nuptiis.

ITA MODO DAVVM TIMERE SENSI. Non receſſit de loco ſenex: SENSI ergo antè, quàm cum Soſia loqui cœpiſſet. ITA MODO. Argumentum quod ſuprà, ab eo quod noſtri faciunt. MODO. antè quàm cum Soſia loqui cœpiſſet Simo. & DAVVS non rectè ſcribitur. DAVOS ſcribendum, quòd nulla litera vocalis geminata vnam ſyllabam facit. Sed quia ambiguitas vitanda eſt nominatiui ſingularis, & accuſatiui pluralis neceſſario pro hac regula, digamma vtimur,& ſcribimus. *DaFus, ſerFus, corFus.*

MIRABAR HOC. Hic locus eſt in quo Dauus inſinuatur ſpectatoribus multa geſturus.

SI SIC. *Sic*, pro leuiter & negligenter, quod Græci οὕτως dicunt. ſignificat autem οὕτως, id eſt *ſic*: & eſt de his quæ adiuuanda geſtu ſunt: vt *tantillum puerum*: &, *Huius non faciam.*

LENITAS. Clementia, facilitas. cui contraria, aſperitas & difficultas. ET ERI SEMPER LENITAS. AD *ſemper lenitas*, vt ſit ὑφὲν. Lucretius, *Semper florentis honoris.*

SEMPER LENITAS. Ac per hoc ſimulata vſque nunc lenitas: nam nemo in diuerſis actibus ſemper lenis eſt: niſi forte fictus aſſimulator & callidus. SEMPER LENITAS. Sine differentia eſt importuna lenitas.

QVORSVM EVADERET. Ad quam partem erumperet. Et EVADERE, eſt per quamcumque difficultatem ad aliquid peruenire.

VERBVM FECIT. Non dixit litigium, aut rixam: ſed *verbum*, iſtæ exiguitates, aſſeuerationes dicuntur. & cum pronuntiatione: vt intelligatur, ne verbum quidem.

NEQVE ID AEGRE TVLIT. Hoc eſt *ſemper lenitas.*

FACIET. Subaudiendum VERBVM. & eſt FACIET perſona tertia, pro prima.

FACIET. id eſt iraſcetur, denuntiabit, loquetur.

SINE TVO MAGNO MALO. Id eſt comminabitur tibi, & minas contemnes, vt ad pœnas peruenias.

ID VOLVIT. Aut abſolutè accipiendum ID: aut ID, *quomodo* SIC, demonſtratio eſt, vt magis geſtu quàm ſenſu intelligatur, vt ſuprà diximus.

NEC OPINANTES. ὑφὲν.

DVCI. *Ducere* eſt expectatione longi temporis malum prolatare. Vel *induci*, vt feras in retia. FALSO GAVDIO. Velut ex ira,& vix ſenis iracundia.

AMOTO METV. Iſta ſingula ſunt. & *amoto metu*, ſic dixit, quaſi metus ſit corpus brutum, quod cum molimine mouetur.

OSCITANTES. *Oſcitatio* eſt animi otium & ſecuritas. dictum ab *oreciendo*, id eſt commouendo. *Oſcitantes*, ſecuri, id eſt nihil prouidentes.

COGITANDI AD DISTVRBANDAS. Miranda locutio: vt ſi dicas, *Cogitat ad dicendum.* ASTVTE. Hoc & geſtu & vultu ſeruili,& cum agitatione capitis dixit.

CARNIFEX. Aut excarnificans dominum, aut ipſe dignus carnifice vt caro fiat, id eſt lanietur. Lucilius, *Carcer vix carcere dignus.*

NEQVE PROVIDERAM. Prouidentia duplex eſt: aut enim animo, aut oculis prævidemus. HEM. Quaſi correptio totius corporis.

EHODVM. Nutus eſt, intentionem animaduerſionémque depoſcens, eius cum quo vult loqui. EHODVM. *Dum*, παρέλκον eſt hoc loco.

QVID HIC VOLT. More ſeruili & vernili geſtu. ſic enim vocati à dominis ſerui vultuoſe agunt.

QVA DE RE? Negantis vim habet hæc interrogatio. plus eſt enim *qua de re*, quàm nihil. ROGAS? Hoc cum interrogatione indignantis.

MEVM GNATVM RVMOR EST AMARE. Mire apud ſeruum diſſimulat id quod iam probauit. MEVM GNATVM RVMOR EST AMARE. Grauiter, conſtantérque

ſenex,

ſenes nondum ſe fatetur credere. nec verum ſcire: ne amittat vim vindicaturi ſi reſcierit.

ID POPVLVS CVRAT SCILICET. Quia rumigeratio populi eſt. ſed hoc auerſus ab illo, contumaciter. ſic Virgilius, *Scilicet is ſuperis labor eſt*. Scilicet, ſemper cum εἰρωνείᾳ ponitur.

HOCINE AGIS. *Agis*, id eſt audis. Alibi ſic, *Hoc age amabo*. Plautus, *Vos hoc agite*. Spectat pronuntians, ſimul demonſtratiue, veluti aurem ſuam tangens.

ISTVC. Deeſt *ago*, vel *audio*.

INIQVI PATRIS EST. Iniqui eſt, ſi nunc velim quærere actus liberos adoleſcentis.

NAM QVÆ ANTEHAC FECIT. Pro *antehac*, conſuetudine magis, quàm ratione dicitur.

NIHIL AD ME. Id agit vt ſuperius conſilium ſe ſeruare oſtendat.

DVM TEMPVS AD EAM REM TVLIT. Deeſt SE: vt ſit, Dum tempus ſe præbuit: quia ſuprà dixit, *Tute his rebus finem præſcripſti pater*. AD EAM REM TVLIT. Abſolute, & deeſt SE.

SINI, ANIMVM VT EXPLERET SVVM. Mira ratio cur ſiuerit, vt & hoc quod permiſit, ad bonam frugem permiſerit, non ad luxuriam. *Sini* autem diſtingue eſt autem *ſini* modo, permiſi, ceſſaui. *ſini* antique. Aliter in Adelphis, *Non ſinit egeſtas facere hoc nos*.

NVNC HIC DIES ALIAM VITAM ADFERT. Hoc eſt, recte, & ſeuere, & inexorabiliter denuntiat. *Aliam vitam*, pro diuerſam & contrariam. ſic & Virgilius, *Dijs aliter viſum eſt*. TE ORO DAVE. Grauius illud fecit, nomine appellando.

VT REDEAT IAM IN VIAM. *Iam* modò tarditatis eſt ſignum. & *in viam* dixit, quaſi qui deuius ſit, & errarit à recta via. VT REDEAT IAM IN VIAM. Prouerbiale. SIVE EQVVM EST. ἐπανόρθωσις.

HOC QVID SIT. ἔλλειψις, deeſt enim *quæris*.

ITA AIVNT. Hæc credunt & loquuntur vniuerſi. & eſt trepida confeſſio, & quaſi inuiti reſponſio. vt in Heautont. *Ita credo*: monente patre filium.

TVM SI QVIS MAGISTRVM. μεταφορικῶς. an quia & pædagogus eſt magiſter? vt Geta in Phormione, *Me filiis relinquunt quaſi magiſtrum*.

AD EAM REM. Id eſt ſuper eam rem, hoc eſt ſuper amorem.

ANIMVM AEGROTVM. Pro *ægro*. nam animus æger, corpus ægrotum.

HEM. Interiectio eſt iraſcentis.

DAVVS SVVM, NON OEDIPVS. Multiplex contumelia. poteſt enim ſenem quaſi ſphingem dixiſſe, id eſt deformem monſtriſque ſimilem. poteſt etiam inhumanum & ferum, vt ſphinx. Poteſt etiam per Oedipum ſe vltorem promittere futurum, atque oppreſſorem ſapientiæ ſenis. DAVVS SVM, NON OEDIPVS. Facete ſe negauit Oedipum, vt ſenem ſphinga eſſe confirmet, non Oedipum. Imitationum duo ſunt genera: quandam neceſſitas, quandam introducit voluntas. NON OEDIPVS. Si Latine pronunties, genitiuus *Oedipi* faciet: ſi Græce, *Oedipodis*.

SANE QVIDEM. Sane, valide: quia qui ſanus, & validus eſt.

SI SENSERO. Comminatio. & ſit pronuntiatio, vt in ſingulis verbis ardeant minæ.

HODIE. Non ad tempus non plenum, ſed ad comminationem refertur. vt Virgilius. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*. Et *dies* pro nocte accipitur: vt hoc ipſum. *Nunquam omnes hodie moriemur inulti*.

QVO FIANT MINVS. *Quo minus*, hoc eſt quo impeditius.

VERBERIBVS CAESVM TE IN PISTRINVM DAVE. Vult in pronomine, & nomine exagitare comminatione eruum, ne quid relinquat iracundiæ.

DEDAM. *Dare*, eſt quod repetas: *Dedere*, eſt ad perpetuum. *Damus* & amicis: *Dedimus*, tantum hoſtibus.

EA LEGE ATQVE OMINE. *Lege*, ad homines: *omine*, ad rem diuinam refertur. id, eſt firmamentum per humana & diuina. *Omen* autem eſt quicquid ore dicitur.

EA LEGE ATQVE OMINE. Bene *lege* atque *omine*, quia leges auſpiciis ſeruatis ferebantur. Ergo ſic intellige, quaſi dixerit, ea lege & conditione. & antiqui auſpicato omnia faciebant, quæ rata eſſe vellent.

An nondvm etiam. Quartum παρέλκον, quia abundat etiam.

Ipsam rem. Ipſam rem, id eſt voluntatem ſuam: aut incriminationem ſuam: hoc eſt piſtrinum & pœnas ſeruiles.

Nihil circvitione. *Nihil*, pro non. *Circuitione*, periphraſi.

Vsvs es. Legitur & *vſor es.*

Vbivis facilivs. Admonitio. Vbivis facilivs. Cicero, *Non eſt in hac cauſa peccandi locus vllus.*

Bona verba qvaeso. Hic in εἰρωνείᾳ eſt εὐφημισμός. quaſi dicat, meliora loquere rogo te. ergo cum admonitione, Bona verba, inquit, rogo.

Nihil me fallis. Non te ignoro, non me decipis. ſic Menander, τοῦ δὲ σ᾽ οὖν λεληθάς μ᾽ ἄν. Nihil me fallis. Figura eſt ἑλληνισμός. à loco σ᾽ οὖν με λανθάνοις ἄν. Fallis. Lates, vt ſit σ᾽ οὖν με λέληθας. Nihil me fallis. *Nihil*, pro etiam nunc. Neqve tv havt dicas tibi non praedictvm. Duæ negatiuæ faciunt vnam affirmatiuam: tres negatiuæ pro vna negatiua accipiuntur: vt hic, *Neque haud non.* Salluſtius, *Haud impigre, neque inultus occiditur.* Vera ergo lectio eſt, Neqve tv havt dicas. quod plurimi, non intelligentes, hoc dicas legunt. Neqve havt tv dicas tibi non praedictvm. Vera lectio, *Neque haut dicas.* eſt enim quintum παρέλκον. Plautus in Bacchidibus, *Neque haud ſubditiua gloria oppidum arbitror.*

Actvs primi scena III.
Davvs.

Enimuero Daue nihil loci'ſt ſegnitiæ, neque ſocordiæ,
Quantum intellexi modo ſenis ſententiam de nuptijs.
Quæ ſi non aſtu prouidentur, me aut erum peſſum dabunt.
Nec quid agam certum'ſt: Pamphilúmne adiutem, an auſcultem ſeni.
Si illum relinquo, eius vitæ timeo. ſin opitulor, huius minas.
Cui verba dare difficile'ſt. primum iam de amore hoc comperit.
Me infenſus ſeruat, ne quam faciam nuptijs fallaciam:
Si ſenſerit, perij: aut ſi lubitum fuerit, cauſam ceperit:
Quo iure, quáque iniuria præcipitem me in piſtrinum dabit.
Ad hæc mala hoc mihi accedit etiam: hæc Andria
Siue iſta vxor, ſiue amica'ſt, grauida è Pamphilo eſt.
Audiréque eorum eſt operæ pretium audaciam:
Nam incœptio'ſt amentium, haut amantium.
Quidquid peperiſſet, decreuerunt tollere.
Et fingunt quandam inter ſe nunc fallaciam,
Ciuem Atticam eſſe hanc. fuit olim quidam ſenex,
Mercator: nauem is fregit apud Andrum inſulam:
Is obijt mortem: ibi tum hanc eiectam Chryſidis
Patrem recepiſſe orbam, paruam. fabulæ.
Mihi quidem hercle non fit veriſimile, atque ipſis commentum placet.

Set Myſis ab ea egreditur. at ego hinc me ad forum, vt Conueniam Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ENIMVERO DAVE. Hic breuis & comica deliberatio eſt, magna expectatione populum rerum imminentium commotura, metu & cura æſtuantis Daui conſideratione propoſita. ENIMVERO DAVE. Omnis perſona aut ab altero commendatur, aut ſeipſam populo commendat, aut & ab altero & à ſeipſa; vt hic Daui, & per Simonem ſuprà deſcripta eſt. vbi dicit, *Mala mens, malus animus*: & hic per ſe, dum hoc geſtu ac ſermone agit ac diſputat ſecum. ENIMVERO DAVE. *Enimuero*, ſignificationem habet nimium permoti atque irritati animi. Cicero, *Hic tum alius ex alia parte, Enimuero ferendum hoc non eſt: vocetur mulier.* SEGNITIAE. Ad agendum. SOCORDIAE. Ad conſiderandum. QVANTVM MODO. *Quantum* pro inquantum. QVAE SI NON ASTV. exhortatio à periculo. PROVIDENTVR. prouiſio rerum duas ſignificationes habet. *Prouidemus* enim nobis tam bonum quàm malum. Malum, ſicut ſi quis eminus veniens telum prouiderit atque cauerit. Ergo hîc PROVIDENTVR, cauentur, vitantur. Et nuptias velut vndam nauigio imminentem fecit. quòd ſiquis vndam ex aduerſo venientem prora non exceperit, demerſus vndis in peſſum abit. eſt ergo metaphora.

ME AVT ERVM. Herum hîc, herilem filium.

PAMPHILVMNE ADIVTEM, AN AVSCVLTEM SENI. Semper deliberatiua verba habent quendam ſonnum, per quem exitus rei demonſtratur: vt hic oſtendit ſe Pamphilum magis adiuturum, quàm verbis ſenis obtemperaturum.

SI ILLVM RELINQVO. Partium tractatus quæ ſuprà ſunt, Pamphilúmne adiutem, an auſcultem Seni. VITAE EIVS TIMEO. Vt alibi, *Syre, tibi timeo male.*

SIN OPITVLOR. Opem ferre dicitur in malis rebus, & iis qui de ſalute dubij ſunt: vt, *Fer opem, ſerua me obſecro. Opitulor & opitulatio* dicta ab opem tollendo, hoc eſt ferendo. HVIVS MINAS. Subauditur, *timeo.*

CVI VERBA DARE. *Verba dare*, fallacia eſt: & illud ſpectat, *Nihil me fallis.*

DIFFICILE EST. Non dicit impoſſibile eſt. ergo oſtendit partem ſe ſequi quæ pro Pamphilo eſt. PRIMVM IAM. Primo, inquit, iam infenſus eſt ſenex. deinde à Pamphilo grauida eſt Glycerium. PRIMVM IAM. ὑφὲν. eſt enim ἀνεστροφὴ, pro iamprimum. DE AMORE HOC. Hoc amore, ſic quaſi cum tædio & reprehenſione eius amoris loquatur. ME INFENSVS. Scilicet de amore filij, ſenex me ſeruat, & re vera timendus eſt. SERVAT. φυλάττει.

NEQVE FACIAM. Hoc ad illud ſpectat, *Tum ſiquis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.* QVO IVRE, QVAQVE INIVRIA. Prouerbiale hoc eſt: qualia ſunt, *fas & nefas, nolis velis.* AD HAEC. In ipſa re maior eſt difficultas, quia grauida eſt Glycerium.

SIVE ISTA VXOR. Et hoc cum quodam tædio & indignatione ſtomachi interrumpit.

OPERAE PRETIVM AVDACIAM. Dicitur de mirificis & laudabilibus: nam & ea quæ magna ſunt, etiam ſi mala, tamen miramur: quia libenter audiamus. & hoc pretium eſt operæ, id eſt audiendi. Et AVDACIAM proprie dixit: vt in Eunucho, *Audaciam meretricum ſpecta.*

NAM INCEPTIO EST AMENTIVM, HAVT AMANTIVM. Amabant veteres de proximo ſimilia dicere: vt Cicero, *Minus charum putauit fore de armario, quàm quod de ſacrario fuiſſet ablatum.* Et quidem ſi in verbis ſunt, παρόμοιον dicitur: in nominibus, παρονομασία. QVIDQVID PEPERISSET. Maiorem reprehenſionem ſonat, quidquid peperiſſet. paritur enim aut maſculus, aut fœmina: & ſolet iuſtior eſſe cauſa tollendi, ſi marem vxor peperit. ſed nimij amoris eſt non expectare quid tollas.

DECREVERVNT. *Decernere* eſt de magnis rebus certam proferre ſententiam. vnde etiam SENATVS DECRETVM.

ET FINGVNT. Argumenti partem narrat: & non credit futura eſſe quæ dicit, vt ſuperſit locus errori. Et *fallaciam & quandam*, ne veriſimilis ſit ipſa fallacia totius contemptionis & vilitatis. FVIT OLIM. Modo totius ſummæ argumentum populo narratur: ſed vt reſtet aliquid ad errorem, abrogatur fides. Ἀφηγηματικῶ ad μιμητικὸν.

tranſit. Is OBIIT MORTEM. Plene dixit, quod nos *obijt* tantum. Virgilius, *Morte obita quales fama eſt volitare figuras.*

RECEPISSE ORBAM PARVAM. *Paruam* propterea adiecit, vt fiat veriſimile non poſſe eam facilè ſuos agnoſcere. FABVLAE. Redit ad narrationem.

ATQVE IPSIS. *Atque* pro tamen. vt ſit, tamen ipſis commentum placet, quod comminiſcuntur probant.

SED MYSIS. παρασκήνιον alterius ſcenæ. MYSIS. Semper autem nomina comicorum ſeruorum, aut à nationibus ſunt indita, vt Myſis, Syrus. aut ex accidentibus, vt Leſbia velut ebrioſa, à Leſbo inſula, quæ eſt ferax ſuauiſſimi candidiſſimique vini. aut à moribus & vernilitate, vt Pſeudolus. aut ex negotio, vt Chryſalus. aut ex qualitate corporis, vt Thylacus. aut ex ſpecie formæ, vt Pinacium.

EGO HINC. Nihil adhuc Dauus inuenit conſilij, niſi vt quærat Pamphilum, moneátque. EGO HINC ME AD FORVM. Vultuoſe hoc pronuntiatur: vt deſit, pergam, aut ducam me.

ACTVS PRIMI SCENA IIII.

MYSIS

AVDIVI Archillis iamdudum; Leſbiam adduci iubes.
Sanè pol illa temulenta eſt mulier & temeraria:
Nec ſatis digna, cui committas primo partu mulierem:
Tamen eam adducam. Importunitatem ſpectate aniculæ;
Quia compotrix eius eſt. Di date facultatem obſecro
Huic pariundi, atque illi in aliis potius peccandi locum.
Set quidnam Pamphilum exanimatum video? vereor quid ſiet.
Opperiar, vt ſciam nuncquid nam hæc turba triſtitiæ adferat.

AVDIVI ARCHILLIS. Hæc ſunt inuentionis poeticæ, vt ad οἰκονομίαν facetiæ aliquid addant. nam οἰκονομία eſt vt accerſatur obſtetrix, & conueniatur Pamphilus. facetia ſcribentis in his verbis eſt, quòd Archillis compotricem potiſſimum adduci iubet. AVDIVI ARCHILLIS. Frequenter hoc modo Terentius compendium facit, vt egrediens loquatur perſona de eo quod eſt geſtura: & ſimul doceat quid ab altera geſtum ſit. AVDIVI ARCHILLIS IAMDVDVM: LESBIAM ADDVCI IVBES. Vtrum *iamdudum audiui*, an *iamdudum iubes*, incerta diſtinctio eſt. & ſunt qui *iamdudum*, iam primum intelligant: vt, *Iamdudum ſumite pœnas.*

SANE POL. *Sane* multum; aliàs, pro valide. namque validus eſt qui multum rerum neceſſariarum habet ad ſalutem.

TEMVLENTA. Producit primam ſyllabam TE. TEMVLENTA. Vinolenta, hoc eſt ebrioſa. quia *temetum* vinum dicitur. vnde *abſtemius* ſobrius Dictum autem *temetum* ab eo quia tentet mentem. *Temulenta*, vino. *Temeraria*, natura.

NEC SATIS DIGNA CVI COMMITTAS. Bene in concluſione illa ſpecialiter probauit, dicendo non idoneam cui cõmittatur primus partus mulieris. Sed mirè ſignatéque dixit COMMITTAS. etenim committimus magna, & quæ ſalutem in dubio habent. NEC SATIS DIGNA. Duas res, nec parientem, nec primo partu. Figura ἓν διὰ δυοῖν, vt Virgil. *Non me tibi Troia Externum tulit.* &, *Dum domus Aeneæ Capitoli immobile ſaxum Accolet.* TAMEN EAM ADDVCAM. Redit ad illud, quòd coacta.

IMPORTVNITATEM. Importunitas neque loci, neque temporis habet commoditatem. ANICVLÆ. Archillis ſcilicet.

QVIA COMPOTRIX. In vultu remanſit oratio. deeſt enim, per figuram ἔλλειψιν, ideo

illam vult arceſſiri. IN ALIIS, Verum in aliis mulieribus, an in aliis rebus.

EXANIMATVM. *Exanimatus*, eſt perturbatus. Virg. *Exanimata ſequens impingeret agmina maris.* *Exanimus* mortuus. Idem, *Corpus vbi exanimum poſitum Pallantis Aceſtes.*

VEREOR QVID SIT. *Quid*, ob quid, propter quid ſit exanimatus. Aut aliter: *quid ſit*, id eſt, quid ſit negotij. Sed quidam putant *quid* pro quare: vt, *Quid veniant.* Aut deeſt, *poteſt*: vt ſit, quid eſſe poteſt.

NVNCQVIDNAM. Comicum eſt & Terentianum NVNCQVIDNAM: Quum exemptis NVM & NAM, ſufficere ad interrogationem potuiſſet QVID.

ACTVS PRIMI SCENA V.

PAMPHILVS. MYSIS.

HOCINEST *humanum factum aut inceptum? hocineſt officium patris?*
M. Quid illud eſt? P. prò deum atque hominum fidem, quid eſt, ſi non hæc contumelia'ſt?
Vxorem decrêrat dare ſeſe mihi hodie. nónne oportuit
Præſciſſe me ante? nónne prius communicatum oportuit?
M. Miſeram me, quod verbum audio?
P. Quid Chremes, qui denegarat ſe commiſſurum mihi
Gnatam ſuam vxorem? id mutauit, quia me immutatum videt.
Itáne obſtinate operam dat, vt me à Glycerio miſerum abſtrahat?
Quod ſi fit, pereo funditus.
Adeón' hominem eſſe inuenuſtum aut infelicem quenquam, vt ego ſum?
Prò deûm, atque hominum fidem!
Nullon ego Chremetis pacto adfinitatem effugere potero?
Quot modis contemptus, ſpretus? facta, tranſacta omnia. hem!
Repudiatus repetor. quamobrem? niſi ſi id eſt quod ſuſpicor:
Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt,
Itur ad me. M. oratio hæc me miſeram exanimauit metu.
P. Nam quid ego nunc dicam de patre? ah
Tantámne rem tam neclegenter agere? præteriens modo
Mihi aput forum, Vxor tibi ducenda eſt Pamphile hodie, inquit: para;
Abi domum. Id mihi viſus'ſt dicere, Abi cito, & ſuſpende te.
Obſtipui: cenſén' me verbum potuiſſe vllum proloqui:
Aut vllam cauſam, ineptam ſaltem, falſam, iniquam? obmutui.
Quòd ſi ego reſciſſem id prius; quid facerem ſi quis nunc me roget:
Aliquid facerem, vt hoc ne facerem. ſet nunc quid primùm exequar?
Tot me impediunt curæ, quæ meum animum diuorſae trahunt:
Amor, miſericordia huius, nuptiarum ſollicitatio:

Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo vſque adhuc,
Quæ meo cunque animo lubitumſt, facere: eine ego vt aduorſer? hei mihi!
Incertumſt quid agam. M. miſera timeo, hoc incertum quorſum accidat.
Set nunc peropus eſt, aut hunc cum ipſa, aut me aliquid de illa aduorſum hunc loqui.
Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc vel illuc impellitur.
P. Quis hîc loquitur? Myſis ſalue. M. ô ſalue Pamphile. P. quid agit? M. rogas?
Laborat è dolore, atque ex hoc miſera ſolicitaſt, diem
Quia olim in hunc ſunt conſtitutæ nuptiæ. tum autem hoc timet,
Ne deſeras ſe. P. hem egóne iſtuc conari queam?
Ego propter me illam decipi miſeram ſinam,
Quæ mihi ſuum animum, atque omnem vitam credidit:
Quam ego animo egregie charam pro vxore habuerim,
Bene, & pudice eius doctum, atque eductum, ſinam
Coactum egeſtate ingenium immutarier?
Non faciam. M. haud vereor, ſi in te ſolo ſit ſitum:
Set vim vt queas ferre. P. adeón' me ignauum putas?
Adeón' porrò ingratum, aut inhumanum, aut ferum,
Vt neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor
Commoueat, neque commoneat, vt ſeruem fidem?
M. Vnum hoc ſcio, hanc meritam eſſe, vt memor eſſes ſui.
P. Memor eſſem? ô Myſis Myſis, etiam nunc mihi
Scripta illa dicta ſunt in animo Chryſidis
De Glycerio. iam ferme moriens me vocat:
Acceßi; vos ſemotae: nos ſoli: incipit,
Mi Pamphile, huius formam atque aetatem vides.
Nec clam te eſt, quàm illi nunc vtræque inutiles,
Et ad pudicitiam, & ad rem tutandam ſient.
Quod ego te per hanc dextram oro, & ingenium tuum,
Per tuam fidem, pérque huius ſolitudinem
Te obteſtor, ne abs te hanc ſegreges, neu deſeras:
Si te in germani fratris dilexi loco,
Siue te haec ſolum ſemper fecit maximi,
Seu tibi morigera fuit in rebus omnibus.
Te iſti virum do, amicum, tutorem, patrem.
Bona noſtra haec tibi permitto, & tuæ mando fidei.
Hanc mihi in manum dat. mors continuo ipſam occupat.

Accepi. acceptam ſeruabo. M. ita ſpero quidem.
P. Sed cur tu abis ab illa? M. obſtetricem adcerſo. P. propera.
Atque audin'? verbum vnum caue de nuptijs,
Ne ad morbum hoc etiam. M. teneo.

HOCCINE EST. Hic inducitur adoleſcentis animus circa nuptias: vt ex magnitudine eius ingens gaudium comparetur in fine fabulæ, cognita Glycerio. & ſimul id agitur, vt magis magiſque per Myſidem Pamphilus excitetur ad reſiſtendum patri nuptias indicenti. HOCCINE EST. Ab iracundia & dolore cœpit. *Iracundia* deſcendit ex iniuria: *Dolor*, ex miſeria. HOCCINE EST HVMANVM FACTVM. Quaſi deliberatio eſt: in qua duæ partes ſunt, vna patris, altera amicæ. pro ſuaſore Myſis eſt. Principium ab inuectione: in qua primo vt hominem accuſat, deinde vt patrem. HOCCINE EST. Hoc eſt dilatare orationem, ne diceret quod fecit. & eſt peruerſa αὔξησις, à maioribus deſcendens ad minora, per amplificationem accuſationis.

FACTVM AVT INCOEPTVM. In alijs, *factu aut inceptu*, fuit.

HOCCINE EST OFFICIVM. *Officium* ab efficiendo, ab eo quòd quæritur quid efficere in eo vnumquemque conueniat pro conditione perſonæ.

QVID EST, SI NON HOC. Sic dicimus de his, quæ neceſſario hoc ſunt, quod dicimus. SI NON HOC. Hoc cum ſtomacho dictum, quaſi aliquo contradicente non eſſe contumeliam. Cicero, *Quid eſt quæſo Metelle, iudicium corrumpere, ſi hoc non eſt?*

VXOREM DECRERAT. *Decernere*, eſt de magnis certam proferre ſententiam. VXOREM DECRERAT. Propoſitio iniuriæ.

NÓNNE OPORTVIT PRAESCISSE ME ANTE. *Oportuit*, ſcil. ad patrem refert. Nam nec ſic conſentirē ad nuptias. ſed fac me velle. NÓNNE OPORTVIT PRAESCISSE ME ANTE? Dolet autē ſe ſpatiū nō habuiſſe conſilio. Et ANTE abundat, aut certe PRAE, cum ſufficiat *ſciſſe*.

NÓNNE PRIVS CONSVLTVM OPORTVIT. Quàm de ſtomacho repetitum eſt OPORTVIT! Et de more, PRAESCISSE ME ANTE. *Praſciſſe* proprie ad eum refertur, hoc eſt Pamphilum. COMMVNICATVM. Quod neque huius proprium eſt, neque illius. COMMVNICATVM. Quia nuptiarum non omnis poteſtas in patre eſt.

QVOD VERBVM. *Verbum* pro ἀξίωμα more ſuo poſuit, id eſt, vxorem dare quòd ait. QVID CHREMES? Tranſit à patre nunc, & ad ſocerum redit. τὸ QVID, non ad Chremetem dicitur: ſed ad illum tranſeuntis eſt, & non conſiderantis quid dicat. QVID CHREMES. Iraſcitur patri quòd cogat Chremetem, quòd non neget vxorem. Noue dolet, non odio haberi, non repudiari.

QVI DENEGARAT SE COMMISSVRVM. Non latuerat Pamphilum, repudiaſſe Chremetem. vnde & Dauus ait, *Qui poſtea quàm audierat non datum iri filio vxorem ſuo.*

ID MVTAVIT. Noue dixit ID. τὸ ID enim ad DENEGARAT. ID MVTAVIT QVONIAM ME IMMVTATVM. παρόμοιον. Nam quoties verba ſunt, παρόμοιον dicitur. quoties nomina, παρωνομασία.

COMMISSVRVM. Putauerat nuptias, & Chremetem mutare ſententiam.

ITANE OBSTINATE. *Obſtinate facere* eſt aliquid, in alterius malum cum conatu facere perſeueranter, & in alterius perniciem nimis niti.

ABSTRAHAT? Magna vi verbi & proprietate vſus eſt. vnde illud eſt, *Iphitus & Pelias mecum diuellimur inde.* ABSTRAHAT. Magna indignatione vſus eſt: tanquam Chremes non tam filiæ conſultum velit, quàm læſum Pamphilum.

Alia exclamatio eſt aduerſum ſocerum, ADEÓN' HOMINEM. Neminem putat eſſe in genere humano ita infœlicem vt ſe: quod eſt commune omnium qui in aliquo mœrore conſiſtunt. itaque non ſe, ſed conditionem humanam dolet: & quæritur natum eſſe quenquam qui poſſit eſſe tam miſer vt ipſe eſt: ac per hoc ſe. ADEÓN' HOMINEM. amatorie, amore nominato exiluit in gemitus. Sic Virgil.

——— *aut ſi lux alma receſſit, Hector vbi eſt?*

INVENVSTVM AVT INFELICEM. *Inuenuſtus* eſt ſine venere, id eſt ſine gratia, quem

omnes reſpuant, repudiéntque pulchræ, & quem deformes appetant. INVENVSTVM AVT INFELICEM. *Inuenuſtus*, cui diſplicens obiicitur. *Infelix*, cui placens negatur.

AVT INFELICEM QVENQVAM VT EGO SVM. Adeò ſe miſerum dicit, quòd ſibi repudiare non licet: vt propter ſe doleat humanum genus, in quo ſit aliquis tam miſer. Virgil. *Heu cadit in quenquam tantùm ſcelus?* VT EGO SVM. ἀνακόλουθον eſt VT: QVAM enim inferre debuit, non VT.

PRÒ DEVM. Quàm ferueat indignatione, hinc aſpice, quòd frequenter exclamat. PRO DEVM. alia exclamatio eſt aduerſus ſocerum. EFFVGERE. in totum fugere.

QVOT MODIS CONTEMPTVS, SPRETVS! Si Chremes ſpretus, intelligemus Pamphilum dicere, quòd operam dederit vt ſe repudiaret Chremes, vt ſuprà dixit, *Mutauit, quia me immutatum videt*. QVOT MODIS CONTEMPTVS. Chremes an Pamphilus?

FACTA, TRANSACTA OMNIA Prouerbiale eſt in id negotii, de quo nihil ſuperſit ad agendum. *Facta* autem, à Pamphilo: *tranſacta* etiam à Chremete.

REPVDIATVS REPETOR. Quaſi & hæc iniuria ſit, repudiare & repetere. Et tale eſt in Eunucho, *Excluſit, reuocat*. NISI SI ID EST. coniecturale argumentum.

ALIQVID MONSTRI ALVNT: EA. Duplex contumelia, & *monſtri* & *aliquid*. minus enim eſſet, *aliquod monſtrum*. ſic, *Quid hominis uxorem habes?* Et mutauit genus, dicendo *ea*: quoniam fœmina eſt. Sic in Eunucho, *Taces monſtrum hominis? non dicturus es?* ALIQVID MONSTRI ALVNT: EA. Dum *monſtrum* dixerat, EA ſubiunxit, tanquam non verbis, ſed ſententiæ ſeruiens.

NEMINI OBTRVDI. Mire OBTRVDI, quaſi inuito. & totum cum iracundia obtrudi, inſtringi, impingi.

ITVR AD ME. Dotem amator non cogitat: & ad vilitatem trahit, quòd vltrò venit, & quòd ſe repetit Chremes. ITVR AD ME. Quaſi ad hoſtem. Plautus Pſeudolo, *Itur ad me*. Et Virg. ——*ſimul enſe relicto Ibat in Euryalum propere*. ORATIO HAEC. Etiam pauca verba veteres *orationem* dicebant. NAM QVID EGO. quaſi dicat quid ego de parte dicam, qui alienum accuſauerim Chremetem. NAM QVID EGO. Redit ad patrem, in quo noue hoc accuſat, negligenter eum agere quod nolit fieri.

TANTAMNE REM. Summum voti ac nuptias.

PRAETERIENS MODO. Hic oſtendit ſpecialiter quid peccauerit. PATER PRAETERIENS MODO MIHI APVD FORVM. Vndique conflatur excuſatio. ex facto, quòd præteriens. ex tempore, quòd modo. ex loco, quia in foro. ex modo & ex verbis, Vxor tibi ducenda eſt. Mire DVCENDA. ſemper hoc genus declinationis, neceſſitatem oſtendit. vt Virgil. *Et pacem Troiano ab rege petendum*. Salluſt. *Agendum, atque obuiam eundum eſt*. ABI CITO, ET SVSPENDE TE. Ad *Hodie*, *Cito* retulit: ad *Vxor tibi ducenda eſt*, *Suſpende te*. INEPTAM SALTEM, FALSAM. Duo comparantur in defenſionem, aut vera, aut ad tempus accommodata. *Ineptum* eſt, quod à quouis reprehendi poteſt. *Falſum*, quod etiam prudentem poſſit fallere.

QVOD SI EGO RESCISSEM. Si mecum communicaſſet prius.

QVID FACEREM. Ipſe ſe reprehendit. QVID FACEREM. ὑποφορά.

VT NE HOC FACEREM. Tacerem. & *nota facerem*, pro tacerem.

SET NVNC. Deliberatio, & partes eius.

AMOR, MISERICORDIA. Hæc oratoria ſunt, enim vnum negotium in multas diſtrahimus partes. DIVERSE TRAHVNT. Pro, in diuerſa trahunt.

AMOR. A neceſſario. MISERICORDIA. ἀπὸ τοῦ αἰτίου. *Miſericordia huius ἀμφιβολία*.

NVPTIARVM SOLICITATIO. A perturbatione. Quibus colligit conſulere ſe non poſſe. *Solicitudo* eſt quæ inhæret mentibus. *Solicitatio* quæ ab alio fit.

TVM PATRIS PVDOR. ἀμφιβολία.

QVI ME TAM. Explanatio, in quo pudendum ſit ſibi apud patrem. Et ad illud ſpectat, *Tute his rebus finem præſcripſti pater*.

EINE EGO. Pronomen hoc vim qualitatis habet. & eſt, An tali, tam bono?

QVI ME TAM LENI PASSVS EST ANIMO. Atqui accuſabat eum. Sed amator eſt.

EGONE VT ADVERSER. Videtur inclinaſſe vt ſecundum patris animum conſiſtat.

ſed

ſed amore ad incerta iterum deuoluitur.

QVORSVM ACCIDAT. Ad quam rem, quo verſus.

SED NVNC PEROPVS EST. Callidati fœmineæ & aſtutiæ ſententia hæc congruit.

CVM IPSA. *Ipſa*, nunc domina mea.

ADVERSVM HVNC. Apud hunc.vt alibi, *Et id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam.*

DVM IN DVBIO EST ANIMVS, Tranſlatio hæc eſt à mole alicuius ponderis, quæ antè, quàm in loco ſederit, cum incerta pendet, facillimè commouetur.

QVIS HIC LOQVITVR? Hoc ſecum. deinde conuerſus, vt vidit, *Myſis ſalue.*

SALVE. Difficile eſt aliud inuenire verbum quod ſic declinetur, *ſalue & ſaluete.* quippe huius verbi per modos eſt rara declinatio.

QVIS HIC LOQVITVR. Principium Terentianum in iungendis perſonis.

O SALVE. O, interiectio optantis aduentum, aut repente perculſi.

QVID AGIT? Amatorie, & familiariter non addidit quæ. Virgil. *Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem.*

ROGAS? Lenta quædam & triſtis eſt reſponſio, & dolore plena.

LABORAT E DOLORE. Duplicem laborem Glycerij eſſe dicit, vnum partitudinis alterum curæ & ſolicitudinis nuptiarum Pamphili. LABORAT E DOLORE. Callide aggreditur iuuenem. nam vtraque propter illum perpetitur, & dolorem & ſolicitudinem.

ATQVE EX HOC. Myſis, quæ contra patrem ſuaſura eſt, incertum inueniens Pamphilum, facilè ad ſe conuertit mentione dominæ ſuæ: & maxime quòd addidit, cur illam ægram eſſe dicat. quare ſtatim perfectum eſt quod volebat, vt dicat Pamphilus, *Egóne iſtuc conari queam?* CONSTITVTAE. Nec addit à patre: ſed inuidioſe quaſi & à Pamphilo ſint conſtitutæ. An timet in negotio?

IN HVNC DIEM. Idem enim dies eſt quo placuerant deſtinatæ nuptiæ, quamuis Chremes renuntiauerat. & ſuprà, *Hic nuptijs dictus eſt dies.*

TVM AVTEM. *Tum*, præterea. SOLICITA EST. *Solicitudo* rerum incertarum magis eſt.

QVOD IN HVNC DIEM SVNT CONSTITVTAE NVPTIAE. Hic certior metus eſt, & grauior. EGONE ISTVC CONARI. Ideo ſic Pamphilus, quia illa inuidioſe non Deſerere cogatis, dixit: ſed, deſeras. EGONE ISTVC CONARI. Non perficere, ſed conari velle aliquid ad ſcelus, effectio eſt, etiamſi non poteſt fieri. hîc enim voluntas, non factum damnatur. vt Virgilius, *Auſi omnes immane nefas, auſóque potiti.* EGONE CONARI. Leuius eſt conari, quàm facere.

EGONE PROPTER ME. Magna vis eſt in pronominibus. & diuerſa ſunt, & ſingula, & non præcipitantur, nec dicuntur vno ſpiritu: ſicut in Eunucho, *Egóne illam, quæ me, quæ illum?* QVAE ILLVM, deeſt, amat: QVAE ME, deeſt, non amat. EGONE. Suadenter. ſubauditur, *vt fieri ſinam.* QVAE MIHI SVVM ANIMVM. Ab eius beneficiis. SVVM ANIMVM Quantum ad amorem pertinet.

ATQVE OMNEM VITAM Hoc eſt, vt maritum ſperaret. QVAE MIHI SVVM ANIMVM, ATQVE OMNEM VITAM CREDIDIT. Argumenta à conſequenti. Si eam deſerit, hæc ſubiiciuntur. QVAM EGO ANIMO EGREGIE CHARAM. *Egregie*, præter cæteras, id eſt nimis. BENE ET PVDICE. Hic illud ſoluitur, *Lana & tela victum quæritans*: vt hoc præſtruat bene & pudice Glycerium eſſe educatam, *Lana & tela victum quæritans.* Et non pertinet ad argumentum, niſi poſt vitam Glycerij intelligas. BENE ET PVDICE. ab honeſto. BENE ET PVDICE EIVS DOCTVM. Hanc ſententiam quaſi de exemplo probat. nàm bene educata eſt à Chryſide, quæ primo pudice vitam, parce, & duriter agebat.

COACTVM EGESTATE. Propterea quòd Chryſis, inopia & cognatorum negligentia coacta. COACTVM EGESTATE. Non paupertate, ſed egeſtate. cui contrarium, *Inopia, & cognatorum negligentia.*

HAVD VEREOR. Acuit animum adoleſcentis contra patrem, cuius etiam nomen graue eſt.

SED VIM VT QVEAS. Hic, VEREOR ſubauditur. VT, pro *ne non* poſuit: vt ſit, Sed vereor ne non queas vim patris ferre. Et ne non poſſis, non damnatio eſt, verum adoleſcentis prouocatio in contemptum patris.

ADEON' ME IGNAVVM. A veriſimili. IGNAVVM Quod aduerſum neceſſitatem proferendum fuit, id primum dixit, adeſſe ſibi virtutem. quæ ſequuntur, ad fidem pertinent. Ita pro tempore contemptum patris pro fortitudine habet. IGNAVVM. *Ignauus* eſt, qui vim non poteſt ferre, qui non eſt perſeuerans.

ADEON' PORRO INGRATVM. *Porro*, coniunctio eſt expletiua, aliàs aduerbium temporis. IGNAVVM ET INGRATVM. αὔξησις eſt, inhumanum aut ferum poſt ſubiecta dixit. ADEON' PORRO INGRATVM, AVT INHVMANVM. Mira omnis conuerſio. non enim dixit. Adeón' me obſequentem patri exiſtimas, adeo gratum, adeo piũ, adeo manſuetum? ita amatoris per omnia ſeruat conditiones, vt oratorie hoc cogatur, ſcelus eſſe ſi pareret nunc patri.

VT NEQVE ME CONSVETVDO. Non ordinem reddit. ferum enim reddit ad manſuetum, quòd etiam feræ manſueſcunt.

NEQVE AMOR. Ad illud, *Inhumanum.* Amor namque vehementior eſt in homines. Virgilius, *Quid iuuenis, magnum cui verſat in oſſibus ignem Durus amor?*

PVDOR. Ad ingratum retulit.

VT NEQVE ME CONSVETVDO, NEQVE AMOR. ἀπόδοσις ad ſuperiora. *Conſuetudo*, aduerſus feritatem. *Amor*, aduerſus inhumanitatem. *Pudor*, aduerſus ingratum animum.

COMMOVEAT NEQVE COMMONEAT. αὔξησις eſt ad maiora.

VT SERVEM FIDEM. Exquiſite: non dixit vt contemnam patrem.

VNVM HOC SCIO. In eodem hæret, vt excitet iuuenem: neque audire ſe fingit quod dicit. VNVM HOC SCIO. Vide quàm callida ſint quæ à Myſide ſubſiciuntur ad irritandam promiſſionem Pamphili. VNVM HOC SCIO. Subiicit illa quæ ardentem incendant magis. nam dixit ille omnia quibus cogitur ſeruare fidem: ſed de merito eius aut nihil dixit, aut parum. VNVM HOC SCIO. Quaſi hoc dicat, Quid tu facturus ſis equidem neſcio, ſed vnum ſcio.

VT MEMOR ESSES SVI. Inuidioſe, quaſi oblito: adeò commouetur hoc dicto Pamphilus. VT MEMOR ESSES SVI. Bene præterito: quoniam quæ præterita ſunt, in recordatione magis lachrymabilia ſunt. vt Virgilius.

——— *Cui paruus Iulus,*

Cui pater, & coniux quondam tua dicta relinquor? Idem alibi,

Per caput hoc iuro, per quod pater antè ſolebat.

O MYSIS, MYSIS. Primum vocandi, alterum increpandi eſt.

ETIAM NVNC SCRIPTA. Id argumentum eſt quàm viuæ memor ſit, qui etiam mortuæ verborum meminerit Chryſidis de Glycerio.

IAM FERME. *Fermè*, aduerbium eſt feſtinantis.

MORIENS ME VOCAT. Ex tempore probauit locutam vera eſſe, non ficta & ſimulata. nam quiſani ſunt, ipſe longioris vitæ adulantur. Virgilius, *Et dulces moriens reminiſcitur Argos.* IAM FERME MORIENS. Affectus à tempore, quod poſtrema vox erat.

ACCESSI. VOS SEMOTAE: NOS SOLI. Figuræ propriæ Terétianæ, ἀσύνδετον καὶ ἔλλειψις. VOS SEMOTAE, deeſt *eſtis*: NOS SOLI, deeſt *remanſimus.* vt eſt illud, *Egóne illam, quæ illum, quæ me?* VOS SEMOTAE: NOS SOLI. Habuit fidem, quod ſoli fuimus, quod nemo teſtis. an timuit, ne hoc pater ante firmatum amorem cognoſceret?

INCIPIT. Deeſt *dicere.* Præparatio, & quaſi veſtibulum orationis eſt. *Inceptio* dicitur orationis, quæ longa taciturnitate, meditate, grauitérque profertur. vt Virg. *Tum pater omnipotens, rerum cui ſumma poteſtas Infit.*

MI PAMPHILE. μίμησις per προσωποποιΐαν. & principium à blandimento. MI PAMPHILE. Imitatus eſt etiam blandimentum Chryſidis. MI PAMPHILE. Vide redditam voci morientis denſis interuallis interruptam orationem, vtpote laſſo anhelitu interueniente.

HVIVS FORMAM ATQVE AETATEM. Amat compendium laſſitudo. *formam* enim dicendo pulcritudinem ſignificat. *ætatem*, quòd parua. HVIVS FORMAM ATQVE AETATEM Duplex cauſa commendationis, *forma* & *ætas*: vt ſuprà, *Forte vnam aſpicio adoleſcentulam Forma*, &c.

VTRAEQVE INVTILES. Legitur &, *vtiles.*

ET AD PVDICITIAM. Propter formam dixit.

ET AD REM TVTANDAM. Propter ætatem *ἀπόδοσις*.

QVOD TE PER. *Quod*, propter quod. vt, *Quod te per ſuperos.* Et eſt ordo, propter quod te oro. PER HANC DEXTRAM. Tenet eum, vt apparet. PER HANC DEXTRAM. Fidei & fœderis membrum. Ad manum fit conuentio.

ET INGENIVM. Legitur &, *genium*

PER HVIVS SOLITVDINEM. Legitur &, *ſolicitudinem*.

OBTESTOR. *Obteſtatio* dicitur quando eum adiuramus quem rogamus. *Oramus* per eas res propter quas rogamus. Virg.

——*per euerſa genitor fumantia Troiæ Excidia obteſtor.*

NE ABS TE HANC SEGREGES, NEV DESERAS. Ad fidem, *ne ſegreges*, retulit: *ad ſolitudinem*, ne deſeras: hoc eſt, ne aliam ducas: aut amare deſinas, etiamſi aliam ducas.

NE ABS TE HANC SEGREGES. Quaſi ipſam manu tenens. *Hanc* propter formam & ætatem. SEGREGES. Hoc verbum ſimplex fieri non poteſt. NEV DESERAS. poſtremo TE OBTESTOR. Sextum παρέλκον dixit enim iam, *Quod ego te per hanc dextram oro.* SI TE IN GERMANI. Sic tunc dicimus, quando præſtitimus aliquid, & tamen nolumus exprobrare. vt Virg. *Si qua tuis vnquam pro me pater Hyrtacus aris Dona tulit.* Et alibi, *Si bene quid de te merui.* IN GERMANI FRATRIS. Non fratris ſolum, ſed etiam germani.

SIVE HÆC TE SOLVM. Si aut te mihi prætulit, aut nullum alium nouerit amatorem in domo meretricis.

MORIGERA. Hoc quaſi amanti vtile fuit. Virg. ——*fuit aut tibi quicquam, Dulce meum.* TE ISTI VIRVM DO. Hæc, vt diximus, & ſingula ſunt, & non præcipitantur, nec dicuntur vno ſpiritu. TE ISTI VIRVM DO. Apparet quòd iunctis dextris hæc dicebat. ideo &, *Per hanc dextram te oro.*

AMICVM. Poteſt enim & maritus eſſe, & non amicus. ſed affectu mariti retulit amicum.

VIRVM. Ne ſegreges. AMICVM. Ne deſeras.

TVTOREM. Quaſi orbæ. PATREM. Quaſi paruæ.

PATREM. Ad illud quod ait, *Et ad pudicitiam.*

BONA NOSTRA TIBI HÆC COMMENDO, ET TVÆ COMMITTO FIDEI. Concluſio per mandatum & obteſtationem efficax ſatis. BONA NOSTRA. Hæc verba quaſi ſupellectilem ſuam oſtendentis ſunt. BONA NOSTRA. Hoc eſt, Ad rem tutandam.

HANC MIHI IN MANVM DAT. Confirmatæ ſunt legitimè nuptiæ per in manum conuentionem. Et mirè *hanc*: non, *huius manum.*

MORS CONTINVO IPSAM OCCVPAT. Quo magis memorem eſſe oportet eorum poſt quæ illa nihil locuta eſt.

ACCEPI. Proprie, quaſi vxorem.

ACCEPTAM SERVABO. Concluſit partem deliberationis ſuæ per electionem.

SED CVR TV. Corripit, quòd abeat ab illa. *Cur*, non interrogantis, ſed corripientis eſt, & increpantis quòd Glycerium deſerat.

OBSTETRICEM. Quæ opem tulerit parienti, *obſtetrix* dicitur: vnde & parturientes *Fer opem*, clamant.

PROPERA, ATQVE AVDIN'? Et interrogatio quò eat, & reuocatio, ad argumentum magni amoris accedit.

VERBVM VNVM CAVE DE NVPTIIS. Deeſt *dicas.* figura ἔλλειψις. DE NVPTIIS. Non quòd hodie futuras neſcierit Glycerium: ſed quòd illas hodie indixerit pater filio: cum ſuprà & Pamphilo & Glycerio diſturbatæ viderentur, Quia ſunt conſtitutæ in hunc diem.

CAVE. Annotant quidam CAVE hic corripiendum eſſe.

NE AD MORBVM HOC ETIAM. Iterum ἔλλειψις, deeſt enim, *accedat.*

ACTVS SECVNDI SCENA PRIMA.

CHARINVS. BYRRIA. PAMPHILVS.

QVID ais Byrria? datúrne illa Pamphilo hodie nuptum? B.ſic eſt.
C.qui ſcis? B.aput forum modo de Dauo audiui. C. vae miſero mihi:
Vt animus in ſpe, atque in timore vſque ante hac attentus fuit;
Ita, poſtquam adempta ſpes eſt, laſſus, cura confectus, ſtupet.
B.Quæſo ædepol Charine, quoniam non poteſt fieri, quod velis,
Id velis quod poßit. C.nihil volo aliud, niſi Philumenam.
B. Ah. quanto ſatius eſt te id dare operam, qui iſtum amorem ex animo amoueas tuo,
Quàm id loqui, quo magis lubido fruſtra incendatur tua.
C.FACILE omnes, quum valemus, recta conſilia ægrotis damus!
Tu ſi hîc ſis aliter ſentias. B.age age, vt lubet. C.ſet Pamphilum
Video. omnia experiri certumſt prius quàm pereo. B. quid hic agit?
C. Ipſum hunc orabo: huic ſupplicabo: amorem huic narrabo meum.
Credo impetrabo, vt aliquot ſaltem nuptijs prodat dies,
Interea fiet aliquid, ſpero. B. id aliquid nihil eſt. C.Byrria,
Quid tibi videtur? adeón' ad eum? B.quid ni? ſi nihil impetres,
Vt te arbitretur ſibi paratum mœchum, ſi illam duxerit?
C. Abin hinc in malam rem cum ſuſpicione iſtac, ſcelus.
P. Charinum video. ſalue. C.ô ſalue Pamphile.
Ad te aduenio, ſpem, ſalutem, auxilium, conſilium expetens.
P. Neque pol conſilij locum habeo, neque auxilij copiam.
Set iſtuc quidnamſt? C.hodie vxorem ducis? P. aiunt. C.Pamphile,
Si id facis, hodie poſtremùm me vides. P.quid ita? C.ei mihi,
Vereor dicere. huic dic quæſo Byrria. B.ego dicam. P.quid eſt?
B. Sponſam hic tuam amat. P.ne iſte haut mecum ſentit. ehodum dic mihi.
Numquidnam amplius tibi cum illa fuit, Charine? C.ah Pamphile,
Nihil. P.quàm vellem. C.nunc te per amicitiam, & per amorē obſecro,
Principio vt ne ducas. P. dabo equidem operam. C.ſet ſi id non potes:
Aut tibi nuptiæ hæ ſunt cordi. P.cordi? C.ſaltem aliquot dies

Profer, dum proficiſcor aliquò, ne videam. P. audi nunc iam:
Ego Charine, neutiquam officium liberi eſſe hominis puto,
Cum is nihil promereat, poſtulare id gratiæ apponi ſibi.
Nuptias effugere ego iſtas malo, quàm tu adipiſcier.
C. Reddidiſti animum. P. nunc ſi quid potes aut tu, aut hic Byrria,
Facite, fingite, inuenite, efficite, quî detur tibi.
Ego id agam, mihi quî ne detur. C. ſat habeo. P. Dauum optume
Video, cuius conſilio fretus ſum. C. at tu hercle haut quidquam mihi,
Niſi ea, quæ nihil opus ſunt ſcire. fugin' hinc? B. ego verò, ac lubens.

QVID AIS BYRRIA? In hoc colloquio altera pars oſtenditur fabulæ. Siquidem Andria ex duorum adoleſcentium pauoribus, gaudiíſque componitur, cum ferè ſolam Hecyram Terentius ex vnius comœdia adoleſcentis effecerit.

QVID AIS BYRRIA? Has perſonas Terentius addidit fabulæ. nam non ſunt apud Menandrum, ne τραγικώτερον fieret Philumenam ſpretam relinquere ſine ſponſo, Pamphilo aliam ducente. QVID AIS BYRRIA? DATVRNE ILLA. Ex verbis Charini apparet Byrriam nuntiaſſe nuptias futuras cum Pamphilo: nec adducitur tamen vt ſtatim credat, & accommodet animum. Sæpius ergo repetit interrogando. Et bene ILLA velut amatorie, de certa loqueretur perſona. Sic Virgilius, ——— *ſolam nam perfidus ille Te colere, arcanos etiam tibi credere ſenſus.* Ergo non Æneas, ſed ille. Et item hæc, non *Philumena*, ſed illa dixit. QVID AIS BYRRIA? Miratur magis, quàm interrogat, vel potius indignatur.

SIC EST. Hoc cum indignatione ſtomachi dixit.

QVI SCIS? Non vult enim verum eſſe. *Quî*, quatenus, vnde hoc ſcis?

APVD FORVM. De loco. De tempore modo. De perſona, *De Dauo.*

APVD FORVM MODO DE DAVO AVDIVI. Plurima dixit ad confirmandum Byrria, quando interrogatus eſt, à loco, à tempore, à perſona.

VAE MISERO. Tandem aliquando peruictus eſt vt crederet. VAE interiectio in his rebus quas execramur.

VSQVE ANTE HAC. Id eſt antè, quàm tua verba audirem. & duas præpoſitiones poſuit vt dicitur: ſed vna eſt tantùm velut aduerbium, non iam præpoſitio. VSQVE ANTE HAC ATTENTVS FVIT. Nulla præpoſitio præpoſitioni adiungi ſeparatim poteſt. *Vſque*, eiuſmodi eſt, vt ſine aliqua præpoſitione raro inueniatur.

ATTENTVS FVIT. Vt attentus audire dicitur.

LASSVS, CVRA CONFECTVS, STVPET. *Laſſus cura*, ex præterita ſpe, nunc *Confectus*, id eſt ſic vulneratus, aut percuſſus, vt ſanari non poſſit. LASSVS CVRA CONFECTVS, STVPET. *Laſſus*, adempta attentione. *Cura confectus*, confirmato timore. *Stupet*, abiecta ſpe. QVAESO AEDEPOL. Obiurgantis eſt. *Quæſo*, vel etiam rogantis.

QVONIAM NON POTEST. Conſolatio ad id quod fieri non poteſt, ſuadens.

ID VELIS QVOD POSSIT. Prouerbiale.

NIHIL ALIVD. Hoc magis gemitu amatorio quàm vt reſponderet Byrriæ, dicit: quaſi magis Philumenam velit, quàm vitam & lucem. Idem alibi, *In eo me oblecto: ſolum id eſt charum mihi.* Non enim dixit, Nullam volo aliam quàm Philumenam: ſed Nihil volo aliud. quod infinitum eſt. QVI ISTVM. *Qui*, pro vt.

EX ANIMO DIMOVEAS. Legitur *ex corde eijcias.*

TV SI HIC SIS. Hoc geſtu ſcenico melius commendatur. Nam hæc magis ſpectatoribus quàm lectoribus ſcripta ſunt. Hic ergo ſeipſum oſtendens, dicit. & eſt HIC pronomen. SED PAMPHILVM. *Sed*, inceptiuum pro atque, eccum Pamphilum: vt Salluſtius, *Sed Metellus in vulnere.* Hoc non diſcretiuum: vt ſi dicas ſapiens, ſed miſer: hic enim diſcretiuum erit. SED PAMPHILVM VIDEO. Hæc per ἀποστροφὴν finguntur.

AGE AGE VT LVBET. Aduerſus hæc non habuit quid loqueretur. & eſt permiſſio reprobantis ea quæ conſentit. OMNIA EXPERIRI. Idem alibi, *Omnia prius experiri, quàm armis, ſapientem decet.* Virgilius hanc quoque poſuit ſententiam, *Ne quid inexpertum fruſtra moritura relinquat.* IPSVM HVNC. Bene *ipſum*, quaſi authorem & principem. refertur etiam ad dignitatem. ORABO: HVIC SVPPLICABO. *Oramus* quæ bona ſunt: *Supplicamus* in aduerſis magis, vel cum lachrymis. HVNC ORABO, HVIC SVPPLICABO. Procemia ſunt petitionis, quibus oſtendit poëta rationem, qua noua & improba res, tamen petitur. AMOREM HVIC NARRABO MEVM. Non ſtudium, aut voluntatem: ſed amorem. Nec petam, ſed NARRABO dixit: totum magnifice.

VT ALIQVOT SALTEM PRODAT DIES. *Saltem*, deſperatis rebus ſolam petentes ſalutem, hoc verbo vtimur. *Prodat* verò, proferat, prolatet, differat. Lucilius in quinto, *An porrò prodenda dies ſit?* INTEREA FIET ALIQVID. Tale eſt hoc, quale illud, *Interea aliquid accidet boni.* Sed nihil illum dixiſſe poëta per ſeruum oſtendit, dicendo, *Id aliquid nihil eſt.* FIET ALIQVID. Vt ſuprà, *Impetrabo.* ADIÓN' AD EVM. Conſuetudine magis quàm ratione dicitur. vnum enim AD abundat.

QVID, NISI NIHIL, IMPETRES. aut, *Quid ni? ſi nihil impetres. vt te.* &c. In vtroque idem ſenſus eſt: ſed ſuperior per ἐρώτησιν, inferior per ſimplicem explanationem ſoluitur. Etſi QVIN NI legitur, ſubaudiendum, adeas: vt ſit, Quid ni adeas? vt ſi nihil impetres, te arbitretur paratum mœchum, ſi illam duxerit. SI NIHIL IMPETRES. *Impetres* per ἀντιλογίαν dictum videtur, pro *petas.* quoniam petitionem ſæpè impetratio ſequitur. CHARINVM VIDEO. Non imperite Pamphilum priorem loqui fecit, ſed vt fiduciam det Charino loquendi: quod & Virgilius eleganter, *Heus, inquit, iuuenes monſtrate, mearum Vidiſtis ſi quam hic errantem forte ſororum.* CHARINVM VIDEO. Ad hoc prior incipit Pamphilus, vt ad confeſſionem Charino minus clauſa præ pudore ſit via.

SALVTEM, AVXILIVM, CONSILIVM EXPETENS. Vt in petitionibus fieri ſolet, beneficium petens, vtitur partibus deliberatiuæ. CONSILIVM EXPETENS. Eleganter: quoniam demens & improbum eſt quod petit, nouiſſimum poſuit conſilium: vt ſi non poſſit concedi: vel conſilium expetat ad ſanandam dementiam. Cicero, *Tu das ſalutem, qui ſpem dediſti.* NEQVE POL CONSILII LOCVM HABEO, NEQVE AVXILII COPIAM. Apud amantem neque conſilij facultas: apud inopem neque copia auxilij. His duobus oſtendit etiam ſeſe amatorem. Neque pol conſilij locum habeo, quia amo: neque auxilij, quia ſum miſer.

SED ISTVD QVIDNAM EST? Hoc ſi non adderet, locus confitendi amoris Charino nullus fuiſſet. HODIE VXOREM DVCIS? Vide miram interrogationem ante confeſſionem.

AIVNT. De ea re dicimus, quam volumus eſſe falſam.

SI ID FACIS. Nihil priùs, quàm ſe moriturum dixit, pudenda dicturus. Inde datum eſt, vt ille inſtantius quæreret cauſam.

HODIE POSTREMVM. Plus dixit, quàm ſi dixiſſet, *Morior hodie.* HODIE POSTREMVM. A neceſſario: quia viuere non poteſt. Et *poſtremùm*, aduerbium eſt.

SPONSAM HIC TVAM AMAT. Nulla cunctatione Byrria, ſed facete, παῤῥησίᾳ ſeruili paratiſſime narrat. SPONSAM HIC TVAM AMAT. Callide & *ſponſam*, & *amat*: hoc eſt, neque adhuc vxor tua eſt, neque aliquid admiſit, quia amat tantùm.

NAE ISTE HAVT. *Næ*, valde: vt & Cicero, *Næ illi vehementer errant.* Senſus hic eſt, Non id amat quod amo, nec id odio habet quod odi. hoc eſt, valde iſte, inquit, non mecum ſentit: id amat quod ego odi. NAE ISTE HAVT MECVM SENTIT. *Næ*, valde: aut vt quidam volunt, *ô quàm.* Lucilius in x, *Næ in arce bouem diſcerpſi magnifice, inquit.*

NVNQVIDNAM AMPLIVS TIBI CVM ILLA FVIT? Artificioſe perſonam expreſſit Terentius nuptias recuſantem: & ſimul τὸ πρέπον virgini ſeruauit.

QVAM VELLEM. Vtique vt eſſet cauſa recuſandæ.

PER AMICITIAM. Suam & Pamphili.

ET PER AMOREM. Suum tantùm circa virginem.

VT NE DVCAS. Sufficeret dixiſſe, *ne ducas.*

DABO EQVIDEM OPERAM. Plus illi promiſit, quàm ille popoſcit. DABO EQVIDEM OPERAM. Pronuntiatione leuandum eſt. Plus enim dixit, *dabo operam*: quàm ſi diceret, *non ducam.* NON POTEST. Deeſt, *fieri*, & hoc ad patrem retulit.

AVT TIBI NVPTIAE HAE SVNT CORDI. Hoc ad Pamphilum pertinet. non enim vnum & idem eſt. nam ſi idem eſſet: *nuptiæ hae ſunt tibi cordi*, ſuperuacuum eſſet additum. CORDI. Animo, acute.

SALTEM ALIQVOT DIES PROFER. Primo quæ maiora ſunt, petit: poſtremo quæ ex his videntur minima: & hoc arte. vt, *Incute vim ventis, ſubmerſáſque obrue puppes.* Et ad poſtremum, *Aut age diuerſas, & diſiice corpora ponto.* PROFER. Prolata, produc, differ.

ALIQVO NE VIDEAM. *Aliquo* dixit, vt exilium eſſet incertum.

AVDI NVNC IAM. Correptio impatientis, qui non ſuſtineat audire de exilio.

EGO CHARINE. Sententiæ quæ ex pronominibus incipiunt, fera ſemper, ſed vera promittunt. Virgilius, *Me natam nulli veterum ſociare procorum Fas erat.* EGO CHARINE, NEVTIQVAM OFFICIVM. Senſus hic eſt, Non puto, inquit, hominem liberum, qui cum nihil præſtet, haberi gratiam ſibi poſcat. ergo cum tibi nihil præſtem, nolo mihi gratias agas. non enim tui cauſa fugio, quòd prius quàm me peteres, magis nolebam ducere, quàm tu cupis. NEVTIQVAM. Vna pars eſt orationis, pro nequaquam. Aut alio modo dicitur, cum his nihil promereat, id eſt præſtet. vt Virgilius, *Quique ſui memores alios fecere merendo.* &, ——— *nunquam regina negabo Promeritam.* E contrario lædit: *Quid commerui, aut peccaui pater?*

CVM IS NIHIL PROMEREAT. *Mereri*, eſt aliquid mercedis pro labore ſumere. cum dicimus, *Nihil meretur*, hoc intelligitur, nihil mercedis dignus eſt accipere. CVM IS NIHIL PROMEREAT. Laboret, vel mereatur, vel mercedis petere debeat. vt, *Quid meret Machæra?* Plautus in Pſeudolo.

ID GRATIAE APPONI SIBI. Addi in gratiam ſuam, id eſt ſibi gratiam merere.

NVPTIAS EFFVGERE. Interpoſita diſtinctione, vultuoſe hoc dicitur, hoc eſt cũ geſtu.

REDDIDISTI ANIMVM. Plus dici non potuit.

AVT TV AVT HIC BYRRIA. Hic δεικτικῶς quaſi efficaciorem oſtẽdit. ergo ad comparationem alterius refertur.

FACITE, FINGITE, INVENITE, EFFICITE. *Fit* quod verum eſt *Fingitur* quod falſum eſt. Inuenitur, ne temere fiat. *Inuenite* ergo, agite dicit poſt cogitationem. EFFICITE. id eſt in effectum perducite. Salluſtius, *Nam & prius quàm incipias, conſulto: & vbi conſulueris, maturè facto opus eſt.* FACITE, FINGITE, INVENITE. Mirè expreſſit Pamphili animum nuptias metuentis, cui quicquid dixerit, parum eſt.

EGO ID AGAM, MIHI QVI NE DETVR. Non dixit, *ego non inſtabo vt ducam*: ſed, quod eſt amplius. & recte vtriuſque opera opus. non enim continuo ducet Charinus, ſi non duxerit Pamphilus. QVI DETVR. *Qui* pro quemadmodum. NE MIHI. Veteres frequenter NE pro NON dicebant.

SAT HABEO. Sic antiqui pro ſufficit, *ſat habeo* dicebant. an vel abundat?

AT TV HERCLE. Deeſt, affers, dicis, nuntias.

NISI EA QVAE. Hoc eſt, ——— *daturne illa hodie Pamphilo Nuptum? B ſic eſt. C. qui ſcis? B. apud forum modo De Dauo audiui.* Quod memor eſt Charinus ſe non libenter audiſſe.

FVGIN' HINC. Comminantis eſt, & abigentis à ſe.

EGO VERO, AC LVBENS. Nemo lubenter fugit, niſi coactus neceſſitate. Hic, etiã *lubens* dixit, quod eſt, lubenter.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

DAVVS. CHARINVS. PAMPHILVS.

*DI BONI, boni quid porto! ſet vbi inueniam Pamphilum:
Vt metum, in quo nunc eſt, adimam: atque expleam animum gaudio?*
C. Laetus eſt, neſcio quid. P. nihil eſt: nondum haec reſciuit mala.
D. Quem ego nunc credo, ſi iam audierit ſibi paratas nuptias.
C. Audin' tu illum? D. toto me oppido exanimatum quaerere.
Set vbi quaeram? aut quò nunc primum intendam? C. ceſſas adloqui?
D. Abeo. C. Daue: ades. reſiſte. D. quis homoſt, qui me? ô Pamphile,
Te ipſum quaero. euge Charine. ambo opportune. vos volo.
C. Daue, perij. D. quin tu hoc audi. C. interij. D. quid timeas ſcio.
P. Mea quidem hercle certe in dubio vitaſt. D. & quid tu, ſcio.
P. Nuptiae mihi. D. etſi ſcio. P. hodie. D. optundis, tametſi intellego.
Id paues, ne ducas tu illam. tu autem vt ducas. C. rem tenes.
P. Iſtuc ipſum. D. atque iſtuc ipſum, nihil pericli eſt: me vide.
P. Obſecro te, quàm primum hoc me libera miſerum metu. D. hem.
Libero. vxorem tibi non dat iam Chremes. P. quî ſcis? D. ſcio.
Tuus pater modo me prehendit. ait tibi vxorem dare ſeſe
Hodie: item alia multa, quae nunc non eſt narrandi locus.
Continuo ad te properans percurro ad forum, vt dicam tibi haec.
Vbi te non inuenio, ibi aſcendo in quendam excelſum locum.
Circumſpicio, nuſquam. fortè ibi huius video Byrriam.
Rogo. negat vidiſſe. mihi moleſtum. quid agam, cogito.
Redeunti interea ex ipſa re mihi incidit ſuſpicio. hem,
Paululum obſoni. ipſus triſtis. de-improuiſo nuptiae.
Non cohaerēt. P. quorſum nam iſtuc? D. ego me continuo ad Chremem:
Quum illoc aduenio, ſolitudo ante oſtium. iam id gaudeo.
C. Recte dicis. P. perge. D. maneo. interea introire neminem
Video, exire neminem: matronam nullam. in aedibus
Nihil ornati, nihil tumulti. acceſſi: intrò aſpexi. P. ſcio.
Magnum ſignum. D. num videntur conuenire haec nuptijs?
P. Non opinor Daue. D. opinor. narras? non recte accipis.
Certa res eſt. etiam puerum inde abiens conueni Chremis,
Olera, & piſciculos minutos ferre obolo in caenam ſeni.

C. Liberatus

C. Liberatus ſum hodie Daue tua opera. D. ac nullus quidem.
C. Quid ita? nempe huic prorſus illam non dat. D. ridiculum caput.
Quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam vxorem ducere:
Niſi vides, niſi ſenis amicos oras, ambis. C. bene mones.
Ibo; etſi hercle ſaepe iam me ſpes haec fruſtrata eſt. Vale.

DI BONI Hæc ſcena conſilium continet perſonarum, ad quas maximè pertinet argumentum. Et hic eſt locus in quo, vt fieri ſolet, fortuna miſta rebus diſpoſitis, magnas turbas dat. DI BONI, BONI QVID PORTO. Non mirum quòd inſolentius Dauus exultat, qui, vt Simo dicebat, timidus fuit, vt ipſe Dauus, etiam deſperauit ex nuptiarum terrore, quas nunc falſas comperit. DI BONI, BONI QVID PORTO. Ex proximo repetiuit bis: ſed tamen alterum nominatiuo plurali: alterum, genitiuo ſingulari dictum eſt.

QVID PORTO. Non ſolum corpore, ſed etiam animo portamus tam bona, quàm mala. Sic alibi, *Ne quid Andria apportet mali.*

VT METVM IN QVO NVNC EST, ADIMAM, ATQVE EXPLEAM ANIMVM GAVDIO. Ordine locutus eſt. prius enim metum adimere, ſic demum gaudio perfundere. Hic ordo etiam in laude ſeruatur.

NESCIO QVID. Deeſt *propter*: vt ſit, propter neſcio quid. QVID. aduerbiale.

EXANIMATVM. Perterritum, perturbatum.

SED VBI QVAERAM? Nunc in omnes ſe partes verſat, quærens quò dirigat curſum.

HABEO. Videtur quaſi conſtitiſſe: deinde quaſi elegiſſe quò pergat. *Habeo* per H inuenı. legitur & *abeo*: vti meritò illi dicatur, *Reſiste.*

QVIS HOMO EST QVI ME? ô PAMPHILE. Antè videt, quàm compleat orationem.

EVGE CHARINE. *Euge*, modò pro interiectione poſitum eſt.

OPPORTVNE. Deeſt, *adeſtis*: non, opportunè vos volo.

DAVE, PERII. Proprium eſt dolentibus præfeſtinare adiudicanda quæ dolent. ἀπολέμφασις. Habet nonnullum affectum quod addidit, *Daue.*

QVIN TV. *Quin* modò pro imò; aliàs, cur non?

MEA QVIDEM HERCLE. Videtur Charinus plus dixiſſe, *Perii*, quàm Pamphilus, *Mea quidem hercle certe in dubio eſt vita.* Sed non eſt hoc. plus enim Pamphilus dixit. Nam qui viuit, non poteſt interiiſſe: is autem qui viuit, vitam poteſt in dubio habere. Ideò & iurauit HERCLE: & affirmans iuſiurandum CERTE addidit. Bene CERTE: quaſi illud INTERII, falſum ſit. Ita Pamphilus plus fecit periturum ſe eſſe dicendo, quàm Charinus interiiſſe. ET TV QVID, SCIO. Mira compendia, quæ contrahit Poëta longitudine fabulæ: nec tamen perdit affectus perſonarum. ET TV QVID. Deeſt, *timeas.*

ET ID SCIO. ἐν ὑποκρίσει tanquam dicat, nihil eſt. ET ID SCIO. Legitur, *etſi ſcio.*

HODIE. Tempus addidit, tanquam rem ſciens.

OBTVNDIS. Sæpe repetendo dicere, *Obtundere* eſt. tranſlatio à fabris, qui ſæpe repetunt tundendo aliquid malleo, & idem obtundunt & hebetant. OBTVNDIS TAMETSI. Poteſt eſſe ἀναστροφὴ: ſed ſincerius eſt, & melius ſubdiſtinguere.

IN PAVES. Deeſt OB: vt ſit *ob id.* hoc autem Pamphilo dicit.

TV AVTEM, VT DVCAS. Pro ne non, VT poſuit. Hoc, Charino.

ATQVE ISTVC IPSVM. ἐν ὑποκρίσει. Ille enim hoc idem dixerat cum exclamatione: quod quaſi vanum contemnit. ME VIDE. Verum lætus ſum? an, me ſpecta fidei datorem? vt dici ſolet, *me habe*, *me reſpice.* OBSECRO TE, QVAM PRIMVM HOC ME LIBERA MISERVM METV. Cum precibus & tempus admiſcuit. Et bene LIBERA. perfecta enim ſecuritas, *liberatio* nominatur. HEM. Ecce. demonſtratio eſt facti.

VXOREM TIBI NON DAT IAM CHREMES, Oratorie à ſumma cœpit: cuius partes, multis dicentur. IAM NON DAT. Bene IAM. quod ſi non dixiſſet, intelligeret Pamphilus vel poſtea Chremetem filiam eſſe daturum. Sed addito IAM, plena ſecuritas eſt. IAM enim, renuntiatio eſt perpetuitatis.

SCIO. Præparatio eſt auditoris ad eam narrationem, quæ oſtendit argumenta falſarum nuptiarum. ME PREHENDIT. Pro *prendit*. Addita aſpiratione geminauit ſyllabam. Et *prehendit* dixit, quaſi vitantem ac fugientem.

AIT TIBI. *Ait* propriè? quia contemnenda dicuntur. AIT TIBI VXOREM DARE SE. Coniecturam facit ex malis quæ præceſſerunt. AIT TIBI VXOREM DARE SE. Dicit cur primò crediderit veras, dicturus ſubinde cur falſas.

ITEM ALIA MVLTA. Bene diſtulit narrationem, ne ſi audirent Charinus & Byrria, deſinant dolos ſtruere aduerſum vigilantiſſimum ſenem. ITEM ALIA MVLTA. Commoda narratio à neceſſariis tantùm. Minas autem ſenis prætermiſit, ne corrumperet bona quæ nuntiabat. QVÆ NVNC NON EST NARRANDI LOCVS. Non vult dicere, quàm minaciter ſecum egerit ſenex, quámque inſtet nuptiis, ne Charinum Byrriámque de ſpe deiiciat, quos vult ſecum adniti, ne vxorem Pamphilus ducat. QVAE NVNC. Argumentum eſt, quæſiere potuiſſe eum qui ſit territus. nam timor curam parit. NARRANDI LOCVS. Modò tempus, ſpatium.

PROPERANS PERCVRRO. Vide quantum dixerit, *Properans & percurro*, vt continuationem curſus oſtenderet.

VBI TE NON INVENIO. *Vbi*, modò non eſt aduerbium loci, ſed temporis, pro *poſtquam*. VBI TE NON INVENIO, IBI. A ſummo ad imum diuiſiones, quibus dicta & facta continentur: ſub quòrum genere ſunt ſpecies nunc dictorum, nunc factorum, cum conſideratione rerum perſonarúmque. NVSQVAM. Deeſt, *vidi*.

VIDEO BYRRIAM. Deeſt *ſeruum*, & rectè. dixerat enim, *Apud forum modo de Dauo audiui*. ROGO. NEGAT VIDISSE. Mira breuitas, & imitanda.

PAVLVLVM OBSONI. Hinc eſt quod ait, *Nimium parce facere ſumptum*.

IPSVS TRISTIS DE IMPROVISO NVPTIAE. Mire, & moraliter. ex his enim quæ facta non ſunt, docet quid feciſſe deberet. &, *de improuiſo nuptiæ*, pronuntiandum.

EGO ME CONTINVO. Et bene *continuo* ad Chremem: vt ſi ab vtroque hoc fieret, eſſet vera ſuſpicio Daui. EGO ME CONTINVO. Deeſt, *duco*. Conſuetudine dictum eſt, ἐλλειπτικῶς. EGOMET. Vna pars orationis eſt.

CHREMEM. *Chremem & Chremetem*, vt *Darem & Daretem*.

SOLITVDO ANTE OSTIVM. Signa ab his quæ ſunt, quæ non eſſe deceret.

IAM ID GAVDEO. Quaſi aduerſum, & non conſentientem Pamphilum, excitat ad gaudium lætitia ſua. IAM ID GAVDEO. Sic Virgilius, *Cum venit, aulæis iam ſe regina ſuperbis*. RECTE DICIS, PERGE. Vultu enuntiandum. Hoc dicit Pamphilus.

MANEO. *Ne*, At parum temporis fuiſti.

INTEREA. Temporis longi ſignificatio.

INTROIRE NEMINEM. A non factis.

EXIRE NEMINEM. Quid ſi intus erant? ideò ait, *exire neminem*.

NIHIL ORNATI. ἀρχαϊσμός. Sic Salluſtius, *Ergo Senati decreto ſeruiendúmne ſit*.

SIGNVM. Proprie pro argumento. NVM VIDENTVR. A conſequentibus argumentum. NON OPINOR. Ille opinionem accommodat tantùm, hic multum tribuit coniecturis. NON OPINOR. Quoniam argumenta ſunt & coniecturæ, *opinor* dixit. Nam contra opinionem, certa res eſt. quæ autem opinamur, putamus: quæ putamus, incerta ſunt. OPINOR NARRAS? Bene à prima ad ſecundam perſonam.

ETIAM PVERVM. *Etiam* pro præterea.

CHREMI. Sic *Chremi*, vt *Vlyſſi*, & *Achilli*.

OLERA ET PISCICVLOS MINVTOS. Sufficeret diminutiuè *piſciculos* dixiſſe. Quòd ſic, *minutos* dixit: & *pretium*, obolo eſſe emptos: quæ eſt vltima nummorum ſignificatio. Sunt enim genera minutorum piſcium quæ magno væneant. Hic ergo etiam ex pretio viliſſimos piſces ſignificauit. Et, quid ſi minutos, ſed omnibus? Seni dixit, vt obſonationis oſtenderet cautum. OLERA ET PISCICVLOS. Quod ſuprà generaliter, *paululum obſoni*. hic ſpecialiter dixit.

IN COENAM SENI. Mire SENI, cuius eſt maior cura domi.

NVLLVS. Pro, *non*: vt alibi, *Nullus dixeris*.

QVID ITA. Vna pars orationis.

Ridicvlvm capvt. Pro toto homine. nemo enim ore contempto, ex aliis membris hominem velit ſignificare. & eſt συνεκδοχὴ τρόπος.

Qvasi Necesse sit, si hvic non det, te illam vxorem dvcere. Oſtédit ἐνθύμημα vitioſum hoc eſſe, in quo, altero ſublato, non neceſſario alterum relinquatur.

Nisi vides, nisi senis amicos oras, ambis. Hoc laborat Dauus, quemadmodum Philumenam Charinus propriis laboribus promereatur vxorem. Nisi vides, nisi senis amicos oras, Artificioſe Dauus Charinum excitat, vt ſi fieri poſſit, adiuuetur negotium Pamphili, dum ille ſibi prouidet. Nisi vides. Prouides.

Ambis. Magnarum rerum deſiderium & appetitus, *ambitio* dicitur. Cònfirmata re à factis & à perſonis, deliberatiua naſcitur.

Actvs secvndi scena III.

PAMPHILVS. DAVVS.

QVID igitur ſibi volt pater? cur ſimulat? D. ego dicam tibi.
Si id ſuccenſeat nunc, quia non dat tibi vxorem Chremes,
Ipſius ſibi eſſè iniurius videatur, neque id iniuria,
Prius, quàm tuum vt ſeſe habeat, animum ad nuptias perſpexerit.
Set ſi tu negaris ducere, ibi culpam in te transferet.
Tum illae turbae fient. P. quid vis patiar? D. pater eſt, Pamphile.
Difficile eſt. tum haec ſolaſt mulier: dictum ac factum inuenerit
Aliquam cauſam, quamobrem eiciat oppido. P. eiciat? D. cito.
P. Cedò igitur, quid faciam Daue? D. dic te ducturum. P. hem. D. quid eſt?
P. Egóne dicam? D. cur non? P. nunquam faciam. D. ne nega.
P. Suadere noli. D. ex ea re quid fiat, vide.
P. Vt ab illa excludar, huc concludar. D. non ita eſt.
Nempe hoc ſic eſſe opinor dicturum patrem,
Ducas volo hodie vxorem. tu, ducam, inquies.
Cedò, quid iurgabit tecum? hic reddes omnia,
Quæ nunc ſunt certa ei conſilia, incerta vt ſient,
Sine omni periclo. nam hocce haut dubium eſt, quin Chremes
Tibi non det gnatam, nec tu ea cauſa minueris
Haec quae facis: ne is mutet ſuam ſententiam.
Patri dic velle: vt cum velit tibi iure iraſci, non queat.
Nam quod tu ſperes, propulſabo facilè. vxorem his moribus
Dabit nemo. inueniet inopem potius, quàm te corrumpi ſinat.
Set ſi te æquo animo ferre accipiet, neclegentem féceris.
Alia otioſus quæret. interea aliquid acciderit boni.

P. Itán credis? D. haut dubium id quidemſt. P. vide qi ò me inducas.
D. quin taces?
P. Dicam. puerum autem ne reſciſcat mihi eſſe ex illa cautio eſt:
Nam pollicitus ſum ſuſcepturum. D. o facinus audax! P. hanc fidem
Sibi, me obſecrauit, quî ſe ſciret non deſerturum, vt darem.
D. Curabitur. ſet pater adeſt, caue, te eſſe triſtem ſentiat.

QVID IGITVR SIBI VOLT PATER. Hæc ſcena deliberationem continet Daui & Pamphili. Et bene IGITVR. ſi enim falſæ ſunt nuptiæ, quid cogita? ſtomachosè enim hoc dixit SIBI VOLT. Virgilius. *Quid vult concurſus ad amnem?*

SI ID. *Id*, ob id, propter id.

NEQVE ID INIVRIA. Id eſt, vſque adeò iniuſtus ſibi videbitur, vt ſe iniuſtitiæ ipſe condemnet. Perſpexerit. *Perſpicere* eſt ad plenum & perfectum videre.

TVM ILLAE TVRBAE. τὸ *Illæ* ad teriorem retulit.

QVID VIS PATIAR? Hoc eſt patiárne vxorem ducere? QVIS VIS PATIAR? Sunt qui *quid vis*, pro, quicquid euenerit, intelligant: quia dixerat, *Adeón' me ignauum putas?* Alij pronuntiant, vt ſit ſenſus, Quid me vis facere? an vt hoc patiar, vxoré mihi dari?

PATER EST PAMPHILE. Hoc vultuosè pronuntiandum eſt, & mire pater dixit: vt ipſo nomine videatur habere authoritatem: & veluti dormitantem & oblitum poteſtatis paternæ, his tribus excitat; Pater eſt Pãphile, difficile eſt, hæc ſola eſt mulier. PATER EST. A neceſſario argumentum. DIFFICILE EST. Hoc eſt reſiſtere, contradicere. Pamphilo difficile, perniciosum Glycerio. DIFFICILE EST. ἀποσιώπησις cum vultu. Deeſt *reſiſtere*. SOLA. Sine auxilio, ac per hoc deſerta. *Sola* autem, ſine defenſoribus propriis. & *ſola* & *Mulier* dixit.

DICTVM AC FACTVM. Prouerbium celeritatis, id eſt cito.

INVENERIT. Pro inueniet. Coniunctiuo modo pro indicatiuo vſus eſt: & eſt honeſta locutio. QVAMOBREM EIICIAT OPPIDO. Callide ad eius periculum ſe conuertit, cui plus amator timet, quàm ſibi. ideò vincitur ſtatim. Apparet autem Dauum malè ſuadere, qui tum caueat Pamphilo, cum maximè formidat ſenem. OPPIDO. Ex ciuitate. EIICIAT. Miratur & ſtupet.

CITO. Illo admirante, hic etiam confirmauit. addidit & tempus celeritatis.

CEDO. Singularis tantùm numeri eſt: cætera pluralis, vt *Salue, ſaluete*.

DIC TE DVCTVRVM. Pronuntia, *dic*: quaſi rem facilem, & nullius præiudicij. DIC TE DVCTVRVM. Hoc eſt, quod ab initio nitebatur.

EGÓNE DICAM? τὸ *Ego*, ἔμφασιν habet: hoc eſt, vel quem non oporteat dicere, vel quem non conueniat fallere, atque mentiri.

CVR NON? Non interrogat, ſed facilitatem rei oſtendit.

NVNQVAM. Plus habet negationis, quàm *non*.

EX EA RE QVID FIAT VIDE. ἀπὸ τῆς ἐμβάσεως

VT AB ILLA EXCLVDAR, HAC CONCLVDAR. Mire hanc cum pronomine ſignificat, dicens *ab illa*. Illi nec ſexum ſeruauit, ne vxor eſſe videatur. Et ex ferarum tranſlatione *concludar* dixit, vt alibi, *Conclusam hic habeo vxorem ſæuam*. VT AB ILLA EXCLVDAR, ἐν ὑποκρίσει: nam aliud infert atque intelligit Dauum dicere.

NEMPE HOC SIC ESSE. Coniectura atque diuinatio, an hoc, an illud venturum ſit. NEMPE HOC SIC ESSE OPINOR. Ab imitatione (μίμησις enim dicitur) deducitur. NEMPE HOC. A poſt[illegible]li.

CEDO. *Cedo* ſingulariter tantùm: cætera pluraliter. CEDO QVID IVRGABIT. Ab vtili. HIC REDDES OMNIA. *Hic* aduerbium loci non eſt, ſed aduerbium temporis. vt Virgilius, *Hic annis grauis atque animi maturus Alethes*. REDDES. Facies, reſtitues.

INCERTA VT SIENT. Hic eſt euentus.

SINE OMNI PERICVLO. Hoc eſt, ſine ducenda Philumena.

Nec tu ea cauſa minueris. Hoc eſt quod ſuprà, *Id mutauit, quoniam me immutatum videt.* Nec tu ea cauſa. Quia promiſeris te eſſe ducturum.

Ne is. Chremes ſcilicet. Ne is mutet. Ad conſilium redit, & coniungit euentum. Patri dic velle: ut, cum velit. Scilicet ne ſecurus quòd non ſit Chremes daturus filiam ſuam, parui faciat iram patris, & neget vxorem ducere, vtpote fretus neminem alium ſibi commiſſurum coniugem.

Nam quod tu ſperes. Sunt qui pro *ſperes*, *timeas* habeant: vt ſit, Nam quòd tu timeas ſcilicet alium daturum.

Propulſabo. Hoc eſt cautam inanem eſſe monſtrabo. id eſt oſtendam nihilominus te eſſe ducturum aliam vxorem, etiam ſi hanc non duxeris. Propulſabo. Eleganter, pro eo quod eſt *repellam*.

Vxorem his moribus dabit nemo. Ne alteram quærat. His moribus. Deeſt aliquid. vt ſit, his moribus agenti, aut his moribus prædito.

Inueniet inopem. ὑπερφορὰ ἐφικτικῆς, Sed nec inopem quærat. Inueniet. Sunt qui κατ' ἀντιφορὰν dici putant. *Inueniet inopem.*

Neglegentem feceris. Hoc eſt, etiam in paratis nuptiis.

Aliam otioſus. Ex otio. hoc eſt ſecurus.

Interea aliquid boni acciderit. Scilicet ne querendo inueniet. Interea aliquid. Mortem patris adoleſcentis in delicto pro bono ſeruus oſtentat. Acciderit. Et ad cauſam refertur: & certè quia mortem patris bonum denuntiat. Acciderit. Nota *acciderit* etiam pro bono, & ab hoc, & apud veteres frequentatum.

Haut dubium. Plus intulit, quàm eſt interrogatus.

Inducas. In eadem tranſlatione permanſit, quia ſuprà dixit, *Hac concludar*, Bona οἰκονομία, vt mox iuſte Dauo ſuccenſeat Pamphilus.

Quin taces? dicam. Cur non ſecurus es? ſignificat iam nunc *tacere*, ſecurum eſſe. vt in Adelph. *Tace, egomet conueniam Pamphilum.* Et ideò ille, vt contentus dicens *Quin taces*, videretur: ait, dicam. vt ſcias illum, non ſilentium, ſed ſecuritatem imperaſſe. Quin taces? Correptio eſt ſilentium præcipientis, de eo duntaxat, ne timeat de nuptiis. id eſt, eſto ſecurus. nam tacere, ſecurè eſt.

Puerum autem. Videtur hoc illi contrarium eſſe, quod dixit, *Quidquid peperiſſet decreuerunt tollere.* Sic ergo ſoluitur, Quod ibi ſeruus cum ſtomacho dixit, hic tantum, Pamphilum verecundè locutum accipimus. Puerum autem ne reſciſcat. Aut diuinat: aut *puerum* pro quolibet ſexu, ſobolem, hoc eſt fœtum: vt, *Quicquid peperiſſet, decreuerunt tollere.* vt Græci pueros παῖδας: Homerus, Πρίαμος Πριάμοιό τε παῖδες. & Horat. *Dicam & Alciden, puerósque Ledæ.*

Cautio eſt, *Cautione opus eſt*, hoc eſt cauendum eſt.

Nam pollicitus ſum. *Promiſſio & pollicitatio* eandem vim habent: ſed *pollicitatio* maioris aſſeuerationis eſt. Hanc fidem. Ordo eſt, vt hanc fidem ſibi darem, me obſecrauit, qui ſe ſciret non deſerturum.

Curabitur. Non *curabo*, ſed impersonaliter, cum difficultate: quod quaſi arduum eſſet, & graue oſtendit.

Actus secundi scena IIII.

Simo. Dauus. Pamphilus.

Euiſo quid agant, aut quid captent conſilij.
D. Hic nunc non dubitat, quin te ducturum neges.
Venit meditatus alicunde: ex ſolo loco
Orationem ſperat inueniſſe ſe,
Qui differat te. proin tu fac, apud te vt ſies.

P. Modo vt poſsim Daue. D. crede inquam hoc mihi Pamphile,
Numquam hodie tecum commutaturum patrem
Vnum eſſe verbum, ſi te dices ducere.

REVISO. Hæc ſcena nodum iniicit erroris fabulæ, & periculum comicum. Facit etiã executionem conſiliorum. REVISO QVID AGANT, AVT QVID CAPTENT CONSILII. *Quid agant*: auribus opus eſt. πρὸς τὸ *quid captent conſilij*, prudentia & ſagacitate. & quod ſuprà dixit, non pœnituit idem repetere, *Obſerues filium quid agat, quid conſilij cum illo captet.* Quod enim prudenter dictum fuerit, non piget repetere. Actio tamen ex his tribus conſiſtit, cogitatione, dicendo, gerendo. REVISO. Redeo vt videam. QVID AGANT. Quid reſpondeant, quid dicant.

HIC NVNC NON DVBITAT. Non dixit, ſenex, aut pater: ſed HIC, cum odio, quoniam animo aduerſo loquitur.

EX SOLO LOCO ORATIONEM SPERAT INVENISSE SE. *Solo*, deſerto, vbi meditari facilius poſſit. ET ORATIONEM dixit, quod quaſi ad plenum cogitari potuiſset quippe meditatus, ex ſolo loco. Menander, *ἐνεργητικὴν εἶναί φασι τὴν ἐρημίαν οἱ τὰς ὀφρῦς αἴροντες.*

VENIT MEDITATVS ALICVNDE. Terror obiurgaturi patris, hortatio eſt ad promittendum Pamphilo quod iubetur.

QVA DIFFERAT. Diſturbet, & in diuerſum ferat. Virg. *atque arida differt Nubila.* Et in Adelphis, *Miſeram me! differor doloribus.* hoc eſt in diuerſum rapit, diſſipat.

APVD TE VT SIES. Non, ne timeat, cauet Dauus: ſed ne amore à conſilio ſuo alienetur Pamphilus. APVD TE SIES. Præparatus ſis. Cui contrarium eſt, *Non ſum apud me.* MODO VT POSSIM. *Vt*, pro ne non. MODO VT POSSIM. A poſſibili, Poſſim apud me eſſe.

NVMQVAM HODIE. Ab vtili euentu. *Numquam*, plus aſſeuerationis habet quàm *non.* vt Virgilius, *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

COMMVTATVRVM PATREM. Iurgium habiturum. hoc eſt enim *verba mutare.* COMMVTATVRVM VERBVM. Altercaturum. Sic in Phormione, *Tria non commutabitis verba inter vos hodie.* hoc eſt, dabitis atque accipietis, id eſt iurgabitis. Ego puto *commutare verba* hoc eſſe, pro bonis dictis mala ingerere: hoc eſt, iracundia in maledicta compelli.

ACTVS SECVNDI. SCENA V.

BYRRIA. SIMO. DAVVS. PAMPHILVS.

ERVS *me relictis rebus, iuſsit Pamphilum*
Hodie obſeruare, vt, quid ageret de nuptiis,
Scirem. id propterea nunc hunc venientem ſequor.
Ipſum adeò præſto video cum Dauo. hoc agam.
S. Vtrumque adeſſe video. D. hem, ſerua. S. Pamphile.
D. Quaſi de-improuiſo reſpice ad eum. P. ehem pater.
D. Probe. S. hodie vxorem ducas, vt dixi, volo.
B. Nunc noſtræ timeo parti, quid hic reſpondeat.
P. Neque iſtic, neque alibi vſquam tibi erit in me mora. B. hem.
D. Ommutuit. B. quid dixit? S. facis vt te decet,
Quum iſtuc, quod poſtulo, impetro cum gratia.

D. Sum verus? B. erus, quantum audio, vxore excidit.
S. I nunc iam intrò: ne in mora, cùm opus ſit, ſies.
P. Eo. B. nullâne in re eſſe homini cuiquam fidem!
Verum illud verbum ſt, volgo quod dici ſolet,
OMNES SIBI malle melius eſſe, quàm alteri.
Ego illam vidi: virginem forma bona
Memini videre. quo æquior ſum Pamphilo,
Si ſe illam in ſomnis quàm illum, amplecti maluit.
Renuntiabo, vt pro hoc malo mihi det malum.

ERVS ME RELICTIS REBVS. Vide quàm mire, quum omnes conſulto conſilio ſibi agere videantur, tamen omnes rerum exitu inopinato ludificantur & Simo, & Dauus, & Pamphilus, & Charinus, & ipſe Byrria. ERVS ME RELICTIS. Ad hoc venit Byrria, vt in errorem concilier Charinum. & in hac ſcena quatuor perſonæ ſine implicatione intellectus loquuntur. ERVS ME RELICTIS REBVS. Imponitur manus rebus, cum perficitur id quod cœperit. vt Virgilius, *Imponit regina manum.* *Relinquuntur* verò res, cum imperfectæ relinquuntur. Item Virgilius, *Atque opere in medio defixa reliquit aratra.* RELICTIS REBVS. Adeò præpoſuit hoc negotij rebus omnibus.

HODIE OBSERVARE. Obſeruatio duplex eſt, vel captionis, vel obſequij.

ID PROPTEREA. Neceſſe eſt aut alterum eſſe ſuperuacuum, aut *propterea* pòſt accipiendum.

HOC AGAM. In geſtu eſt: nam eſt figura corporis obſeruantis quid agatur.

VTRVMQVE. & Dauum, & Pamphilum.

QVASI DE IMPROVISO RESPICE. Intereſt eius qui repente aſpexerit: nam videbitur nihil doloſè locuturus: vt, *Magnam reſpexis ad vrbem.* DE IMPROVISO. ſcilicet ne meditata intelligat eum habuiſſe conſilia.

HODIE VXOREM DVCAS, VT DIXI, VOLO. *Nolo & volo*, nimis imperioſa & ſuperba dictio eſt. vt alibi, *Piſces cæteros purga Dromo. Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere Pauliſper. vbi ego venero, exoſſabitur: Prius nolo.*

VSQVAM ERIT IN ME MORA. Recuſantis eſt magis, quàm non volentis, conſenſio ea ſegnis ac tepida, ſi penitus conſideres.

HEM. Perculſus hoc dicto Byrria, interiectione magis, quàm verbo exclamauit.

QVID DIXIT? Nota hic Byrriæ perſonam quartam, ſed non admixtam.

QVVM ISTVC, QVOD POSTVLO, IMPETRO. Nimis obſequenter locutus eſt pater. Et *poſtulo*, pro iubeo: & *Impetro*, pro extorqueo. *Poſtulo*, iuſtè volo. Petimus enim precario: Poſcimus imperioſè: Poſtulamus iure. *Impetro*, pro cùm impetrem.

SVM VERVS? Id eſt veridicus: vt *falſus*, pro falſidicus. VXORE EXCIDIT. *Cadere ſpe* dicuntur, qui leuari animo, à ſummo ad inferiora labuntur. *Vxore*, hoc eſt matrimonio ac nuptiis. VXORE EXCIDIT. Quod Græci dicunt ἐξέπεσεν, ἢ, ἀπέτυχεν.

NVLLANE IN RE ESSE HOMINI CVIQVAM FIDEM? Non in nullis terris, ſed neque in terris, neque in perſona. vt Virgilius, *Nuſquam tuta fides.* cum in amore fracta eſſet ab eo, *Quem ſubiiſſe humeris confectum ætate parentem audierat.* Alibi Terentius, *Cuius tu fidem in pecunia perſpexeris, Verère ei verba credere? vbi quid mihi lucri eſt?*

ILLVD VERBVM. Id eſt prouerbium & ſententia. & ſic veteres *verbum* pro ſententia.

OMNES SIBI MELIVS. Sic alibi, *Proximus ſum egomet mihi.*

EGO ILLAM VIDI. Hic corrigitur à Poëta quod per iracundiam dixit Pamphilus, *Aliquid monſtri alunt.* FORMA, BONA. Diſtinguitur.

MEMINI VIDERE. Aut memor ſum me vidiſſe. Aut *memini videre*, hoc eſt, intelligo, ſcio. Aut memini quòd viderim. *Memini videre*, pro vidiſſe. Ennius, *Memini me tum fieri pauum.* Alibi ſic, *Memini videre*, non probare. QVO AEQVIOR. Hoc eſt, quare æquior

HIC NVNC ME CREDIT. Hæc ſcena dolos continet vtriuſque perſonæ, quibus vtraque capit,& capitur miro modo. *Hic nunc me credit aliquam ſibi fallaciam.* Dauus ita videtur loqui,vt nullus ſpectator audiat:ſed hoc ait,vt velit audiri à ſene.

GRATIA. *Gratia* veteres pro cauſa ponebant.

QVID DAVVS NARRAT. Videtur illi blandius locutus eſſe.

ÆQVE QVICQVAM NVNC QVIDEM. Bene *nunc quidem* ſimiliter nunc nihil, vt paulo antè, cum dixit, *Id populus curat ſcilicet.* AEQVE QVICQVAM NVNC QVIDEM. Hoc eſt, nihil.

NIHILNE? HEM. *Hem* interiectio eſt irati,aduerſum eum qui neget ſe aliquid locutum eſſe. ſimul quid ſit *Æque quicquam nunc quidem*, ſenex explicat, cum ait, *Nihil?* Et eſt ἰυφημισμὸς antiquorum,pro nihil.

NIHIL PRORSVS. Id eſt,neque prorſus. *Nihil prorſus* dicitur, in quo nulla eſt ambiguitas.& eſt confirmatio negantis.

ATQVI EXPECTABAM QVIDEM. *Expectamus* tam bona,quàm mala: *Speramus* bona.

PRAETER SPEM EVENIT. *Præter*, pro contra:vt,*Præter ætatem tuam.*

HOC MALE HABET VIRVM. ἐρωτικῶς *virum* dixit defeſſum ſenem. modò enim *virum* iocu'ariter dixit. VIRVM. Ad vituperationem cum ironia. ad laudem verò ſine ironia.

POTIN ES VERVM. Integrum,*potiſne*, id eſt potes.Vt Virgilius, *Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo.*& deeſt illi ES. Eſt enim nomen *potis*:& facit,*potis,potior,potiſſimus.*

NVM ILLI MODESTAE QVIPPIAM. *Quippiam* , ſignificationem minimæ rei habet.

PROPTER HOSPITAE HVIVSCE CONSVETVDINEM. Hæc omnia pronominibus bene mollita ſunt , etenim atrocia ſunt, ſi cum ſuis nominibus nuda ponantur. Et *huiuſce hoſpitæ*,non meretricis,& *conſuetudinem*,non amorem dixit. ita omnia extenuat, vt Dauus audeat confiteri.

AVT SI ADEO, BIDVI EST AVT TRIDVI. Bene, *aut ſi adeò*: ne ſi omnino negaret, *Cur igitur triſtis eſt ille?* diceret. SOLLICITVDO. Propter turbationem.

NOSTIN'? In ſignificationem multorum,quæ compendio facimus, *Noſtin'* dicimus.

RECTA REPVTAVIT VIA. Reputauit,retractauit:quia *putare* , purgare eſt. vnde & *arbores,& vites putare* dicimus. VIA. Conſilio,ratione.

LAVDO. Senex inducitur, & credit.

DVM LICITVM EST. Deeſt,*per te*:hoc eſt,dum tu permiſiſti. Et mire hic vtitur verbis ſenis.ipſe enim ſupra dixit, *Dum tempus,ad eam rem tulit,ſini,animum vt expleret ſuum.* DVM LICITVM EST ILLI. Sic veteres & *placitum*,& *puditum* dicebant:quæ nos, *placuit*, *puduit*.

DVMQVE AETAS TVLIT. Dum eſſet ætas immatura nuptiis. *Tulit*, duo ſignificat:attulir,& abſtulit·paſſus eſt,& pertulit.

TVM ID CLAM. Bene *clàm*,quia nunc liquido apparet Pamphilum voluntatem, propoſitúmque mutaſſe.

CAVIT, NE VNQVAM INFAMIAE EA RES SIBI ESSET. Mire vtitur ſenis verbis. ipſe enim dixerat, *Dum tempus ad eam rem tulit ſino,animum vt expleret ſuum.*

NVNC VXORE OPVS EST. Quaſi denuntiatio eſt quædam neceſſitatis ſeni impoſitæ.

ANIMVM AD VXOREM APPVLIT. Et bene *appulit* , quaſi ab iactatione fluctuum, & marini æſtus.has enim tempeſtates habet amor.Et ſic dixit, *Ad vxorem animum appulit*, vt ſuprà, *Animum ad ſcribendum appulit.*

SVBTRISTIS VISVS EST. *Sub*, temperamentum eſt plenæ pronuntiationis: vt *ſubtriſtis*,*ſubridet*,non ad plenum triſtis aut ridet:vt confeſſionem eliceret. SVBTRISTIS VISVS EST ALIQVANTVLVM MIHI. Mire ſeruatum eſt in adoleſcente libero τὸ πρέπον: & in amatore τὸ πιθανόν. Nam & honeſto iuueni non congruebat verſipellis vultus: & in amatore abſurdum fuerat, ingenuum celare triſtitiam. Itaque nec ad plenum triſtis fuit, quia dixit *celanda res erat* : nec gaudium fuerat, quia ingenium & amoris neceſſitas in triſtitiam retrahebat.

SED EST QVOD TIBI SVCCENSEAT. Quod ille à ſummo ad imum oppoſuit,hic cauſæ deriuationem oppoſuit. QVOD SVCCENSEAT TIBI. *Succenſere*, potioris eſt. *Succenſere*, in re graui & iuſta iraſci.

PVERILE EST. Apparet Dauum nunc quærere quid reſpondeat: & ad quam cauſam deriuet auerſa ſuſpicione triſtitiam Pamphili, quam animaduertit ſenex. PVERILE EST. Vtrum magis ideò ſuſpendit, vt ſenex audire deſideret: an quia necdum commentus eſt cauſam contrà rependendam propoſitioni ſenis?

NIHIL EST. Videtur inuenire non poſſe.

AIT NIMIVM PARCE FACERE SVMPTVM. Mire ipſum dicere veluti *fecit* & *nimium*, & *parce*. NIMIVM PARCE FACERE. Pepercit, ne diceret ſordide.

MENE. Perturbati indicium eſt, quia ſeipſum pronomine oſtendit.

MEORVM AEQVALIVM POTISSIMVM. *Aequalium* ætate, *potiſſimum* dignitate; etenim *potis, potior, potiſſimus* facit.

ET QVOD DICENDVM HIC SIET. Bene *hic*, vbi non ſit adoleſcens.

TV QVOQVE PERPARCE. Bene *quoque*, quaſi dicat, cum ille peccet, quòd pueriliter ſuccenſeat: tu quoque peccas, perparce nimium faciendo ſumptum. TV QVOQVE PERPARCE NIMIVM. Et *perparce*, & *nimium*, cum ſufficeret vnum. Et *nimium*, vituperatio eſt: vt, *Ne quid nimis*.

NON LAVDO. Et quia *perparce*, & quia *nimium*. nam parce agere, laudis: nimium, peccati. Et magna moderatione, *non laudo*, dixit potius, quàm *vitupero*.

COMMOVI. Idcò *commoui*, quia argumenta dixit ſeni, quibus proditur non eſſe veras nuptias. COMMOVI. Suprà *Solicitaui* dixit, modò *commoui*. & *commoui* dicit apud ſe, vt ſpectator audiat, non ſenex.

QVIDNAM HOC EST REI? Verba ſunt ſecum cogitantis ſenis, aut de his quæ nunc locutus eſt Dauus, aut de aduentu mulierum quæ in ſcenam veniant. QVIDNAM HOC EST REI? Pulſatus eſt ſenex argumento falſarum nuptiarum, paululum obſonij: tanquam ſe illuderet Dauus.

QVIDNAM HIC VOLT VETERATOR SIBI? *Veterator* eſt verus in aſtutia, & qui in omni re callidus eſt. Et hi duo verſus oſtendunt pulſatum eſſe ſenem argumento fallarum nuptiarum: illo argumento quòd ait, *paululum obſonij*: tanquam ſe illuderet Dauus. Sunt ergo verba, vt diximus, ſecum cogitantis ſenis, aut de his quæ nunc Dauus locutus eſt, aut de aduentu mulierum quæ in ſcenam veniunt modò.

NAM SI HIC EST MALI QVICQVAM. Si promiſſa non compleuerit Pamphilus.

HIC EST HVIC REI CAPVT. *Caput*, eſt origo & ſumma vniuſcuiuſque rei. vt Virgilius, *O Latio caput, horum & cauſa malorum.*

ACTVS TERTII SCENA PRIMA.

MYSIS. SIMO. DAVVS. LESBIA. GLYCERIVM.

ITA POL quidem res eſt, vt dixti Lesbia:
Fidelem haut fermè mulieri inuenias virum.
S. Ab Andria ſt ancilla haec. quid narras?
D. ita ſt.
M. Set hic Pamphilus. S. quid dicit? M. firmauit fidem. S. hem.
D. Vtinam aut hic ſurdus, aut hæc muta facta ſit.
M. Nam quod peperiſſet, iuſsit tolli. S. ô Iuppiter!
Quid ego audio? actum ſt, ſiquidem hæc vera praedicat.
L. Bonum ingenium narras adoleſcentis. M. optumum.
Set ſequere me intro, ne in mora illi ſis. L. ſequor.

D. Quod remedium nunc huic malo inueniam? S. quid hoc?
Adeón' eſt demens ex peregrina? iam ſcio, ah
Vix tandem ſenſi ſtolidus. D. quid hic ſenſiſſe ait?
S. Hæc primum adfertur iam mihi ab hoc fallacia,
Hanc ſimulant párere, quo Chremetem abſterreant.
G. Iuno Lucina fer opem; ſerua me obſecro.
S. Hui, tam cito? ridiculum. poſtquam ante oſtium
Me audiuit ſtare, adproperat. non ſat commode
Diuiſa ſunt temporibus tibi Daue haec. D. mihín'.
S. Num inmemor es diſcipuli? D. ego quid narres neſcio.
S. Hiccine me ſi imparatum in veris nuptiis
Adortus eſſet, quos mihi ludos redderet?
Nunc huius periclo fit. ego IN PORTV *nauigo.*

ITA POL QVIDEM RES EST. In hac ſcena nouo modo ceſſante Dauo fallitur Simo per nimiam ſagacitatem ſuam. ſimul in hac ſcena id agit poëta, vt ad nuptias faciendas magis accendatur Simo. & quædam induſtria, quædam velut caſu eueniunt: vt nunc ſuſpicio ſenis. in multis enim οἰκονομία comicorum poëtarum ita ſe habet, vt caſu putet ſpectator veniſſe, quod conſilio ſcriptorum factum ſit. ITA POL QVIDEM RES EST, VT DIXTI, LESBIA. Et hoc ſermone, quem habent ingredientes, ſcenæ apparet principium. quod enim auditur, non quod incipitur, initium dicunt. ITA POL QVIDEM. Productio eſt narratiua ad explendum modò potius iuſiurandum.

VT DIXTI. Et *dixti*, & *dixiſti* legitur.

FIDELEM HAVT FERME. *Fidelem* maluit, quàm *fidum* dicere. *fidum* enim honeſtius dixiſſet. *Fermè* pro facile poſuit. & *fermè*, facilitatem ſignificat, quia ſunt aduerbia extenuationis. INVENIAS. Secundam pro tertia perſona poſuit, pro *inueniat quis*, vel inuenire poſſit. vt Virgilius, *Migrantes cernas, totáque ex vrbe ruentes.*

AB ANDRIA EST ANCILLA HÆC. Simpliciter dixit *ab Andria eſt*, pro Andriæ eſt: nam & vſu ſic dicere ſolemus. Ergo *ab Andria eſt*, hoc eſt Andriæ fauet, Andriæ eſt. vt cum dicimus, *Ab illo eſt*, hoc ſignificamus, illi fauet, illi accommodat ſuffragium.

SED HIC. Semper *Sed*, contrariæ ſententiæ ſignificatio eſt. Et bene HIC, vt oſtendat de illo fuiſſe ſermonem.

HEM. Interiectio eſt accipientis verba, & admirantis.

VTINAM AVT HIC SVRDVS, AVT HAEC MVTA FACTA SIT. Comice & facete, AVT HIC SVRDVS, qui audire non poſſit. aut hæc MVTA FACTA SIT, ne poſſit dicere. AVT HIC SVRDVS, AVT HAEC MVTA FACTA SIT. σύλληψις per genera.

IVSSIT TOLLI. Hæc eſt fides: ſuſcipi filios legitimos faciunt parentes. & ſublatio, matris eſt: patris, tollere. IVPPITER QVID EGO AVDIO? Bene rurſum adducitur ad deſperationem ſenex Myſidis verbis.

ACTVM EST. In ſumma rerum deſperatione ponitur, *Actum eſt*, *Ilicet*, *Periiſti*. Hæc res, ſecundum ius ciuile dicitur: in quo cauetur, ne quis rem actam apud iudices repetat. Sic ipſe in Phormione, *Actum, aiunt, ne agas.*

BONVM INGENIVM. *Ingenium*, naturam.

QVID HOC? Secum ſenex ἐλλειπτικῶς: deeſt enim, *rei eſt*.

ADEÓN' EST DEMENS EX PEREGRINA. ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν apta cogitanti. reliquum autem ſic pronuntiat, quaſi reperto conſilio. Et bene *adeò*: quia tam demens eſt quòd amat ex peregrina. id eſt ex meretrice. Mulieres enim peregrinæ, inhoneſtæ ac meretrices habebantur. Sic ipſe alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi*. Et ſer-

uus, *poteſt taceri hoc quidem*, hoc eſt, meretricem habuiſſe te matrem veriſimile eſt. EX PEREGRINA. ἀκυρολογία deeſt enim, *vt filium ſuſcipiat* aut aliquid tale.

VIX TANDEM SENSI STOLIDVS. Pulchro colore inducto, poëta oſtendit non minus falli ſuſpicioſum, quàm qui ſtultus eſt. huic enim veritas fallacia videtur, dum nimis eſt acutus ac perſpicax. & hoc eſt quod ab euentu fingit poëta. non enim in Dauo eſt ſic errare nunc ſenem. VIX TANDEM SENSI STOLIDVS. Quinque ſunt ſenſus, quorum duos, viſum & auditum, magis ſenſibiles habemus, quàm pecora. Vnde Cicero, *Non ſolum videam, ſed etiam audiam, planéque ſentiam.* quaſi ad tactum retulit, quo etiam pecora impelluntur ad ſenſum. duabus ergo rebus ſcimus: aut ratiocinatione, aut ſenſu: quibus maximè præſtamus cæteris animalibus. Ergo ſenex ſe non ſenſu, non ratiocinatione ſenſiſſe, ſed veluti calcaribus & ſtimulis punctum.

HAEC PRIMVM, Satis ſe ſagacem ſenex oſtendit, quando principia ipſa inceptionéſque comprehendit. HAEC PRIMVM. Bene *primùm*: quaſi ex multis quas parauerat Dauus contra Chremetem. QVO. Qua re.

IVNO LVCINA FER OPEM: SERVA ME. Iuno Lucina, Iunonis filia, Græci εἰλείθυια, dicitur. Latinè Iuno à iuuando dicta. Lucina ab eo quòd in lucem producat. Et gemina vota ſunt, vt & partus, & pariens ſeruetur. nam FER OPEM propter partum: SERVA ME, propter parientem dicitur, *Iuno Lucina fer opem: ſerua me obſecro.* Nota, hoc verſu totidem verbis vti omnes puerperas in Comœdiis, nec aliàs induci loqui in proſcenio: nam hæc vox poſt ſcenam tollitur. FER OPEM. Propter quod Lucina eſt. inde *obſtetrix*, quòd opem tulerit. SERVA ME OBSECRO. Hoc extra etiam hanc poteſtatem Iunoni attribuitur: quanquam illam Menander Dianam appellet, & hoc ſentiat in Bucolicis Virgilius. HVI, TAM CITO? *Tam cito*, vt felicitatem partus oſtendat incredibilem. *Tam cito*, ad reprehenſionem,

RIDICVLVM. Ad irriſionem. & inſpice, *ridiculum* aduerbium ſit an nomen; vt ſit, *vide hominem ridiculum* ſed aduerbium eſt magis.

NON SAT COMMODE DIVISA SVNT. Confuſa ſunt tibi omnia, inquit: nec vnumquodque ſuo tempore geritur. qua re proderis. NON SAT. non ſatis. DIVISA SVNT. digeſta & compoſita, & diſtributa *temporibus*, id eſt per tempora.

MIHIN'? Adhuc Dauus non percipit, & bene. quaſi dicat, cum ille loquatur, illæ agant.

NVM INMEMOR ES DISCIPVLI? Diſcipuli Myſis, Leſbia & Pamphilus, omnes per quos agitur fallacia. Bene ergo diſcipulos imperitos oſtendit, & magiſtrum Dauum. quia ſuprà dixit, *Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.* NVM INMEMOR ES DISCIPVLI? Alij hîc Pamphilum ſignificari putant diſcipulum: quia Dauus magiſter. Nam nomina ad aliquid ſunt, diſcipulus & magiſter. & tunc diſcipuli, genitiuus eſt ſingularis caſus. Alij nominatiui pluralis putant: vt diſcipulos dixerit, omnes per quos agitur fallacia, ſecundum illud, *Tum ſi quis magiſtrum cepit ad eam rem improbum.* NVM INMEMOR ES DISCIPVLI. Deeſt, *nunc*. Et bene *diſcipuli*: quia ipſum magiſtrum ſuprà fecit.

EGO, QVID NARRES, NESCIO. Quaſi fabulam. EGO, QVID NARRES, NESCIO. Semper ita reſpondet Dauus ſeni, tanquam non intelligat quid loquatur.

HICCINE ME SI IMPARATVM. Redit ad illam ſententiam, *Simul ſceleratus Dauus, ſiquid conſilii habet, vt conſumat nunc, cum nihil obſint doli.*

ADORTVS ESSET. *Adortus* dicitur qui ex inſidiis repente inuadit. dictum ab eo, quòd corpora aggredientium exurgant ſubito atque increſcant. ADORTVS. aggreſſus. Omnia hæc ex tranſlatione maris dicta ſunt μεταφορικῶς.

Actvs tertii scena II.

LESBIA. SIMO. DAVVS.

ADHVC Archillis quae adſolent, quaeque oportet
Signa eſſe ad ſalutem, omnia huic eſſe video.
Nunc primùm fac, iſtaec vt lauet: poſt deinde
Quod iuſſi ei dare bibere, & quantum imperaui
Date. mox ego huc reuertar.
Per-ecaſtor ſitus puer natus eſt Pamphilo.
Deos quæſo, vt ſit ſuperſtes, quandoquidem ipſe ſt ingenio bono.
Cúmque huic veritus eſt optumae adoleſcenti facere iniuriam.
S. Vel hoc quis non credat, qui norit te, abs te eſſe ortum? D. quidnam id eſt?
S. Non imperabat coràm quid opus facto eſſet puerperae,
Set poſtquam egreſſa ſt, illis quae ſunt intus, clamat de via.
O Daue, itán contemnor abs te? aut itáne tandem idoneus
Tibi videor eſſe, quem tam apertè fallere incipias dolis?
Saltem accurate, vt metui videar: certè ſi reſciuerim.
D. Certè hercle nunc hic ſe ipſus fallit, haut ego. S. edixin' tibi?
Interminatus ſum, ne faceres? num veritus? quid retulit?
Credón tibi hoc, nunc peperiſſe hanc è Pamphilo?
D. Teneo, quid erret: & quid agam habeo. S. quid taces?
D. Quid credas? quaſi non tibi renuntiata ſint haec ſic fore.
S. Mihine quiſquam? D. eho! an tute intellexti hoc adſimulari?
S. inrideor.
D. Renuntiatum ſt. nam qui iſtaec tibi incidit ſuſpicio?
S. Qui? quia te noram. D. quaſi tu dicas, factum id conſilio meo.
C. Certè enim ſcio. D. non ſatis me pernoſti etiam, qualis ſim, Simo.
S. Egóne te? D. ſet ſiquid narrare occepi, continuo dari
Tibi verba cenſes. S. falsò. D. itaque hercle nihil iam muttire audeo.
S. Hoc ego ſcio vnum, neminem peperiſſe hîc. D. intellexti?
Set nihilo ſecius mox deferent puerum huc ante oſtium:
Id ego iam nunc tibi renuntio ere futurum, vt ſis ſciens.
Ne tu hoc mihi poſterius dicas, Daui factum conſilio, aut dolis,
Prorſus à me opinionem hanc tuam eſſe ego amotam volo.
S. Vnde id ſcis? D. audiui, & credo. S. multa concurrunt ſimul,
Qui coniecturam hanc nunc facio. iam primùm hæc ſe è Pamphilo

Grauidam dixit eſſe : inuentumſt falſum. nunc, poſtquam videt
Nuptias domi apparari, miſſaſt ancilla ilico
Obſtetricem accerſitum ad eam, & puerum vt adferret ſimul.
D. Hoc niſi fit, puerum vt tu videas, nihil mouentur nuptiae.
S. Quid ais? cùm intellexeras
Id conſilij capere, cur non dixti extemplo Pamphilo?
D. Quis igitur eum ab illa abſtraxit, niſi ego? nam omnes nos quidem
Scimus, quàm miſere hanc amarit. nunc ſibi vxorem expetit.
Poſtremo id mihi da negoti. tu tamen has nuptias
Perge facere ita, vt facis: & id ſpero adiuturos deos.
S. Imò abi intrò : ibi me opperire, & quod parato opus eſt para.
Non inpulit me, haec nunc omnino vt crederem.
Atque haut ſcio, an, quæ dixit, ſint vera omnia:
Set paruipendo. illud mihi multo maxumum ſt,
Quod mihi pollicitus ſt ipſus gnatus. nunc Chremem
Conueniam : orabo gnato vxorem : ſi impetro,
Quid aliâs malim, quàm hodie has fieri nuptias?
Nam gnatus quod pollicitus ſt, haut dubium ſt mihi
Si nolit, quin eum merito poſſim cogere.
Atque adeò in ipſo tempore eccum ipſum obuiam.

ADHVC ARCHILIS. In hac ſcena ſpecta, quàm ſcite expreſſa ſit conſuetudo medici, vel medicæ egredientis ex ægri domo. Nam veniens, de negotiis eius loquitur : abiens, de morbo. & hæc ſunt præter οἰκονομίαν quæ dicuntur ἀφηγήματα. ADHVC ARCHILIS. Sic veteres ſcribebant *adhuc*, quando incerti futurarum rerum, ex præſentibus firmè nuntiabant : quod eſt genus certiſſimæ promiſſionis & cautæ. ADHVC ARCHILIS, QVAE ADSOLENT, QVAEQVE OPORTET. Medicina aut in ratione, aut in cõſuetudine, aut in exemplis. *Adſolent* ergo, conſuetudinis eſt : *oportet*, rationis.

SIGNA AD SALVTEM ESSE. Deeſt herentia, aut pertinentia. ſic in Heautontimorumenos, *Atque hæc ſunt ad virtutem omnia.* Ergo abſolutè dixit, vt deſit aliquid tale. vnde & nos dicimus, *Quid ad rem?* vel *Quid ad me?*

NVNC PRIMVM FAC ISTAEC VT LAVET. Imperitiæ notantes Menandrum, aut Terentium, ipſi vltrò imperiti inueniuntur. nam & ille λοῦσαι αὐτὴν dicens à conſuetudine non receſſit : eum lauiſſe, aut non lauiſſe dicimus. à parte totum ſignificantes : & Terentius propius ad ſignificationem acceſſit, *iſtæc* dicendo, ne pudenda nominaret. Et ſunt qui, adhuc Archilis correptionem eſſe nimium ſollicitæ nutricis putent. quod ego non probo. FAC ISTAEC VT LAVET. *Iſtæc* quæ ex puerperio ſordebant. Quidam ISTAEC, ipſam puerperam dicunt. ſic enim & Menander λοῦσαι αὐτῶν ττισα. ſed imperitiæ accuſantur, quòd non continuo ſolent poſt puerperium lauare, ſed diebus omiſſis.

QVOD IVSSI EI DARE BIBERE, ET QVANTVM IMPERAVI DATE. Conſuetudine magis, quàm ratione dixit, pro, *Date ei potionem.* Lucilius in ſexto, *Date bibere ſummo.* Nam duo verba iniuncta, nullam habent ſignificationem ſine nomine, aut pronomine : vt ſi dicas, *Dic facere.* QVOD IVSSI EI DARE BIBERE, ET QVANTVM IMPERAVI DATE. Et qualitatem & modum rei dixit.

MOX EGO HVC. Vide vt authoritatem & iactantiam medicorum imitetur, dicen-

do, quod iuſſi. & non ſufficiebat: ſed etiam, *imperaus* dixit. ſimul, hæc quæ ſolent medici promittere frequenter, *Mox ego huc reuertar.*

SCITVS PVER. Satis obſtetrici eſt adhuc incertum æui, & vt ita dicam à matre ſanguinolentum, non pulchrum (quod ipſum nimium videretur cito) dicere, ſed ſcitum pronunciat. Ideò ſubblanditur, vt operæ pretium maius accipiat.

PER ECASTOR SCITVS PVER NATVS EST PAMPHILO. Per Caſtorem & Pollucem, ornatiua ſunt iurandi, apta fœminis. SCITVS. elegans, pulcher, quem Græci κόσμιον dicunt. Quod enim quis ſcit, hoc ſcitum & pulchrum. Et eſt διαίρεσις. nam ordo eſt, *Perſcitus ecaſtor.* vt in Hecyra. *Perpol quàm paucos reperias meretricibus fideles euenire amatores.* vt ſit perquàm paucos. Et, *natus eſt Pamphilo*: vt Virgilius ——— *quem Dardanio Anchiſæ Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam.*

DEOS QVAESO VT SIT SVPERSTES. *Superſtes* nunc ſaluus. aliàs *ſuperſtites* ſunt ſenes & anus: quia ætate multis ſuperſtites, iam delirant. Vnde & *ſuperſtitioſi*, qui deos timent nimis. quod ſignum eſt deliramenti. VT SIT SVPERSTES. *Superſtes*, nunc ſaluus.

QVANDO QVIDEM IPSE EST. *Quando* & *Cum* interdum ſunt coniunctiones cauſales. & *quando* pro quoniam, & pro quia intelligimus. QVANDO QVIDEM IPSE. tranſit à puero ad ipſum Pamphilum.

VEL HOC QVIS NON CREDAT? εἰρωνεία eſt. *Vel*, modò eſt diſiunctiua coniunctio, ſed; proſ etiam poſita. vt apud Virgilium, ——— *Vel Priamo miſeranda manus.* Et, *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* Et bene, vel hoc, ſubaudias, exceptis illis quæ reprehendit ſuprà.

ABS TE ESSE NATVM? Et ORTVM legitur, vt ſit, inſtructum, commentum, & compoſitum.

NON IMPERABAT CORAM. *Coram*, ad certas perſonas refertur: *Palàm* ad omnes.

QVID OPVS FACTO ESSET PVERPERAE. *Eſſet*, imperſonatiuè dicitur, *Opus facto eſſet. Puerpera.* Datiuus caſus eſt, vt ſit, ipſi puerperæ coràm non imperabat, quid facto opus eſſet. ſcil. Sic enim dicimus, *Quid vis tibi faciam?* PVERPERAE. Omnis quæ peperit, *puerpera*: πρωτοτόκος quæ primum. Et non quòd puerum, ſed quòd filium peperit, *puerpera* dicta eſt. Et apud veteres *puer puellus, puera puella.*

ILLIS, QVAE SVNT INTVS. Argumentum ex eo quòd non factum eſt, cùm fieri potuerit: & ex eo quod factum eſt, cùm fieri non oportuerit.

CLAMAT DE VIA. Mirè *clamat*, quaſi dicat, maluit clamare, quàm ſine labore intus imperare.

ITANE CONTEMNOR ABS TE? Hoc eſt, vſque adeóne contemnor? valde contemnor? *Temnor* autem, Græcum eſt, id eſt *cador* & *reiicior*, τὸ τίμνομαι. nam veteres *temno* dicebant ſine præpoſitione.

ITANE TANDEM IDONEVS. Indignatio eſt ad æſtimationem reuocantis eius dicta vel facta, à quo contemnitur quis. IDONEVS. Aptus & ei rei natus.

APERTE FALLERE. δύο δι' ἰνὸς & fallere, & aperte.

SALTEM ACCVRATE. Mirè *ſaltem*: quod ponitur in deſperatione rerum. primo enim fuerat hortatus Dauum, vt non conaretur fallere. SALTEM ACCVRATE. ζεῦγμα à ſuperiore, *fallere incipias.* aut certè σύλληψις *fallere incipias.*

CERTE SI RESCIVERIM. Et vtrum pro cum reſciuerim: an quia ſtultum me putas?

CERTE HERCLE NVNC HIC SE. Hoc ita dicitur, vt audiat ſpectator, non vt Simo.

EDIXIN' TIBI? Hic illud reddit, *Edico tibi ne temerè facias.*

INTERMINATVS SVM. Pro minatus ſum. Plautus in Aulularia. ——— *præterea tibicinam, Quæ mihi interbibere ſola, ſi vino ſcateat, Corinthienſem fontem, & Pyrenæum poteſt.*

NVM VERITVS? *Veretur* liber, *metuit* ſeruus. & deeſt *es*: apta eclipſis iraſcenti. Alibi, *Non ſimultatem meam reuereri?*

QVID RETVLIT. *Retulit*, profuit, vel interfuit: & producit RE ſyllabam. & eſt ſenſus. Sic contempſiſti quaſi tibi non comminatus ſim.

TENSO QVID ERAT. Hoc dixit, non vt Simo, ſed vt ſpectator audiat. hoc denique ſenex probat dicens Dauo. *Quid taces?*

ET QVID EGO AGAM HABEO. Et quid reſpondeam ſcio.

QVID CREDAS? Propter quid, aut propter quam rem, aut quo modo, aut propter quid. QVID CREDAS? Repetit verbum eius quod ait, *Credón'*. quare adiuuandum pronuntiatione eſt.

QVASI NON TIBI RENVNTIATA. Nuntiata, compoſitum pro ſimplici.

MIHIN' QVISQVAM? Fauet ſibi ſenex in eo, quòd ſe vult perſpicaciorem videri.

EHO AN TVTE. Eho modo interiectio eſt admirantis, aliàs ad ſe vocantis, *Ehodum ad me*. NAM QVI. *Qui*, vnde.

QVASI TV DICAS. *Dicas*, pro credas. non enim dicimus, niſi quod credimus: ab eo quod ſequitur, id quod præcedit: figura μετάληψις à poſterioribus ad priora. Idem alibi, *Audacter dicito*. Et alibi, *Fœneratum iſtud beneficium pulchrè tibi dices*. id eſt credes, ſcies, ſenties. ETIAM QVALIS. *Etiam* pro adhuc. vt Virgilius, *Idæúmque etiam currus, etiam arma tenentem*. EGÓNE TE? Duobus iſtis pronominibus oſtendit ſe ſenex ſcire omnia.

SED SI QVID TIBI NARRARE OCCEPI. *Occepi* melius, quàm *incepi*. dicitur ab occipitio. eſt enim *occepi*, quaſi caput rei inſtitui.

FALSO. Poteſt & ἐπιρρηματικῶς *falſo* pronuntiari. poteſt & falſo loqueris, dici. vt Salluſtius, *Falſo queritur de natura ſua humanum genus*. Et vocalitatis cauſa ſic dixit, vt *ſedulo, optato, certo*: quaſi ſedule, optate, certe.

NIHIL IAM MVTIRE AVDEO. Ennius, *Nec dico, nec facio*. Vnde & *mutos* dicimus. quod Græci φθέγγεσθαι.

NEMINEM PEPERISSE HIC. *Neminem* dicendo, maiorem confirmationem fecit, non ſolum Glycerium non peperiſſe, ſed etiam neminem. Et HIC dicendo oſtendit domum. Et eſt *neminem*, nullum hominem. Et nota in fœminino genere etiam *neminem* poſitum. MOX OBPERENT PVERVM. Quaſi dicat *nobis*.

ID EGO IAM NVNC TIBI RENVNTIO. Fingit ſe prodere quod ipſe facturus eſt: vt non credat ſenex ab eo fieri, quod prædixerit fore. ID EGO IAM NVNC TIBI RENVNTIO ERE FVTVRVM. *Re* ſyllaba, apud veteres interdum abundat: vt modò *renuntio* pro nuntio. & Cicero, *Renuntiatur mihi*. RENVNTIO. Quaſi ſecretum conſilium: vt ſuprà, *Renuntiatum eſt*. DAVI FACTVM CONSILIO AVT DOLIS. Commodius, & magis cum inuidia dixit, *Daui*, quàm ſi *meo* dixiſſet. vt Virgilius, cùm Turnus incuſaretur, dixit. *Nulla mora in Turno*.

PRORSVS A ME. *Prorſus*, quaſi porrò verſus: quod Græci μάκραν dicunt PRORSVS A ME. Quidam *prorſus* pro quare poſitum putant. Ego pro eo quod eſt omnino. Sunt qui coniunctionem velint eſſe.

OPINIONEM HANC TVAM. *Hanc tuam*, cum tædio dixit, hoc eſt nimis moleſtam, nimis ſuſpicacem, nimis accuſatricem. Sic dixit *hanc tuam*, vt ille de apibus, *Vere ſuo*. Et, *Solémque ſuum, ſua ſydera norunt*. Et in Adelphis, *Iam verò omitte Demea tuam iſtam iracundiam*. AVDIVI, ET CREDO. Locus communis, an famæ credendum ſit. Et bene ſubiunxit, CREDO, non enim audiſſe, ſtatim credere eſt.

MVLTA CONCVRRVNT SEMVL. Reſtat enim vt multis concurrentibus ſignis, vna coniectura conficiatur.

IAM PRIMVM HAEC SE E PAMPHILO GRAVIDAM DIXIT ESSE: INVENTVM EST FALSVM. Secundum quod credit ſenex. Et à ſummo ad imum, & ex factis, & ex dictis, & ex rebus atque perſonis ſumit argumenta.

POSTQVAM VIDET NVPTIAS DOMI APPARARI. Eleganter omiſit, in cuius domo.

MISSA EST ANCILLA ILLICO. Quod Græci dicunt αὐτόθεν ἐφίμφθη. Nam loci ſignificatio eſt, etiam breuitatem temporis notans.

NIHIL MOVENTVR NVPTIAE. Non perturbantur nuptiæ. MORANTVR. Differuntur. QVID AIS? CVM INTELLEXERAS ID CONSILII CAPERE. Quaqua ſe verteret Dauus, obuium infeſtúmque inuenit ſenem: & tamen ita verſute it obuiam, vt etiam comprehenſus elabatur.

QVIS IGITVR EVM AB ILLA ABSTRAXIT. Non frigidè intulit, dixiſſe ſe: ſed cum magna aſſeueratione. & ABSTRAXIT propriè. vt ſupra, *Me à Glycerio miſerum abſtrahat?* &, *Diuellimur inde Iphitus & Pelias mecum*. QVIS IGITVR EVM. Hoc ſic audiendum eſt, quaſi dicat, *Dixi*. MISERE HANC. *Miſere*, valde, nimis.

NVNC

Nvnc ſibi vxorem expetit. Oratorie,pro eo quod eſt non recuſat,expetit.

Id mihi da negotii. De proiectione pueri pro foribus. Id mihi da negotii. Vt caueatur ab appoſitione pueri ante oſtium.

Tv tamen idem. *Idem* abundat. Apud veteres, *Tamen idem*, integrum fuit. vnde apud nos, *Tandem*, & *tamen* natum eſt. ſic & *idem* & *eorúmque* dictum. Tv tamen idem. *Tamen idem*, aut pro tamen poſitum eſt, aut pro tandem: vt ſit, *Tu tandem has nuptias perge facere ita vt facis.* Qvod parato opvs est. Diſertè & Latinè dixit, *Quod parato opus eſt.* Non impvlit me, haec nvnc omnino vt crederem. *Non impulit*, non perſuaſit, non perfecit vt crederem Glycerium peperiſſe. Et cum dicit omnino, oſtendit quædam ſe credidiſſe, in quibuſdam iam eſſe circumuentum. Mire autem cautum capi inducit ſenem, vt crederet quòd Glycerium non peperiſſet.

Qvae dixit, sint vera omnia. Quæ poſtea dixit, Dauus. Et bene omnia: vt appareat ſenem multa credere vera eſſe, quæ Dauus dixerit.

Mvlto maximvm. *Multo* etiam comparatiuis antiqui adiunxerunt.

Qvod mihi pollicitvs est. *Pollicitatio*, multarum rerum promiſſio.

Gnato vxorem. Subauditur, *vt det.*

Qvis alias. Pro cur aliàs, alio tempore.

In ipso tempore. In ipſa oportunitate, in ipſo articulo.

Eccvm ipsvm obviam Chremetem. Continuo mutauit declinationem: vt, *Iubeo Chremetem.*

Actvs tertii scena III.

Simo. Chremes.

IVBEO Chremetem. C. ô! teipſum quaerebam. S. & ego
te. C. optato aduenis.
Aliquot me adiere, ex te auditum qui aiebant, hodie filiam
Meam nubere tuo gnato: id viſo, tún, an illi inſaniant.
S. Auſculta: paucis, & quid ego te velim, & tu quod quaeris, ſcies.
C. Auſculto: loquere quid velis.
S. Per te deos oro, & noſtram amicitiam, Chremes,
Quae incepta à paruis, cum aetate adcreuit ſimul:
Pérque vnicam gnatam tuam, & gnatum meum,
Cuius tibi poteſtas ſumma ſeruandi datur:
Vt me adiuues in hac re: atque ita, vt nuptiae
Fuerant futurae, fiant. C. ah ne me obſecra:
Quaſi hoc te orando, à me impetrare oporteat.
Alium eſſe cenſes nunc me, atque olim cum dabam?
Si in rem eſt vtrique, vt fiant, accerſi iube.
Set ſi ex ea re plus mali ſit, quàm commodi,
Vtrique, id oro te, in commune vt conſulas:
Quaſi illa tua ſit, Pamphilique ego ſim pater.
S. imo ita volo, itáque poſtulo, vt fiat, Chreme:

Neque poſtulem abs te, niſi ipſa res moneat. C. quid eſt?
S. Iræ ſunt inter Glycerium & gnatum. C. audio.
S. Ita magnæ, vt ſperem poſſe auelli. C. fabulae.
S. Profecto ſic eſt. C. ſic hercle, vt dicam tibi,
AMANTIVM IRAE, AMORIS INTEGRATIO ST.
S. Em, id te oro, vt antè eamus, dum tempus datur,
Dúmque eius libido occluſa ſt contumeliis,
Prius quàm harum ſcelera, & lachrymae confictae dolis,
Reducant animum aegrotum ad miſericordiam,
Vxorem demus. ſpero conſuetudine
Et coniugio liberali deuictum Chreme,
Dein facile ex illis ſeſe emerſurum malis.
C. Tibi ita hoc videtur: at ego non poſſe arbitror
Neque illum hanc perpetuo habere, neque me perpeti.
S. Quî ſcis ergo iſtuc, niſi periclum feceris?
C. At iſtuc periclum in filia fieri, graue eſt.
S. Nempe incommoditas denique huc omnis redit:
Si eueniat, quod Di prohibeant, diſceßio.
At ſi corrigitur, quot commoditates, vide:
Principio amico filium reſtitueris:
Tibi generum firmum, & filiae inuenies virum.
C. Quid iſtic ſi ita iſtuc animum induxti eſſe vtile,
Nolo tibi vllum commodum in me claudier.
S. Meritò te ſemper maxumi feci Chreme.
C. Set quid ais? S. quid? C. qui ſcis eos nunc diſcordare inter ſe?
S. Ipſus mihi Dauos, qui intimueſt eorum conſiliis, dixit.
Et is mihi ſuadet, nuptias quantum queam, vt maturem.
Num cenſes faceret, filium niſi ſciret eadem haec velle?
Tute adeò iam eius verba audies. heus, euocate huc Dauom.
Atque eccum: video ipſum foras exire.

IVBEO CHREMETEM. Hæc congreſſio duorum ſenum ad tale periculum adigit fabulam, vt id non videatur co[n]ſilio, ſed euentu poſſe vitari: qui euentus eſt Critonis præſentia. nam nunc ex falſis fient veræ nuptiæ. IVBEO CHREMETEM. Fime aliquid iubere, velle eſt. *Iubeo* ergo, volo. & deeſt, *ſaluere*: quod exprimitur ab alterius perſonæ interuentu. vt Virgilius, *Reddique viro promiſſa iubebat.* Et μεταληπτικῶς: quia qui dicit ſalue, iubet. volumus enim animo: iubemus, verbis.

O TE IPSVM QVAEREBAM. Placabilis & lenis amicus per totam fabulam inducitur Chremes, vt cognitioni ad vltimum intereſſe poſſit.

OPTATO ADVENIS. *Optatò*, aduerbium eſt. vt Virgilius, *Ac velut optatò ventis.*

ALIQVOT ME ADIERE. *Aliquot*, hoc eſt nec multi, nec pauci. *Adiere*, non acceſſerunt: quia aditus arduus difficiliſque eſt. Ergo *adiere*, quaſi importune, & interpellantes adie-

runt. ſic alibi, *Byrria quid tibi videtur? adeón' ad eum?*

EX TE AVDITVM. Vt eſt, *De Dauo modò audiui.* EX TE AVDITVM. Ergo non rumor, ſed veritas.

IO VISO. Ob id viſo. deeſt *te*: vt *viſo*, ad videndum venio.

TVNE, AN ILLI INSANIANT. Tu inſanis, ſi dixiſti: illi inſaniunt, ſi non audita referũt.

PAVCIS. Et *paucis*, & *pauca* legitur.

ET QVID EGO TE VELIM. A docilitate.

PER EGO TE DEOS ORO. Ordo eſt, te per deos oro. vt Virg. *Per ego te has lachrymas.*

ET NOSTRAM AMICITIAM CHREMES. Legitur & *Chreme.*

QVAE INCEPTA A PARVIS CVM AETATE ADCREVIT SIMVL. Mire autem, *incœpta a paruis cum ætate*, vt oſtendat non nuper coitam amicitiam, ſed antiquam. vt, *Veterem Anchiſen agnoui amicum.* Idem alibi, ——*neque enim nouus iſte Dianæ Venit amor.* ADCREVIT. vt ſuprà, *Adcurato.* AD præpoſitione vtitur familiariter. ADCREVIT. Hinc Virgilius, *Creſcent illæ, creſcetis amores.*

ET GNATVM MEVM Ineptum eſt ſic adiurare aliquem, *Per ſalutem filij mei, vt facias id quod te rogo.* ſed huic etiam ſubiungit.

CVIVS TIBI POTESTAS SVMMA SERVANDI DATVR. In tua eſt inquit poteſtate, & tuus eſt. hæc ergo *obteſtatio* dicitur, cum per eas res adiuramus aliquem, de quibus agitur cauſa. Vt, *Iliaci cineres, & flamma extrema meorum.* Idem alibi, ——*per euerſæ genitor fumantia Troiæ Excidia obteſtor.*

VT ME ADIVVES IN HAC RE. Atque ipſam petitionem.

VTI NVPTIAE FVERANT FVTVRAE, FIANT. Breuiter & Latine. Et hoc genus compoſitionis veteres non mutabant.

NE ME OBSECRA. *τῶ ἐλλειπτικῶν μὴ ΛΙΤΑΝΕΚ ΕΜΝΜΑΚΟΡ. * Pro, ne obſecres.

QVASI HOC TE ORANDO, A ME IMPETRARE OPORTEAT. Hæc plena vox eſt, & charitatis & officij. quod enim amicus ab amico petit, iuſtum eſſe debet: nec pro eo quod non eſt iuſtum, ſupplicare oportet.

ALIVM ESSE CENSES NVNC ME ATQVE OLIM, CVM DABAM? Non perſonæ, ſed rei conditio eſt commutata. OLIM, CVM DABAM? Nos dicimus, *cum darem*, Virgilius, *Tum decuit, cum ſceptra dabas, En dextra fidéſque.* Et nota *olim* pro nuper.

SI IN REM EST VTRIQVE. τῷ ἀντιστρέφοντι συλλογισμῷ prauè propoſuit, vt rectè replicaret. Hic ſyllogiſmus negatiuus dicitur. nam in ſecundo λήμματι negat quod prius dixit, Sed ſi ex ea re plus mali eſt, quàm commodi. SI IN REM EST VTRIQVE. Ab vtili argumentum. Vterque duobus conſtat. Bene *vtrique*, mihi & tibi: non, alteri vtile, alteri inutile.

SED SI EX EA RE. Id eſt nuptiarum: mutauit numerum, ex plurali ſingularem, *Fiant*, & *Ex ea re.* IN COMMVNE CONSVLE. id eſt, ex æquali prouide.

QVASI ILLA TVA SIT, PAMPHILIQVE EGO SIM PATER. Nota ſuauiſſimam varietatem. non dicit, quaſi tua ſit, & ille meus.

IMO ITA VOLO. Quia vtile eſt, quia in rem eſt.

ITAQVE POSTVLO. *Itáque*, modò duæ partes orationis ſunt: vt in Hecyra, *Itáque nos vnà inter nos ætatem agere liceat.*

NEQVE POSTVLEM. Quia poſtulo prætulit.

IRÆ SVNT INTER GLYCERIVM ET GNATVM. Hoc læto vultu pronuntiat Simo: & hoc à poſſibili eſt. loquitur enim apud eum, ex quo audiuerat, Pamphilum pro vxore habere hanc peregrinam.

AVDIO. *εἰρωνεία.* MOX FABVLAE. Et hic paulò ſapientior inducitur, & minus obnoxius dolis. PROFECTO SIC EST. *Profectò*, confirmatio eſt.

AMANTIVM IRAE AMORIS INTEGRATIO EST. Sententia γνωμικὴ in qua à ſpecie receditur, & in omnes aliquid dicitur. γνώμη eſt autem ſine authore ſententia. INTEGRATIO. Inſtauratio.

ID TE ORO. Deeſt *ob*: vt ſit, *ob id.* vt Virgilius, *Quod te per ſuperos oro.*

PRIVS QVAM HARVM. Inuidioſius, *harum*, quum vna ſit. ſic in Eunucho, *Non perpeti meretricum contumelias.*

ANIMVM AEGROTVM AD MISERICORDIAM. Hoc vt ſuprà, *Ipſum animum ægrotum ad deteriorem partem applicat*. .

VXOREM DEMVS. ἠθικῶς: vt in Heautontim. *Quo modo minimo periculo id demus adoleſcentulo.*

NEQVE ILLVM HANC PERPETVO. ἀμφιβολίαν de induſtria poſuit, aut vtrunque ſignificat.

NISI PERICVLVM FECERIS? *Periculum*, tentamentum. Cicero, *Tute melius periculum feceris.* Idem Terentius, *Fac periculum in literis.*

AT ISTVC PERICVLVM IN FILIA FIERI, GRAVE EST. Memorabile dictum, & id quod meritò in prouerbium ceſſerit.

QVOD DI PROHIBEANT. παρένθεσις per εὐφημισμόν.

AT SI CORRIGATVR. Alter eſt ſyllogiſmus per contraria λήμματα, & ipſe negatiuus.

PRINCIPIO, AMICO FILIVM. *Principio*, nec intulit, ſecundo.

RESTITVERIS, ET FILIAE INVENIES VIRVM. Ergo ἀνακόλουθον duplex. AMICO FILIVM. Ab honeſto, *Amico filium.*

QVID ISTIC. Concedentis, & veluti victi verbum: tanquam ſi diceret, *quid?* & abundat *iſtic*. Vel potius, quid iſtic, ſignificat hominem de loco ac de ſententia decedere. vt è contrario, *perſtare* ac *reſiſtere* dicitur, qui aliquid negat.

SI ISTVC ANIMVM INDVXTI. Legitur & *animum induxiſti*. ſed illud plenum eſt: hoc per μεταπλασμῷ συγκοπὴν diminuitur.

IPSVS MIHI DAVVS DIXIT. Commendatio teſtis: vt, *In foro modò de Dauo audiui.* Ergo IPSVS, quaſi qui maximè ſciat.

TVTE ADEO. παρέλκεται *adeo* modò, & abundat. vt Virgilius, *Túque adeò quem mox quæ ſint habitura deorum Concilia, incertum.*

ATQVE ECCVM. *Eccum*, quaſi ecce eum, veteres dixerunt. eccum eccuius. *Ellum* quod apertius ſignificat ecce illum: & obſcurius *ellum*.

ACTVS TERTII SCENA IIII.

DAVVS. SIMO. CHREMES.

AD te ibam. S. quidnam eſt?
D. Cur vxor non accerſitur? iam adueſperaſcit.
S. audin' tu illum?
Ego dudum nonnihil veritus ſum Daue abs te, ne faceres idem,
Quod volgus ſeruorum ſolet, dolis vt me deluderes,
Propterea quòd amat filius. D. egón iſtuc facerem? S. credidi.
Idque adeò metuens vos celaui, quod nunc dicam. D. quid? S. ſcies:
Nam propemodum habeo tibi iam fidem. D. tandem cognoſti qui ſiem.
S. Non fuerant nuptiae futurae. D. quid non? S. ſet ea gratia
Simulaui, vos vt pertentarem. D. quid ais? S. ſic res eſt. D. vide,
Numquam iſtuc quiui ego intellegere. vah conſilium callidum!
S. Hoc audi. vt hinc te introire iuſſi, opportune hic fit mihi obuiam.
D. Hem, numnam periimus? S. narro huic quæ tu dudum narraſti mihi.
Quidnam audio? S. gnatam vt det oro, vixque id exoro. D. occidi.

S. Hem, quid dixti? D. optume inquam factum! S. nunc per hunc nullaſt mora.

C. Domum modò ibo: vt apparentur, dicam: atque huc renuntio.

S. Nunc te oro Daue, quoniam ſolus mihi effeciſti has nuptias.

D. Ego verò ſolus. S. corrigere mihi gnatum porrò enitere.

D. Faciam hercle ſedulo. S. potes nunc, dum animus irritatus eſt.

D. Quieſcas. S. age igitur. vbi nunc eſt ipſus? D. mirum ni domi'ſt.

S. Ibo ad eum, atque eadem haec, quæ tibi dixi, dicam eadem illi.

D. nullus ſum.

Quid cauſae ſt, quin hinc in piſtrinum recta proficiſcar via?

Nihil eſt preci loci relictum, iam perturbaui omnia:

Erum feſelli: in nuptias conieci erilem filium:

Feci hodie vt fierent, inſperante hoc, atque inuito Pamphilo.

Hem aſtutias! quòd ſi quieſſem, nihil eueniſſet mali.

Set eccum ipſum video: óccidi.

Vtinam mihi eſſet aliquid hic, quo nunc me præcipitem darem.

AD TE IBAM. *Dauus* vt rectè ſcribatur, *Daoos* ſcribendum eſt, quia nulla litera vocalis geminata, vnam facit ſyllabam. ſed quia ambiguitas vitanda eſt nominatiui ſingularis & accuſatiui pluralis, neceſſariio pro hac regula, digamma vtimur, *DaFus*, *ſerFus*, *Fulgus*, *cerFus*. AD TE IBAM. Locus eſt, in quo iam ad diſcrimen mali perducta comedia, in meliorem partem iam incipit inclinare.

EGO DVDVM NONNIHIL VERITVS SVM DAVE ABS TE. Semper grauis inceptio orationis quæ exordium ſumit à pronomine ego: vt, *Ego te quæ plurima fando*. &, *Ego poſtquam te emi à paruulo*. EGO DVDVM. Aduerbia temporis, aut certa ſunt, vt hodie, cras: aut incerta, vt dudum, nuper. Itaque incertis certum additur tempus: vt iam dudum, nunc nuper. NONNIHIL VERITVS SVM DAVE ABS TE. Breuiter, pro, veritus ne quid abs te fieret. ſicut ſuprà, *Hei metui à Chryſide*. Et Cicero, *Quod precatus ſum à diis immortalibus*. pro eo quod eſt, quæ à diis petij, precatus eos.

QVOD VOLGVS SERVORVM SOLET. Totum cum extenuatione protulit, tanquam qui ſatisfactum voluerit Dauo ob comprobatam fidem eius.

NAM PROPEMODVM HABEO IAM TIBI FIDEM. Ridicula dilatio eius rei quæ iam dudum nota eſt auditori. NAM PROPEMODVM HABEO IAM. hoc eſt *prope modum*, cuius accuſatiuus eſt à *modus*.

SED EA GRATIA. *Gratia*, pro cauſa poſuit, noue.

SIC EST RES. Quod Græci dicunt, ὕτως ἴχει.

NVMNAM. Nam παρέλκεται, vt in *quiſnam*.

QVIDNAM AVDIO? Legitur & *audiam*. Menander enim ſic ait, τί δῆτ' ἀκούω.

OCCIDI OPTIME. Bene vſus eſt παρονομασίᾳ, *occidi* & *optime*, vt ſimilitudine falleret audientem.. PER NVNC. Chremetem ſcilicet.

IBO: ATQVE HVC RENVNTIO. Varie, *ibo* & *renuntio*.

NVNC TE ORO DAVE. *Te*, id eſt per quem ſtat ſumma negotij. Et modò magis verè rogat. quàm tunc cum ait, *De hinc poſtulo, ſiue æquum eſt, te oro Daue*. ibi enim iracundia latet, cum dixit, *ſiue æquum eſt*.

EFFECISTI HAS NVPTIAS. Non *feciſti* eſt enim *efficere*, perficere faciendo. Et bene HAS: quarum cauſa laboro.

EGO VERÒ SOLVS. ΔΙΑΝΟΙΑ Et hoc ad increpationem dicit, non ad confirmationem. SOLVS. Id eſt, cui non aſſentiebat Pamphilus.

PORRO. In futurum, deinceps. Futuri temporis aduerbium. vel adhortantis: *vt porro Quirites.*

ENITERE. Labora: quaſi difficile ſit, & conatu ſit opus.

HERCLE SEDVLO. Productiones ſunt Comici ſtili ad fucum orationis poſitæ.

POTES NVNC. A poſſibili argumentum.

DVM ANIMVS IRRITATVS EST. Quia dixerat, *Iræ ſunt inter Glycerium & gnatum. Irritatus eſt*, commotus, ira prouocatus. vt in Phormione. Ducitur autem verbum à canibus, qui reſtrictis dentibus hanc literam R imitantur.

QVIESCAS. Id eſt conquieſce, imperatiui modi, ne iniurioſum videretur. QVIESCAS. Pro quieſce. aut deeſt volo, aut facito.

AGE IGITVR. *Age*, dic: vt eſt, *Egi, atque oraui tecum*: aut aduerbium eſt hortandi.

MIRVM NI DOMI EST. Exiſtimationem intulit, incertum fugiens: & eſt compoſitum quaſi miror. MIRVM NI DOMI EST. Compoſitum eſt, quaſi hoc eſt mirum, ni domi eſt. Cautè ſeruus callidam interrogationem ſenis paratus excepit. Memor ſimulatæ diſcordiæ cum amica, fingit non ſe alibi eum eſſe ſuſpicari, quàm domi.

DICAM EADEM ILLI. In aliis ITIDEM ſcriptum eſt: quod ſi eſt, pro item accipiamus. An ergo *idem* pro item?

NVLLVS SVM. Plus eſt *nullum eſſe*, quàm *periiſſe*. nam qui perit, vel corpus habet reliquum: qui verò nullus eſt, ita non eſt, ac ſi natus non ſit.

HINC. Id eſt, ex hoc loco.

RECTA PROFICISCAR VIA? Bene *recta*, vt corporis impulſionem lucrifaciam. aut *recta*, vt non eam ad precatorem, aut ad Pamphilum. Et bene *proficiſcar. proficiſci* enim in rem ægram ac difficilem dicimus. Et *recta via*, plana dixit, non tantùm recta.

NIHIL EST PRECI LOCI RELICTVM. Subiungit ergo cauſas cur proficiſcatur in piſtrinum. NIHIL EST PRECI. quod prædixit ſenex.

IAM PERTVRBAVI OMNIA. Allocutio in qua quid metuat, quid velit, manifeſtum eſt.

HERVM FEFELLI. Hæc enumeratio cauſarum eſt, qua magnificè exaggerauit errores ſuos.

CONIECI. Nec immiſi, ſed *conieci*: quod impetum & iniuriam ſignificat.

HERILEM FILIVM. τὸν τρόφιμον.

FECI HODIE. Nec ſolum *feci*, verum etiam addidit tempus, *Hodie*: vt ne diecula quidem eius ſit, quod fecerat, mali.

INSPERANTE HOC, ATQVE INVITO. *Inſperante & inuito*, duplex offenſio.

HEM ASTVTIAS! Bona εἰρωνεία. Pluraliter dixit *aſtutias*, quaſi is qui abundet aſtutiis, vt ei vna non ſufficeret.

VTINAM MIHI ESSET ALIQVID. Non dixit gladium, aut laqueum: ne eſſet tragicum. Ergo expreſſit bene, dicens, *Quo me nunc præcipitem darem.*

ACTVS TERTII SCENA V.

PAMPHILVS. DAVVS.

VBI illic eſt ſcelus qui me perdidit? D. perij. P. atque hoc confiteor,
Iure mihi obtigiſſe, quando quidem tam iners, tam nulli conſilij
Sum. ſeruón' fortunas meas me commiſiſſe futili?
Ergo pretium ob ſtultitiam fero: ſet inultum numquam id auferet.
D. Poſthac incolumem ſat ſcio fore me, nunc ſi hoc deuito malum.
P. Nam quid ego nunc dicam patri? negabón' velle me, modo

Qui ſum pollicitus ducere? qua fiducia id facere audeam?
Nec quid me nunc faciam, ſcio. D. nec quidem me: atque id ago ſedulo.
Dicam aliquid iam inuenturũ, vt huic malo aliquam producam moram.
P. Ohe. D. Viſus ſum. P. ehodum bone vir, quid ais? vidén' me tuis conſiliis
Miſerum impeditum eſſe? D. at iam expediam. P. expedies? D. certè Pamphile.
P. Nempe vt modo. D. imò melius, ſpero. P. oh, tibi ego vt credam furcifer?
Tu rem impeditam & perditam reſtituas? hem quo fretus ſiem,
Qui me hodie ex tranquilliſſima re coniecisti in nuptias.
An non dixi hoc eſſe futurum? D. dixti. P. quid meritus? D. crucem.
Sed ſine paululum ad me redeam. iam aliquid diſpiciam. P. ei mihi,
Cum non habeo ſpatium, vt de te ſumam ſupplicium, vt volo?
Namque hoc tempus, præcauere mihi me, haut te vlciſci ſinit.

VBI ILLIC EST SCELVS. Hæc ſcena, cuius perturbationis eſſe debeat, etiam ſuprà poëta præſtruxit quum ad conſentiendum Daui conſilio tardum Pamphilum faceret. VBI ILLIC EST SCELVS. Accuſatio. VBI ILLIC EST SCELVS. Nimiùm terribile eſt, ſæuire antè quàm videas eum contra quem iraſceris. VBI ILLIC EST SCELVS, QVI ME PERDIDIT? Ad intellectum, non ad verba redegit. & eſt figura σύλληψις per genera. Virgilius, *Pars in fruſta ſecant.* Sed hic figura eſt per numeros: nam quia ſcelus, ſceleſtus intelligitur. modo QVI ſubiunxit, non *quod.*

TAM INERS. Sine arte, id eſt ſine ἀρετῆ.

TAM NVLLI CONSILII. Vna pars orationis eſt, *nulli cõſilij.* nos, *nullius* & *ſolius*: rectè autem veteres, *nullo nulli*, *ſolo ſoli* declinabant.

ME COMMISISSE. Non commendaſſe: ſed, *commiſiſſe. Committimus* enim quæ cum magno periculo volumus eſſe ſeruata.

FVTILI. Leui. nam à vaſe, quod *futile* dicitur, quod non deponunt miniſtri ſacrorum, quod eſt acuto fundo & patulo ore, eòque inſtabile eſt. Virgilius, *Conſilii habitus non futilis author.* ERGO PRETIVM OB STVLTITIAM FERO. Ergo pretium & præmium generaliter pro bene, aut male facto redditur. ſed diſcernitur ita. nam pretium pro ſtultitia, eſt pœna: pretium pro virtute, honor eſt & lucrum. PRETIVM OB STVLTITIAM. Sic Plautus locutus eſt, *Pretium ob aſinos.* pro, aſinorum pretium. Virgilius. *Rem magnam, pretiúmque moræ fore.* Et alibi, *Illum Tydides alio pro talibus auſis Afficit pretio.* & eſt figura ἔλλειψις. vt apud Virgilium. *Inuidiſſe deos patriis vt redditus oris.*

POSTHAC INCOLVMEM SAT SCIO FORE ME. Sic dicere ſolemus in magno periculo poſiti: nunquam nos periclitaturos, ſi illud periculum potuerimus euadere. POSTHAC. Audacter ſe incolumem in futurum promittit fore, cum vita hominis tam variis multíſque ſit periculis conferta. ſed hoc dicit: Sic inquit periclitor, ſi hoc euaſero, ſcio me non poſtea periclitaturum. Menander ſic ἂν Θεὸς ΦΕΥΓΕΙ ΟΥΚ ΑΝΑΠΟΛΥΜΠΠΕ* & eſt ſenſus, Tam difficile eſt hinc euadere, vt qui hinc euaſerit, videatur immortalis futurus. DICAM PATRI. Bene *patri*, non Simoni: vt de authoritate huius nominis ſummus terror exurgat.

MODO QVI SVM POLLICITVS. *Modo*, mire. etenim maiorem vim habent recentiora promiſſa, MODO QVI SVM POLLICITVS. Oratorie melius *pollicitus* ſum dixit, quàm ſi

promiſi, diceret. QVA FIDVCIA. *Qua fiducia*, ad perſonam ſuam retulit. & *fiducia* modo impudentiam ſignificat.

NEC QVID ME NVNC FACIAM, scio. Nos *quid faciam*. veteres autem ME addebant. Et nota *faciam*, cum ablatiuo caſu. Ablatiuus caſus, *me*.

ATQVE ID AGO SEDVLO. Id quæro, hoc eſt vt inueniam quid faciam

ALIQVAM PRODVCAM MORAM. *Produc𝔱em*; legitur & *preducam*. Significat autem differam, protendam, prolatem.

EHODVM BONE VIR. Grauis interrogatio, & minantis cum iracundia. Et hoc ἐκφώνησις proſequitur, cum omne genus contumeliæ leue in eum dicimus, in quem ferimur iracundia. VIDEN' ME? Hoc eſt, nunquid negare potes?

IMPEDITVM ESSE? *Impeditus* eſt proprie, qui ita pedes habet illigatos, vt progredi non poſſit. Sed hic ad negotium retulit.

AT IAM EXPEDIAM. Non ſe defendit, ſed emendaturum promittit. & bene ad impeditum, expediam retulit. duo promiſit ſimul: & tempus cum celeritate, & effectum.

IMÒ MELIVS SPERO. Bene MELIVS comparatiuo eſt vſus, quaſi hoc bonum ſit, illud melius. FVRCIFER? *Furciferi* dicebantur, qui ob leue delictum cogebantur à dominis, ignominiæ magis, quàm ſupplicij cauſa circa vicinos furcam in collo ferre, ſubligatis ad eam manibus, & prædicare peccatum ſuum, ſimúlque ſummonere cæteros, nequid ſimile admittant. Itaque & Cicero de ſeruo, *Quid inde furcifer? quò progreditur?*

TV IMPEDITAM ET PERDITAM RESTITVAS? Multum progreſſus eſt, *impeditam* dicere. modo *perditam* dixit Senſus hic eſt, Integram perdidiſti, & perditam reſtituas? TV. hoc eſt, qui integram expeditámque turbaſti.

QVO FRETVS SIEM. Eſt memor ſe antè dixiſſe, Dauum video, cuius conſilio fretus ſum. HOC ESSE FVTVRVM. Vt ab illa excludar, hac concludar. & vide quò me inducas. CRVCEM. Plena ſatisfactio eſt, confeſſio peccati ſine recuſatione pœnarum. nam mitiores eos reddimus, quibus vultu operæ pretium pro delictis noſtris offerrimus, Virgilius, *Equidem merui, nec deprecor inquit.*

AD ME VT REDEAM. *Redire ad ſe* dicitur, qui animum recipit, & ſedem mentis. Virgilius, *Victus redit ad ſe.* & hic de corpore dixit. Ad ſe autem redit, qui amens eſſe deſiſtit.

DISPICIAM. *Diſpicere*, eſt diſquirere conſilium. *deſpicere*, deorſum aſpicere.

CVR NON HABEO SPATIVM. διχοτομία.

NAMQVE HOC TEMPVS PRÆCAVERE. Sic Virgilius, *Sed motos præſtat componere fluctus*. & eſt σύλληψις: illud enim cogit, hoc finit.

ACTVS QVARTI SCENA PRIMA.

CHARINVS. PAMPHILVS. DAVVS.

HOCINEST credibile, aut memorabile,
Tanta vecordia innata cuiquam vt ſiet,
Vt malis gaudeant, atque ex incommodis
Alterius, ſua comparent vt commoda? ah
Id neſt verum? imò id eſt genus hominum peſſumum.
In denegando modo quis pudor paululum adeſt.
Poſt vbi tempus eſt promiſſa iam perfici,
Tum coacti, neceſſario ſe aperiunt, & timent;
Et tamen res cogit denegare.
Ibi tum eorum impudentiſſima oratio eſt,

Quis

Quis tu es? quis mihi es? cur meam tibi?
Heus PROXIMVS *ſum egomet mihi. Attamen, vbi fides,*
Si roges, nihil pudet hic, vbi opus eſt,
Non verentur illic, vbi nihil opus eſt, ibi verentur.
Set quid agam? adeámne ad eum, & cum eo iniuriam hanc expoſtulem?
Ingeram mala multa, atque aliquis dicat, Nihil promoueris.
Multum. moleſtus certe ei fuero; atque animo morem geſſero.
P. Charine, & me & te inprudens, niſi quid di reſpiciunt, perdidi.
C. Ita ne? inprudens tandem inuentaſt cauſa. ſoluiſti fidem.
P. Quid tandem? C. etiam nunc me ducere iſtis dictis poſtulas.
P. Quid iſtuc eſt? C. poſtquam me amare dixi, complacitaſt tibi.
Heu me miſerum! qui tuum animum ex animo ſpectaui meo.
P. Falſus es. C. nonne tibi ſatis eſſe hoc viſum ſolidum ſt gaudium.
Niſi me lactaſſes amantem, & falſa ſpe produceres?
Habeas. P. habeam? ah neſcis quantis in malis verſer miſer,
Quantáſque hic ſuis conſiliis mihi confecit ſollicitudines,
Meus carnufex. C. quid iſtuc tam mirum ſt, ſi de te exemplum capit?
P. Haut iſtuc dicas, ſi cognoris vel me, vel amorem meum.
C. Scio. cum patre altercaſti dudum: & is nunc propterea tibi
Succenſet: nec te quiuit hodie cogere, illam vt duceres.
P. Imo etiam, quo tu minus ſcis aerumnas meas:
Hae nuptiae non apparabantur mihi,
Nec poſtulabat nunc quiſquam vxorem dare.
C. Scio: tu coactus tua voluntate es. P. mane,
Nondum ſcis. C. ſcio equidem illam ducturum eſſe te.
P. Cur me enicas? hoc audi. nunquam deſtitit
Inſtare, vt dicerem me eſſe ducturum patri:
Suadere, orare, vſqueadeo donec perpulit.
C. Quis homo iſtuc? P. Dauos. C. Dauos? P. interturbat. C. quam-ob-rem? P. neſcio.
Niſi mihi deos ſatis ſcio fuiſſe iratos, qui ei auſcultauerim.
C. Factum eſt hoc Daue? D. factum. C. hem, quid ais ſcelus?
At tibi di dignum factis exitium duint.
Eho, dic mihi, ſi omnes hunc coniectum in nuptias
Inimici eius vellent: quod, niſi hoc, conſilium darent?
D. Deceptus ſum, at non defetigatus. C. ſcio,
D. Hac non ſucceſſit, alia aggrediemur via.
Niſi id putas, quia primo proceſſit parum,

Nòn poſſe iam ad ſalutem conuerti hoc malum.
P. Imò etiam. nam ſatis credo, ſi aduigilaueris,
Ex vnis geminas mihi conficies nuptias.
D. Ego Pamphile, hoc tibi pro ſeruitio debeo,
Conari manibus, pedibus, noctéſque & dies,
Capitis periculum adire, dum proſim tibi.
Tuumſt, ſiquid praeter ſpem euênit, mihi ignoſcere.
Parum ſuccedit quod ago, at facio ſedulo.
Vel melius tute aliud reperi: me miſſum face.
P. Cupio. reſtitue, quem à me accepiſti locum.
D. Faciam. P. at iam hoc opus eſt. D. hem: ſt mane: concrepuit à Glycerio oſtium.
P. Nihil ad te. D. quaero. P. hem, nuncine demum? D. at iam hoc tibi inuentum dabo.

HOCINE CREDIBILE EST. Elegans perturbatio, in qua inter ſe Simo, Pamphilus, Dauus, Charinus, Byrria, Chremes, omnes omnibus redduntur offenſi. HOCINE CREDIBILE EST. Et incredibile eſt inquit, & nefandum. è contrario enim ab interrogatione quadam incipiunt, qui nimis iraſcuntur: vt & illud, *Hocine humanum factum.* Et totum hoc in pronuntiatione eſt. hoc enim genus interrogationis vim negandi exprimit. HOCINE CREDIBILE EST. A generalitate incipit, vt Cicero, *Quàm facile ſerpat iniuria & peccandi conſuetudo, quàm non facilè reprimatur, videte indices.*

CVIQVAM VT SIET. Singulari & plurali numero reſpondet. CVIQVAM VT SIET, VT MALIS GAVDEANT. Cum dixiſſet CVIQVAM, intulit numerum pluralem. vt alibi,

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis
Quamplurimis, & minime multos laedere:
In his poëta hic nomen profitetur ſuum.

VT MALIS GAVDEANT. Legitur & *gaudeat.*

ATQVE EX INCOMMODIS ALTERIVS, SVA COMPARENT VT COMMODA? Hoc eſt, non intelligunt commoda ſua, niſi ex alterius incommodis ea æſtimauerint. EX INCOMMODIS ALTERIVS. Et hic gaudeant, ſubauditur. SVA COMPARENT. Hoc eſt acquirant, vel æſtiment. IDNE EST VERVM? IMÒ ID GENVS. Alii ſic, Verum eſt, hoc genus hominum è ſe probauit eſſe, cum malus ſit: & ſic contra hoc, Imo non hominem, ſed peſſimum hominem ſe probauit. IDNE EST VERVM? IMÒ ID GENVS. Parum accuſauerat, dicens, Idne eſt verum hominum genus? & ideo addidit, Imò id genus hominum eſt peſſimum. vt hoc facere, non hominis modo ſit, ſed peſſimi hominis.

IN DENEGANDO MODO. *Modo*, pro tantummodo.

QVIS PVDOR PAVLVLVM ADEST. Adeſt pudor, ne denegēt: non adeſt, vt & præſtent.

POST VBI TEMPVS. Deeſt *eſt*: vt ſit, *tempus eſt.*

NECESSARIO SE APERIVNT. Mire ait *neceſſario*, quia natura ſunt tales: neceſſitas autem in natura eſt conſtituta. APERIVNT. Mire, *aperiunt:* quoniam tunc cum promittebant, mali erant: ſed latebat malitia intra pectoris altitudinem.

ET TIMENT, ET TAMEN RES COGIT DENEGARE. Bis numero ſubauditur *denegare.* Et melius *timent*, quàm ſi diceret, *pudet eos.* nam *timor* eſt etiam malorum: *pudor*, tantum bonorum. RES. Malitia ſcilicet tanquam mali ſint ad rem quam præſtare non poſſunt.

QVIS TV ES? QVIS MIHI ES? *Quis tu es*, ad dignitatem refertur: *quis mihi es*, ad neceſſitudinem: id eſt frater, aut cognatus. Et hæc verba, mollia ſunt dictu, ſed animo aſpera. CVR MEAM TIBI? ἐκλείψις.

HEVS PROXIMVS SVM. *Heus* ſignificatio eſt modo nominis ad intentionem conſiderationémque reuocandi. PROXIMVS SVM EGOMET MIHI. Id eſt, charior mihimet ipſi ſum, quàm quiſquam alienus. PROXIMVS. Charus, beneuolus. & hoc eſt quod ait ſuprà, *Quo æquior ſum Pamphilo, ſi ſe illam in ſomnis, quàm illum amplecti maluit.* Inde *proximi & propinqui* dicuntur, qui nobis chari eſſe debent.

SI ROGES. abundat, *ſi roges*: ſed ἠθικῶς additum eſt.

NIHIL PVDET. *Pudor* eſt mali facti: *Verecundia* recti & honeſti. Ergo mire poſuit.

HIC VBI OPVS EST. Saluo pudore. HIC. Vbi promiſerant.

ILLIC, VBI NIHIL OPVS EST, IBI. *Illic & ibi*, aptum iraſcenti repetitionis genus. ILLIC. Legitur & *illi*. VBI NIHIL OPVS EST. *Vbi* nondum promiſerunt, ibi verentur; quod ait ſuprà, *In denegando modo quis pudor eſt paululum.*

ADEAMNE AD EVM. Hic locus deliberationis eſt: an adeat ad Pamphilum. & vnum AD abundat, & moraliter verba Charini ſunt poſita.

INIVRIAM. Pro de iniuria.

EXPOSTVLEM. *Expoſtulatio* eſt aduerſus eum quem incuſamus. nam *expoſtulare*, eſt querelam apud eum ipſum deponere, de eo ipſo qui fecit iniuriam. *Poſtulare* autem, querelam dicere de altero apud alterum.

INGERAM MALA MVLTA. Quaſi tela, ita ſe dicit ingeſturum mala.

ATQVE ALIQVIS DICAT, NIHIL PROMOVERIS. Hoc dicit, Etſi exiſtat aliquis qui mihi dicat, Quid profeceris? reſpondebo, Multum.

MVLTVM. Non ſubiunxit, quo modo multum? ſed illud faciam. MVLTVM. Subauditur, promouero. MOLESTVS CERTE EI FVERO. Tranſitum fecit dicendo, *Moleſtus certe ei fuero.* hoc eſt, ſi nihil aliud promouero, certe ei moleſtus fuero.

ATQVE ANIMO MOREM GESSERO. Erit fructus iracundiæ ex vindicta. Et per iracundiam atque turbationem non inuenit, quod ſit multum: aliud. ergo inuenit, moleſtus certe ei fuero. CHARINE, ET ME, ET TE. Mire & artificioſe fecit Pamphilum priorem alloqui, ad perfringendam iracundiam Charini. alioquin ſi prior vociferari potuiſſet, tragica exclamatione vſus fuiſſet.

IMPRVDENS, Defenſio ab imprudentia. etenim niſi bonæ eſſet conſcientiæ, nunquam diceret, *te perdidi*, purgaturus. ITANE IMPRVDENS. *Imprudens*, diſtingue. & attende hoc illum repetere, quod indignatur magis, quaſi audierit imprudens, & non audierit reliqua. ITANE IMPRVDENS. Quia articulus omnis defenſionis per conceſſiuam qualitatem hoc dicto eſt conſtitutus: idcirco hoc ipſum Charinus per infirmationem repetit, hoc cupiens eripere Pamphilo quo ille maxime nititur.

QVI TVVM ANIMVM. legitur, & *Cum*.

FALSVS ES. Modo participium eſt, id eſt falleris: ſi Pamphilum dicit. Si verò coniungitur, pro *fallax* accipitur. HOC SOLIDVM. *Solidum*, plenum, idoneum, integrum.

NISI ME LACTASSES. Produxiſſes, oblectaſſes, induxiſſes. quæ ſignificatio fruſtrationem oſtendit. *Lactare*, eſt inducere in aliquam voluptatem, *à lactando*, vnde & *oblectare* dicitur. HABEAS. Permiſſio animi irati.

HABEAM. Vt ſuprà, *Aut ſi tibi hæ nuptiæ ſunt cordi.* P. *cordi!*

QVANTIS IN MALIS VERSER MISER, QVANTASQVE HÆC SVIS CONSILIIS MIHI CONFECIT SOLICITVDINES. *figurata*, vt ſuprà, *Cuius conſilio fretus ſum.* Et cum VERSER protulerit, *conficiat* debuit inferre. eſt ergo ἀνακόλουθον. aut vt eſt illud *Principio, amico filium reſtitueris, Tibi generum firmum, & filiæ inuenies virum.* CONFECIT. Legitur & *conflauit*. SOLICITVDINES. Perturbationes. MEVS CARNIFEX. Id eſt, in me carnifex, qui me torſerit. vt alibi, *Deo irato meo*: hoc eſt, in me irato deo.

SI DE TE EXEMPLVM CAPIT? Vtrum, ſi te imitatur: an, ſi de te exigit pœnas? vt ipſe alibi, *Vterque exempla in te edent.* ſed melius, te imitatur, accipimus.

HAVT ISTVC DICAS, SI COGNORIS. Noſti enim: ſed ſi cognoris, non ita dicas.

CVM PATRE ALTERCASTI. Ab iis quæ facta ſunt, ad ea quæ facta non ſunt. CVM PATRE ALTERCASTI. Legitur & *altercatus es*. non enim *altero* dicimus.

NEC TE QVIVIT HODIE COGERE. Hoc argumentum attulit ex iis, quæ non ſunt facta, cum fieri debuerint.

IMO ETIAM. Propterea & amplius. IMO ETIAM. Deeſt, *audi*.

QVO TV MINVS SCIS AERVMNAS MEAS: HAE NVPTIAE NON APPARABANTVR MIHI. *Quo*, id eſt quòd. & deeſt, *audi*; vel accipe: vt ſit, quòd, vel quoniam minus ſcis. Vel *quo*, id eſt ex quo, aut qua re. aut certe erit ſenſus, cum huiuſmodi tamen ſubauditione, Imò etiam quo tu minus ſcis ærumnas meas, eo magis audi. Aut, Imò etiam hæ nuptiæ non parabantur mihi, quo ipſo minus tu ſcis ærumnas meas. id eſt, falſæ nuptiæ erant: quæ res te fallit magis, iraſcíque mihi cogit merito. HAE NVPTIAE. Legitur & *hæ nuptiæ*. ſic enim veteres dixerunt. NON APPARABANTVR. *Apparari* cum datiuo caſu ſemper cladem & perniciem ſignificat. vt Virgilius, *Mihi ſacra parari*.

COACTVS TVA VOLVNTATE. Hæc eſt accuſatio. ille enim excuſat per imprudentiam: hic arguit voluntatem. hoc ergo dixit, Eo grauius, quo nullo cogente peccaſti.

CVR ME ENECAS? Excrucias. INSTARE, SVADERE, ORARE. Quia dixit, *inſtare, ſuadere, orare*, non plus dicere poſſet: quando nihil poteſt eſſe.

DAVVS! *Dauus*, cum admiratione pronuntiandum.

INTERTVRBAT. Deerat & hic, vt Dauus diceret: ſed plus intulit, *interturbat*. Et INTER, modo non mediocriter ſignificat: eſt enim adauctiua particula. *vt interfectus, interemptus*. Modo *poſt* vt.

——— hunc inter flumo Tyberinus amæno
Vorticibus rapidis, & multa flauus arena
In mare prorumpit. ———

NESCIO. quia iraſcitur Dauo, dixit NESCIO: alioquin ſcit.

NISI MIHI DEOS SATIS SCIO FVISSE IRATOS. Deeſt, *quia*: vt ſit, *niſi quia*.

FACTVM EST HOC. Non quòd non credat, interrogat: ſed quòd increpet.

AT TIBI DI. *At*, principium increpationi aptum. vt Virgilius, *At tibi pro ſcelere*. Et Horatius, *At ô deorum quiſquis in cælo regis Terras, & humanum genus*.

EHO, DIC MIHI. *Eho*, interiectio eſt intentationem audientis expoſcens. DIC MIHI. Semper τὸ *dic mihi*, iniurioſum eſt. vt Virgilius, *Dic mihi Damœta, cuium pecus?*

QVOD, NISI HOC CONSILIVM, DARENT? Cum odio HOC pronuntiandum eſt. ideo CONIECTVM dixit. DECEPTVS SVM. Conceſſio.

SCIO. τὸ *Scio*, non ad deceptionem, ſed ad defatigationem reddit. ergo eum ἠρέμως ſonandum. HAC NON SVCCESSIT. Deeſt, *quod cônabamur*: & proprie de bono ſic dicitur.

ALIA AGGREDIEMVR VIA. Vel *adoriemur*, id eſt enitemur. *Adoriri* proprie dicitur repente ex inſidiis aliquem inuadere.

HOC TIBI PRO SERVITIO DEBEO. Μεταληπτικῶς vel μετωνυμικῶς. *Seruitium* pro ſeruitute poſuit: vt, *Seruitio enixe tulimus*.

CONARI MANIBVS, PEDIBVS NOCTESQVE ET DIES. Ad id intulit quod ait ſuprà, *Quem ego credo manibus, pedibúſque obnixe omnia facturum*. Et accuſatiuo caſu ſine intermiſſione ſignificat, *Noctes & dies*. MANIBVS, PEDIBVS. ὑπερβολικῶς.

PRAETER SPEM EVENIT. *Euenit*, productum magis: quia hoc perpetuo non vult Pamphilo accidere. Ergo *euenit*: non autem *euenit* media correpta.

PARVM SVCCEDIT QVOD AGO. Si noſtrum eſt officia præbere: at noſtrum non eſt fortunam poſſe præſtare. Et bene *ſuccedit*, vt quod agimus, oſtendat ſucceſſus eſſe fortunæ. PARVM SVCCEDIT QVOD AGO. Vtilis ſententia pro ſapiente contra fortunam.

SEDVLO. Id eſt ex animo, & ſine dolo.

ME MISSVM FACE. Id eſt, noli vti opera mea.

RESTITVE, IN QVEM ME ACCEPISTI, LOCVM. Senſus hic eſt, Omnia mihi integra & ſalua redde, qualia tibi tradidi conſulturo, vel quum nihil promiſiſſem patri.

HEM: SED MANE. Hoc quaſi incipientis, demonſtrantíſque, aliquid noui ſe inueniſſe.

NIHIL AD TE. Hæc enim ad cogitantem nihil pertinere oportuit.

NVNCINE DEMVM? Pro denique.

AT IAM HOC TIBI INVENTVM DABO. Conſilium ſcilicet, quo in priſtinum locum reſtituaris.

ACTVS QVARTI SCENA SECVNDA.
MYSIS. PAMPHILVS. CHARINVS. DAVVS.

IAM vbi vbi erit, inuentum tibi curabo, & mecum adductum
Tuum Pamphilum: tu modo, anime mi, noli te macerare.
P. Myſis quid eſt? M. hem Pamphile, optume te mihi offers. P. Quid eſt?
Orare iuſſit, ſi ſe ames, era, iam vt ad ſe venias.
Videre ait te cupere. P. vah! perij: hoc malum integraſcit.
Sicine me, atque illam opera tua nunc miſeros ſollicitarier.
Nam idcirco adcerſor, nuptias quòd mihi apparari ſenſit.
C. Quibus quidem quàm facile potuerat quieſci, ſi hic quieſſet?
D. Age, ſi hic non inſanit ſatis ſua ſponte, inſtiga. M. atque aedepol
Ea res eſt; proptereaque nunc miſera in moerore eſt. P. Myſis,
Per omnes tibi adiuro deos, nunquam eam me deſerturum:
Non, ſi capiundos mihi ſciam eſſe inimicos omnis homines.
Hanc mihi expetiui, contigit. conueniunt mores. valeant,
Qui inter nos diſcidium volunt. hanc, niſi mors, mihi adimet nemo.
C. Reſipiſco. P. non Apollinis magis verum, atque hoc, reſponſum eſt.
Si poterit fieri, vt ne pater per me ſtetiſſe credat,
Quo minus hae fierent nuptiae, volo. ſet ſi id non poterit,
Id faciam, in procliui quod eſt, per me ſtetiſſe vt credat.
Quis videor? C. miſer aeque, atque ego. P. conſilium quaero. C. fortis.
Scio quid conere. D. hoc ego tibi profecto effectum reddam.
P. Iam hoc opus eſt. D. quin iam habeo. C. quid eſt? D. huic, non tibi habeo, ne erres.
C. Sat habeo. P. quid facies? cedó. D. dies mihi hic vt ſit ſatis vereor
Ad agendum; ne vacuum eſſe me nunc ad narrandum credas.
Proinde hinc vos amolimini: nam mihi impedimento eſtis.
P. Ego hanc viſam. D. quid tu? quò hinc te agis? C. verum vis dicam? D. imò etiam.
Narrationis incipit mihi initium. C. quid me fiet?
D. Eho tu inpudens, non ſatis habes, quòd tibi dieculam addo,
Quantum huic promoueo nuptias? C. Daue attamen. D, quid ergo?
C. Vt ducam. D. ridiculum. C. huc face ad me vt venias, ſi quid poteris.

D. Quid veniam? nihil habeo. C. attamen ſi quid. D. age, ego veniam. C. ſi quid,

Domi ero. D. tu Myſis dum exeo, parumper opperire me hic.

M. Quapropter? D. ita facto eſt opus. M. matura. D. iam inquam hîc adero.

IAM VBI VBI ERIT. In ſcena hac, inſtauratio eſt adhortationis Pamphili per Myſidem. Opus eſt enim exhortari rurſus adoleſcentem, ne ſub patris oppreſſione frangatur. IAM VBI VBI ERIT. Opportune rurſus æſtuante Pamphilo, amicæ mentio obiicitur per Myſidem, ne ſuccumbat ad nuptias patri, quamuis promiſerit patri ſe ducturum coniugem. aduerſus quam difficultatem, quia ipſius perſona non ſufficit, id agit vt ad Glycerium modo adducat Pamphilum: cuius affectũ excitat, non ex eo ſolum, quòd eum puella vocat: ſed etiam quòd deſiderat eum videre. VBI VBI ERIT. *Vbi vbi*, in prima parte vim ſuam tenet, in poſteriore productionem: & eſt quemadmodum *vt vt*, *qua qua*, *vnde vnde*: pro vbicunque, vtcunque, quacunque, vndecunque. IAM VBI VBI ERIT, INVENTVM TIBI CVRABO. Non ſolum ſe adducturam promiſit, ſed & tempus addidit. Et bene TIBI, quaſi amanti.

ANIME MI. Mollis oratio & fœminea multis implicata blandimentis. Ait enim, *Tu modo anime mi. Mi*, pro *meus*.

HOC MALVM. Amor meus, aut Glycerii ſolicitudo, quam neſcire oportuit nuptias.

INTEGRASCIT. *Integratur*, quod ad integrum redit, quod repetitur, quod inſtauratur. Virgilius, *ramóque ſedens miſerabile carmen Integrat.* SOLLICITARIER. Perturbari.

QVÒD MIHI APPARARI. *Apparari*, ad horrorem & timorem refertur: & datiuo caſui ſubiunctum, cladem & perniciem ſignificat. vt Virgilius, *Mihi ſacra parari.*

AGE, SI HIC NON INSANIT SATIS. Hic excitus, comprimit Charinum, ne fomenta iracundiæ Pamphilo præberet. Aut, ſi pœnitet te, quantum hic ſua ſponte inſanit. SI HIC NON INSANIT SATIS. *ἐιρωνεία* eſt. aut laus ad mitigandum Pamphilum.

EA RES EST. Id eſt, nuptias apparari ſenſit.

MYSIS. Aſſeueratio eſt, ſi à nomine eius incipias, cum quo loqueris.

PER OMNES TIBI ADIVRO DEOS. *Ad*, auctiua particula eſt: vt *admirabiliter*, valdè mirabiliter: & *aduerto*. Et hoc ſupereſt amiſſa fide, vt adiurandum ſit.

OMNES HOMINES. Mira verecundia: *omnes homines* maluit dicere, vt in his quoque parentes ſignificaret, quàm aperte dicere patrem, cuius metu promiſit nuptias. & eſt contra illud, *Sed vim vt queas ferre.* OMNES HOMINES. Ita dixit de vno, hoc eſt patre, *omnes homines*: vt idem alibi, *O cælum, ô terra, ô maria Neptuni*. Nunquid & cælum, Neptuni eſt? non vtique: ſed omnia hæc maria voluit eſſe. vt Virgilius, *Omnia vel medium fiant mare.*

CONTIGIT. Quod vix euènit, *contigiſſe* dicitur.

CONVENIVNT MORES. Recte: & id quod matrimonium firmat.

VALEANT. Hoc eſt, abeant, recedant: quia & diſcedentibus & mortuis, *vale* dicitur. vt Virgilius, *Salue æternum mihi maximè Palla. Æternúmque vale.* Vel potius τῷ ἐυφημισμῷ, cum male optaturus eſſet, conſiderato patre παραδόξως locutus eſt: & non dixit quod intenderat, pereant. Et attende quàm moderate pluraliter dixerit, cùm ſignificaret patrem. VALEANT. Renuntiationis & imprecationis eſt verbum.

HANC, NISI MORS, MIHI ADIMET NEMO. Etſi valeant, hanc, niſi mors, nemo adimet. Conceſſio hîc eſt. hoc enim per conceſſionem dicitur. HANC, NISI MORS, MIHI ADIMET NEMO. Perſeuerat, ne dicat, pater: pro, Non adimet pater.

RESIPISCO. Spiritum reuocat ſenſus.

MAGIS VERVM. Aut *magis verum*, aut *verius* dicimus.

VT NE PATER. *Vt ne*, pro ne non.

PER ME STETISSE. *Stetiſſe*, hoc eſt eſſe. vt Virgil. —— *deſertáque montis Stat domus.* Aliter, plenum eſt. vt idem, *Stant & iuniperi, & caſtanea hirſuta.* Aliter, horreat. vt, *Stant lumina flamma.* Et Lucilius, *Stat ſentibus fundus.* PER ME STETISSE. Hoc eſt, per

me factum eſſe, ne fierent nuptiæ.

MISER AEQVE, ATQVE EGO. Bene, *atque ego*: quia hic amore vexatur. Et intulit *παράδοξον*. Nam volebat Pamphilus ſibi dici, fortis: quod illi tamen mox dicetur. Hic igitur aliter reſpondet, atque interrogat Pamphilus, ideò quòd videat impoſſibile eſſe, palàm reſiſtere parenti.

SCIO QVID CONERE. Senſus eſt, Scio quidem quid coneris: ſed an efficere poſſis, neſcio. SCIO QVID CONERE. Si Pamphili eſt perſona, cum εἰρωνεία dicitur: ſi Charini, ſimplex laudatio eſt. ſed ſi Pamphili eſt, hoc ſignificat quod ſuprà, *Ex vnis geminas mihi conficies nuptias*. Sed non eſſe perſonam Pamphili ex ſubiectis oſtenditur.

HVIC, NON TIBI HABEO, NE ERRES. Deterret etiam nunc Charinum, vt & ipſe adiuuet Dauum, ne Pamphilo nubat Philumena. Et eodem ſenſu vtitur Dauus aduerſum Charinum, quo ſuprà, quaſi neceſſe ſit, ſi huic non dat, te illam vxorem ducere. HVIC, NON TIBI HABEO, NE ERRES. Velut etiam pro ſe Charinus ſentiat, hoc dicit. vel vt ſolent ſerui contumaciores aduerſum amicum domini, quia nuper à Charino accuſatus eſt. vel quia, & quid dicat non habet: & videt tacendum non eſſe.

SAT HABEO. Quia dilatio facta eſt.

VT SIT SATIS. *Vt* pro ne non.

NE VACVVM ESSE ME. *Ne*, pro nedum. aut aduerbium eſt prohibentis: vt ſit *ne non*, Salluſt. ſecundo libro, *Ne illa tauro paria ſint*. pro nedum.

PROINDE HINC VOS AMOLIMINI. *Amoliri* dicuntur ea quæ cum magna difficultate & molimine ſummouentur, & tollentur è medio. ſic dixit quaſi odioſo & moleſto. *Diſcedere* dicitur, qui facile abit è medio: *Amolitur*, qui vix recedit. PROINDE HINC VOS AMOLIMINI. Moleſtum impedimentum ex rei magnitudine iacentis in medio, & ideo impedientibus ſe, dixit *Amolimini hinc*: non abite. PROINDE HINC VOS AMOLIMINI? Spe iniecta, etiam domino imperat ſeruus callidus.

NAM MIHI IMPEDIMENTO ESTIS. Vtrum hoc verè dicit, an fingit qui adhuc conſilium non inuenit, quod narrare poſſit?

HANC. Glycerium ſcilicet. & cum miſeratione puellæ, HANC.

QVO HINC TE AGIS? Vt tarditatem diſcendentis oſtendat. *Agere ſe* enim & tardi & triſtes dicuntur. ſic Virgilius.

Amiſſis remis atque ordine debilis vno,
Irriſam ſine honore ratem Sergeſtus agebat. Idem alibi,
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat.

QVÒ HINC TE AGIS? Admonitio diſcedentis, vt ſolet. nam à quo diſcedere deſideramus, admonemus eum vbi vadat, vel quo eat. Id facere, per interrogationem admonet Dauus Charinum: vt ipſe abſcedat Charinus, qui nunc vltimus remanet.

VERVM VIS DICAM? Pro initio ſedulæ narrationis hoc ſumimus. Ac ſic reſpondet Charinus, tanquam qui intelligat non diſcere velle Dauum quò eat: ſed id agere, vt abſcedat.

NARRATIONIS INCIPIT MIHI INITIVM. Narrationis ſcilicet quò eat. quia, *Verum vis dicam*, velut prooemium narraturi eſt.

QVID ME FIET? Quid igitur, inquit, quid de me fiet? Ab eo hoc, quaſi à iocante, pronuntiandum eſt. nam ſic illi impudens reſpondet. QVID ME FIET? De Philumena ducenda.

EHO TV IMPVDENS. Proprie Charino dixit *impudens*, quaſi inſolita & multa poſcenti: quippe qui & ſponſam alienam petere auſus ſit: & non ſatis habeat, per Dauum ſibi moram præſtitam Pamphili nuptiarum.

QVÒD TIBI DIECVLAM ADDO. *Dieculam*, horam. & eſt ὑποκόρισμα. *Dieculam*, hoc eſt tempuſculum: & ſumitur ab eo quòd eſt *hæc dies*. *Diecula*, mora, & quaſi parua dies. & dieculam, in qua ſcilicet ambias, quantum poteris, ad ducendam Philumenam. Vult enim ſe Dauus adiuuari per Charinum & Byrriam.

PROMOVEO. Differo. PROMOVEO NVPTIAS. Memoriter Dauus. ſcit enim illum his verbis petiſſe, *Saltem aliquot dies profer, dum proficiſcor aliquò, ne videam*. Cuius rei oblitus Charinus, etiam vt ducat vxorem petit.

RIDICVLNM. Deeſt *hominem*.
AGE, VENIAM. Vix concedentis, vix conſentientis eſt, *Age veniam*.
DVM EXEO. A Glycerio ſcilicet.

ACTVS QVARTI SCENA III.

MYSIS. DAVVS.

NIHILNE eſſe proprium cuiquam? Di voſtram fidem!
Summum bonum eſſe erae putaui hunc Pamphilum,
Amicum, amatorem, virum in quo vis loco
Paratum: verum ex eo nunc miſera quem capit
Laborem? facile hîc plus mali eſt, quàm illic boni.
Set Dauus exit. mi homo, quid iſtuc obſecro maliſt?
Quò portas puerum? D. Myſis nunc opus eſt tua.
Mihi ad hanc rem exprompta memoria atque aſtutia.
M. Quidnam inccepturus? D. accipe à me hunc ocius:
Atque ante noſtram ianuam adpone. M. obſecro,
Humine? D. ex ara hinc ſume verbenas tibi,
Atque eas ſubſterne. M quamobrem id tute non facias?
D. Quia ſi fortè opus ſit ad erum iurandum mihi
Non adpoſuiſſe, vt liquido poßim. M. intellego.
Noua nunc relligio in te iſtaec inceßit, cedo?
D. Moue ocius te, vt quid agam, porro intellegas.
Prò Iuppiter! M. quid eſt? D. ſponſae pater interuenit.
Repudio quod conſilium primùm intenderam.
M. Neſcio quid narres. D. ego quoque hinc ab dextera
Venire me aßimulabo. tu, vt ſubſeruias
Orationi, vtcunque opus ſit verbis, vide.
M. Ego quid agas, nihil intellego. ſet, ſi quid eſt,
Quod mea opera opus ſit vobis, aut tu plus vides,
Manebo: ne quod voſtrum remorer commodum.

NIHILNE ESSE PROPRIVM CVIQVAM? Hæc ſcena adminiſtrationem doli habet, quo fit vt deterreatur Chremes filiam ſuam Pamphilo dare. Et vide non minimas partes in hac comœdia Myſidi attribui, hoc eſt perſonæ fœmineæ: ſiue hæc perſonatis viris agitur, vt apud veteres: ſiue per mulierem, vt nunc videmus. NIHILNE. *Ne*, aduerbium percunctantis. NIHILNE ESSE PROPRIVM CVIQVAM? Omne quod habemus, aut mutuum eſt, aut proprium. Ergo *proprium*, perpetuum. vt Virgilius, *Propria hac ſi dona fuiſſent.* Ergo nihil nobis proprium eſſe poteſt. quod enim non fuit, nec eſſe quidem poteſt. aut quod eripi poteſt, non eſt noſtrum: niſi illa quæ eripi non poſſunt, vt ſapientia, iuſtitia, prudentia: quæ fortuna neque dare, neque eripere cuiquam poteſt. Et ſimul hoc ipſum & à re, & à perſona hic oſtendit. A re, Nihilne eſſe proprium? A per-

ſona, Cuiquam. PROPRIVM. Perpetuum, non temporale ac mutuum.

DI VOSTRAM FIDEM. Admirantis aduerbium cum exclamatione. *Fidem* dixit opem & auxilium: vt, *Thyrrenámque fidem.*

SVMMVM BONVM ESSE. Mire, pro pleno. Et neutro extulit, *ſummum bonum.*

AMICVM, AMATOREM, VIRVM. *Amicus*, animi eſt: *Amator* verò, corporis. non enim continuò amator eſt, qui bene vult. vt, Dido amauit quidem Aeneam: ſed non & amica fuit, quæ ait, *Non potui abreptum diuellere corpus, & vndis Spargere.* Et item Catullus, *Cogit amare magis, ſed bene velle minus.* & eſt hîc officium & blandimentum. Amatorem & virum & dixit ad diſcretionem: vt per ea quæ enumerat, maritum oſtenderet.

IN QVO VIS LOCO PARATVM. *Paratum* dixit ad omnes affectus, quicunque de proximo eſſe poſſunt. & maxime ad Homericam ſententiam reſpexit.

Ἕκτορ ἀτὰρ σύ μοί ἐσσι πατὴρ καὶ πότνια μήτηρ,
Ἠδὲ κασίγνητος, σὺ δέ μοι θαλερὸς παρακοίτης.

VERVM EX EO. Id eſt Pamphilo.

NVNC MISERA QVEM CAPIT DOLOREM? Cum admiratione pronuntiat *quem*, & cùm exclamatione quadam. DOLOREM, *Dolorem* diſtinxit. probe: & poſt intulit ſeparatim quod ſequitur, *Facile hîc plus mali eſt*, in dolore, & metu ſcilicet amittendi, quàm in voluntate retinendi.

FACILE HIC PLVS MALI EST, QVAM ILLIC BONI. *Facile*, aduerbium confirmantis eſt, id eſt liquido & manifeſto. Veteres dicebant *facile*, pro certo. Vt Cicero, *Illius ciuitatis facile princeps.* FACILE HIC PLVS MALI EST. *Plus mali*, in dolore & metu, vt diximus. QVAM ILLIC BONI. In ſummo bono. Dicit enim, ex bonis quæ bona exiſtimamus, plus nos mali capere, cum aut amiſſuros nos credimus, aut amittimus: quàm boni, cum habemus. QVAM ILLIC BONI. id eſt in amico, amatore, & viro.

MI HOMO QVID ISTVD OBSECRO EST? Ex Myſidis verbis, quid Dauus faciat, demonſtratur.

QVID ISTVC OBSECRO EST? Inuolutum puerum portabat Dauus: & ideo dicit mulier, *Quid iſtuc obſecro eſt?* Tum ille euoluit puerum, & profert. quem poſtquam expediuit, tum illa dixit, *Quò portas puerum?*

MYSIS, NVNC OPVS EST. Hæc ſcena actuoſa eſt. magis enim in geſtu, quàm in oratione eſt conſtituta. MYSIS, NVNC OPVS EST. Properantis & impenſe agentis Daui verba monſtrantur. EXPROMPTA. In medium prolata.

MEMORIA ATQVE ASTVTIA. *Memoria*, vt præcepta Daui retineat. *Aſtutia*, ad agendum ſtrenue quæ imperet. MEMORIA. Simpliciter magis, vt memor ſit Daui præceptorum. Et *memoria*, modo pro intelligentia. vt Virgilius, *Inſtamus tamen immemores.*

EX ARA HINC SVME VERBENAS TIBI. *Ex ara*, ſcilicet Apollinis, quem ἀγυιεῖον Menander vocat, aut quòd. Apollini comœdia dicata eſt. in cuius honorem aram conſtituebant comœdiam celebrantes. Apollini ergo comœdia, Libero patri tragœdia. SVME VERBENAS TIBI. *Verbenæ*, quaſi herbenæ, redimicula ſunt ararum. TIBI. *τὸ tibi*, quaſi geſtum quendam & motum ſtomachantis habet: vt alibi, *Quid vis tibi?* Et *tibi ſume*, dixit: non, *tibi ſubſterne.* EX ARA SVME VERBENAS. *Verbenæ*, ſunt omnes herbæ frondéſque feſtæ ad aras coronandas: vel omnes herbæ frondéſque ex aliquo loco puro decerptæ. *Verbenæ* autem dictæ, quaſi herbenæ. ſic Menander. * ΚΟΔΕξΙΑΣ ΣΥΜΥΡΡΥΝΑΣ ΧΧΗΣΔΙΕΤΕΙΝΕ. *

QVAMOBREM ID TVTE NON FACIS? *Tute* tunc dicitur, cum pronomen ad eam reuocatur perſonam, à qua inmitur: vt verbi gratia, cum dicimus, *Tu lege*: ille nobis reſpondeat, *Cur tute non legis?*

QVIA SI FORTE OPVS SIT AD ERVM IVRANDVM MIHI. Sic locutus eſt, vt explicari atque intelligi non poſſit. aut enim deeſt *ius*, vt ſit *iurandum* pro *iuſiurandum*: aut (vt vulgo dicitur) *iuramentum*. Et *opus eſt illam rem*: non, *opus eſt illa re.*

VT LIQVIDO POSSEM. *Liquido*, purè & manifeſtè. Nam quæ ſint pura & defæcata, liquida ſunt.

NOVA NVNC RELLIGIO, Bene iuſiurandum metuere ſeruum monſtri ſimile eſt. NOVA RELLIGIO. In ſeruo, & ſubita. NOVA NVNC RELLIGIO. Seruum nolle men-

tiri, noua telligio eſt. CEDO. Porrigentis eſt manum.

PORRO INTELLIGAS. *Porrò*, modò aduerbium eſt ordinis: aliàs temporis.

SPONSAE PATER INTERVENIT. Miiè non dixit *Chremes*: ne, quum dixiſſet, quis Chremes? rurſus hic reſponderet, ſponſæ pater. & non temerè hoc facit poeta: nam promiſerat ſe redituтum domum Chremes, *Domum modo ibo: vt apparentur, dicam: atque i uc renuntio.*

QVOD PRIMVM INTENDERAM. Verbum à venatoribus tranſlatum, qui retia intendunt ad feras captandas. Quia ergo parat Chremem & Simonem fallere, *intenderam* dixit. Vel à ſagittis atque arcu.

NESCIO QVID NARRES. Bene *narres*, *narrare* enim aliena, & quæ nobis non ſunt neceſſaria, dicimus. EGO QVOQVE. Bene ait *quoque*: quia & Chremes veniebat.

TV VT SVBSERVIAS. Rectè, *vt ſubſeruias*, dixit. non enim tantùm loquitur Myſis quantum Dauus.

ORATIONI, VTCVNQVE OPVS SIT VERBIS. Tuis verbis orationi meæ. plura enim loquetur Dauus. inde *orationi* dixit. illa ſubſequetur, ideo *verbis*.

VIDE. Cauta eſto, intellige, ſpecta. AVT TV PLVS VIDES. Si ſapis, intelligis.

REMORER COMMODVM. *Remorer*, retardem, retineam. *Remorari* à remora piſce minutiſſimo, qui naues retinet. nam Græce ἐχενηίς vocatur.

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

CHREMES. MYSIS. DAVVS.

REVERTOR, poſtquam, quae opus fuêre ad nuptias
Gnatæ, paraui, vt iubeam arcerſi. ſet quid hoc?
Puer hercleſt. mulier tún' adpoſuiſti hunc? M. vbi illic eſt?
C. Non mihi reſpondes? M. nuſquam eſt. vae miſerae mihi:
Reliquit me homo, atque abiit. D. di voſtram fidem,
Quid turbae eſt aput forum? quid illic hominum litigant?
Tum annona caraſt. quid dicam aliud? neſcio.
M. Cur tu obſecro hîc me ſolam? D. quae eſt haec fabula?
Eho Myſis, puer hic vnde eſt? quiſve huc attulit?
M. Satin' ſanus es, qui me id rogites? D. quem ego igitur rogem?
Qui hîc neminem alium videam? C. miror, vnde ſit.
D. Dicturán' es quod rogo? M. au. D. concede ad dexteram.
M. Deliras: non tute ipſe? D. verbum ſi mihi
Vnum, præterquam quod te rogo, faxis caue.
M. Male dicis. D. vndeſt? dic claré. M. à nobis. D. ha ha he.
Mirum verò, impudenter mulier ſi facit meretrix
C. Ab Andria eſt ancilla haec, quantum intellego.
D. Adeón videmur vobis eſſe idonei
In quibus ſic inludatis? C. veni in tempore.

D. Propera adeò puerum tollere hinc ab ianua.
Mane; caue quoquam ex iſtoc exceſſis loco.
M. Di te eradicent: ita me miſeram territas.
D. Tibi ego dico, an non? M. quid vis? D. at etiam rogas?
Cedò, cuium puerum hîc appoſuiſti? dic mihi.
M. Tu neſcis? D. mitte id, quod ſcio: dic, quod rogo.
M. Veſtri. D. cuius? noſtri? M. Pamphili. D. hem! quid? Pamphili?
M. Eho, an non eſt? C. rectè ego ſemper fugi has nuptias.
D. O facinus animaduertendum. M. quid clamitas?
D. Quémne ego heri vidi ad vos adferri veſperi?
M. O hominem audacem! D. verum vidi Cantharam
Suffarcinatam. M. dis pol habeo gratias,
Cum in pariundo aliquot adfuerunt liberae.
D. Ne illa illum haut nouit cuius cauſa haec incipit.
Chremes, ſi poſitum puerum ante edis viderit,
Suam gnatam non dabit: tantò hercle magis dabit.
C. Non hercle faciet. D. nunc adeò, vt tu ſis ſciens,
Niſi puerum tollis: iam ego hunc in mediam viam
Prouoluam: téque ibidem peruoluam in luto.
M. Tu pol homo non es ſobrius. D. FALLACIA
Alia aliam trudit. iam ſuſurrari audio,
Ciuem Atticam eſſe hanc. C. hem! D. coactus legibus
Eam vxorem ducet. M. au, obſecro an non ciuis eſt?
C. Iocularium in malum inſciens penè incidi.
D. Quis hîc loquitur? ô Chreme, per tempus aduenis.
Auſculta, C. audiui iam omnia. D. ah, ne tu omnia.
C. Audiui inquam à principio. D. audiſtin' obſecro?
Hem ſcelera! hanc iam oportet in cruciatum hinc abripi.
Hic eſt ille: non te credas Dauom ludere.
M. Me miſeram, nihil pol falſi dixi, mi ſenex.
C. Noui rem omnem. eſt Simo intus? D. eſt.
M. Ne me attingas ſceleſte: ſi pol Glycerio non omnia haec.
D. Eho inepta. neſcis quid ſit actum? M. quid ſciam?
D. Hic ſocer eſt. alio pacto haut poterat fieri,
Vt ſciret haec, quae volumus. M. praediceres.
D. Paulum intereſſe cenſes, ex animo omnia,
Vt fert natura, facias, an de induſtria?

REVERTOR. Adeſt nunc ipſe Chremes, cuius cauſa ſcena fraudibus inſtructa eſt, ne promiſſas compleat nuptias. VT IVBEAM ARCESSI. Rectè *iubeam*: quia ſumma poteſtas nuptiarum in patre puellæ eſt.

SED QVID HOC? Non interrogantis, ſed mirantis & non intelligentis eſt. & apparet eum non oculis prius, quàm corporis offenſu puerum ſenſiſſe latentem.

PVER HERCLE EST. Ornatiua particula eſt *Hercle*.

MVLIER. Magis, quàm Myſis. VBI ILLIC EST? Dauum quærit, qui nunc abſceſſit, vt & ipſe de foro venire videatur.

NON MIHI RESPONDES? Bene, *non reſpondes*. Se enim memor eſt vetitam quidquam dicere, niſi ſubſeruiat orationi Daui.

RELIQVIT HOMO ME. Mirè *hominem*, non *Dauum* dixit: vt etiam ſi audiat Chremes, incertam perſonam hominis audiat, non Dauum.

DI VOSTRAM FIDEM. Aduerbium admirantis cum exclamatione.

QVID TVRBÆ EST APVD FORVM? Hæc verba ſunt venientis de foro.

QVID ILLIC HOMINVM LITIGANT? Legitur & *litigat*.

TVM ANNONA CARA EST. Comminiſcentis eſt potius, quàm alicui referentis.

QVID DICAM ALIVD? Hoc poſt ſpectatores.

CVR TV OBSECRO HIC ME SOLAM? ἀποσιώπησις tertia.

FABVLA. Fabulam ſe dicit audire, qui rei principium, rationémque ignorat.

EHO. *Eho* interiectio eſt, vel principium animaduerſionem in ſe poſcentis, aut repentè cernentis. HIC NEMINEM ALIVM VIDEO. Callidè affirmat non ſibi viſum Chremem, cum & præuiderit venientem, & præſentem videat.

MIROR VNDE SIT. *Miror* veteres cum VNDE, pro neſcio ponebant. nam admiratio ab ignorantia deſcendit. Plautus, *Ne quis miretur qui ſim, paucis eloquar.*

AV. Interiectio conſternatæ mulieris.

CONCEDE AD DEXTERAM. Et bene DEXTERAM. ſiniſtra enim venit Chremes: & non vult proximum ei Chremetem, ſed iuxta. ſuprà enim dixit, *Ego quoque hinc ab dextera venire me adſimulabo.*

DELIRAS, NON TVTE IPSE? Deeſt, cum mihi dediſti. Sed & ſuprà, & nunc interturbat Dauus: ne mulier totum dicat. NON TVTE IPSE? ſubmiſſa voce.

VERBVM SI MIHI VNVM. Accommodatè comminatur Dauus: penè enim Myſis vniuerſa narrabat.

PRAETERQVAM QVOD TE ROGO. Hoc & ſenſim, & vt ſenex ſentiat, pronuntiari poteſt. FAXIS CAVE? Geſtu comminantis eſt & vultu: vt ſuſpenderet comminationem, deinde inferret geſtum. Ordo, *Caue faxis.*

MALE DICIS. Cum contemptu loqueris, conuitium facis. Apparet ergo *Male dicis* lenius eſſe dictum, quum ſubiungit, *Dic clarè*. MALE DICIS. Noue *Male dicis* pro comminatione poſuit, quum pro conuitio ſoleat poni. Niſi fortè, quia contumeliæ genus eſt comminatio. Quidam putant eſſe vnam perſonam, Daui ſcilicet, dictum ſuperius Myſidis, non ſatis manifeſtum Chremi, in maledicti ſimilitudinem deriuantis.

VNDE EST DIC CLARE. Hic expreſſius dixit.

A VOBIS. Quia à vobis parum intelligebatur, hic addidit morem meretricis: vt vel ſic intelligat ſenex. MIRVM VERO. Sæpe ad εἰρωνείαν refertur.

IMPVDENTER MVLIER SI FACIT. Bono ordine locutus eſt. primo enim, cauſa impudentiæ natura eſt: deinde conditio. AB ANDRIA EST ANCILLA HAEC. Effecit quod volebat Dauus. nam intellexit Chremes ex qua ſit Pamphilo natus puer.

ADEÓNE VIDEMVR VOBIS ESSE IDONEI. *Idoneus* eſt aptus ad omnia, & bona & mala.

ADEÓN'. Adeóne, an adeône ad eum?

IN QVIBVS SIC ILLVDATIS? Et *illudo in te*, ſeptimo caſu: & *illudo te*, accuſatiuo dicimus. ſed in primo ſuperuacuum eſt: vt ſit, quibus illudatis.

VENI IN TEMPORE. Cum prouiſus ſit, interueniſſe putat. VENI IN TEMPORE. Opportunè. nos ſine præpoſitione dicimus, *tempore & tempori.*

PROPERA ADEO PVERVM TOLLERE. Hic verſus clarè dicitur: ſequens, ne ſenex au-

diat, preſſe. CAVE QVOQVAM EXISTOC EXCESSIS LOCO. Neceſſario Dauus retinet Myſidem. nondum enim omnia audiuit Chremes, nondum comperit vnde ſit mulier, & puer de quo ſuſceptus ſit. *Exceſſis*, pro excedas: vt *faxis*, pro facias.

AT ETIAM ROGAS? Ruſum iurgium repetit, & turbulentam orationem.

CEDO. *Cedo* idem ſignificat quod dic, & da mihi. Ergo repetitionem ſignificat, non ſuperuacuam orationem. & eſt dictum cum quadam fiducia, & contemptu eius cum quo ſermo eſt, interrogantis aliquid.

MITTE ID QVOD SCIO. Hoc lentius & ſummiſſe.

HEM, QVID PAMPHILI? Apparet mulierem VESTRI & PAMPHILI lentius pronuntiaſſe, quàm Dauus vellet: & ideo nunc repetiſſe nomen *noſtri* & *Pamphili*. HEM, QVID PAMPHILI? Duas res operatur Dauus ſimul, & vt ignariſſimum ſe oſtendat, & vt Pamphilus nominetur. Et argutè repetit nomen Pamphili: quaſi per indignationem, vt ſoceri auribus adoleſcentis nomen inculcet. metuit enim, ne non audiat velut ſenex.

RECTE EGO SEMPER FVGI HAS NVPTIAS. Et hic efficit quod voluit Dauus, vt Pamphili Chremes puerum eſſe cognoſcat, & recuſet generum. HAS. Id eſt huiuſmodi.

O FACINVS ANIMADVERTENDVM. ἀκολούθησις quarta.

QVID CLAMITAS? Clamauit enim Dauus, vt puerum audiret Chremes.

QVEMNE EGO HERI VIDI AD VOS AFFERRI VESPERI? Vult negando irritare mulierem ad confirmanda quæ vult.

O HOMINEM AVDACEM. Exclamatio Myſidis, teſtimonium veritatis eſt.

VERVM VIDI CANTHARAM SVFFARCINATAM. Vide infimum argumentum. prius, *vidi puerum afferri*, dixit: poſt, non puerum, ſed *Cantharam ſuffarcinatam*. *Canthara*, nomen eſt anus. Et hoc dicit, vt leuiter redarguat Myſidem, non vt vincatur. hoc enim vidiſſe ſe innuit, *Cantharam ſuffarcinatam*, non puerum portantem. SVFFARCINATAM. Proprium eſt anibus ſuffarcinatas eſſe. vt Perſius, *pannucia Baucis*. Et Plautus, *Doliarem, claudam, craſſam*.

CVM IN PARIVNDO ALIQVOT ADFVERVNT LIBERAE. Indicium ſecuta confirmatio eſt, quam expreſſit Daui refutatio. ſupereſt etiam vt & concludatur effectus doli, negante Chremete ſe daturum filiam: quod ſubinde efficit Dauus dolo. ALIQVOT LIBERAE. Nec paucæ, nec multæ. LIBERAE. Teſtimonia libera contra ſeruum. Et hoc proprium Terentij eſt. nam de Romano more hoc dixit.

NE ILLA ILLVM. *Ne*, valde. Cicero, *Ne illi vehementer errant*. NE ILLA ILLVM. Chremetem ſcilicet. CHREMES SI POSITVM PVERVM. εἰ ὑποκρίσει. Et eſt μίμησις. tranſit enim à mixto ad imitatiuum characterem. CHREMES, SI POSITVM PVERVM. μίμησις, quandò aliqua verba ſic pronuntiamus, vt vana videantur.

NON HERCLE FACIET. Bene enim de ſe tertiam perſonam fecit, vt ſuprà, *At nunc faciet*. VT TV SIS SCIENS. Eloquenter. ſic enim veteres pro *ſcias* dixere.

IN MEDIAM VIAM PROVOLVAM. Bene *in mediam viam*: quia ante fores poſitus iacebat.

TEQVE IBIDEM PERVOLVAM IN LVTO. De proximo παρόμοιον repetit. Et quando nomina ſunt, παρονομασία: quando verba, παρόμοιον. PROVOLVAM. Id eſt porrò voluam. & dolo quidem minatur quod facturus non eſt: verum ſedulo id agit, vt iam puer tollatur è medio: ſimul eum ſeruat Chremeti: vt ipſe recuſet generum, non vt à quoquam paſſus videatur iniuriam.

TV POL HOMO NON ES SOBRIVS. *Sobrius*, eſt ſanæ mentis, quaſi *ſebrius*, hoc eſt ab ebrio ſeparatus, ſecretus, ſeparatus ab iis qui diſcernuntur.

FALLACIA ALIA ALIAM TRVDIT. Prouerbium. cui ſubiacet, *memorem mendacem eſſe oportere*. CIVEM ATTICAM ESSE HANC. Tranſit ad imitationem.

EHO. Interiectio eſt conturbatæ mulieris.

IOCVLARIVM IN MALVM. E contrario pro graui & moleſto ac nimio. *Iocularium* igitur κατ' ἀντίφρασιν.

QVIS HIC LOQVITVR? O CHREME, PER TEMPVS ADVENIS. Principium loquendi Dauus Chremeti dat, perfecturus quæ ipſe conatus eſt. PER TEMPVS ADVENIS. Idem eſt *per tempus*, quod in tempore. aut certè *per tempus*, tempeſtiuè. O CHREME, PER TEMPVS ADVENIS. Aſturè, quaſi eum nunc primum viderit.

Ah, ne tv omnia. Aut *nec* pro non legitur. aut *ne tu omnia*, vt *ne* producatur, & accipiatur pro non. Tv omnia. Audiſti, ſubauditur.

Avdistin' obsecro? hem. Exultans Dauus infert, & inculcat frequenter repetendo. Avdistin' obsecro? hem. Difficile credendo, affirmat ſe non ſciuiſſe præſentem Chremetem. vt hac confirmatione nihil illium de ſe faciat ſuſpicari.

In crvciatvm Non in crucem, ſed cruciatum.

Hic ille est. Cum ἐμφάσει, quaſi vir magnus. ſed hoc, Chremetem oſtendens, dicit cum εἰρωνείᾳ.

Non te credas Davvm lvdere. Virgilius. *Non Diomedis equos, non currus cernis Achillis.* Mi senex. Bene *ſenex*, quia quaſi alienior eſt, & ignotus Myſidi. *Mi*, ſuppalpatio muliebris. Ne me attingas. Quædam oſtenduntur aperte in comœdiis: quædam ex aliis perſonis intelliguntur.

Si pol Glycerio non omnia haec. ἀποσιώπησις tertia, quòd alienæ perſonæ interuentu reticeatur. Fiunt autem ἀποσιωπήσεις, id eſt reticentiæ, tribus modis. aut enim tacet per ſeipſum, & ad alium tranſit: & eſt prima. aut tacet, nec vltra aliquid dicet: & eſt ſecunda. aut alterius interuentu perſonæ ſilet: & eſt tertia.

Nescis qvid sit actvm. *Neſcis*, plerunque dicitur ei, non quem volumus redarguere imperitiæ aut ignorantiæ, ſed quem facere volumus vt velit libenter audire.

Pavlvm interesse. Noue, pro multum. Et eſt ταπεινώσεως σχῆμα.

Ex animo omnia, vt fert natvra, facias. Figura ἐπεξήγησις Nam quid eſt ex animo, niſi, vt fert natura? Et hæc ſententia à Terentio ἐρωτηματικῶς prolata eſt: quam Menander ἀποδεικτικῶς poſuit. Vt fert natvra. Hoc eſt, naturalis & ingenita actio.

An de indvstria? Id eſt, ſcientia & prouidentia. ea enim quæ diſcimus & ſcimus, operatione genita & induſtria quadam ſcimus. vt Virgilius, *Et cui putre ſolum (namque hoc imitamur arando.)*

Actvs qvarti scena V.
Crito. Mysis. Davvs.

In hac habitaſſe platea dictum eſt Chryſidem.
Quae ſeſe inhoneſte optauit parare hîc diuitias
Potius, quàm in patria honeſte pauper viuere.
Eius morte ea ad me lege redierunt bona.
Set quos perconter, video. ſaluete. M. obſecro
Quem video? éſtne hic Crito ſobrinus Chryſidis?
Is eſt. C. ô Myſis ſalue. M. ſaluos ſis Crito.
C. Itáne Chryſis? hem! M. nos quidem pol miſeras perdidit.
C. Quid vos, quo pacto hîc? ſatín' recte? M. nóſne? ſic.
Vt quimus, aiunt, quando vt volumus, non licet.
C. Quid Glycerium? iam hîc ſuos parentes repperit?
M. Vtinam! C. an nondum etiam? haut auſpicato huc me adpuli.
Nam pol, ſi id ſciſſem, numquam huc tetuliſſem pedem.
Semper enim dicta eſt eius hæc, atque habita eſt ſoror.
Quae illius fuerunt poſſidet. nunc me hoſpitem

Lites ſequi, quàm hîc mihi ſit facile atque vtile,
Aliorum exempla commonent. ſimul arbitror,
Iam aliquem eſſe amicum & defenſorem ei. nam ferè
Grandiuſcula iam profectaſt illinc. clamitent
Me ſycophantam hereditates perſequi,
Mendicum. tum ipſam deſpoliare non licet.
M. Optume hoſpes pol Crito antiquum obtines.
C. Duc me ad eam: quando huc veni, vt videam. M. maxume.
D. Sequar hos. nolo me in tempore hoc videat ſenex.

IN HAC HABITASSE PLATEA. In hoc loco perſona ad cataſtrophen machinata, nunc loquitur. Nam hic Crito nihil argumento debet, niſi abſolutionem erroris eius. ſimul ex verbis ſuis, quàm grauis, quàm modeſtus, quámque iuſtus ſit oſtendit. IN HAC HABITASSE. Non *habitare*: ſed quia mortua eſt, *habitaſſe* dicit. PLATEA. Græci πλατεῖαν dixerunt, quam nos *plateam* dicimus. Secundum formam eiuſmodi, μηδείαν & *Medeam*, σπονδεῖον & *ſpondeum* ſcribimus.

QVAE SE INHONESTE OPTAVIT. *Optare*, eſt vnum de duobus eligere. Virgilius, *Pars optare locum tecto.*

PARARE HIC DIVITIAS. Animo hæredis dixit *parare diuitias*.

POTIVS QVAM IN PATRIA. Primùm dolet Crito quòd meretrix fuit Chryſis. ſecundò progreſſus, quæritur quòd mortua eſt. Et nota quòd tria dixit Crito contempſiſſe Chryſidem: patriam, honeſtatem, & paupertatem. τὸ πρέπον etiam ſeruatum eſt graui viro, quum illum ſobrinæ puder. ſimul hîc oſtenditur eius generis fuiſſe Chryſidem: vt quæ probè viuere potuerit: niſi, vt ait, neceſſitas cogeret. QVAM IN PATRIA HONESTE, ἀντίθετος primum. POTIVS QVAM IN PATRIA HONESTE PAVPER VIVERE. His verbis à poëta iam honeſtus inducitur Crito, & dignus cui credi oporteat. PAVPER VIVERE. Ad illud reddidit, *Sed inopia, & cognatorum negligentia coacta.*

EA AD ME LEGE REDIERVNT BONA. Hic ius tractauit dicendo REDIERVNT: quia in familiam redeunt, ſi non eſt heres de proximo, aut ex teſtamento.

PERCONTER. Interrogatio eſt, cui neceſſariò reſpondetur aut etiam, aut non. *Percontatio*, cui nihil horum. vt ſi quis dicat, vbi habitabat Chryſis, dicatur, Ecce hic. *Percontatio* vt ſi quis dicat, Cur adulterium commiſiſti? Simul etiam modeſtè & maturè, & de ſe nihil interrogaturus, cœpit à blandimentis.

ESTNE HIC CRITO SOBRINVS CHRYSIDIS? *Sobrini* ſunt conſobrinorum filij: nam ſic dicit Menander. verum vt alij putant, de ſororibus nati, vt ſint *ſobrini*, quaſi ſororini.

SALVVS SIS CRITO. *Saluus*, aſſeueratio ſalutantis eſt, non quaſi reſponſio.

ITANE CHRYSIS? HEM. Non nunc interrogat, ſed commiſeratur: & ita ſequebatur vt diceret, periit. ſed magis gemitus ſignificat, quod minus dixerat.

NOS QVIDEM POL MISERAS PERDIDIT. Hîc intelligitur ſuprà ſubaudiendum periit. Nam pro *periit*, hæc repoſuit, *perdidit*.

QVID VOS? QVO PACTO HIC? Progreſſio loquentis ad interrogandum. Id eſt puto, inquit, quòd illa periit: vos autem quo modo? QVO PACTO HIC? Significatio eſt peregrinantis.

NOSNE? SIC VT QVIMVS. τὸ *ſic*, nudum eſt. & eſt ſignificatio languoris cuiuſdam & lentitudinis. SIC VT QVIMVS, AIVNT, QVANDO VT VOLVMVS, NON LICET. Et ad præſentis, & ad præteritæ vitæ excuſationem pertinet iſta reſponſio: qua purgatur voluntas Chryſidis in quæſtu meretricio. Cecilius in Plocio. *Viuas vt poſſis, quando nequis vt velis.*

QVID GLYCERIVM? IAM HIC SVOS. Conuenit hereditatem petenti, conuenit iudici futuro, de pluribus indagare. Ergo rectè & ordine quæſiuit, Quid Chryſis? quid vos? quid Glycerium?

Vtinam. Nouo genere exoptationem pro negatione intulit.

Havt avspicato hvc me appvli. Id eſt inauſpicatus, quòd non eſſet auſpicatus. & vſitatum veteribus ſic dicere, ſiquid aliquando aliter eueniſſet quàm vellent.

Nvnqvam hvc retvlissem pedem. Virgilius, *Méne efferre pedem genitor te poſſe relicto Sperasti?* Et, *Ferte ſimul Faunique pedem, Dryadéſque puellæ.* Sed Critici adnotant alienius eſſe à charactere comico, *retuliſſem pedem.*

Semper enim eivs dicta est haec, atqve habita est soror. Aut veris credendum eſt, aut etiam falſis, quæ tamen inueterauerint. Hinc Cicero, *Ita habeantur, itáque dicantur. Habita* ergo plus eſt, quàm *credita.* Semper eivs. A poſſibili & vtili.

Nvnc me hospitem lites seqvi. Mirè dicit me, cum ἐμφάσει, id eſt ſenem & remotum à litibus. *Hoſpitem,* id eſt peregrinum. *Lites ſequi,* id eſt pauperem. totum ἔμφασιν.

Qvam hic mihi sit facile atqve vtile. Id eſt difficile & inutile. & eſt comicum.

Grandivscvla iam. Ad partem ætatis refertur grandis, id eſt grandis natu eſt. Maior autem, generaliter, & ad ſummam ætatis refertur, & ad comparationem ætatis pariter poſitum eſt.

Sycophantam. Hoc eſt, quum in me conueniunt lites. Sycophantam. Bene, *ſycophantam*: quia bonam cauſam habet, nihil aliud timet quàm conuitia. Et *ſycophantam.* ſubdiſtingue: & ſic infer ſequentia.

Tvm ipsam despoliare non licet. Ab honeſto. & bene, quia nihil ſuum habet, niſi Chryſidis.

Antiqvvm obtines. *Antiquum* abſolute dixit, vt *æquum* aut *bonum*, quod antiqui ſolebant: aut certè per τὸ ἦθος, id eſt morem & ingenium.

Dvc me ad eam qvando hvc veni, vt videam. Vel hoc inquit, vt videam. cur autem vt videam? quia timet. & eſt ordo. Duc me ad eam, vt videã, quãdo huc veni.

Videat senex. Bene *ſenex.* Suno enim cum Chremete eſt. propter hoc videri non vult, ne eius vtatur apud ſocerum teſtimonio, rem eſſe Pamphilo aduerſus Glycerium: & rurſus nuptiæ confirmentur.

ACTVS QVINTI SCENA PRIMA.

Chremes. Simo.

SATIS iam, ſatis Simo ſpectata erga te amicitia'ſt mea:
Satis pericli coepi adire. orandi iam finem face.
Dum ſtudeo obſequi tibi, penè inluſi vitam filiae.
S. Imò enim nunc quàm maximè abs te poſtulo, atque oro, Chreme,
Vt beneficium verbis initum dudum, nunc re comprobes.
C. Vide, quàm iniquus ſis prae ſtudio, dum id efficias quod cupis.
Neque modum benignitatis, neque, quid me ores, cogitas.
Nam ſi cogites, remittas iam me onerare iniuriis.
S. Quibus? C. ah rogitas? perpuliſti me, vt homini adoleſcentulo,
In alio occupato amore, abhorrenti ab re vxoria,
Filiam vt darem in ſeditionem, atque incertas nuptias.

Eius

Eius labore, atque eius dolore gnato vt medicarer tuo:
Impetraſti: incœpi; dum res tetulit. nunc non fert; feras.
Illam hinc ciuem eſſe aiunt: puer eſt natus: nos miſſos face.
S. Per ego te deos oro, vt ne illis animum inducas credere;
Quibus id maximè vtileſt, illum eſſe quàm deterrimum.
Nuptiarum gratia haec ſunt ficta atque incepta omnia.
Vbi ea cauſa quamobrem haec faciunt, erit adempta his: deſinent.
C. Erras: cum Dauo egomet vidi iurgantem ancillam. S. ſcio.
C. At vero voltu; cum, ibi me adeſſe, neuter dum praeſenſerat.
S. Credo: & id facturas, Dauos dudum prædixit mihi:
Et neſcio quid tibi ſum oblitus hodie, ac volui, dicere.

SATIS IAM, SATIS SIMO. Hæc ſcena officiorum diſceptationem continet, patrum inter ſe de officio amicorum & paterna pietate tractantium. SATIS IAM, SATIS. Hæc veluti quædam controuerſia eſt: namque iniuriatum reus fit Simo. contradicitur per coniecturam, falſum eſſe quod intendit: cum Pamphilus neque amet, neque ex eo natus ſit filius: & adhibetur deriuatio cauſæ, qua dicitur meretricem iſta omnia eſſe molitam ad diſturbandas nuptias. SATIS IAM, SATIS. Bene, negaturus filiam, purgat prius officium ſuum de fide promiſſi: & vltrò accuſat ipſum.

SPECTATA. Probata. vt Virgilius ait, *Rebus ſpectata iuuentus.*

IMÒ ENIM QVAM MAXIME ABS TE POSTVLO. Renuntiare affinitati Chremetem aut parum adhuc intelligit Simo, aut ſubtiliter diſſimulat, vt ad fidem promiſſi hominem compellat. IMO ENIM. *Enim* παρέλκον eſt figura.

INITVM. Cœptum. ab ineundo: vnde & *initia* quoque dicta.

QVOD CVPIS. Quod velis. Legitur &, *quod iubes.*

NEQVE MODVM BENIGNITATIS, NEQVE QVID ME ORES, COGITAS. Id eſt non cogitas, aut quantum de benignitate amoris exigendum, aut præſumendum ſit: aut quòd ſit impoſſibile, quod petis.

REMITTAS IAM. *Remittas*, pro mittas.

PERPVLISTI ME, VT HOMINI ADOLESCENTVLO. Hæc eſt tota accuſatio. HOMINI ADOLESCENTVLO. Sic Salluſtius, *Occultans ſe tugurio mulieris ancillæ.*

FILIAM DAREM Inuidioſe; non, promitterem, inquit, ſed darem quantum in te eſt.

DVM RES TETVLIT. Compoſitum pro ſimplici eſt *tetulit*. & altius quàm decet comicum characterem, dictum videtur.

PER EGO TE DEOS ORO. Defenſio per coniecturam. & eſt ordo, Per deos oro te ego.

QVIBVS ID MAXIME VTILE EST. Argumentum à perſona. QVIBVS ID MAXIME VTILE EST. A cauſa ratiocinatiua.

VBI EA CAVSA. Quamobrem hæc faciunt. ἀνανταπόδοτον. nam non intulit, ob quam cauſam: cum ſuprà dixerit ea cauſa, ſed quaſi dixerit, Vbi ea res: intulit, quamobrem hæc faciunt. VBI EA CAVSA, QVAMOBREM HAEC FACIVNT. Aut *rem* abundat, aut *cauſa*. VERO VOLTV. Quaſi dixerit Simo, *ſimulabat ancilla.*

CVM IBI ME ADESSE NEVTER TVM PRAESENSERAT. Credit. Aut etſi viſus à Myſide erat, tamen ignorabatur eſſe Chremes, donec diceret Dauus, *Hic ille eſt.* non te credas Dauum ludere. CVM IBI ME ADESSE. *Tum* deeſt, vt ſit integrum, *Tum, cum.*

DAVVS DVDVM PRAEDIXIT MIHI. Hic oſtenditur quòd vidit callidus Dauus, vt prædiceret futurum ſeni id quod ipſe erat facturus.

NESCIO QVID. Deeſt PROPTER: vt ſit, Propter neſcio quid. aut neſcio pro qua re, vt ſit aduerbiale.

AC VOLVI. *At*, pro contrà quàm.

ACTVS QVINTI SCENA II.

DAVVS. CHREMES SIMO. DROMO.

ANIMO nunc iam otioſo eſſe impero. C. hem Dauom tibi.
S. Vnde egreditur? D. meo praeſidio atque hoſpitis. S. quid illud mali ſt?
D. Ego commodiorem hominem, aduentum, tempus, non vidi. S. ſcelus,
Quemnam hic laudat? D. OMNIS RES eſt iam in vado. S. ceſſo adloqui?
D. Erus eſt. quid agam? S. ô ſalue bone vir. D. ehem Simo. ô noſter Chremes,
Omnia adparata iam ſunt intus. S. curaſti probè.
D. Vbi voles, adcerſe. S. bene ſanè: id enimuero hinc nunc abeſt.
Etiam tu hoc reſpondes? quid iſtic tibi negotii ſt? D. mihin'?
S. Ita. D. Mihine? S. tibi ergo. D. modo introij. S. quaſi ego, quàm dudum, rogem.
D. Cum tuo gnato vnà. S. ánne ſt intus Pamphilus? crucior miſer.
Eho, non tu dixti eſſe inter eos inimicitias carnufex?
D. Sunt. S. cur igitur hic eſt? C. quid illum cenſes? cum illa litigat.
D. Immo verò indignum Chremes iam facinus faxo ex me audias.
Neſcio quis ſenex modo venit. ellum, confidens, catus:
Cum faciem videas, videtur eſſe quantiuis pretij.
Triſtis ſeueritas ineſt in voltu, atque in verbis fides.
S. Quidnam adportas? D. nihil equidem, niſi quod illum audiui dicere.
S. Quid ait tandem? D. Glycerium ſe ſcire ciuem eſſe Atticam.
S. Hem, Dromo, Dromo. DR. quid eſt? S. Dromo. D. audi. S. verbum ſi addideris. Dromo.
D. Audi obſecro. DR. quid vis? S. ſublimem hunc intrò rape, quantum potes.
DR. Quem? S. Dauom. D. quamobrem? S. quia lubet. rape inquam. D. quid feci? S. rape.
D. Si quidquam inuenies me mentitum, occidito. S. nihil audio.
Ego iam te commotum reddam. D. tamen etſi hoc verum eſt. S. tamen
Cura aſſeruandum vinctum, atque audin'? quadrupedem conſtringito.
Age nunc iam, ego pol hodie, ſi viuo, tibi
Oſtendam, erum quid ſit pericli fallere,

Et illi patrem. C. ah ne ſaeui tantopere. S. ô Chreme,
Pietatem gnati. nónne te miſeret mei?
Tantùm laborem capere ob talem filium?
Age Pamphile, exi Pamphile, ecquid te pudet?

ANIMO IAM NVNC OTIOSO ESSE IMPERO. Hæc ſcena, principium indicii, & iracundiam ſenis continet: atque in ea vehementer exprimitur conſuetudo patris ac domini offenſi, & indignantis. ANIMO IAM NVNC OTIOSO. Exultans egreditur Dauus, nuntians prona eſſe omnia ad ſecuritatem. Et *otioſo*, ſecuro: quia negotium, ſollicitudo eſt. IMPERO. pro volo. an vt ſtatim fiat, tanquam illud quod imperatur? Et *impero*, ſuperbè dixit. ſummum enim indicium ſecuritatis eſt ſuperbia.

VNDE EGREDITVR? Hic non interrogat: ſed cum admiratione, vel magis cum indignatione dicit.

MEO PRAESIDIO ATQVE HOSPITIS. Id eſt, Animo iam nunc otioſo eſſe impero. ATQVE HOSPITIS. ſcilicet Critonis.

EGO COMMODIOREM HOMINEM. Hic Dauus admiratur, quòd in ipſo articulo periculi superuenerit Crito. EGO COMMODIOREM HOMINEM, ADVENTVM, TEMPVS NON VIDI. Poteſt enim & commodus eſſe quis, & alieno tempore ſuperuenire poteſt. & commodum in homine eſt. ſed & opportunus malum etiam aduentum habere poteſt, nam *commodum*, in homine eſt: *aduentus*, in facto eius: *tempus* in opportunitate facti. COMMODIOREM HOMINEM, ADVENTVM, TEMPVS. σύλληψις.

SCELVS QVEMNAM HIC LAVDAT? Non eſt hic ſolœciſmus: ad ſenſum enim, non ad verba reſpexit. etenim propter ſenſus, verba ſunt: non propter verba ſenſus.

OMNIS RES EST IAM IN VADO. *In vado*, in ſecuritate. nam vt in profundo periculum eſt: ita in vado ſecuritas eſt. Prouerbiale, *In vado*, in tuto.

QVID AGAM? Plus eſt dicere, *quid agam*, quàm cogitare de fuga.

SALVE BONE VIR. εἰρωνεία maior eſt quàm increpatio. quum enim omne genus criminis aliquis ſuperauerit: tunc excluſi, εἰρωνεία laudamus.

HEM. Interiectio perturbati eſt. O NOSTER CHREME. *Noſter* dicendo, latenter ſignificat Glycerium filiam Chremetis eſſe inuentam.

OMNIA APPARATA IAM SVNT INTVS. Quia infecta ſunt de paratis.

CVRASTI PROBE. *Probe*, memoriter vt ſolet. ſuprà enim dixerat ſenex, *Imò abi intrò ibi me opperire: & quod parato opus eſt, para.*

VBI VOLES, ACCERSE. *Vbi*, pro quando. non eſt enim loci, ſed temporis aduerbium.

BENE SANE. Validè: quia qui ſanus eſt, idem & validus. ADEST. Pro *deeſt*.

ETIAM TV HOC RESPONDES. Deeſt, *an non*. ETIAM TV HOC RESPONDES? *Etiam*, aut hortatio eſt aut coniunctio. Et vide quanta dixerit, & *quid*, & *iſtic*, & *tibi*.

MIHINE? Quando non ſumus parati ad reſpondendum, ducendo tempus eludimus. MIHINE? Apparet ita turbari Dauum modo conſilio poëtæ, vt omnes amittat fallacias: & oppreſſus prodat Pamphilum, dum malum comminus perhorreſcit. totúmque hoc ex argumento eſt. Vult enim iam poëta cataſtrophen fieri.

MODO INTROII. Hoc ſignum, perturbatum induci ob conſcientiam Dauum.

CVM TVO GNATO VNA. Serui excuſatio, filij accuſatio eſt. & hoc quaſi à perturbato dicitur ſermo: ſed conſilio poëtæ ad exitum feſtinantis & reſolutionem fabulæ.

AN NE EST INTVS PAMPHILVS? Cauſa iræ vehementior inuenta eſt.

SVNT. Nulla ratione dicit, *ſunt*: ſed ne nihil reſpondeat. nam turbatus eſt, vtpote oppreſſus. QVID ILLVM CENSES? Deeſt, *propter*: vt ſit, propter quid illum eſſe cenſes?

CVM ILLA LITIGAT. Chremi conuenit hic ſermo: hic enim irridet: qui & ſuprà dixit, *Amantium iræ, amoris integratio eſt.* & ſic hoc dicit, vt alibi. *Credo, vt fit, miſera præ amore excluſit hunc foras.* CVM ILLA LITIGAT. Irridet Simonem Chremes, quia dixerat, *Iræ ſunt inter Glycerium & gnatum.*

IMO VERO INDIGNVM CHREME. Bene ad eum loquitur, qui eſt à nuptiis deterrendus: vel qui non interturbet orationem ſuam: vel quem etiam ſibi precatorem deſtinet. Ita loquitur quaſi hæc ſit cauſa, cur ſit Pamphilus ingreſſus: quòd quaſi ei lis intendatur à Critone hoſpite ducendæ vxoris, quàm ciuem Atticam vitiauerit.

NESCIO QVIS SENEX MODO VENIT. Bene, *neſcio quis*. etenim ſi notus eſſet, videretur gratificari, id eſt gratioſus eſſe teſtis & minus verus.

ELLVM. Veteres quod nos *illum* dicimus, vel *ellum*, vel *ollum* dicebant. quamuis *ellum*, quidam *ecce illum*, velint intelligi: tanquam pro ipſo domum Glycerij oſtendat Dauus, dicens, *Ellum*, quaſi *en illum*. eſt enim, vt alij volunt, pronomen: vt alij, aduerbium demonſtrantis: nam pronomen huiuſmodi veteres ſic proferebant, *ille*, *ellus*, *ollus*. ſed (vt diximus) aduerbium compoſitum ex pronomine videri poteſt: vt ſit *en*, vel *ecce illum*.

CONFIDENS. *Confidentem* hic pro conſtanti non mala ſignificatione poſuit.

CATVS. Callidus, doctus, ardens: παρὰ τὸ καίειν, vnde *Cato* dictus: ingeniorum etenim igneus vigor eſſe videtur.

QVANTIVIS PRETII. Ad magnitudinem refertur *quantiuis*, non ad paruitatem pretij. Et totum oratorie. ſcitè enim locutus eſt. Sed intereſt inter *quamuis* & *quantiuis*. nam alterum contemptionis, alterum laudis.

TRISTIS. Ad laudem interdum ſumitur, non ad amaritudinem, *triſtis*. Cicero, *Iudex triſtis & integer.*

GLYCERIVM SE SCIRE CIVEM ESSE ATTICAM. Bene: conſtanter ad ea quæ locutus eſt, *ſcire* ſe dixit.

DROMO, DROMO. Commotus ita & dolore nihil dixit, niſi quòd lorarium repetendo ſæpius vocat.

VERBVM SI ADDIDERIS. Bene, qui omnia præſente ſocero contra nuptias loquitur.

AVDI OBSECRO. Plerumque à verberandis, vel mora.

SVBLIMEN. Id eſt in ſublime, per altum.

QVANTVM POTES. Hoc eſt celerrimè: quia ſegniores ſe oſtendunt ſerui ad puniendos collibertos: ſcilicet mora veniam captantes indignantium dominorum.

QVIA LVBET. Hoc ſenſu & ſuprà dictum eſt. *Aut ſi libitum fuerit, cauſam ceperit quo iure, quaque iniuria.* QVIA LVBET. Dauo dicit.

RAPE INQVAM. Hoc Dromoni.

SI QVIDQVAM MENTITVM INVENIES, OCCIDITO. Hic plus dixit. Vbi enim *verbera* ſuprà dixit: nunc *occidito*. COMMOTVM. Citum, celerem.

QVADRVPEDEM. Verum ligaturæ genus ſic dicitur, *quadrupes*? an quadrupedem vt feram? an quadrupedem, id eſt cum pedibus & manibus? an quadrupedem pro ceruo ac fugitiuo poſuit? Sic Virgilius, *Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit.*

CONSTRINGITO. Mirè. nequid fiat tragicum in comœdia, vſque ad vincula ira progreditur: nec quicquam tentat vlterius.

SI VIVO. Qui certa minari volunt, incertam faciunt vitam ſuam.

ERVM QVID SIT PERICLI FALLERE. Erum & patrem cum ingenti pronuntiatione dixit. Et alibi,

Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem, aut
Audebit, tanto magis audebit cæteros.

NE SAEVI TANTOPERE. *Ne*, imperatiuo magis quàm coniunctiuo adiungitur. vt Virgilius, *Ne ſæui magna ſacerdos.*

PIETATEM GNATI. ἔλλειψις. deeſt enim *vides*, aut quid tale. Et eſt εἰρωνεία pro impietate. Et vide inuidiam quaſi parricidam accuſantis. non enim pudorem dixit, ſed pietatem.

TANTVM LABOREM CAPERE. ἔλλειψις. aſſumendum eſt enim extrinſecus ME.

ACTVS QVINTI SCENA III.

PAMPHILVS. SIMO. CHREMES.

QVIS me volt? perij. pater eſt. S. quid ais omnium?
C. ah,
Rem potius ipſam dic, ac mitte malè loqui.
S. Quaſi quidquam in hunc tam grauius dici poſſiet.
Ain' tandem? ciuis Glyceriumſt? P. ita praedicant.
S. Ita praedicant? ô ingentem confidentiam!
Num cogitat quid dicat? num facti piget?
Num eius color pudoris ſignum vſquam indicat?
Adeón' inpotenti eſſe animo, vt praeter ciuium
Morem atque legem, & ſui voluntatem patris,
Tamen hanc habere ſtudeat cum ſummo probo?
P. Me miſerum. S. hem: modóne id demum ſenſti Pamphile?
Olim iſtuc, olim, cum ita animum induxti tuum,
Quod cuperes, aliquo pacto efficiundum tibi,
Eodem die iſtuc verbum verè in te accidit.
Set quid ego? cur me excrucio? cur me macero?
Cur meam ſenectutem huius ſollicito amentia?
An vt pro huius peccatis ego ſupplicium ſufferam?
Imò habeat: valeat: viuat cum illa. P. mi pater.
S. Quid mi pater? quaſi tu huius indigeas patris.
Domus, vxor, liberi inuenti inuito patre.
Adducti, qui illam ciuem hinc dicant: viceris.
P. Pater, licétne pauca? S. quid dices mihi?
CH. Tamen Simo audi. S. ego audiam? quid ego audiam
Chreme? C. at tandem dicat ſine. S. age dicat: ſino.
P. Ego me amare hanc, fateor. ſi id peccareſt, fateor id quoque.
Tibi pater me dedo. quiduis oneris inpone. impera.
Vis me vxorem ducere? hanc vis amittere? vt potero, feram.
Hoc modo te obſecro, vt ne credas à me adlegatum hunc ſenem.
Sine me expurgem, atque illum huc coràm adducam. S. adducas!
P. ſine pater.
C. Aequum poſtulat. da veniam. P. ſine te hoc exorem. S. ſino.
Quiduis cupio, dum ne ab hoc me falli comperiar Chremes.
C. Pro peccato magno paululum ſupplicij ſatis eſt patri.

QVis me volt? perii. Hic accuſatio eſt: quæ ſoluitur defenſione, in eo quod id amorem pertinet, per conceſſionem; in eo quod ad Critonis perſonam, per coniecturam.

Qvid ais omnivm? ἀποσιώπησις, tertia: & eſt ad deformationem perſonæ. Et eſt irati familiaris ἀποσιώπησις, quum pro dignitate peccati, non inueniat conuitium. Qvid ais. Non interrogantis, ſed inuehentis; & eſt ἔλλειψις multa ſigificans, in eo quod ait, *omnium*.

Qvaſi qvidqvam in hvnc iam gravivs dici poſſiet. Quàm quod fecit, quá quod peccauit.

Ain tandem? Quærit Probus, *ain'* quæ pars orationis ſit: & an vna ſit. eſt autem *ain'*, quaſi *aiſne* Et mire, quaſi ipſe dicat quod Dauus dixerit. Ergo *ain'*, percontatiuum verbum eſt. Tandem. Pro tamen.

Praedicant. Artificioſe prodicunt poſuit, adeò in hac re vehementer commotus ſenex hoc ipſum repetit, *Ita prædicant*, per iracundiam. Et ita eſt ἐν ἤθει vt repetantur verba, in quibus arguitur impudentia.

O ingentem confidentiam! Et *confidentia* modo pro audacia eſt cum improbitate. vt in Phormione, *Homo confidens*. Aliter hic ſuprà *confidens*, pro conſtanti & graui. Ergo confidentia interdum in bona ſignificatione, interdum in mala ponitur: ſed fiducia ſemper in bona.

Nvm cogitat qvid dicat? nvm facti piget? *Amens* eſt qui neſciat quid dicat: *amentior*, quem non pœniteat facti ſui. Nvm cogitat qvid dicat? Quia iniuriarum ſe alligat. Nvm facti piget? Quia dicit prædicant: non dicunt. & vt ſolent iraſcentes, auertit orationem à ſecunda ad tertiam perſonam: ab ea cum qua loquebatur, ad aliam.

Nvm eivs color pvdoris ſignvm vſqvam indicat? *Signum*, eſt parua quædam ſignificatio, indicans totius rei qualitatem. Nvm eivs color pvdoris ſignvm vſqvam indicat? Paterno animo dicit. Namque patribus velle erubeſcere filios, pudenteſque eſſe, familiare eſt: cui contrarium eſt, *Erubuit, ſalua res eſt*. Hoc ergo dicit: Nec timet, inquit, nec eum pœnitet, nec pudet.

Impotenti. Nimis potenti. vel certe debili & deuicto.

Civivm morem atqve legem, et ſvi volvntatem patris. Tria contempta ſunt, mos, lex, imperium patris.

Praeter civivm morem. *Præter*, contra nunc ſignificat.

Tamen. Quum non dixerit *quanuis*, ſubiecit *tamen*: & figura eſt ἀνακόλουθον.

Me miservm. Initium defenſionis & deploratio calamitatis & miſeriæ quia in amorem culpam remouet à voluntate ſua, quum pater quòd amat filius vitium mentis dicat eſſe, non impulſum dei.

Modóne id demvm ſenſi Pamphile? Comprobatione oſtendit eum eſſe miſerum. *Demum* autem, ſignum eſt tarditatis. Et *ſentire* dicitur, qui vix colligit ſe, viſque animaduertit: vt alibi, *Vix tandem ſenſi ſtolidus*.

Olim iſtvc olim, Obiurgatio eſt, quod dictum eſt *olim*. confirmationem autem per repetitionem oſtendit. Vt Virgilius, ——*diuum inclementia diuûm Has euertit opes*.

Aliqvo pacto. Quoquo modo. Accidit. euenit, fuit.

Sed qvid ego? Proprium eſt parentibus indignatione velut abiicere curam filiorum, quum deſtomachati fuerint. Sed qvid ego? ἔλλειψις per ἀποσιώπησιν.

Sollicito. Sollicitam reddo, id eſt contriſto & perturbo.

Cvr meam ſenectvtem. Non me, ſed meam ſenectutem: quod plus eſt & miſerabilius dicit.

Imo habeat valeat. Non iraſcitur vt pater, ſed diſſimulat vt alienus: quia vehementer dolet. Et *habeat*, ſubauditur *illam*.

Mi pater. *Mi*, meus. & principium factum à conciliatione perſonæ.

Qvaſi tv hvivs indigeas patris. *Huius*, oſtendens ſe dixit: vt Virgilius, *Eſt hic, eſt animus lucis contemptor*.

DOMVS, VXOR, LIBERI INVENTI. Mira grauitate ſenſus elatus eſt. nec de Menandro, ſed proprium Terentii. Et *liberi inuenti* dicit, quum vnus eſſet: ſed inuidioſius *liberi*. Et *inuenti*: non *geniti*, ſecundum illud, *Hoc ego ſcio, neminem peperiſſe huc*. *Domum* addidit, non, lupanar. Et oratorie de vno pluraliter loquimur.

VICERIS. Verbum eſt eius qui vix ſibi extorquet vt abiiciat curam. Et proprium patribus, ac familiare iratis.

PATER, LICETNE PAVCA? Titubans & balbutiens oratio pudore & conſcientia.

AGE DICAT: SINO. Hoc totum non ex animo permittentis, ſed cum ſtomacho patientis eſt.

EGO ME AMARE HANC, FATEOR. ἀμφιβολία τῆς ἑρμηνείας. HANC FATEOR. Et bene HANC dicit, nõ Glycerium, cuius nomine offenditur ſenex: nec peregrinã, ignominiam ſcilicet vitans. SI ID PECCARE EST, FATEOR ID QVOQVE. Noli, inquit, me accuſare quia amo. amantem enim nemo accuſat, vt febricitantem nemo accuſare poteſt cur febricitet. ſed amare, inquit, ſi putas eſſe peccatum, fateor etiam me hoc peccaſſe. Mirè igitur & ſubdefendit culpam: & aſſenſus irato eſt. SI ID PECCARE EST, *Peccare* dicit: quia amor Deus eſt, non voluntas. FATEOR ID QVOQVE. Peccare me ſcilicet.

TIBI PATER ME DEDO. Bene *dedo*, quaſi hoſtilia & contraria volenti. nam deditio in hoſte fieri ſolet.

QVIDVIS ONERIS IMPONE: IMPERA. Executus eſt tranſlationem oneris, dicendo IMPONE, vt potero feram.

VIS ME VXOREM DVCERE? HANC VIS AMITTERE? Et quod vnum eſt, duo fecit: vt oſtendat ſe non poſſe ferre.

VT POTERO, FERAM. Obſequium ſine voluntate oſtendit: & multum valet ſub Chremetis præſentia hæc confeſſio ad recuſandas nuptias.

VT NE. Pro, vt non. ALLEGATVM. Adhibitum.

HVNC SENEM. Critonem ſcilicet. Et non Critonem, ſed ſenem dicit: vt de hac appellatione pondus adiiceret teſtimonio.

AEQVVM POSTVLAT. DA VENIAM. Artificioſe interponit loquentem Chremetem: quem volens vſque ad cognitionem filiæ ſuæ retinere, non facit iraſci Pamphilo ob contemptum filiæ ſuæ, & poſt hoc abire de medio. DA VENIAM. Concede, indulge.

SINE TE HOC EXOREM. Id eſt vt me purgem, non adducam.

AB HOC ME FALLI COMPERIAR. O paterna pietas, ipſe accuſator eſt, & redargui ſe cupit.

PAVLVM SVPPLICII. *Supplicium* dicit ipſam accuſationem.

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

CRITO. CHREMES. SIMO. PAMPHILVS.

MITTE orare. vna harum quaeuis cauſa me vt faciam, monet:
Vel tu, vel quod verum ſit, vel quod ipſi cupio Glycerio.
CH. Andrium ego Critonem video? certè is eſt. CH. ſaluos ſis Chreme.
Quid tu Athenas inſolens? CH. euênit. ſed hicineſt Simo?
CH. Hic. S. mén' quaeris? eho tu Glycerium hinc ciuem eſſe ais?
CR. Tu negas? S. itáne huc paratus aduenis? CR. qua de re? S. rogas?
Túne inpune haec facias? túne hîc homines adoleſcentulos,
Imperitos rerum, eductos liberè, in fraudem inlicis?

Sollicitando & pellicitando eorum animos lactans? CR. ſanus ne es?
S. Ac meretricios amores nuptiis conglutinas?
P. Perij. metuo ut ſubſtet hoſpes. CH. ſi Simo hunc noris ſatis,
Non ita arbitrere: bonus eſt hic vir. S. hic vir ſit bonus?
Itáne adtemperate venit hodie in ipſis nuptiis,
Vt veniret antehac nunquam? eſt verò huic credendum Chremes?
P. Ni metuam patrem, habeo pro illa re illum quod moneam probe.
S. Sycophanta. CR. hem! CH. ſic Crito eſt hic: mitte. CR. videat qui ſiet.
Si mihi pergit, quae volt, dicere: ea, quae non volt, audiet.
Ego iſtaec moueo, aut curo? non tu tuum malum aequo animo feres?
Nam, ego quae dico, vera an falſa audieris, iam ſciri poteſt.
Atticus quidam olim naui fracta, apud Andrum eiectus eſt,
Et iſtaec vnà parua virgo. tum ille egens, forte adplicat
Primùm ad Chryſidis patrem ſe. S. fabulam inceptat. CH. ſine.
CR. Itáne verò? obturbat. CH. perge. CR. tum is mihi cognatus fuit,
Qui eum recepit. ibi ego audiui ex illo ſeſe eſſe Atticum.
Is ibi mortuus eſt. CH. eius nomen? CR. nomen tam citò tibi? Phania.
CH. Hem, perij. CR. verum hercle opinor fuiſſe Phaniam; hoc certo ſcio,
Rhamnuſium ſe aiebat eſſe. CH. ô Iuppiter! CR. Eadem haec Chreme
Multi alij in Andro tum audiuere. CH. vtinam id ſit, quod ſpero, eho, dic mihi,
Quid eam tum? ſuámne eſſe aiebat? CR. non. CH. Cuiam igitur? CR. fratris filiam.
CH. Certè mea eſt. CR. quid ais? S. quid tu ais? P. arrige auris Pamphile.
S. Qui credis? CH. Phania ille, frater meus fuit. S. noram, & ſcio.
CH. Is hinc bellum fugiens, méque in Aſiam perſequens, proficiſcitur.
Tum illam relinquere hic eſt veritus, poſt illa nunc primum audio,
Quid illo ſit factum. P. vix ſum apud me, ita animus commotus ſt metu,
Spe, gaudio, mirando hoc tanto, tam repentino bono.
S. Ne iſtam multimodis tuam inueniri gaudeo. P. credo pater.
CH. At mihi vnus ſcrupulus etiam reſtat, qui me male habet. P. dignus es.
Cum tua religione, odium. NODVM *in ſcirpo quaeris. CH. quid iſtuc ſt?*
CH. Nomen non conuenit. CR. fuit hercle huic aliud paruae. CH. quod Crito?

Numquid

Numquid meminiſti? CR. id quaero. P. egóne huius memoriam patiar meae
Voluptati obſtare, cum ego poßim in hac re medicari mihi?
Non patiar. heus Chreme: quod quaeris, Paſibulaſt. CR. ipſaſt. CH. eaſt:
P. Ex ipſa milies audiui. S. omneis nos gaudere hoc Chreme,
Te credo, credere. CH. ita me Di ament, credo. P. quid reſtat pater?
S. Iamdudum res reduxit me ipſa in gratiam. P. ô lepidum patrem!
De vxore ita vt poſſedi, nihil mutat Chremes. CH. cauſa optumaſt:
Niſi quid pater ait aliud. P. nempe. S. id ſcilicet. CH. dos Pamphile eſt
Decem talenta. P. accipio. CH. propero ad filiam. eho mecum Crito.
Nam illam me credo haut noſſe. S. cur non illam huc transferri iubes?
P. Recte admones. Dauo ego iſtuc dedam iam negoti. S. non poteſt.
P. Qui? S. quia habet aliud magis ex ſeſe, & maius. P. quidnam? S. vinctus eſt.
P. Pater, non recte vinctus ſt. S. haut ita iuſſi. P. iube ſolui obſecro.
S. Age fiat. P. at matura. S. eo intrò. P. ô fauſtum & felicem hunc diem!

MITTE ORARE. Hic in ſcenam progreditur Crito: in cuius verbis non modo quod ipſe promittit, ſed etiam quod & Pamphilus dixerit, demonſtratur. Et hic omnis error aperitur fabulæ. MITTE ORARE. VNA HARVM QVAEVIS CAVSA. Pamphilo dicit. & dicendo VNA HARVM, oſtendit multas eſſe cauſas: etiam pares magnitudine eſſe, dicendo QVAEVIS.

ANDRIVM E[illegible] CRITONEM VIDEO? Bonum initium agnituri filiam. Itaque compendi cauſa, non laborat de agnitione perſonæ Critonis, vt ab eo facile doceri poſſit.

SALVVS SIS CRITO. Ne laboret ad perſuadendum: miro compendio poetæ, iam Crito notus eſt Chremi.

QVID TV ATHENAS INSOLENS? *Inſolens*, inſolitus, inſuetus. Cicero, *Moueor etiam loci inſolentia.* Salluſtius, *Inſolens vera accipiendi.* *Inſolens*, & arrogans intelligitur. Qui præter legem agit humanam & naturalem, *inſolens* dicitur. Cicero, *In victoria, quae natura inſolens & ſuperba eſt.*

EVENIT. Pudet fateri propter hereditatem veniſſe. Et vide ipſum eſſe, qui dixerit ſuprà, *Clamitent me ſycophantem, hereditatem perſequi.*

PARATVS ADVENIS? Hoc eſt ſubornatus, & compoſitus dolo.

TVNE IMPVNE HOC FACIAS? Mire acriter Critonem aggreſſus, dilatauit incuſationem, & generale fecit virtute oratoria, quæ δεινότης dicitur.

TVNE HIC. id eſt Athenis. vbi delicta vindicantur.

IN FRAVDEM ILLICIS? Illi[illegible]s. vnde Virgilius, *Terna tibi hæc primùm triplici circundata filo. Licia circundo.* *Licia* enim dicta ſunt, quaſi ligia.

EORVM ANIMOS LACTAS? Hinc etiam *oblectatio* dicitur. LACTAS. Quaſi teneros animos. *Lactare*, eſt dulcedine aliqua tenere, ad perſuaſionem inducere: vnde & *delectare* & *oblectare* dicimus.

AC MERETRICIOS AMORES NVPTIIS CONGLVTINAS? Vide oratorie agi, vt grauius Critonem accuſet Simo, nunc defendit filium, quem dudum increpauerat. AC MERE-

TRICIOS AMORES. Peius lenocinio crimen ingeſſit: non amicam facere de meretrice, ſed coniugem. NVPTIIS CONGLVTINAS. Hoc grauius eſt lenocinio.

METVO VT SVBSTET HOSPES. *Vt*, ne non. Lucilius, *Tuam vt memoriam retineas.* Et bene *hoſpes* ait, non *homo*, vel *Crito*. eſt enim ipſo nomine cauſa diffidentiæ.

NON ITA ARBITRERE. Id eſt, non arbitreris.

BONVS HIC VIR EST. Cum pondere & diſtinctione inferendum.

HIC VIR SIT BONVS! Hic, per *ἰσχυρισμὸν* nec virum, nec bonum eſſe dixit. HIC VIR SIT BONVS! Mire poeta, cum oportuerit Critonem inimiciorem Chremi eſſe quàm Simoni, ſic rem inducit, vt notior ei ſit contra quem maxime venerat, atque ab eo defendatur, magis vt res progredi ad cataſtrophen poſſit.

IN IPSIS NVPTIIS. In ipſo articulo nuptiarum.

VT VENIRET ANTEHAC NVNQVAM? Plerumque caſus imitatur induſtriam: & hoc ſæpe fit, vt etiam ſedulo facta, ſint ſuſpecta.

SYCOPHANTA. Hoc eſt, quod minime voluit ſibi dici Crito. nam ita loquutus eſt ſuprà, *Clamitent me ſycophantam, hereditates perſequi.*

HEM. Principium iracundiæ. audiuit enim quod maxime vitabat: nam vt ſuprà, *Clamitent me ſycophantam.*

SIC CRITO, EST HIC: MITTE. Hic Chremes traducit illum ab iracundia, dicendo ſic eum eſſe. Menander: ὅτος ἄντος ἐστιν * Et recte: quia naturæ ignoſcitur, voluntati non item. SI MIHI PERGIT, QVÆ VOLT, DICERE. Grauiter & mature.

EGO ISTÆC MOVEO, AVT CVRO? Eſt enim ſycophantæ perturbare rem bonam, & curare malam. Hoc igitur dicit cum *ironia*, Ego hæc turbo, aut cogito quemadmodum tu dicis Simo?

NON TV TVVM MALVM ÆQVO ANIMO FERES? Non filium, ſed amorem in filium ſignificat. An quia iratus eſt? Et quæritur, an conueniant hæc verba Pamphilo veniente. Imò enim conueniunt: nam quanto magis diſſimulat fauorem, tanto plus acquirit fidei ad ea quæ loquitur.

IAM SCIRI POTEST. Addidit & temporis celeritatem. & magna maturitate dixit.

ATTICVS QVIDAM OLIM. Hæc pars argumenti eſt: quæ & ſuprà iam dicta.

FORTE APPLICAT. *Applicat*, proprie de naufrago in litus eiecto atque egenti.

PRIMVM AD CHRYSIDIS PATREM. Quid eſt, *primùm*? an quia poſtea mortuus eſt?

FABVLAM INCEPTAT. Aut ad comœdiam retulit *fabulam*: quia *fabula* comœdia: & quia argumentum quaſi fabulæ narratur. aut certe ad irriſionem narrationis dicit. etenim OLIM fabulæ proprium, vt Horatius, ——— *olim.*

Ruſticus vrbanum murem mus paupere fertur
Accepiſſe cauo, veterem vetus hoſpes amicum.

ITANE VERO? OBTVRBAT. Si ſubdiſtinguit; interſtrepit accipe. Si non diſtinguit, euertit intelligas. ITANE VERO OBTVRBAT? Poteſt, *itane verò*, ſubdiſtingui: & ſic cum comminatione inferri, *obturbat*. IBI EGO AVDIVI EX ILLO. Magna confirmatio veritatis eſt. NOMEN TAM CITO TIBI Non negantis eſt, ſed difficile ſe dicturum oſtendit.

PHANIA. Hoc ita dicit Crito: vt nemo audiret: ſcilicet adhuc dubitans an ipſe ſit.

HEM. Sunt qui putant Simonem dicere, [illegible] a centem f[illegible]io Critonem ſubmonenti.

PERII. Hoc Pamphilus poſt iracundiam patris. An Chremis eſt dolentis ad vel eius mentionem, vel quò d in filiam penè peccarat?

VERVM HERCLE OPINOR. Hoc adhuc cunctanter eſt dictum: & ideo indiget confirmatione. RHAMNVSIVM SE Piræus & Rhamnus, & cætera huiuſcemodi, maritima Atticæ propria intelligenda ſunt. *Rhamnus*, pagus Atticæ eſt.

MVLTI ALII IN ANDRO. Hoc *teſtimonium cæcum* dicitur. Teſtimoniorum enim modus duplex eſt: *manifeſtus* & *cæcus*. *Manifeſtus eſt*, qui certos teſtes, & præſentes habet. *Cæcus*, in quo multitudinem, aut ciuitatem dicimus ſcire. vt Cicero, *Teſtis eſt tota Sicilia*. quod tamen audientem conſternat. Eſt etiam in cæco iuſiurandum, tabulæ, abſenteſque perſonæ. CVIAM IGITVR? Vetuſte, *cuiam*. quod omnibus generibus & caſibus ſeruit.

ARRIGE AVRES PAMPHILE. Tranſlatio à pecudibus. quibus verbis intendit, accipiendam eſſe vocem. ARRIGE AVRES PAMPHILE. Hoc Simo videtur dicere. Vt ahi

putant, ipſe ſibi Pamphilus. NORAM, ET SCIO. Noram Phaniam, ſcio fratrem fuiſſe. Ergo & ad perſonam, & ad rem retulit.

MEQVE IN ASIAM PERSEQVENS, PROFICISCITVR. Bene in Aſiam, vbi bellum non erat. ſed in Græcia. Et *perſequens* dicit, perſeuerationem ſequentis oſtendens. *Perſequitur* enim qui non deſinit ſequi. Virgilius, *Quæ te ſola puer, multis e matribus auſa Perſequitur.*

VIX SVM APVD ME. Hoc eſt argumentum; ſapientibus lætitiam vehementem in bonis moderandam: cum vnuſquiſque gaudens ita perturbetur, vt apud ſeipſum iam non ſit. VIX SVM APVD ME. *Non ſum apud me*, magis conſuetudine quam ratione dicitur. Aut forte ſic dicit, quaſi abierit animus, & rurſus redierit.

ITA ANIMVS COMMOTVS EST METV. Duo carnifices futurarum rerum ſunt, ſpes & metus. Dolor enim & gaudium, præſentium rerum ſunt. Virgilius, *Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudéntque: nec auras Reſpiciunt.* Sed dolorem hic in lætitia non poſuit. & mire ordinem ſeruauit. ſic enim ſe hæc inuicem ſequuntur. Et ἀσυνδέτως diſtinguendum eſt, ſpe gaudio: vt ſeparatim inferantur.

MIRANDO. *Mirando*, dum miror. & eſt participium.

NE ISTAM MVLTIS MODIS TVAM. Nõ multis modis inueniri gaudeo: ſed tuã inueniri. Alij, *multis modis tuam inueniri gaudeo*: non *inueniri gaudeo.* Hic iam redit in gratiam Simo cum filio: niſi fortè patrem ſocerum appellat. vt Turnus apud Virgilium, *Et nos tela pater, ferrúmque haud debile dextra Spargimus.* Sed quomodo infrà dicit, *Quid reſtat pater?* an reſtat ideo, quia hæc iam maior pars reconciliationis eſt? NE ISTAM. *Ne*, nimis. Cicero, *Ne iſti vehementer errant.* Salluſtius, *Ne iſta uobis manſuetudo & miſericordia.*

GAVDEO. *Gaudemus* noſtris: *gratulamur* alienis. Vt Salluſtius, *Et ei voce magna vehementer gratulabantur.*

CREDO PATER. Incertum verum, cui gratulatur, Simo ſit, quamuis Pamphilus reſpondeat. poteſt enim Chremes & pater videri CREDO PATER. Sic reſponderi ſolet dicenti, gaudeo. AT MIHI VNVS SCRVPVLVS ETIAM RESTAT. *At*, diſiunctiuum eſt ſuperiorum dictorum. *Scrupulus* à ſcrupo lapide dictus, lapillus minimus. nam nimis moleſtæ ſunt pedibus ſcrupuloſæ viæ. vt Virgilius, *Scrupea, tuta lacu nigro, nemorumque tenebris.*

ETIAM. Pro adhuc.

DIGNVS ES CVM TVA RELLIGIONE ODIVM. Aut accuſatiuus pro ablatiuo caſu eſt poſitus, pro odio. aut ſeparatim *odium* legendum eſt. vt ſit, dignus qui male habearis.

NODVM IN SCIRPO QVÆRIS. *Scirpus*, paluſtris res & leuiſſima. Lucilius in primo, *Nodum in ſcirpo inſane facere vulgus.* Eſt autem *ſcirpus*, ſine nodo, & leuis iunci ſpecies. Alibi ipſe, *Redduunt curatura iunceas.* Plautus, *Scirpea inducitur ratis.*

ID QVAER. Rurſus Crito obliuioſus eſt, vtpote alienarum rerum.

VOLVPTATI OBSTARE. Nunc lætitiæ & gaudio.

HEVS CHREME. *Heus* dicendum erat, quia Chremes Critonem intuebatur.

EX IPSA AVDIVI MILIES. Duas res oſtendit Pamphilus, & quòd verum ſit quod ex ipſa ſæpe audierit: & quòd ſit Glycerium.

OMNES NOS GAVDERE HOC CHREME. Aut *hoc* correpte, aut *hoc* producte: vt ſit, hac re gaudere. Ergo *gaudere*, noſtris eſt, vt ſuprà adnotauimus: alienis verò, *gratulari*. Salluſtius, *Et ei voce magna vehementer gratulabantur.* Plus eſt ergo gaudere, quàm lætari.

QVID RESTAT PATER? Hoc eſt, ne iraſcaris.

O LEPIDVM PATREM. In quo lepôris eſt plurimum, *lepidus* dicitur. Nam *lepos* eſt venuſtas. NEMPE SCILICET. *Nempe* & *Scilicet* dicentes, manu vel vultu dotem ſignificant. quod mox intelligit Chremes. Alij ἀπὸ τοῦ SCILICET, Chremetis perſonam faciunt.

DOS PAMPHILE EST. Id eſt, Pamphilo pro vxore dabuntur decem talenta.

ACCIPIO. Ille niſi dixiſſet, *accipio*, dos non eſſet. datio enim ab acceptione confirmatur: nec poteſt videri datum id, quod non ſit acceptum.

EHO. *Eho* hic admiratio eſt intentionis ad id quod dicturi ſumus.

DEDAM IAM. Addidit & temporis celeritatem.

QVI? Quamobrem.

NON RECTE VINCTVS EST. Id eſt, non iuſte. ſed hic ad cauſam retulit *Non recte*: Senex verò, ad rem retulit.

Havd ita ivssi. Quia quadrupedem ſtringi iuſſerat, quaſi recte ac diligenter. Et hoc ipſum non vacat, nam iam iocularıter loqui, & minus iraſcentis eſt, & placabilis animi. Havd ita ivssi. Eleganter luſit ad ἀμφιβολίαν, & ſimul oſtendit, quàm propitius ſit Pamphilo pater, & quàm facilè veniam Dauo impetrare poſſit ab eo: quippe qui iam etiam iocetur. Pamphilus autem dixerat, non iuſte: ille ſic reſpondit, quaſi dixeris, non diligenter vinctus eſt. Et *haud ita iuſſi*, ſic enim præceperat, *Quadrupedem conſtringito.*

Actvs qvinti scena V.

Charinvs. Pamphilvs.

PROVISO quid agat Pamphilus: atque eccum. P. aliquis forſan me putet
Non putare hoc verum: at mihi nunc ſic eſſe hoc verum lubet.
Ego Deorum vitam propterea ſempiternam eſſe arbitror,
Quòd voluptates eorum propriae ſunt. nam mihi immortalitas
Partaſt, ſi nulla aegritudo huic gaudio interceſſerit.
Set quem ego mihi potiſſimum optem nunc, cui haec narrem, dari?
C. Quid illud gaudi eſt? P. Dauom video. nemoſt, quem mallem omnium.
Nam hunc ſcio mea ſolide ſolum gauiſurum gaudia.

Proviso qvid agat pamphilvs. Hæc ſcena alterum generum Chremeti cõparat: ne aut Charinus triſtis recedat, aut non prouiſum videretur Philumenæ. Proviso qvid agat. Hoc colloquium poſt compendium fabulæ inducitur: vt vna narratione etiam negotium Charini tranſigi poſſit. Proviso qvid agat. Dupliciter res ab oculis ſpectatorum mouentur: aut enim futura promittuntur, aut facta narrantur. *Prouiſo*, duo ſignificat: & prouideo & procedo.

At mihi nvnc sic esse hoc vervm lvbet. Sic delicate pronuntiandum eſt, & ſeparatim diſtinguendum. At mihi nvnc sic esse hoc vervm lvbet. Senſus hic eſt, Alij putent, vt volunt: ego autem verum eſſe confirmo quod mihi lubet verum credere.

Ego vitam deorvm propterea sempiternam esse arbitror. Omne quod habemus aut mutuum eſt, aut proprium. *mutuum* eſt quicquid ad tempus habemus, nec poſtmodum noſtrum futurum eſt, vt vxor, domus, villa, ſerui, & cætera in hunc modum. Proprium, vt virtus animi, & bonum ſempiternum, quod proprie de dıis dicitur. non enim aliunde venerunt, ſed apud ſeipſos ſunt ſemper. & Epicurum ſecurus hoc dixit. Proprie ergo de diis ſempiternum dicitur. Nam inter *ſempiternum* & *perpetuum* hoc intereſt: quòd *ſempiternum* ad deos, *perpetuum* proprie ad homines pertinet. Ego vitam deorvm propterea. Hanc ſententiam totam Menandri de Eunucho tranſtulit. & hoc eſt quod dicitur, *Contaminari non decere fabulas.* Ego vitam deorvm. Non dixit, quòd ſcit: ſed quòd verum putet. Et eſt δόγμα ἐπικούρειον, quod à cæteris philoſophis repudiatur, de otio deorum ac perenni voluptate.

Propriae svnt. Perpetuæ, ſempiternæ, quæ non ſunt accommodatæ ad tempus, ac mutuæ. ſic & alibi, [illegible] *proprium cuiquam?*

Si nvlla aegritvdo hvic gavdio intercesserit. Scilicet ſecundum ſupradictam ſententiam, Si propria, inquit, hæc fuerit voluptas deus ſum.

Qvid illvd gavdi est? In aliis, Daui perſona infertur.

Nam hvnc scio mea solide solvm gavisvrvm gavdia ἀρχαϊσμός. Solide solvm. Figura παρόμοιον.

ACTVS QVINTI SCENA VI.
DAVVS. PAMPHILVS. CHARINVS.

DAMPHILVS vbinam hic eſt? P. Daue. D. quis homoſt? P. ego ſum. D. ô Pamphile.
P. Neſcis quid mihi obtigerit. D. certè: ſet quid mihi obtigerit, ſcio.
P. Et quidem ego. D. more hominum euênit, vt quod ſim nactus mali,
Prius reſciſceres tu, quàm ego illud, quod tibi euênit boni.
P. Mea Glycerium ſuos parentes repperit. D. factum bene! C. hem.
P. Pater amicus ſummus nobis. D. quis? P. Chremes. D. narras probè.
P. Nec mora vlla eſt, quin eam vxorem ducam. C. num ille ſomniat
Ea, quæ vigilans voluit? P. tum de puero Daue? D. ah deſine.
Solus eſt, quem diligant Di. C. ſaluus ſum ſi haec vera ſunt.
Conloquar. P. quis homoſt? ô Charine in tempore ipſo mihi aduenis.
C. Bene factum. P. audiſtin'. C. omnia: age, me in tuis ſecundis reſpice.
Tuus eſt nunc Chremes: facturum quae voles, ſcio eſſe omnia.
P. Memini: atque adeò longumſt nos illum expectare, dum exeat.
Sequere hac me. intus ad Glycerium nunc. tu Daue abi domum:
Propera, arcerſe, hinc qui auferant eam. quid ſtas? quid ceſſas? D. eo.
Ne expectetis, dum exeant huc. intus deſpondebitur.
Intus tranſigetur, ſiquid eſt quod reſtet. ω. Plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

PAMPHILVS VBINAM HIC EST? In hoc actu mira arte ea quæ reſtant de Comœdia breuiter explicantur, & deſignantur duarum ſororum binæ nuptiæ. PAMPHILVS VBINAM HIC EST? P. DAVE. D. QVISNAM HOMO EST? In affectu gaudentis Pamphili, & Daui gratulatione cognitionem rerum Charino præbuit: cuius perſona parcè vtitur poſt compendium.

SED QVID MIHI CONTIGERIT SCIO. *Scio*, id eſt perſenſi.

MORE HOMINVM. *Hominum* abundat. MORE HOMINVM EVENIT, VT ID QVOD SIM NACTVS MALI. Quia fama mali celerior, quàm boni: id eſt, vt facilius mala, quàm bona nuntientur. ad hoc ergo dixit, quòd ille prior ſcierit quòd eſſet vinctus, quàm ipſe cognitam Glycerium cognoſceret.

MEA GLYCERIVM SVOS PARENTSS REPERIT. Hæc ita narrantur Dauo, vt eadem opera etiam Charinus audiat.

PATER AMICVS SVMMVS. Hæc omnia, vt diximus, propter Charinum dicuntur, vt audiat. AMICVS SVMMVS. Deeſt *eius*.

NVM ILLE SOMNIAT EA, QVAE VIGILANS VOLVIT? Hinc Virgilius, *Credimus? an*

qui amant ipſi ſibi ſomnia fingunt? DESINE. Compendium attulit.

BENEFACTVM. A gratulatione cœpit. OMNIA Compendium.

AGE, ME IN TVIS SECVNDIS REBVS RESPICE. Hæc ſunt quæ abſolute dicuntur: & eſt commonitio. Sunt enim qui felicitate elati, ne reſpicere quidem velint amicos. Et *reſpicere*, eſt proprie retro aſpicere. Id eſt, quem præcedis felicitate, non obliniſcaris.

TVVS EST NVNC CHREMES. Lucilius in ſecundo, *Nunc prætor tuus eſt, meus ſi diſceſſerit horno Gentilis.*

TV DAVE ABI DOMVM. Hi verſus, vſque ad illum, *Gnatam tibi meam Philumenam vxorem*, negantur Terentij eſſe: adeò vt in pluribus exemplaribus bonis non inferantur.

ATQVE ADEÒ LONGVM EST NOS ILLVM EXPECTARE. Quia & audacter & artificioſe binos amores duorum adoleſcentium, & binas nuptias in vna fabula machinatus eſt: & id extra præſcriptum Menandri, cuius Comœdiam transferebat: idcirco aliud in proſcenio, aliud poſt ſcenam retulit: ne vel iuſto longior fieret, vel in eandem propter rerum ſimilitudinem cogerentur.

SEQVERE HAC ME. INTVS: AD GLYCERIVM. Iam poſt ſcenam itur: quia vlterius in proſcenio nihil agitur.

NE EXPECTETIS. Mire dicit, latenter ſe laudans: quo verbo auidum adhuc audiendi populum adeòque cupidum & intentum oſtendit, vt finem Comœdiæ eueniſſe non ſenſerit.

INTVS TRANSIGETVR, SI QVID EST QVOD RESTET. Artificioſe poëta hereditatis iuſtam petitionem ex Critonis perſona prætermiſit, quæ ei Glycerio cognita iure tribuebatur: ne vel paruo rei Critonis tractatu, aut defraudatione Glycerij infuſcaretur finis fabulæ, ad lætum exitum ſpectans. SI QVID EST QVOD RESTET. Quia narratione dignum non eſt quod Charinus rogat.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENT. IN TERENTI, ANDRIAM EXPLICIT.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. EVNVCHVM.

SORORE M *falsò dictitatam Thaidis,*
Idipſum ignorans miles aduexit Thraſo,
Ipsíque donat. erat haec ciuis Attica.
Eidem Eunuchum, quem emerat, tradi iubet
Thaidis amator Phaedria, ac rus ipſe abit,
Thraſoni oratus biduum concederet.
Ephebus frater Phaedriae puellulam
Cùm deperiret, dono miſſam Thaidi,
Ornatu Eunuchi induitur. ſuadet Parmeno:
Introiit: vitiat virginem. ſed Atticus
Ciuis repertus frater eius, conlocat
Vitiatam ephebo, Phaedriam exorat Thraſo.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS VRBIS Romæ, Præfatio in Eunuchum Terentij.

HÆC maſculini generis nomine nuncupata fabula eſt, Eunuchus: & eſt Palliata Menandri vetus: quam ille author de facto adoleſcentis, qui ſe pro eunucho deduci ad meretricem paſſus eſt, nominauit. Itaque ex magna parte motoria eſt. Atque in hac comœdia qui perſonam Parmenonis actor ſuſtinet, primas habet partes. Secundæ ſunt Chæreæ. Tertiæ ad Phædriam ſpectant. Huius prologus ſane eſt concitatior. Nam & obiicit crimina aduerſantibus: & cominatur in poſterum: & accuſatoric

narrat iniuriam Terentio factam : & ad vltimum tumultuoſe , & cum magna inuidia defendit poëtam. Hæc & πρότασιν & ἐπίτασιν, & καταστροφὴν ita æquales habet, vt nuſquam dicas longitudine operis Terentium delaſſatum dormitaſſe. Actus ſanè implicatiores ſunt in ea, & qui non facilè à parum doctis diſtingui poſſint : ideo quia tenendi ſpectatoris cauſa vult poëta noſter omnes quinque actus velut vnum fieri, ne reſpiret quodammodo : atque diſtincta alicubi continuatione ſuccedentium rerum, ante aulæa ſublata faſtidioſus ſpectator exurgat. Acta planè eſt Ludis Megalenſibus , L. Poſthumio, L. Cornelio Ædilibus curulibus: etiam tunc perſonatis L. Numidio Poſthumio, L. Ambiuio Turpione: item modulante Flacco Claudio tibiis dextra & ſiniſtra ob iocularia, multa permixta grauitate. Et acta eſt tanto ſucceſſu ac plauſu atque ſuffragio, vt rurſus eſſet vendita, & ageretur iterum pro noua: próque ea pretium, quod nulli ante ipſam fabulam contigit, octo milibus ſeſtertiûm numerarent poëtæ. Prouerbia multa ſæpè pronuntiata, & cantica ſæpè mutatis modis exhibita ſunt. προτατικὸν πρόσωπον nuſquam habet: ſed ſuis tantùm perſonis vtitur. In hac Terentius delectat facetiis: prodeſt exemplis : & vitia hominum paulo mordacius, quàm in cæteris carpit. Exempla autem morum hîc tria præcipua proponuntur, vrbani ſcilicet, paraſiti, & militaris. Hæc edita tertium eſt: & pronunciata, Terentij Eunuchus: quippe iam adulta commendatione poëtæ, ac meritis ingenij notioribus populo. Facta autem ex duabus Græcis vna eſt Latina. Nam ex Eunucho & Colace Menandri fabulis, hæc Eunuchus Terentiana ſcripta eſt, non ſine crimine, quòd multa in hanc tranſlata ſint ex multis poëtis Latinis. quod totum, per Prologum purgat atque defendit.

ARGVMENTVM.

RAPTA quædam ex Attica virgo nobilis , atque adducta eſt Rhodum : ibíque matri Thaidis meretricis ab amico dono data eſt, & educata velut ſoror vnà cum filia Thaide. Sed Thais relicta matre Rhodo, cum amatore quodam Athenas ſe contulit : ab eóque heres inſtituta mortuo, mox à milite Thraſone diligebatur nimis. Qui cum Athenis profectus matrem Thaidis mortuam Rhodi comperiſſet, & eam virginem , quam diximus , ab heredibus mortuæ animaduertiſſet venum eſſe propoſitam : quamuis ignarus rerum omnium, emit tamen : & dono amatæ Thaidi vexit Athenas. Verum poſtquam adueniens riualem Phædriam apud amicam reperit, quem per eius abſentiam ſibi meretrix conciliarat : affirmauit ſe non antè daturum promiſſam virginem, quàm Thais foras æmulum pepuliſſet. Illa igitur, etſi amaret Phædriam, cupiditate tamen recuperandæ virginis & ciuis Atticæ, & quam à paruulo vt ſororem dilexerat, excludit Phædriam. Hinc ille primò iraſcitur : pòſt accepta facti ratione, à Thaide lenitur : & in bidui ſpatium ſponte concedens militi,

militi, rus proficiſcitur: ſtátímque ne ab æmulo muneribus ſuperetetur, eunuchum & puellam Parmenoni iubet abiens ad Thaidem deducere. Verum Chærea frater Phædriæ tunc ephebus, viſa in via virgine inflammatur amore eius. atque eo euaſit vehementi ardore, vt pro eunucho ipſe deduceretur ad Thaidem. Hac occaſione vitiata virgo: & mox ciuis, & nobilis cognita, datur vxor Chæreæ. Phædria verò & miles riuales, ambo concordes per paraſitum redditi, communi amica ſine certamine potiuntur. In primo actu Phædria excluſus à Thaide, & ſecum primo, & mox cum Parmenone conqueritur fortunas ſuas: & ad poſtremum corám accuſat Thaidem. Rurſus permulcetur ab eadem, & voluntate digrediens, rus ſeſe conceſſurum in ſpatium bidui eſſe promittit. Secundus actus, profectionem Phædriæ continet delegantis ſeruo deductionem eunuchi & puellæ ad Thaidem. Tum paraſitum loquentem, per quem virgo à milite dono amicæ miſſa eſt. Tum interuentum Chæreæ amantis virginem, eiuſdémque cum Parmenone conſilium de eadem potienda per fallaciam: quia pro eunucho ipſe ſupponitur Thaidi. Tertius actus characterem exprimit militis & paraſiti per ridiculum colloquium. Tum inuitationem ad cœnam Thaidis. Tum oblationem velut eunuchi Chæreæ & puellæ ex AEthiopia per Parmenonem factam. Tum verba Chremetis ad Thaidem venientis, perductíque ad militem. Antiphonis Chęreæque colloquium de vitiata per dolum virgine.

In quarto actu Dorias nuntiat iurgium inter militem & Thaidem: tum reditum habet ex villa Phædriæ, & quærelam Pythiæ de vitiata virgine apud Phædriam: & eundem ſtupentem quod audiebat. Errorem ebrij Chremetis: & verba petulantia Thaidis aduerſum militem, & militis aduerſum Thaidem: parata prælia, ridiculéque depoſita. Quintus actus hæc continet, querelam Thaidis de vitiata virgine, primo cum Pythia, poſtea cum ipſo Chærea: tum interuentum Chremetis atque nutricis: tum perturbationem Parmenonis per dolum Pythiæ atque eius indicio per ſenem qui rure tunc aduenerat, confirmatas nuptias. & ad vltimum reditum in gratiam militis cum Phædria & Chærea.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

ANTIPHO *adoleſcens.*
CHAEREA *adoleſcens.*
CHREMES. *adoleſcens ruſticus.*
DORIAS. *ancilla.*
DORVS. *eunuchus.*
GNATO. *paraſitus.*
LACHES. *ſenex.*
PARMENO *ſeruus.*
PHAEDRIA *adoleſcens.*
PYTHIAS *ancilla.*
SANGA *lixa.*
SOPHRONA *nutrix.*
THAIS *meretrix.*
THRASO *miles.*

IDIOMATA PERSONARVM.

Laches. *à ſorciendo ſiue ab intendendo actionem iniuriarum, pius in filios & vehementi ingenio.* Phædria. *ab hilaritate morum, cordatus adoleſcens, & cum morbo ſuo pugnans.* Chærea *à gaudio ephebus ad quiduis audax, incogitans, & impotenter amans.* Parmeno, *quòd ſedulo adſit domino ſuo, callidus, & oſor meretricum.* Dorus, *quòd dono mittatur Thaidi.* Thais, *à pauone videtur dicta, addita aſpiratione. Inducitur cordata & ciuilis, ac inter meretrices probis moribus.* Dorias, *ab haſta, quòd in bello capta ſit.* Pythias, *ob calliditatem, aut quòd omnia percontetur.* Thraſo, *à confidentia fingitur ſtolidus & arrogans.*

Sanga, *à σάττω, hoc eſt à componendis ſarcinis dictus videtur. Fingitur liber ac domini contemptor, quales ferè coqui.* Gnato, *à mandibula ut edax. Fingitur aſſentator & callidus.* Chremes *adoleſcens ruri educatus, eóque ciuilium blanditiarum inſolens, & artium imperitus.* Antipho, *quòd obuius appareat.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
EVNVCHVS.

ACTA LVDIS MEGALENSIB. L. POSTVMIO ALBINO L. CORNELIO MERVLA AEDILIB. CVRVLIB. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS, TIBIIS DVABVS DEXTRIS. GRAECA MENANDRV ACTA II. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI M. VALERIO, C. FANNIO COSS.

PROLOGVS.

SI quiſquam eſt, qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minime multos laedere,
In his poëta hic nomen profitetur ſuum.
Tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius
Exiſtimauit eſſe, ſic exiſtimet:
Reſponſum, non dictum eſſe, quia laeſit prius,
Qui bene vertendo, & eaſdem ſcribendo male,
Ex Graecis bonis Latinas fecit non bonas:
Idem Menandri Phaſma nunc nuper dedit.
Atque à Thenſauro ſcripſit, cauſam dicere
Prius, vnde petitur aurum, quare ſit ſuum,
Quàm ille qui petit, vnde is ſit thenſaurus ſibi:
Aut vnde in patrium monumentum peruenerit.
Dehinc, ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet,
Defunctus iam ſum, nihil eſt quod dicat mihi.
Is ne erret, moneo, & deſinat laceſſere.
Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.

nomen. A quo etiam *dicaces* dicuntur, qui iocoſis ſalibus maledicunt.

RESPONSVM, NON DICTVM ESSE. Figura πλοκή. nam DICTVM modo bis numero poſitum, ſuprà nomen ſignificat, infrà participium. vt in Heautont. *In quem quiduis harum rerum conuenit, quæ ſunt dicta in ſtultum.*

QVI BENE VERTENDO. *Bene*, pro valde. Et *Vertendo*, in linguam Latinam transferendo. Plautus, *Vertit barbarè*. Aut *vertendo*, corrumpendo.

IDEM MENANDRI PHASMA NVNC NVPER DEDIT. τὸ αὐτὸ apparet pronuntiatum quaſi hoc ipſo admouerit ſpectatorem, quàm turpiter & imperite hæc fabula ſcripta ſit. Et bene, *nunc nuper*: vt ex vicinitate facti oſtendat nihil eſſe dicendum, quàm diſplicuerit hæc comœdia L. Lauinii: propterea quòd res recens ſit, & omnes meminerint. *Phaſma* autem, nomen eſt fabulæ Menandri: in qua nouerca ſuperducta adoleſcenti, virginem, quam ex vicino quodam conceperat, furtim eductam, cum haberet in latebris apud vicinum proximum, hoc modo ſecum habebat aſſidue nullo conſcio. parietem, qui medius inter domum mariti ac vicini fuerat, ita perfodit, vt in ipſo tranſitu ſacrum locum eſſe ſimularet. Cúmque tranſitum intenderet ſertis ac fronde fœlici, rem diuinam ſæpe faciens, euocabat ad ſe virginem. Quod cum animaduertiſſet adoleſcens, primùm aſpectu pulchræ virginis, velut numinis viſu perculſus exhorruit: vnde *Phaſma* eſt nomen fabulæ. Deinde paulatim re cognita, exarſit in amorem puellæ: ita vt remedium tantæ cupiditatis, niſi ex nuptiis non reperiretur. Ita ex commodo matris ac virginis, & ex voto amatoris, conſenſúque patris, nuptiarum celebratione finem accipit fabula. Vtrum ergo hoc dicat, quòd totam fabulam transferendo, læſerit L. Lauinius: an hoc tantum de quo reprehendat. ſed his ſignis velit oſtendere, quem dicat vitioſe theſaurum compoſuiſſe: vt in theſauro ſit culpa, non in phaſmate? NVNC NVPER DEDIT. *Nuper*, ex illis verbis eſt, quæ veteres propter ambiguitatem cum adiectione proferebant. Nam niſi adderet *nunc*: hoc NVPER, olim, pridem, & iam ſignificaſſet. IDEM MENANDRI PHASMA NVNC NVPER DEDIT. Hanc fabulam totam damnat, vt apparet, ſilentio: Theſaurum verò, non totum, ſed ex vno loco.

ATQVE IN THENSAVRO SCRIPSIT CAVSAM DICERE. *Thenſaurum* Latini veteres ſecundum Græcos, ſine N litera proferebãt. ATQVE IN THENSAVRO SCRIPSIT CAVSAM DICERE. Arguit Terentius quòd Luſcius contra conſuetudinem litigantium, defenſionem ante accuſationem induxerit. huiuſmodi enim eſt Luſcii argumentum: Adoleſcens, qui rem familiarem ad nequitiam prodegerat, ſeruum mittit ad patris monumentum, quod ſenex ſibi viuus magnis opibus apparauerat, vt id aperiret, illaturus epulas, quas pater poſt annum decimum cauerat ſibi inferri. ſed eum agrum in quo monumentum erat, ſenex quidam auarus ab adoleſcente emerat. Seruus ad aperiendum monumentum auxilio vſus ſenis, theſaurum cum epiſtola ibidem reperit. Senex theſaurum tanquam à ſe per tumultum hoſtilem illic defoſſum retinet, & ſibi vendicat. Adoleſcens iudicem capit: apud quem prior ſenex qui aurum retinet, cauſam ſuam ſic agit: Athenienſes, bellum cum Rhodienſibus quod fuerit, quid ego hîc prædicem? & cætera, quæ contra naturam iuriſque conſuetudinem poſita argumenta notat Terentius: quod ille ordo potior erat, vt adoleſcens prior proponeret cauſam, qui petitor inducitur.

PRIVS VNDE PETITVR AVRVM. *Vnde*, à quo. Virgilius, *Genus vnde Latinum*. Nam poſſeſſorem fecit priorem agere, quàm petitorem: quod abhorret à conſuetudine & iuris & litium.

QVAM ILLIC QVI PETIT. Deeſt *dicat*. QVI PETIT. Id eſt petitor. QVAM ILLE QVI PETIT. Eſſet recta locutio ſi diceret, *quam petitorem*: aut quàm illum qui petit. ſed *quàm ille*, maluit: vt ſubaudiamus *cauſam dicat*, per ζεῦγμα à ſuperiore figuratum.

DEHINC. Si loquatur.

NE FRVSTRETVR IPSE SE. παρὰ προσδοκίαν dicitur: ſed pòſt addit. AVT SIC COGITET. Si taceat.

DEFVNCTVS IAM SVM. σχῆμα διανοίας, ἀσφάλεια. id eſt, omni labore liberatus ſum, authoritate iam confirmata & inuiolabili. DEFVNCTVS IAM SVM. Id eſt, iam egi fabulas meas: aut iam deſtiti periclitari in edendis comœdiis: aut certè, iam edidi quam tu reprehendis fabulam.

DEFVNCTVS IAM SVM: NIHIL EST QVOD OICAT MIHI. Non ſit, inquit, de ſuis vitiis ſecurus propter vetuſtatem, nihilominus enim à me reprehendetur.

IS NE ERRET, MONEO. χῆμα ἐπιτιμητικόν.

QVAE NVNC CONDONABITVR. Sic in Phormione, *Argentum quod habes, condonamus te.* Nam & *dono*, ablatiuo caſui iungebant veteres: *condono* verò accuſatiuo.

NVNC QVAM ACTVRI SVMVS. Obliqua narratio facti eſt ſecundum caſum accuſatiuum.

POSTQVAM AEDILES EMERVNT. Mire: cum ordo melior videretur ſi ſic diceret: Poſtquam ædiles emerunt quam nunc acturi ſumus, perfecit ſibi vt inſpiciundi eſſet copia. *Emerunt* autem, mediam corripe. vt *Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes.*

PERFECIT. Mire, quaſi difficile & illicitum.

EXCLAMAT, FVREM, NON POETAM. Mire reprehendit antè vitium, quàm de cauſa maledicti dicat. EXCLAMAT, FVREM, NON POETAM. Adhuc nulla reprehenſio eſt: ſi quidem licet transferre de Græco in Latinum.

ET NIHIL OEDISSE VERBORVM TAMEN. Aut, neminem fefeliſſe: aut, nihil apposuiſſe de ſuo. ET NIHIL OEDISSE VERBORVM TAMEN. Aut neminem fefeliſſe: *dare* enim *verba*, decipere eſt: quia qui rem expectat, & nihil præter verba inuenit, deceptus eſt. vnde alibi, *Verba iſtæc ſunt.* & è contrario, *Rem cum videas, cenſeas.* Aut aliter: nihil addidiſſe de ſtylo ſuo Terentium.

PARASITI PERSONAM INDE ABLATAM. Et hoc mire: non verſus obiicit, ſed per perſonam eſſe tranſlatam. quid ſtultius, aut calumnoſius dici poteſt?

PECCATVM IMPRVDENTIA EST. Id eſt ignorantia: vt imprudens harum rerum. non enim ſtultitia. SI ID EST PECCATVM, PECCATVM IMPRVDENTIA EST POETAE. Primo negat peccatum, deinde concedit & purgat. IMPRVDENTIA. Ignorantia, non imperitia. SI ID EST PECCATVM. πλοκὴ. Nam PECCATVM ſuperius nomen eſt: & ſequens, participium. Et primo negat peccatum. deinde ſi peccatum eſt, purgat idipſum veniali qualitate ab imprudentiæ partibus.

IN EVNVCHVM SVAM. Ad fabulam, non ad hominem retulit. vt Virgilius, *Centauro inuehitur magna.* BONAS MATRONAS. vt Nauſiſtratam.

MERETRICES MALAS. vt Thaidem atque Bacchidem. Sic eſt in Heautont. *Scortari erebro nolunt, nolunt crebro conuiuarier.* Et artificioſe oſtendit omnem materiam comicorum.

PARASITVM. Vt Gnatonem.

GLORIOSVM MILITEM. Vt Thraſonem. GLORIOSVM MILITEM. Facere ſubauditur.

FALLI PER SERVVM SENEM. Vt Demeam & Simonem.

AMARE, ODISSE, SVSPICARI? Mire à perſonis ad geſta cum varietate tranſitum fecit. Omne enim quod in orationem venit, vel perſona, vel factum eſt. ODISSE. Quia *odere*, non eſt latinum.

NVLLVM EST IAM DICTVM, QVOD NON DICTVM SIT PRIVS. σχῆμα λόγου, πλοκὴ. Nam DICTVM, bis poſitum: vt ſuperius PECCATVM, diuerſa ſignificat.

QVARE AEQVVM EST VOS COGNOSCERE, ATQVE IGNOSCERE. σχῆμα λόγου, παρόμοιον. QVAE VETERES FACTITARVNT SI FACIVNT NOVI. Et variè dixit, *factitarunt* & *faciunt*, & cum magna defenſione Terentij ſemel facientis id quod ſæpe veteres.

ANIMADVERTITE. Nos ἰδιωτικῶς dicimus *aduertite*, quod veteres plene *animum aduertite.*

QVID SIBI EVNVCHVS VELIT. ἀρχαϊσμὸς *velit ſibi.* vt alibi, *Nam proh deûm atque hominum fidem, Quid vis tibi, aut quid quæris?*

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

PHAEDRIA. PARMENO.

QVID igitur faciam? non eam, ne nunc quidem
Cum accerſor vltro? an potius ita me comparem,
Non perpeti meretricum contumelias?
Excluſit: reuocat: redeam? non, ſi me obſecret.
Si quidem hercle poſſis, nihil prius, neque fortius:
Verùm ſi incipies, neque pertendes nauiter:
Atque vbi pati non poteris, cum nemo expetet,
Infecta pace, vltro ad eam venies, indicans
Te amare & ferre non poſſe: actum ſt. ilicet.
Periſti. eludet, vbi te victum ſenſerit.
Proin tu, dum eſt tempus, etiam atque etiam cogita.
PA. Ere, quae res in ſe neque conſilium, neque modum
Habet vllum, eam conſilio regere non potes.
In amore haec omnia inſunt vitia: iniuriae,
Suſpiciones, inimicitiae, induciae,
Bellum, pax rurſum. incerta haec ſi tu poſtules
Ratione certa facere, nihilo plus agas,
Quàm ſi des operam, vt cum ratione inſanias.
Et quod nunc tute tecum iratus cogitas,
Egóne illam? quae illum? quae me? quae non? ſine modo,
Mori me malim: ſentiet qui vir ſiem.
Haec verba, vna mehercle falſa lacrymula,
Quam oculos terendo, miſera, vix vi expreſſerit,
Reſtinguet: & te vltro accuſabit: & dabis ei
Vltro ſupplicium. PH. ô indignum facinus: nunc ego
Et illam ſceleſtam eſſe, & me miſerum ſentio:
Et taedet: & amore ardeo: & prudens, ſciens,
Viuus, vidénſque pereo: nec quid agam, ſcio.
PA. Quid agas? niſi vt te redimas captum quàm queas
Minimo: ſi nequeas paululo, at quanti queas:
Et ne te adflictes. PH. itáne ſuades? PA. ſi ſapis,
Neque, praeterquam quas ipſe amor moleſtias
Habet, addas: & illas, quas habet, rectè feras.
Set ecca ipſa egreditur, noſtri fundi calamitas.
Nam quod nos capere oportet, haec intercipit.

QVID IGITVR FACIAM? In hac πρoτάσει exemplum proponitur, quàm non ſuæ poteſtatis ſit qui amat: quàm ſapiat qui non amat, neque aliter affectus eſt. QVID IGITVR FACIAM? διαλογισμὸς σχῆμα διανοίας. Apparet & multa tacitum cogitaſſe adoleſcentem, & tandem in hæc verba prorupiſſe. *Igitur*, pro deinde. Vt Plautus in Amphitryone: *Sin aliter ſient animati, neque dent quæ petat: Seſe igitur ſumma vi, viriſque eorum oppidum expugnaſſere.* QVID IGITVR FACIAM? Menander, ἀλλὰ τί ποιήσω; Sic Virgilius, *Heu quid agam?* Et eſt διαλογισμὸς perditæ mentis, poſt multam fruſtra cogitationem.

NON EAM, NE NVNC QVIDEM. Hoc videtur non eſſe contrarium: ſed eſt. Nam dubitat vtrum meretricis ſatisfactionem expectet: an illam omnino non quærat. NON EAM, NE NVNC QVIDEM. *Non eam*, Probus diſtinguit. Iungunt qui ſecundum Menandri exemplum legunt.

COMPAREM. Conſtituam: vt, *Quàm inique comparatum eſt.*

NON PERPETI MERETRICVM CONTVMELIAS? Sic in Andria, *Priuſquam harum ſcelera & lacrumæ confictæ dolis.* Cum vni ſit iratus, de omnibus queritur.

EXCLVSIT, REVOCAT. Vtrumque iniuriam fecit ex verbo, dicendo, *Excluſit*, potius quàm *non admiſit*. & *reuocat*, potius quàm *petit vt redeam*, quod erat moderatius.

REDEAM? NON SI ME OBSECRET. Vides ergo ſuperiorem partem dubitationis in eo fuiſſe, vt rogatus rediret: inferiorem, vt ne rogatus quidem. NON, SI ME OBSECRET. Bene de ea quæ totum proterue agens excluſit & reuocat: non petat, nec roget, nec oret, ſed obſecret, inquit: quod horum omnium in maiorem partem eſt vltimum.

SI QVIDEM HERCLE POSSIS. διαλογισμὸς quaſi ad alterum: vt,

——— *neſcis heu perdita, necdum*
Laomedonteæ ſentis periuria gentis,

NIHIL PRIVS, NEQVE FORTIVS. Deeſt, *eſt*. vt, *Multum ille & terris iactatus & alto.* Et *prius* modo ad laudem, non ad ordinem pertinet. vt Salluſtius, *Quæ prima mortales ducunt.* Et ipſe in Heautont. *Et ſuauia quæ eſſent, prima habere.*

NAVITER. A naui ductum, à qua in alto nullum diuerſorium eſt.

INFECTA PACE. ἔμφασις per μεταφοράν.

INDICANS TE AMARE. Non verbis indicans. vt alibi, *Ibi tum exanimatus Pamphilus Bene diſſimulatum amorem, & celatum indicat.*

ACTVM EST: ILICET: PERISTI. De iure tranſlatum. *Actum eſt*, ad *Vltro ad eam venies* relatum eſt. *Ilicet*, ad *Indicans te amare*. *Periſti*, ad *Ferre non poſſe*. ILICET. Semper in fine tranſactæ rei ponitur. *Periſti*, ὑπερβολή. ILICET. De iudicio. PERISTI. De ſupplicio.

ELVDET. *Eludere* proprie gladiatorum eſt cum vicerint. Cicero, *Quàm diu etiam furor iſte tuus eludet?* *Eludere*, eſt finem ludo imponere.

PROIN TV. Vt exin & exinde, ſic proin & proinde dicitur.

ERE, QVAE RES, &c. Conceſſum eſt in palliata poetis comicis ſeruos dominis ſapientiores fingere: quod idem in togata non ferè licet.

EAM CONSILIO REGERE NON POTES. Nunc domino ſeruus eſt ſapientior: quia nec amator, nec amans. Vt idem in Andria, *Facile omnes cum valemus, recta conſilia ægrotis valemus.*

IN AMORE HAEC OMNIA INSVNT VITIA. Duas præpoſitiones, in amore inſunt.

INDVCIAE. *Induciæ*, ſunt pax in paucos dies, vel quòd in diem dentur, vel quòd in dies otium præbeant.

PAX RVRSVM. Bene vt conſolaretur, vltimam partem poſuit.

HAEC SI TV POSTVLES. Id eſt, ſi velis vel coneris.

NIHILO PLVS AGAS. Id eſt, nihil agas.

ET QVOD NVNC. Pro, *quæ*: vt ſit conſequens, hæc verba. Sic in Andria, *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli, Horum ille nihil egregie.*

EGÓNE ILLAM? QVAE ILLVM? QVAE ME? Familiaris iratis hic iraſcentibus, nam ſingula ſic complentur, *Egóne illam non vlciſcar?* quæ illum recepit? quæ excluſit me? quæ

non

non admiſit? etenim neceſſe habet, nec poteſt complete orationem, qui & ſecum loquitur, & dolore vexatur. Nam amat ἀποσιώπησιν nimia indignatio. vt Virgilius, *Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus.*

Haec verba. *Verba* ἐμφατικῶς dixit, quæ ſcilicet nihil effectura ſint.

Me hercle vna falsa lacrvmvla, qvam ocvlos terendo misere, vix vi expresserit. Expreſſio ad αὔξησιν ducens. & non vera, ſed falſa: & non *lacruma*, ſed *lacrumula*: & non vltro flens, ſed oculos terendo: & non facilè, ſed vi: & non, extillauerit, ſed expreſſerit. ſic Virgilius, *Captíque dolis lacrumiſque coactis.* Qvam ocvlos terendo misere, vix vi expresserit. Totum ſenſum verbis ſignificantibus protulit: vt,

> *Stridenti miſerum ſtipula diſperdere carmen.* &:
> *Vna dolo diuum ſi fœmina victa duorum eſt.*

Nvnc ego et illam. *Nunc*, id eſt ſero. vt Virgilius, *Nunc ſcio quid ſit amor.* Et:
——— *nunc augur Apollo, Nunc Lyciæ ſortes.*

Et prvdens, sciens. *Prudens* eſt, qui intelligentia ſua aliquid ſentit. *Sciens*, qui alicuius indicio rem cognoſcit. Ergo prudens, per ſeſe: Sciens, per alios.

Vivvs, vidensqve pereo. Mire & noue, *viuus pereo*: & propterea ſic dixit, vt intelligamus occidor: & *viuus*, quaſi ſapiens & ſentiens. Vivvs, vidensqve pereo. Bene addidit *videns*. nam viuus perit, qui etiam dormiens opprimitur: videns autem, qui vigilans vim patitur & perit. Nam *videre*, pro vigilare poſuit. vt etiam Virgilius, quum de ſilentio dicit, ——— *iámque videnti Sanguineus frontem moris & tempora pingit.* Ergo viuus, non mortuus: videns, non dormiens.

Captvm. Salluſtius, *Sin captus prauis cupidinibus.*

Qvam qveas minimo? Perſeuerauit in tranſlatione quam iamdudum ſumpſit à bello.

Si sapis, Id eſt ſi ſapias. ad inferiora iungendum eſt: nam aliter non intelligitur.

Nostri fvndi calamitas. Propriè *calamitatem* ruſtici grandinem dicunt, quòd comminuat calamum, hoc eſt culmum ac ſegetem.

Intercipit. Propriè, quaſi totum capit. Plautus in Aulularia, *Quæ mihi interbibere ſola ſi vino ſcateat, Corinthienſem fontem & Pyrenaum poteſt.*

Actvs primi scena II.

THAIS. PHAEDRIA. PARMENO.

MISERAM me! vereor ne illud grauius Phaedria
Tulerit, néve aliorſum, atque ego feci, acceperit,
Quòd heri intromiſſus non eſt. PH. *totus Parmeno*
Tremo, horreóque, poſtquam aſpexi hanc. PA. *bono animo es:*
Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis.
TH. *Quis hic loquitur? ehem, tun hic eras mi Phaedria?*
Quid hîc ſtabas? cur non rectà introibas? PA. *ceterum*
De excluſione verbum nullum. TH. *quid taces?*
PH. *Sane, quia verò hae mihi patent ſemper fores:*
Aut quia ſum aput te primus. TH. *miſſa iſtaec face.*
PH. *Quid miſſa? ô Thais, Thais, vtinam eſſet mihi*
Pars aequa amoris tecum, ac pariter fieres,

Vt aut hoc tibi doleret itidem, vt mihi dolet:
Aut ego iſtuc abs te factum nihili penderem.
TH. Ne crucia te obſecro anime mi Phaedria.
Non pol, quo quemquam plus amem, aut plus diligam,
Eo feci: ſet ita erat res: faciundum fuit.
PA. Credo, vt fit, miſera prae amore excluſti hunc foras.
TH. Sicine ais Parmeno? age. ſet huc qua gratia
Te adcerſi iuſſi, auſculta. PH. fiat. TH. dic mihi
Hoc primum, potin' eſt hic tacere? PA. egóne? optume.
Verum heus tu hac lege tibi meam aſtringo fidem:
Quae vera audiui taceo, & contineo optume.
Sin falſum, aut vanum, aut fictumſt, continuò palàmſt.
Plenus rimarum ſum, hac atque illac perfluo.
Proin tu, taceri ſi vis, vera dicito.
TH. Samia mihi mater fuit: ea habitabat Rhodi.
PA. Poteſt taceri hoc. TH. ibi tum matri paruolam
Puellam dono quidam mercator dedit,
Ex Attica hinc abreptam. PA. ciuémne? TH. arbitror:
Certum non ſcimus: matris nomen & patris
Dicebat ipſa: patriam & ſigna cetera
Neque ſciebat, neque per aetatem etiam potuerat.
Mercator hoc addebat, è praedonibus
Vnde emerat, ſe audiſſe abreptam è Sunio.
Mater vbi accepit, cepit ſtudioſe omnia
Docere, educare, ita vt ſi eſſet filia.
Sororem plerique eſſe credebant meam.
Ego cum illo, quo cum tum vno rem habebam hoſpite,
Abij huc: qui mihi reliquit haec, quae habeo omnia.
PA. Vtrumque hoc falſum eſt: effluet. TH. qui iſtuc? PA. quia
Neque tu vno eras contenta, neque ſolus dedit.
Nam hic quoque bonam magnámque partem ad te attulit.
TH. Itaſt: ſet ſine me peruenire quò volo.
Interea miles, qui me amare occeperat,
In Cariam eſt profectus: te interea loci
Cognoui. tute ſcis, poſtilla quàm intumum
Habeam te: & mea conſilia vt tibi credam omnia.
PH. Ne hoc quidem tacebit Parmeno. PA. ô, dubiúmne id eſt?
TH. Hoc agite amâbo. mater mea illic mortuaſt

Nuper: eius frater aliquantum ad rem eſt audior:
Is vbi hancforma vîdet honeſta virginem,
Et fidibus ſcire, pretium ſperans, ilico
Producit: vendit. fortè fortuna adfuit
Hic meus amicus: emit eam dono mihi,
Inprudens harum rerum, ignarúſque omnium
Is venit: poſtquam ſenſit me tecum quoque
Rem habere, fingit cauſas ne det ſedulo?
Ait, ſi fidem habeat, ſe iri praepoſitum tibi
Apud me: ac non id metuat, ne, vbi acceperim,
Seſe relinquam: velle ſe illam mihi dare:
Verum id vereri. ſed ego quantum ſuſpicor,
Ad virginem animum adiecit. PH. etiámne amplius?
TH. Nihil: nam quaeſiui. nunc ego eam mi Phaedria.
Multae ſunt cauſae, quamobrem cupiam abducere.
Primùm quòd ſoror eſt dicta: praeterea vt ſuis
Reſtituam ac reddam. ſola ſum: habeo hîc neminem,
Neque amicum, neque cognatum: quamobrem Phaedria,
Cupio aliquos parere amicos beneficio meo.
Id amâbo adiuta me, quo id fiat facilius.
Sine illum priores partes hoſce aliquot dies
Apud me habere. nihil reſpondes? PH. peſſuma,
Egon' quidquam cum iſtis factis tibi reſpondeam!
PA. Eu noſter! laudo: tandem perdoluit: vir es.
PH. Haut ego neſciebam quorſum tu ires? paruola
Hinc eſt abrepta: eduxit mater pro ſua:
Soror dictaſt: cupio abducere, vt reddam ſuis:
Nempe omnia haec nunc verba huc redeunt denique,
Ego excludor: ille recipitur. qua gratia?
Niſi illum plus amas, quàm me: & iſtam nunc times,
Quae aduectaſt, ne illum talem praeripiat tibi.
TH. Egón' id timeo? PH. quid te ergo aliud ſolicitat? cedò
Num ſolus ille dona dat? nunc vbi meam
Benignitatem ſenſiſti in te claudier?
Nónne vbi mihi dixti cupere te ex AEthiopia
Ancillulam, relictis rebus omnibus.
Quaeſiui? porro eunuchum dixti velle te,
Quia ſolae vtuntur his reginae: repperi.

Heri minas viginti pro ambobus dedi.
Tamen contemptus abs te, haec habui in memoria,
Ob haec facta abs te ſpernor. TH. quid iſtic Phaedria?
Quamquam illam cupio abducere, atque hac re arbitror
Id fieri poſſe maxume: verumtamen,
Potius quàm te inimicum habeam, faciam vt iuſſeris.
PH. Vtinam iſtuc verbum ex animo, ac verè diceres;
Potius quàm te inimicum habeam: ſi iſtuc crederem
Sincere dici, quiduis poſſem perpeti.
PA. Labaſcit, victus vno verbo, quàm cito!
TH. Ego non ex animo miſera dico? quam ioco
Rem voluiſti à me tandem, quin perfeceris?
Ego impetrare nequeo hoc abs te, biduum
Saltem vt concedas ſolum. PH. ſiquidem biduum:
Verum ne fiant iſti viginti dies.
TH. Profectò non plus biduum, aut. PH. aut? nihil moror.
TH. Non fiet: hoc modo ſine te exorem. PH. ſcilicet
Faciundumſt quod vis. TH. meritò amo te. PH. bene facis.
Rus ibo: ibi hoc me macerabo biduum:
Ita facere certumſt: mos gerunduſt Thaidi.
Tu Parmeno huc fac illi adducantur. PA. maxume.
PH. In hoc biduum Thais vale. TH. mi Phaedria
Et tu numquid vis aliud? PH. egóne quid velim?
Cum milite iſto praeſens, abſens vt ſies:
Dies noctéſque me ames: me deſideres:
Me ſomnies: me expectes: de me cogites:
Me ſperes: me te oblectes: mecum tota ſis:
Meus fac ſis poſtremo animus, quando ego ſum tuus.
TH. Me miſeram! forſitan hic mihi paruam habeat fidem,
Atque ex aliarum ingeniis nunc me iudicet.
Ego pol, quae mihi ſum conſcia, hoc certo ſcio,
Neque me finxiſſe falſi quidquam: neque meo
Cordi eſſe quemquam cariorem hoc Phaedria.
Et quidquid huius feci, cauſa virginis
Feci: nam me eius ſpero fratrem propemodum
Iam repperiſſe, adoleſcentem adeò nobilem:
Et is hodie venturum ad me conſtituit domum.
Concedam hinc intrò, atque expectabo, dum venit.

MISERAM ME, &c. NEVE ALIORSVM. *Aliorſum*, in aliam partem: vt *ſeorſum*, *retrorſum* dicitur.

QVÒD HERI INTROMISSVS NON EST. Hæc lenius. vt de facto ſuo loquens. At Phædria, *Excluſit, reuocat*, inquit, *redeam? non ſi me obſecret*.

TREMO HORREÓQVE. Ex amore nimio. Nimius ignis, effectum frigoris reddit: & ex frigore nimio effectus ignis exiſtit: ſecundum illud quod phyſici aiunt. hinc & Virgilius, *Aut Boreæ penetrabile frigus adurat*. TREMO HORREÓQVE, POSTQVAM ASPEXI HANC. Natura magni caloris etiam horrorem incutit, vt nimiæ febres.

ACCEDE AD IGNEM HVNC. Potius *ignem* meretricem accipimus, quam aram Apollinis: vel quia amator vritur. vt Virgilius, *At mihi ſeſe offert vltrò meus ignis Amyntas*. Vel quia auida & auara eſt: vt ignis, alimentorum.

IAM CALESCES PLVS SATIS. None, ſed intelligitur *quam*, id eſt plus æquo. vt alibi, *Quàm nequid in illum iratus plus ſatis faxit pater*. IAM CALESCES PLVS SATIS. None: ſed intelligitur, *plus quàm ſatis*. Hoc quidam putant. at mihi de his videtur eſſe quæ à veteribus geminabantur: vt *plerique omnes*, hoc eſt omnes: & *pleraque omnia*, id eſt omnia. ſic & *plus ſatis*, pro ſatis.

QVIS HIC LOQVITVR? Non imperitè intelligunt qui exiſtimant meretricem etiam hoc ſimulare, quòd non prouiderit Phædriam. Nam & perſonæ, & dictis eius cæteris hoc conuenit: & tunc erunt gratiora omnia quæ ſuprà dixit.

CVR NON RECTA INTROIBAS? Quaſi parum fuerit *introibas*: ſatis mirè additum *recta*. DE EXCLVSIONE VERBVM NVLLVM. Plus admirationis eſt, nec accuſationi, nec ſatisfactioni locum reliquiſſe meretricem, callidè diſſimulata iniuria.

QVID TACES? Et hoc callidè, quaſi innocens ne ſuſpicetur quidem, quid ſuccenſeat adoleſcens.

SANE QVIA VERO SEMPER, &c. Tolle *ſane* & *verò*, & pronuntiandi adiumenta vultúmque dicentis: & in verbis non negatio, ſed confeſſio eſſe credatur. Nam *verò*, ironiæ conuenit. vt Virgilius, *Egregiam verò laudem & ſpolia ampla refertis*.

AVT QVIA SVM APVT TE PRIMVS. Duo dixit quæ doleat: & quia clauſæ fores, & quia poſterior habetur, prælato milite. AVT QVIA SVM APVD TE PRIMVS. Subauditur, *Non recta introiui*.

MISSA ISTAEC FACE. Alia diſſimulatio, & durior poſt admonitionem. ſed bene intelligit, qui hoc à meretrice ridente molliter, & oſculum porrigente dici accipit.

QVID MISSA? Magna virtus poetæ eſt, non ſententias ſolum de conſuetudine ac de medio tollere, & ponere in comœdia: verumetiam verba quædam ex communi ſermone, quale eſt quod ait nunc, QVID MISSA?

VTINAM ESSET MIHI PARS AEQVA AMORIS TECVM. Vel amandi, vel non amandi ſcilicet.

AC PARITER FIERET. *Pariter*, ſimiliter. Salluſtius, *Cui niſi pariter obuiam iretur*.

VT AVT HOC TIBI DOLERET ITIDEM VT MIHI DOLET. Si ambo amaremus.

NE CRVCIA TE OBSECRO ANIME MI. *Mi*, vocatiuus eſt, ab eo quod eſt *meus*. Vide quàm familiariter hoc idem repetit blandimentum. Vult enim Terentius velut peculiare verbum hoc eſſe Thaidis. ideo totiens dictum eſt, *Túne hîc eras mi Phædria? Ne crucia te obſecro anime mi Phædria*. NE CRVCIA TE. Hæc niſi amplectens adoleſcentem mulier dixerit, videbitur *ne crucia*, ſine affectu dicere. Sed ſic dicet, *ne crucia te*, eo geſtu, quaſi in eo etiam ipſa crucietur: nam ideo ſubiecit, *anime mi*, hoc eſt animus meus.

NON POL QVO QVEMQVAM PLVS AMEM. Hoc totum nimis blandè, & cum contractione adoleſcentis dicit meretrix.

FACIVNDVM FVIT. Legendum, faciendum, ſcribendum, totum hoc ſemper neceſſitati adiungitur. Virgilius, *Aut pacem Troiano ab rege petendum*. Et alibi, *Arma acri facienda viro*.

CREDO, VT FIT, MISERA PRAE AMORE EXCLVSIT HVNC FORAS. Oratoriè ac facetè additum, *miſera*. Et cum illa à deriuatione cauſæ argumentetur, mirè à Parmenone correpta eſt, veriſimile non eſſe, vt quis quem amet, eundem poſſit excludere. EXCLVSIT HVNC FORAS. παρὰ προσδοκίαν intulit intuens puellam, & ei oſtendens Phæ-

driam: vt oſtendat quam falſa & repugnantia loquatur meretrix.

AGE. Corripientis eſt modo *age*, non hortantis aduerbium.

TE ADCERSI IVSSI. Hoc eſt, quod ſuprà ait, *Non eam, ne nunc quidem, cum adceſſor vltrò?* DIC MIHI. Meretricia calliditate commendat quæ dictura eſt.

EGÓNE? OPTVME. Bene, non expectauit ſeruus vt pro ſe dominus reſpõderet Thaidi.

VERVM HEVS TV. Aſtutè ſeruus reponit Thaidi vicem. Nam illa vt magnum voluit expectari quod dictura eſt, iſte vt falſum contemnit.

MEAM ASTRINGO FIDEM. Fidem promitto: quia *vincula fidei* dicuntur.

QVAE VERA AVDIVI TACEO. Mirè vicem Parmeno reddidit meretrici. Nam vt ſeruum difficile eſt tacere commiſſa: ita meretricem rarum eſt vera dicere. QVAE VERA AVDIVI, Figura παρέργικον.

CONTINEO OPTVME. Propriè à metaphora vaſorum tranſtulit verba.

SIN FALSVM, AVT VANVM, AVT FICTVM EST, CONTINVO PALAM EST. *Falſum* eſt, quo tegitur id quod factum eſt. *Vanum*, quod fieri non poteſt. *Fictum*, quod non eſt factum, & fieri potuit. Vel *falſum*, eſt fictum mendacium ſimile veritati. *Vanum*, nec poſſibile nec veriſimile. *Fictum*, totum ſine vero, ſed veriſimile. Falſum loqui, mendacis eſt: Fictum, callidi: Vanum, ſtulti. Falſum loqui, culpæ eſt: Fictum, virtutis: Vanum, vecordiæ. Falſis decipimur: Fictis delectamur: Vana contemnimus.

PLENVS RIMARVM SVM. Vilis atque abiecta tranſlatio, & apta ad meretricẽ loquenti. tranſlata autem eſt ab aquario vaſe fictili.

HAC ATQVE ILLAC PERFLVO. Contrà, *Contineo optume.*

PROIN TACERE SI VIS, VERA DICITO? Vtrum te tacere, aut tuum dictum? an impeiſonaliter, & infinito modo?

SAMIA MIHI MATER FVIT. Puduit dicere Thaidem, *Meretrix mihi mater fuit.* quod tamen ſignificauit, dicendo aliunde ciuem alibi habitaſſe. Nam ideo meretrices, *peregrinæ* dictæ ſunt in comœdiis. vt in Andria. *Adeóne eſt demens ex peregrina.*

POTEST TACERI HOC. Id eſt, veriſimile eſt. Nec hoc ad laudem proficit, ſed ad dedecus meretricis. POTEST TACERI HOC? *Hoc*, peregrinam naſci meretricem. & ideo poteſt verum videri.

PVELLAM DONO QVIDAM? Aetas & ſexus amoris cauſa ſunt, cur eam Thais puellam diligat. PVELLAM DONO QVIDAM MERCATOR DEDIT. Propter hoc oſtendit meretricem fuiſſe matrem: & dono ideo accipere puellam potuiſſe.

EX ATTICA HINC ABREPTAM? Quia Athenis eſt conſtituta Scena.

ARBITROR. Bene *arbitror*, & nihil certi. quando enim auſurus eſſet Parmeno adornare Chæream ad vitiandum hanc virginem, ſi præſciſſet ciuem eſſe?

MATRIS NOMEN ET PATRIS DICEBAT IPSA. Quæ infantis memoriæ proxima ſunt. Nam quid prius ætas illa, quàm patrem matrémque cognoſcit?

ET SIGNA CAETERA NEQVE SCIEBAT. Id eſt domum patris, regionémque eius.

NEQVE PER AETATEM ETIAM POTVERAT. Hoc ideo addidit, ne eſſet minus elegans, quæ neſciret.

HOC ADDEBAT. Ad matris ſcilicet nomen & patris, quod puella dicebat.

VNDE. Id eſt, à quibus. vt Virgilius, *Genus vnde Latinum.* Et, *Cauſam dicere primi, vnde petitur aurum.*

E SVNIO. *Sunium*, promontorium eſt Athenienſium: & in eo forum rerum venalium ἐμπόριον.

MATER VBI ACCEPIT. Hæc figura in narrationibus βάσις dicitur, cum omnia pedetentim dicuntur inſinuandi gratia. vt nunc, *Matri mercator dono dedit. Mater vbi accepit.* Et ſimul conuenit mulieri loquenti huiuſcemodi mora. MATER VBI ACCEPIT. *Accepit*, ſimpliciter. aut audiuit ingenuam: vt *Capiendi* &c. c. a. t. Sed melius prius.

COEPIT STVDIOSE OMNIA DOCERE. Mirè: nã non docuit: ſed *cœpit docere.* τῷ μέλλοντι.

Et vide quàm ſatis muliebriter.

ITA VT SI ESSET FILIA. Ergo velut ſoror habenda eſt Thaidi: & ideo ſequitur, *Sororem plerique eſſe credebant meam.* Et oratorie cumulat dignitatem & amorem puellæ: vt eius comparatione leniatur iniuria facta Phædriæ.

EGO CVM ILLO, QVO CVM VNO TVNC REM HABEBAM TVM HOSPITE. Totum dixit, & quòd hoſpitem, & quòd rem habebat. Et bene *tunc*, & non *nunc*. Nam nunc, cum duobus. QVOCVM VNO TVNC REM HABEBAM. Id eſt, conſuetudinem, amorem. HOSPITE, Id eſt, Attico. ABII HVC. Rhodo Athenas ſcilicet.

QVI MIHI RELIQVIT HAEC, QVAE HABEO OMNIA. Hoc ideo, ne tantundem obſequij exigat Phædria. Ideo contrà Parmeno.

VTRVMQVE HOC FALSVM EST: EFFLVET. Ipſe exponit hoc vtrumque quid dicat. & contradicendum eſt, quia præſens amator grauatur hoc dicto.

NEQVE TV VNO ERAS CONTENTA. Quippe qui admiſeris militem.

NEQVE SOLVS DEDIT. Quippe quia non omnia tua illius fuere mortui.

NAM HIC QVOQVE δεικτικῶς. Non Phædria, ſed HIC dixit. tangens illum, & quaſi inuito illo hoc exprobrat.

BONAM MAGNAMQVE PARTEM AD TE ATTVLIT. Hæc dicuntur ἰσοδυναμοῦντα: vt *Abs te petere & poſcere*. An potius bonam ſpecie, magnam quantitate? & nunc diſcretiue dictum eſt: nam alias bonam, pro magna & multa accipimus.

ITA EST. Non erat negandum quod dixit Parmeno meretrici ſatisfacere cupienti, & non tacenti culpam in conſcientia eſſe.

TE INTEREA LOCI COGNOVI. Oratorie priorem amatorem facit militem, quàm Phædriam. Nam poſterius dicit hunc cognitum per abſentiam militis. Ergo cum militi Phædria riualis ſuperductus ſit, conſequens eſt vt miles queri debuerit, non Phædria: & propterea nihil peccatum, ſi ordine ſeruato miles antepoſitus fuerit amatori poſtmodum cognito. & hoc ſine puella, & munerum cauſa, multum pro milite contra Phædriam valet. Sed vide meretricem, quia rem dixit perurentem, quot & qualia blandimenta ſubiicit, dicendo, *Tute ſcis poſt illa, quàm intimum habeam te*, & cetera. COGNOVI. Propriè *cognoui*.

TVTE SCIS POST ILLA, &c. ἐπιπλοκὴ figura: nam hoc ad narrationem non pertinet. ET MEA CONSILIA VT TIBI CREDAM OMNIA. Ex præſenti actu ſumpſit argumentum, quod eum nunc tanquam conſultorem adhibuerit. Et bene CREDAM, ſecundum illud, *Potin' eſt hic tacere?* NE HOC QVIDEM. Id eſt, hoc quoque falſum eſt.

DVBIVMNE ID EST? Me non taciturum ſcilicet.

HOC AGITE. Pro aduerbio corripientis eſt poſitum: aut certe pro adhortatione audientiæ præbendæ. Sic Plautus, *Hoc agite ſultis ſpectatores*. Et conuenit velut nutu audientiam ſignificantis, & geſtu hoc ipſum adiuuari. *Hoc agito*, Id eſt, illud deſinite, & hoc attendite. NVPER: Vt adhuc amor flagrare videatur, addidit *nuper*.

ALIQVANTVLVM AD REM EST AVIDIOR. Vultu accommodato ad reprehenſionem pronuntiandum eſt. AD REM AVIDIOR. Propriè *auidior*. Et *rem* pecuniam modò dicit.

IS HANC VEL FORMA. Ex aliena perſona vult oſtendere præter affectum, quanti ſibi æſtimanda ſit: & quanto munere miles Phædriæ meruerat anteponi.

ET FIDIBVS SCIRE. Vetuſta ἔλλειψις.

PRETIVM SPERANS. Deeſt *magnum*. vt, *Et ſtabulo frænos audire ſonantes*.

PRODVCIT: VENDIT. Propriè. Nam *produci* res venales dicuntur. PRODVCIT: VENDIT. Hæc celeritas vendibilem indicat mercem.

FORTE FORTVNA. Id eſt, bona fortuna. HIC MEVS AMICVS. Quia locus eſt meritorum, non iam miles, ſed meus amicus. Vide enim quid ſequatur. *Emit*, inquit, *eam dono mihi, imprudens harum rerum*. Hic oſtenditur quàm auidus id faceret, ſi rem penitus noſſet. ſimul etiam oſtenditur quanta ſecreta dicat Phædriæ: vtpote quæ riualis neſciat.

IMPRVDENS HARVM RERVM, IGNARVSQVE OMNIVM. *Prudentia*, naturalis eſt: *gnaritas*, extrinſecus venit. *Imprudens*, per ſe, *Ignarus*, per alios. Hoc eſt, qui nec ſuſpicatus ſit, neque ex aliquo audierit.

POSTQVAM SENSIT ME TECVM QVOQVE REM HABERE. Non dictum, ſed quaſi celatum. SENSIT ME TECVM QVOQVE REM HABERE. Magno pondere dixit, *tecum quoque*: tanquam iraſcendi iuſta magis ſit cauſa mihi, quàm Phædriæ. Nam *ſenſit*, & *tecum*, & *quoque*, hoc ſignificat. REM HABERE. Sic dixit, vt honeſtè res impura dicatur. NE DET, SEDVLO. *Sedulo*, ſine dolo, hoc eſt impenſè.

AIT. Semper *ait* dicimus, quum vel inuiſa nobis & audientibus, vel vana dicta narramus alicuius. SI FIDEM HABEAT. Hoc eſt, ſi faciam aliqua, vnde credat ſe tibi præponi. SI FIDEM HABEAT. Si credere cogatur, id eſt, ſi credat. Vnde *fideiuſſor* dicitur, hoc eſt, author credendi. SE IRI PRAEPOSITVM TIBI APVD ME. ἀναστροφὴ in verbo, *præpoſitum iri*, ac neceſſaria implicatio in his, quæ dura dictu ſunt. SED EGO QVANTVM SVSPICOR. Alta & acuta inuentio. Scit meretrix hoc ſolo amatores inimicos eſſe, quod idem diligunt. Magnificè igitur, vt riualis odium deliniret, vult perſuadere Phædriæ non ſe amari, ſed virginem. AD VIRGINEM ANIMVM ADIECIT. Cur hoc inferat? vt vel lædendi militis cauſa, Phædria patiatur eum, quam amet, & nolit virginem dono dare. ETIAMNE AMPLIVS? Mundat Terentius, vt ſolet, res huiuſmodi per ἀσφάλειαν ſuam. NIHIL: NAM QVAESIVI NVNC EGO EAM MI PHAEDRIA. Optime purgauit Terentius, quod mox liberalibus nuptiis fuerat obfuturum, ſi vitiatam virginem duceret Chærea. Neceſſario ergo defenditur, tanquam quæ honeſtè nuptura eſt.

MVLTAE SVNT CAVSAE. Non indiligenter conſiderauerunt hanc meretricis orationem qui illam inſtar controuerſiæ retulerunt. Nam & principium eſt, *Me miſeram, vereor ne illud grauius Phædria tulerit.* Et narratio, *Samia mihi mater fuit.* Et partitio cum confirmatione. vt, *Nunc ego eam mi Phædria, multæ ſunt cauſæ quamobrem cupio abducere. primum quod ſoror eſt dicta*, & cætera. Reprehenſio quoque, *Egóne id timeo?* &c. *Egóne non ex animo miſera dico?* Et concluſio per conqueſtionem: vt, *Quam ioco rem voluiſti à me tandem quin perfeceris? Ego impetrare nequeo hoc abs te biduum ſaltem vt concedas ſolum.* QVAMOBREM CVPIO ABDVCERE. Etiam hoc verbo gratificatur Phædriæ: non enim *accipere*, vt ab amico remunerante: ſed *abducere*, vt ab ſtulto, & experte. VT SVIS RESTITVAM, AC REDDAM. *Reſtituimur* iis, quibus nos volumus: *Reddimur* iis, qui nos volunt. Ergo reſtituimus volentem, Reddimus volentibus. Sed in hac vtrumque eſt. SOLA SVM: HABEO HIC NEMINEM. *Sola ſum*, ad familiarium refertur abſentiam. *Habeo hic neminem*, ad alienorum amicitiam poteſt enim ſola domi eſſe, habere tamen aliquem foris. Et, *Habeo hic neminem*, plus ſonat: quàm, *Neminem hic habeo.* Et, *Sola ſum*, ab iis quos natura conciliat per ſe. *Habeo neminem*, eorum qui voluntate iunguntur. NEQVE AMICVM. Bene hoc apud amatorem: quia eſt aliud *amator*, aliud *amicus*. *Amator*, qui ad tempus: *Amicus*, qui perpetuò amat. An quia in patris poteſtate eſt Phædria? QVAMOBREM PHAEDRIA. In neceſſariis interponi nomen licet audientis. CVPIO ALIQVOS PARARE AMICOS BENEFICIO MEO. Hic oſtendit ſpecialiter, cuiuſmodi amicos quærat, ne Phædriam contemnere videatur. PARARE AMICOS BENEFICIO MEO. Quia parantur & ſuo, ſed minus diligunt. ID AMABO ADIVTA ME, QVO ID FIAT FACILIVS. περίλλογον. bis ID poſuit. ADIVTA ME. Mira coactio, pro pátere excludi, *adiuta me*, dixit. SINE ILLVM. Blandè, *ſine illum*, tanquam in manu eius ſit iniuriam non pati, & excludi militem. Non enim dixit *fer*, aut *pátere*, ſed, *ſine*.

PRIORES PARTES HOSCE ALIQVOT DIES. Honeſtè circumloquitur & oratorie, ne dicat, Abi foras, atque excludi te pátere.

MIHIL RESPONDES? Iam ſilentium accuſat, quia ſcit nihil reſponſurum contrarium. Et ſatis blandè, *Nihil reſpondes?* dixit: tanquam qui debeas amoris vicem.

EGO QVIDQVAM. Facete exprimitur illud, *Amantium iræ, amoris integratio eſt.*

TANDEM PERDOLVIT. Nimis doluit, id eſt perſenſit dolorem. Et *tandem*, quaſi qui nimis patiens fuit.

TANDEM PERDOLVIT: VIR ES. Eleganter variauit perſonam ſecundam, & tertiam. VIR ES. Non puer, ſed iam vir, qui meretricem contemnis.

PARVVLA HINC EST ABREPTA: EDVXIT MATER PRO SVA. Vide μίμησιν cum odio inductam, & deprauatam pronuntiatione: ita vt & ὁμοιοτέλευτα non vitarentur de induſtria, Paruula hinc eſt abrepta, eduxit mater pro ſua, ſoror eſt dicta.

HAEC NVNC VERBA. Id eſt falſa dicta.

HVC REDEVNT. Vt excludar.

NISI ILLVM PLVS AMAS, QVAM ME. Repudiatis cauſis, quas illa attulerat, per deriuationem cauſæ: hic aliud dicit eſſe cur repellatur.

ET ISTAM NVNC TIMES QVAE ADVECTA EST. Adeò inquit, amas militem, vt

etiam

etiam inuideas ſi quam amauerit.

TALEM PRAERIPIAT TIBI. ἰσχυρίας ſtomachantis amatoris.

QVID TE ERGO ALIVD SOLLICITAT? Quid eſt, inquit, ſi hoc non eſt?

NVM SOLVS ILLE DONA DAT? Iam quaſi quæſtiones tractantur. ſed ille munus aduexit. NVNCVBI MEAM BENIGNITATEM. Poſſunt enim dona dari, ſed exigua, aut minus liberaliter. & ideo mentionem benignitatis adiecit. NVNCVBI MEAM BENIGNITATEM. Sed ille benignus eſt. *Nuncubi*, numquid alicubi. Aut ſi, *nunc vbi*, legimus, erit aduerbium temporis: vt ſit vbi, quo in loco, qua in re. NVNCVBI MEAM BENIGNITATEM. Intelligit ſe & dona obtuliſſe, & id benignè ſæpe feciſſe. nam plerumque ingrata dona ſunt, in quibus benignitas non apparet: quæ aut in quantitate rerum eſt, aut in facilitate præſtantis.

CLAVDIER? *Claudi*, aut claudicare. Salluſtius, *Neque enim ignorantia claudit res.* & *Nihil ſocordia claudebat.*

NONNE VBI MIHI DIXTI CVPERE TE. Plus dixit, *vbi dixti cupere te*: quàm ſi diceret, feciſti vt emerem. plus eſt enim id præſtitiſſe, quod qui acceperit, non auſus fuerit poſtulare. CVPERE TE. Vult rem parui pretij, ex illius cupiditate & ſuo labore perpendi.

EX AETHIOPIA. Non Æthiopiſſam: ſed honeſtius *ex Aethiopia*.

RELICTIS REBVS OMNIBVS, QVAESIVI? Hæc iam omnia in beneficiis conſiderari ſolent. QVAESIVI? Vide quemadmodum exhibeat: atque ærumnas ſibi difficilium munerum dicat impoſuiſſe meretricem. Ex Æthiopia ancillulam, inquit, dixti te cupere. Quid ego feci in re cæli, & ſolis, ac penè orbis alterius? quæſiui. non enim in promptu erat. Deinde, non petiſti: ſed dixiſti. nec velle te: ſed cupere. non nigram, ſed ex Æthiopia. nec dedi: ſed relictis rebus omnibus quæſiui. Quid hîc non exquiſitum? quid non ita expreſſum, vt nihil addi poſſit?

EVNVCHVM PORRO VELLE. Eunuchos à Perſis inſtitutos putant ex captiuis. A Babyloniis enim Hellanicus author eſt id habuiſſe. EVNVCHVM PORRO DIXTI VELLE TE. Vide quemadmodum vt maius faciat quod præſtitit, non ſemel imputat duo mancipia: ſed primo puellam, deinde Eunuchum. EVNVCHVM. Εὐνοῦχος εἴρηται, ὡς τὴν εὐνὴν ἔχων ἤτοι τὴν φυλάττων ΟΣΟΣΕΣΤΙΝ ΗΝΗΝ ΓΥΝΕΝ ΚΕΚΑΝΔΡΟΣ. * PORRO. Deinde, vel poſtea, vel multo pòſt.

QVIA SOLAE VTVNTVR HIS REGINAE. Illam, quia ex Æthiopia. hunc, quia ſolæ his reginæ vtuntur. *Quid tale Thaidi riualis dedit?* QVIA SOLAE VTVNTVR HIS REGINAE. Variè Eunuchum dixit, & intulit his. vt,

Si quiſquam eſt qui placere ſe ſtudeat bonis
Quam plurimis, & minime multos lædere:
In his poeta hic nomen profitetur ſuum.

REGINAE. Id eſt diuites. ſed ἐμφατικώτερον eſt.

QVIA SOLAE VTVNTVR HIS REGINAE. Nota, quum Eunuchum in ſingulari numero præpoſuerit, *his* ſubiunxiſſe. ſed *his* non ad Eunuchum retulit, ſed ad delicias, aut quid tale: quia ſolæ vtuntur huiuſmodi deliciis ſeruitiiſque reginæ. Et oratorie hic ſubdidit, quod in ancillula prætermiſit. quia nulla Aethiopiſſa honeſta dici potuit. *Et reginas* modo diuites dicit. vt in Phormione, *Regem me eſſe oportuit.*

REPPERI. Plus eſt quàm *emi*. Et vide quàm propriis & ampliſſimis verbis vſus eſt. quia & ancillam ex Aethiopia, & Eunuchum quo ſolæ vtuntur reginæ: illam quæſiui, & hunc repperi: neutrum enim horum facile poſitum erat.

HERI MINAS DECEM PRO AMBOBVS DEDI. Recentiora beneficia, grauiora aduerſum ingratos ſunt. Ergo à tempore inducitur exprobratio. PRO AMBOBVS DEDI. Melius amborum pretium dixit, quàm vt ſeparatim diceret, quantulo emerit ancillulam nigram: de qua mox dicetur, *Hic ſunt tres minæ.* Nam conſtat Eunuchum ſolum emptum eſſe minis viginti. vt ipſe Parmeno confitebitur ſeni.

TAMEN CONTEMPTVS ABS TE. Et hoc ſeruatur in beneficiis. Nam maiora ſunt, ceſſantibus meritis eorum quibus præſtantur.

OB HAEC FACTA ABS TE SPERNOR. Sic Virgilius, ——— *nos munera templis Quippe tuis ferimus, famámque fouemus inanem.* Et, *Vel quae tulit*, cum interrogatione aut cum in-

crepatione proferri poteſt. OB HAEC FACTA ABS TE SPERNOR. Hic duplex eſt pronuntiatio: vel per inuidioſam prolationem, vel per interrogationem. Et melius hoc modo, quàm interrogatiuè profertur: hic enim eſt multo grauior illo.

QVID ISTIC? Hoc aduerbium conſentire incipientis eſt. & eſt ἔλλειψις: deeſt enim *remoramur*, aut quid tale.

CVPIO ABDVCERE. *Abducere* dixit, tanquam ab ſtulto: nec per verum meritum, ſed per fraudem. Cicero, *Per vim atque dolum abducta ab Rhodio tibicine.*

ATQVI HAC RE ARBITOR. Non dicit qua. hoc eſt ex te. Veruntamen ſcit meretrix, contentione quadam negari. Ergo fingit ſe vinci, vt adoleſcentem molliat: & ipſa cedit, vt & ille remittat pertinaciam.

POTIVS QVAM TE INIMICVM HABEAM, FACIAM VT IVSSERIS. Hoc totum loquitur, tanquam magis ipſa amet Phædriam, quàm ab illo ametur. TE INIMICVM HABEAM. Huic contrarium eſt, *Vt te amicum habeam.* FACIAM VT IVSSERIS. Nec voluntate, nec vultu conſentientis hoc meretrix agit: ſed callidè tentat omnia. nam quia perſiſtendo non perficit quod expectabat, docet Phædriam etiam ipſum negligentius negare quod poſcitur. & adeò hoc ſubtile eſt, vt ſtatim impetrauerit. Peruulgatum eſt enim, Quod ſumma vi defenderis, quum extorqueretur, hoc idem poſtmodum remitte remittenti. VTINAM ISTVC VERBVM. Et *iſtuc verbum*, pro tota ſententia. *Verbum* pro dicto. Sed propriè ἀξίωμα, id eſt ſententia vel enuntiatio quæ vno ligatur & aſtringitur verbo, *verbum* à veteribus dicebatur.

EX ANIMO, AC VERE DICERES. Certè: quia eſt qui ex animo dicat, fallat tamen.

POTIVS QVAM TE INIMICVM HABEAM. Tantum in animum Phædriæ hoc deſcendit, vt etiam repetat quod amica dixerat adulando.

SINCERE DICI, QVIDVIS POSSEM PERPETI. *Sincerum*, purum, ſine fuco & ſimplex: vt mel ſine cera. Bene ergo, vt mel, blandimentum meretricis dulce fatetur, ſed negat eſſe ſincerum.

LABASCIT. Omnia inchoatiua triſyllaba, ferè media producta enuntiantur.

VICTVS VNO VERBO QVAM CITO! Quàm cito ait, qui illum falſa lacrumula vinci crediderat poſſe. Plus factum eſt: vno victus eſt verbo, & cito. VICTVS VNO VERBO. Vtinam iſtuc verbum. Et vno verbo, vt diximus, ſic accipe: vt verbum dictum intelligas, quod verbo complectitur, & completæ ſententiæ pronuntiationem, quod ἀξίωμα nominabatur. EGO NON EX ANIMO MISERA DICO? Quod ſenſit multum valuiſſe, hoc Thais inculcat animo amici ſui. Et *ego*, vide quanta ſignificet. Conuenit hoc pronomen blandè multa exprobranti. vt Virgilius, *Méne fugis?*

QVAM IOCO REM VOLVISTI. Contra illud refertur quod ait Phædria, *Nónne vbi mihi dixti cupere te ex Aethiopia ancillulam, relictis rebus omnibus quæſiui?* Sed hoc vehementius & diſertius, *Quam ioco rem voluiſti.* Non minus, inquit, ſed quod plus eſt, rem. & non ſerio, ſed ioco, à facilitate præſtantis. Et voluiſti, non etiam dixiſti. Mirandum obſequium, ex voto animi pendens. Non expectat imperium: ne voluptati mora ſit, dum iubetur. Tum illud quod ait, PERFECERIS: nônne pondus hoc verbi & potentiam Phædriæ circa amicam, & illius obſequium vehemens, & rerum difficultatem quæ extortæ ſint, monſtrat: atque omnem obterit querelam Phædriæ?

EGO IMPETRARE NEQVEO HOC ABS TE. Tu & ioco, & non petiſti, cum perfeceris tamen. at ego hoc impetrare non poſſum.

SALTEM VT CONCEDAS SOLVM. Argute additum *ſaltem* & *ſolum*. Et bene, *concedas*, vt voluntatis ſit: ſic enim dixit ſupra, *Sine illum priores partes hoſce aliquot dies apud me obtinere.*

VERVM NE FIANT ISTI VIGINTI DIES. Facetè biduum decuplauit: & ſimul quia ex eadem ratione ſunt viginti, ex qua duo. & ex qua viginti: ducenti, duo millia. & ſic deinceps. PROFECTO NON PLVS BIDVVM, AVT. ἀποσιώπησις ſecunda.

HOC, MODO SINE TE EXOREM. Noue nunc, non *de te exorem*: ſed *te exorem*. & *hoc* abſolute, FACIVNDVM EST QVOD VIS. Non *quod oportet*, ſed *quod vis* dicendo, multum addidit obſequio ſuo.

MERITO AMO TE. Bene amoris mentionem ad auferendam ſuſpicionem contemptus Phædriæ fecit. BENE FACIS. In conſuetudinem venit, *Bene facis*, & *bene feciſti*, non

iudicantis eſſe, ſed gratias agentis.

RVS EO. Et hoc amatorium eſt, odiſſe vrbem ſine amica. Nec dixit, *Ibi ero*: ſed. IBI HOC ME MACERABO BIDVVM. Pronuntiandum eſt *biduum*, ac ſi dixiſſet biennio. ITA FACERE CERTVM EST. Ex his apparet verbis quàm ſibi amator hoc ægrè imperet. MOS GERVNDVS EST THAIDI. Cum pronuntiatione & geſtu: vt oſtendat quæ vis amoris ſit, vt Thaidi mos geratur.

HVC FAC ILLI ADDVCANTVR. Eunuchus & ancilla figuratè ILLI: ſed præualet genus maſculinum. *Adducantur*. pro adducito eos. Et bene adiectum eſt, ne dilatis ob retentionem muneribus, non procederet actus fabulæ. & ſimul quia abſentia Phædriæ opus eſt, dum per Chæream ludificatur meretrix.

IN HOC BIDVVM THAIS VALE. Nunc VALE abſceſſum ſignificat, non ſalutationem: nam ſi mera ſalutatio eſt, biduo ſolum amicam valere optat. ſed præſcribere conatur quanto tempore abfuturus ſit. & ſimul oſtendit, quàm inuitus abſcedat. IN HOC BIDVVM THAIS VALE. Accuſatiuo vtens caſu expreſſit amatoris impatientiam. *Biduum* dicens, præſcripſit de tempore. Et *vale*, maiorem vim habet ex dolore diſcedentis, quàm obſequio ſalutantis.

ET TV. NVMQVID VIS ALIVD? *Vale* ſubaudiendum ſalutatorium. Et ſubintelligendum eſt poſt oſculum dici, *Nunquid vis aliud*? quaſi recte factum.

CVM MILITE ISTO. *Iſto* bene additum, quaſi odioſo. vt alibi, *Iam verò mitte Demea tuam iſtam iracundiam*. Et Virgilius, *Aut quid petis iſtu*? Hæc enim pronomina, ſpernentis ſunt, odiúmque monſtrantis. PRAESENS, ABSENS. κακόζηλον. ME DESIDERES, αὔξησις. quia plus eſt amore deſiderium.

ME SOMNIES, ME EXPECTES. ἐπαναφορὰ prima. Cum amare & deſiderate ſit voluntatis atque etiamnum obſequij: ſomniare, ſatis amatoriè dictum eſt.

ME SPERES? Cum *me expectes*, iam dixerit: quid ſibi vult iterum *me ſperes*? Inter ſpem & expectationem hoc intereſt: quia *expectatio*, certorum eſt: *ſpes* verò, incertorum. Et *expectatio*, propinquarum rerum: *Spes*, longinquarum. Et *expectatio*, deſtinat tempus: *Spes*, non deſtinat. An me ſperes idem facere? Id eſt de te cogitare: vt ſit *ſperes*, credas: vt ſtatim in ſubditis inuenies. *Nam eius fratrem ſpero iam propemodum reperiſſe*.

ME TE OBLECTES. Septimus caſus me. MECVM TOTA SIS. Toto animo. Nam illam nunc animum vult eſſe, non corpus. & ſimul quod ipſe ab eius corpore patitur: id vult militi eius mente contingere, tanquam penitus excluſo ab amica.

QVANDO EGO SVM TVVS. Animus ſcilicet.

ME MISERAM, FORSITAN HIC MIHI. Rectè Thais nunc partem argumenti exequitur tacitam apud Phædriam, propter præſentiam ſerui: quem poeta vult ita neſcire, vt audeat ad vitiandam virginem ſubornare Chæream.

ATQVE EX ALIARVM INGENIIS NVNC ME IVDICET. Hic Terentius oſtendit virtutis ſuæ hoc eſſe, vt peruulgatas perſonas nouè inducat: & tamen à conſuetudine non recedat: vt puta meretricem bonam cum facit, capiat tamen, & delectet animum ſpectatoris. NEQVE ME FINXISSE FALSI QVIDQVAM. Aut, *dixiſſe*, debuit dicere. aut abundat *falſi*. aut ideo quia & vanum aliquid fingi potuit. vt ſuprà, *Si vanum, aut falſum, aut fictum eſt*. ESSE QVEMQVAM CHARIOREM. Melius, *quemquam*, quàm ſi dixiſſet, *militem quemquam chariorem*. QVEMQVAM CHARIOREM. Quaſi meretrix non charum alterum, ſed chariorem negat.

ET QVICQVID HVIVS FECI. Huius abſolutè. aut per ἔλλειψιν, vt deſit *rei*. In Hecyra, *Nequid ſit huius oro*. In Heautontimorumeno, *Nihil me iſtius facturum patri*. Virg. *aut quid petis iſtu*? QVICQVID HVIVS. *rei* ſubaudiendum eſt: quòd eum excluſi foras.

SPERO PROPEMODVM. Non e *ſpero*, pro credo vel confido. *Propemodum* ideo, quia hominem quidem nouit, ſed fratrem eſſe virginis nondum probauit.

ADEO NOBILEM. *Adeo*, pro nimis poſitum eſt, aut pro expletiua particula.

ATQVE EXPECTABO DVM VENIT. Futurum actum promittere voluit: non quo aliquis geſtus ſit expectantis.

ACTVS SECVNDI SCENA PRIMA.

PHAEDRIA. PARMENO.

FAC, ita vt iuſſi, deducantur iſti. PA. faciam. PH. at diligenter.
PA. Fiet. PH. at maturè. PA. fiet. PH. ſatin' hoc mandatumſt tibi? PA. Ah.
Rogitare? quaſi difficile ſit.
Vtinam tam aliquid inuenire facile poſſis Phaedria,
Quàm hoc peribit. PH. ego quoque vnà pereo, quod mihi eſt carius:
Ne iſtuc tam iniquo patiare animo. PA. minime: quin effectum dabo.
Set num quid aliud imperas?
PH. Munus noſtrum ornato verbis, quòd poteris: & iſtum aemulum
Quòd poteris, ab ea pellito.
PA. Memini, tametſi nullus moneas. PH. ego rus ibo, atque ibi manebo.
PA. Cenſeo. PH. ſet heus tu. PA. quid vis? PH. cenſen' poſſe me obfirmare,
Et perpeti, ne redeam interea? PA. te ne? non hercle arbitror.
Nam aut iam reuertêre: aut mox noctu te adigent horſum inſomnia.
PH. Opus faciam, vt defatiger vſque, ingratiis vt dormiam.
PA. Vigilabis laſſus: hoc plus facies. PH. ah, nihil dicis Parmeno.
Eiciunda hercle haec eſt mollities animi: nimis me indulgeo.
Tandem non ego illa caream, ſi ſit opus, vel totum triduum? PA. hui:
Vniuorſum triduum? vide quid agas. PH. ſtat ſententia.
PA. Di boni, quid hoc morbi eſt? adeó ne homines immutarier
Ex amore, vt non cognoſcas eumdem eſſe? hoc nemo fuit
Minus ineptus, magis ſeuerus quiſquam, nec magis continens.
Set quis hic eſt, qui huc pergit? attat, hic quidem eſt paraſitus Gnato
Militis: ducit ſecum vnà virginem dono huic. papae!
Facie honeſta: mirum, ni ego me turpiter hodie hîc dabo
Cum meo decrepito hoc eunucho. haec ſuperat ipſam Thaidem.

FAC ITA VT IVSSI. Iam amatorium multiloquium & vaniloquium continet iſta actio: nam & repetit quod iam dictum eſt: & id facit magis & odioſe nimis. AH, ROGITARE? QVASI DIFFICILE SIT. Deeſt *vis*, vel *pergis*: vt ſit, rogitare pergis? Vel *te*, ſi ipſum reſpicit: vel *hunc*, ſi auerſus hoc dicit: vt ſit, Ah, rogitare te? aut, rogitare hunc? Et diſtinctione interpoſita, inferendum vultuoſe, quaſi difficile ſit id quod mandat. Ita & ineptiam nimiam circa hoc ſolliciti amatoris expreſſit: & oſtendit nihil eſſe facilius, quàm deducere ad meretricem munera: cum contra illud ſit difficillimum, poſcenti aliquid non dare. ROGITARE? Subauditur *te*. Vt ſit, mirum eſt te rogitare, quaſi ſit difficile complere quod iubes.

ALIQVID INVENIRE FACILE POSSIS. *Inuenire*, acquirere. Sic in Heauton. *Non quæris patri quo modo obſequare: & vt ſerues quod labore inuenerit.* Nam ideo à præcedenti etiam *quæſtus* dicitur. QVAM HOC PERIBIT. Deeſt *facilè*: vt ſit, *Facilè hoc peribit.*

QVOD MIHI EST CARIVS. Pro, qui mihi ſum carior. Sed *ego* dixit abſolutè, occurrens huic pronomini *quod.*

QVIN EFFECTVM DABO. *Quin* pro imò. vt in Heautont. *Quin nolo mentiare.*

SED NVMQVID ALIVD IMPERAS? In his ſeruus nihil vult, niſi coactus facere, propter maiorem dominum. ſic & alibi, *Iubéſne? inquit.* reſponderet ei Chærea, *Cogo atque impero.*

MVNVS NOSTRVM ORNATO VERBIS. ἠθικῶς non dixit *meum*, quaſi & Parmenonis ſit.

ET ISTVM. Id eſt, moleſtum & odioſum: nam hoc ſignificat *iſtum*.

AB EA PELLITO. *Ab ea*, ab eius animo. & non, *pelli facito*: ſed, *pellito*.

TAMETSI NVLLVS MONEAS. Properat ſeruus carpere vaniloquium domini. Et *nullus*, pro non. ſic in Hecyra, *Nullus dixeris.* Plautus in Trinummo, *Nullus credas.*

EGO RVS IBO. Et hoc iam dictum eſt: ſed oſtendit quàm moleſtè id incipiat Phædria.

CENSEN' POSSE ME OBFIRMARE, ET PERPETI. Arbitraris: vt Cenſores, qui morum alienorum habent ſummum arbitrium. Et ideò hunc putant non cenſere, quia ipſe deſiderat fieri. POSSE OBFIRMARE, ET PERPETI. Verba ſunt deſperantis. non firmare, ſed obfirmare: non pati, ſed perpeti.

TE NE? *Te* quod ait, hanc vim habet: vt ſignificet perditum amore Phædriam eſſe.

NAM AVT IAM REVERTERE. Modò *iam* pro ſtatim. TE ADIGENT HORSVM. Hoc eſt, ad vrbem agent. INSOMNIA. Vigiliæ. Legitur & *adiget*, vt ſit *inſomnia* numeri ſingularis. VT DEFATIGER VSQVE. Ordo eſt, vſque vt defatiger.

INGRATIIS VT DORMIAM. Id eſt, etiam inuitus & coactus. Nam *ingratiis*, non vltrò ſignificat. quia vltronea grata ſunt: *ingrata*, quæ ab inimicis fiunt, ac recuſantibus.

NIMIS ME INDVLGEO. *Me* ſic veteres, quod nos *mihi* dicimus. Alibi, *Te indulgebant, tibi dabant.*

TANDEM NON EGO ILLA CAREAM, SI SIT OPVS, VEL TOTVM TRIDVVM? Sic cœpit tanquam aliquid foret dicturus magnificum: non autem eſt παρὰ προσδοκίαν: ſed verè amator magnum hoc putat. VEL TOTVM TRIDVVM? Magna profeſſio virtutis, cum biduo ſit opus, triduo poſſe durare. Et *totum triduum*, dicit vniuerſum triduum, εἰρωνικῶς: quaſi ſit triduum in multo numero.

VIDE QVID AGAS. Sic dicitur magna aggredientibus.

STAT SENTENTIA. Et vultu & geſtu magis ſpectabile quod dixit *ſtat ſententia*: vel maximè eo quòd tanto ſonitu hæc de ſe promittat Phædria continuo rediturus, vel potius non acceſſurus ad villam. tantum autem aberit, quantum temporis opus eſt ad vitiandam virginem. QVID HOC MORBI EST. Excuſatio amoris, quando non culpa, ſed morbus eſt.

ADEON' HOMINES IMMVTARIER EX AMORE, VT NON COGNOSCAS EVNDEM ESSE? More ſuo à plurali numero ad ſingularem ſe conuertit. VT NON COGNOSCAS EVNDEM ESSE? Non ſolent ſtulti induci adoleſcentes: & ideò ad amorem retulit ſtultitiam Phædriæ.

MINVS INEPTVS, MAGIS SEVERVS. Niſi enim hoc eſſet, quid eſſet quod illum mulier præferret militi? aut quid relinqueretur proprium perſonæ militis, ſi & hic ſtolidus eſt? MAGIS SEVERVS QVISQVAM, NEC MAGIS CONTINENS. Animaduerte vt amet Terentius *magis* addere poſitiuo, potius quàm comparatiuum facere. Nam, neque *ſeuerior*,

neque *continentior*, tam valuit dicere. quàm *magis ſeuerus*, & *magis continens*.

Hic qvidem est parasitvs Gnato. Hæc apud Menandrum in Eunucho non ſunt, vt ipſe profeſſus eſt, paraſiti perſona & militis: ſed de Colace tranſlatæ ſunt.

Facie honesta. διχονομία, qua oſtenditur amaturus Chærea: ſiquidem hanc Parmeno ipſe miratur. Facie honesta. Sic Virgilius, *Et lætos oculis afflarat honores*. Et mox idem. *Ita me di ament, honeſtus.*

Ne ego me tvrpiter hodie hic dabo. *Ne dabo*, pro dedero. Virgilius, *Quamuis ſolus auem cœlo deiecit ab alto*

Cvm meo decrepito hoc evnvcho Facete *meo* ad paraſitum retulit, cum pulchro munere venientem. Et præparatio eſt ad ducendum Chæream potius, quàm deformem eunuchum. Decrepito hoc evnvcho. *Decrepiti* ſunt dicti, quorum crepitu & plangore familiæ, fuerant iam conclamata funera.

Haec svperat ipsam Thaidem. Hoc ſic accipias, non vituperari Thaidem, ſed tanquam ὑπερβολικῶς dici. Ideò addidit *ipſam*, quaſi nimiæ pulchritudinis. Et bene *ipſam*, propter quam datur.

Actvs secvndi scena II.

Gnato. Parmeno.

DI INMORTALES homini homo quid præſtat?
ſtulto intellegens
Quid intereſt? hoc adeò ex hac re venit in mentem mihi:
Conueni hodie aduenienſ quemdam mei loci hinc, atque
ordinis,
Hominem haut inpurum, itidem patria qui abligurrierat bona.
Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis anniſque obſitum.
Quid iſtuc inquam ornati eſt? quoniam miſer quod habui, perdidi: hem
Quò redactus ſum? omnes noti me atque amici deſerunt.
Hîc ego illum contempſi prae me. quid homo, inquam, ignauiſſime?
Itán paraſti te, vt ſpes nulla relliqua in te eſſet tibi?
Simul conſilium cum re amiſti? vidén' me ex eodem ortum loco?
Qui color, nitor, veſtitus, quae habitudo eſt corporis?
Omnia habeo, neque quidquam habeo: nihil cum eſt, nihil deſit tamen.
At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati
Poſſum. quid tu his rebus credis fieri? tota erras via.
Olim iſti fuit generi quondam quaeſtus aput ſeclum prius.
Hoc nouum eſt aucupium: ego adeò hanc primus inueni viam.
Eſt genus hominum, qui eſſe primos ſe omnium rerum volunt,
Nec ſunt: hos conſector: hiſce ego non paro me vt rideant;
Set his vltrò arrideo, & eorum ingenia admiror ſimul.
Quidquid dicunt, laudo: id rurſum ſi negant, laudo id quoque.
Negat quis, nego: ait, aio. poſtremo imperaui egomet mihi

Omnia aſſentari. is quaeſtus nunc eſt multò vberrimus.

PA. Scitum hercle hominem! hic homines prorſum ex ſtultis inſanos facit.

GN. Dum haec loquimur, interea loci ad macellum vbi aduenimus,
Concurrunt laeti mi obuiam cupedinarii omnes,
Cetarii, lanii, coqui, fartores, piſcatores,
Quibus & re ſalua, & perdita profueram, & proſum ſaepe:
Salutant; ad cenam vocant: aduentum gratulantur.
Ille vbi miſer famelicus videt me tanto honore
Et tam facile victum quaerere, ibi homo cœpit me obſecrare
Vt ſibi liceret diſcere id de me. ſectari iuſsi,
Si potis eſt, tanquam philoſophorum habent diſciplinæ ex ipſis
Vocabula, paraſiti item vt Gnatonici vocentur.

PA. Vidén' otium, & cibus quid faciat alienus? G. ſet ego ceſſo
Ad Thaidem hanc deducere, & rogitare ad cenam vt veniat?
Set Parmenonem ante oſtium Thaidis triſtem video,
Riualis ſeruum: ſalua res eſt: nimirum homines frigent.
Nebulonem hunc certumſt ludere. P. hice hoc munere arbitrantur
Suam Thaidem eſſe. G. plurima ſalute Parmenonem
Summum ſuum impertit Gnato. quid agitur? PA. ſtatur. GN. video.
Numquidnam quod nolis vides? PA. te. GN. credo. at numquid aliud?
PA. Qui dum? GN. quia triſtis es. PA. nihil equidem. GN. ne ſis: ſet quid videtur
Hoc tibi mancipium? PA. non malum hercle. GN. vro hominem.
PA. vt falſus animi eſt!
GN. Quàm hoc munus gratum Thaidi arbitrare eſſe? PA. hoc nunc dicis.
Eiectos hinc nos: OMNIVM RERVM heus viciſsitudo eſt.
GN. Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam:
Ne ſurſum, deorſum curſites, néue vſque ad lucem vigiles.
Ecquid beo te? PA. mén'? papæ! GN. ſic ſolco amicos. PA. laudo.
GN. Detineo te: fortaſſe tu profectus aliò fueras.
PA. Nuſquam. G. tum tu igitur paululum da mihi operae, fac vt admittar
Ad illam. PA. age modo, nunc tibi patent fores hae, quia iſtam ducis.
GN. Nunc quem euocari hinc vis foras? P. ſine biduum hoc praetereat.
Qui mihi nunc vno digitulo fores aperis fortunatus,
Ne tu iſtas faxo calcibus ſæpe inſultabis fruſtra.

GN. Etiam nunc hîc ſtas Parmeno? eho, numnam hîc relictus cuſtos,
Ne quis fortè internuntius clàm à milite ad iſtam curſet?
PA. Facetè dictum. mira verò militi quæ placeant.
Sed video herilem filium minorem huc aduenire.
Miror, quid ex Piræo abierit: nam ibi cuſtos publice eſt nunc.
Non temerè eſt; & properans venit: neſcio quid circumſpectat.

DI INMORTALES HOMINI HOMO QVID PRAESTAT? In hac ſcena non ſtans, ſed quaſi ambulans perſona inducitur. Conſtitit tamen aliquantulum, intuens ſpectatores, dum ſecum loquitur. Exprimit autem paraſitum: & ſub eius verbis corruptos mores in aſſentationem oſtendit, prorſus vt honeſtæ quoque perſonæ in huiuſmodi culpa inuentæ ſint. vt alibi, *Obſequium amicos, veritas odium parit.* DI INMORTALES. Hoc iam mirè, & pro ſeculi ac temporum reprehenſione ſatyricè Terentius, quòd apud eum *Stultum* vocat ſimplicem paraſitus, & *intelligentem* malum. DI INMORTALES. Admirantis exclamatio eſt, cum paraſiti geſticulatione. DI INMORTALES HOMINI HOMO QVID PRAESTAT? Morata narratio à ſententia incipi ſolet: quæ dicitur προμύθιον. HOMINI HOMO QVID PRAESTAT? Alij diſtingunt, *Quid præſtat ſtulto intelligens?* Alij, *Stulto intelligens quid intereſt?* quia ſic veteres loquebantur. QVID INTEREST? Hoc admirantis eſt, & ideo ſic pronuntiandum.

CONVENI HOMINEM. *Conueniſſe*, non vidiſſe tantùm, ſed etiam collocutum fuiſſe ſignificat. HOMINEM HAVT INPVRVM. Non dixit prodigum: quia hoc ipſum probat: ſed non auarum, non improbum. Et ſic laudamus eos, in quibus nihil eſt quod magnopere efferamus.

MEI LOCI ATQVE ORDINIS. *Loci*, ingenuum: *ordinis*, pauperem. Illud natalium, hoc fortunæ eſt.

ITIDEM PATRIA QVI ABLIGVRIERAT BONA. Hoc ioculari vultu dicitur. Et eleganter ex perſona paraſiti non culpatur quòd comederit bona. ABLIGVRIERAT. Suauibus eſcis conſumpſerat. Nam ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, eſt *ligurire*. & λιγυρὸν Græci ſuaue appellant.

VIDEO SENTVM. Quàm bene *Video*, poſtquam dixit conueni. & tempus mutauit & verbum. SENTVM. Horridum. SENTVM. Ad horrorem retulit.

SQVALIDVM. Ad ſordes. AEGRVM. Ad maciem.

PANNIS ANNISQVE OBSITVM. Ad veſtitum & ad triſtitiam. Sed *pannis & annis.* μωρολογίαι paraſitorum ſunt. PANNIS ANNISQVE OBSITVM. Vel paraſitica vernilitate καθ' ὁμοιοτέλευτον dictū. vel quia Homerus dixit, αἶψα γὰρ ἐν κακότητι βροτοὶ καταγηράσκουσι. & eſt miſeriæ ſenium deditū. Vnde huic magis triſtitia grauis, atque diſplicuit aliena ſemper ab omnibus paraſitis. ANNISQVE OBSITVM. Bene ad[illegible] annis: quia vt quiſque miſerior eſt, ita ſenior videtur. OBSITVM. Vt ſentum dixit obſitum. μεταφορὰ ab agro.

QVID ISTVC ORNATI INQVAM? Scire nos conuenit, cum recto caſu profertur interrogatio, non eſſe contumelioſum. Vt ſi dicas, *Quis hîc homo eſt?* Si autem in obliquo, contemptum ſignificari. vt, *Quid hoc eſt hominis? quid mulieris? quid ornatus?* QVID ISTVC ORNATI, INQVAM? *Ornatus*, τὸν μίσων eſt, ad dedecus & ad turpitudinem. Vel ſimpliciter hoc accipe, vel εἰρωνικῶς. Et *ornati*, vt *ſenati*, antiquus genitiuus.

QVOD HABVI, PERDIDI. Non dixit id quod erat comedi, aut conſumpſi.

HEM, QVO REDACTVS SVM? Vel habitum ſuum, vel corpus oſtendens hoc dicit. Nec quicquam hîc, niſi ex media conſuetudine collocatum eſt.

OMNES NOTI ME, ATQVE AMICI DESERVNT. Sententioſè atque mordaciter in mores. HIC EGO ILLVM CONTEMPSI PRAE ME. Hoc eſt illud, *Homo homini quid præſtat? ſtulto intelligens!*

ITANE TE PARASTI. Quàm obiurganter: tanquam in illo ſit, quòd miſer eſt. Et alibi,

Nam

Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit,
Quin ita paret ſe, abs te vt blanditiis ſuis
Quàm minimo pretio ſuam voluptatem expleat.

Et hoc propriè verbum ad exprimendam inhumanitatem & ignauiam factum eſt.

VT SPES NVLLA RELIQVA IN TE SIET TIBI? Sententioſè, ad illud quod & Virgilius ait, *Penitus ſpes ſibi quiſque.* VT SPES NVLLA RELIQVA IN TE SIET TIBI? Bene, quaſi qui rem à fortuna acceperit.

SIMVL CONSILIVM CVM RE AMISTI? Virgilius, ——*nec ſi miſerum fortuna Sinonem Finxit: vanum etiam, mendacémque improba finget.* Et Salluſtius, *Neque fortuna eget: quippe quae probitatem, induſtriam, aliáſque bonas artes neque dare, neque eripere cuiquam poteſt.* Ergo hic intertogatio, increpantis eſt: nec deſiderat reſponſionem. Nam conſilium in bonis animi: Res, in poteſtate fortunæ.

EX EODEM ORTVM LOCO? Ex eadem fortuna.

QVI COLOR, NITOR, VESTITVS, QVAE HABITVDO EST CORPORIS? Hoc contra illud, *Video ſentum, ſqualidum, ægrum, pannis annisque obſitum.* *Color* ergo ad *Sentum*: *Nitor* ad *Squalidum*: *Veſtitus* ad *Pannis annisque obſitum*: *Habitudo* corporis, ad *Aegrum* refertur.

QVAE HABITVDO EST CORPORIS? Plautus in Epidico, *Corpulentior hercle, atque habitior.* OMNIA HABEO. Ad quod *habui, perdidi.*

NEQVE QVICQVAM HABEO. Ad *Meiloci atque ordinis hominem.* *Omnia habeo*, Ad induſtriam retulit. *Neque quidquam habeo*, Ad fortunæ culpam. & item denuo, fortunæ crimen, *Cum nihil eſt.* Ad ſuam laudem, *Nihil deſit tamen.* OMNIA HABEO, NEQVE QVICQVAM HABEO. Alterum horum neutrúmve poteſt cuiuis accidere: vtrumque nulli.

NIHIL CVM EST, NIHIL DEFIT TAMEN. Figura ὀξύμωρον. Vt apud Virgilium, *Sequitúrque ſequentem*, Et Cicero, *Cum tacent, clamant.*

AT EGO INFELIX NEQVE RIDICVLVS. Iam tranſit ἀπὸ τῆ μιμητικῆ πρὸς τὸ πρακτικὸν AT EGO INFELIX NEQVE RIDICVLVS. Vehementer inuectus eſt in tempora & mores poeta ſub hac perſona: in qua hominem ita inducit pœnitere probitatis ſuæ, vt ſe infelicem, non honeſtum dicat. Et non, *nolo*: ſed *non poſſum.*

QVID TV HIS REBVS CREDIS FIERI? Dum quis ridetur, aut vapulat.

TOTA ERRAS VIA. παροιμίαν per μεταφοράν.

APVD SECLVM PRIVS. Scilicet cum eſſent tempora meliora.

HOC NOVVM EST AVCVPIVM. Vide quid interſit, cum illud *quæſtum* dicat, hoc *aucupium*: illud de ſapientibus, hoc de ſtultis.

INVENI VIAM. Adeò nouum eſt aucupium.

EST GENVS HOMINVM. Quia multi ſunt huiuſmodi, non dixit, *homines ſunt*, ſed, *eſt genus hominum.*

HISCE EGO NON PARO ME VT RIDEANT. Quia ille dixerat, *Ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum.*

SED HIS VLTRO ARRIDEO. Quid eſt, *His arrideo*? aut veluti pareo, id eſt obſequor: aut veluti dictis delector. Atque *arrideo*, non ſicut in paraſitis fieri ſolet, vt his arrideatur à regibus. quum potius ipſi dictis, factiſque rideant alienis, hîc eſſe intelligendum, etiam res ipſa indicat ex contrario. Nam quod ait ſuprà, *Hic ego non paro me vt rideant*: hoc econtrario oſtendit, quòd ſubiiciatur ex dictis. SED HIS VLTRO ARRIDEO, *Vltro*, verſa vice, an prior? an etiam inſuper, hoc eſt vltrà?

ADMIROR SIMVL. Plus intulit, quàm ſi *laudo* dixiſſet.

QVIDQVID DICVNT. Non, *quod dicunt*: ſed, *quidquid dicunt*, id eſt bene vel male: ne vel ſi intercluſa fuiſſet aſſentatio, ſe impediat, quòd contrarium laudauerit.

ID RVRSVM SI NEGANT, LAVDO ID QVOQVE. Præclarè Terentius quod à Satyrico de aliis diceretur, id hic de ſe dicentem inducit, facetius multo, quàm ſi aliter feciſſet: ſcilicet καθαπτόμενος mores temporum iam tum vitiatos per aſſentationem: quod ferè in pleriſque fabulis monſtrat. Vt etiam in Andria. *Nam hoc tempore obſequium amicos, veritas odium parit.* Et in Adelphis.

Q

——— quòd te iſti facilem & feſtiuum putant,
Id non fieri ex vera vita: neque adeo ex æquo & bono,
Sed ex aſſentando, indulgendo & largiendo.

NEGAT QVIS? NEGO. Bene ſic dixit: *negat* & *ait* contraria ſunt. Vt Plautus in Rudente, *Vel tu ait, vel tu negas.*

IS QVAESTVS NVNC EST MVLTO VBERRIMVS. Quàm ille apud ſeculum prius fuerat. Et vide quemadmodum illiberalem vitam honeſtiore nomine primo *aucupium* pòſt etiam *quæſtum* nominauerit. ΠολυΚαρπὴς * hic inducens.

SCITVM HERCLE HOMINEM. Mirè Terentius longæ orationi interloquia quædam adhibet, vt faſtidium prolixitatis euitet. velut nunc Parmeno procul audiens Gnatonem, hæc loquitur.

INTEREA LOCI. Duæ partes orationis cùm coniunctæ vnam fecerint, mutant accentum.

CONCVRRVNT LAETI MI OBVIAM. Et multos, & properos vno verbo oſtendit, & ex aduerſo ad ſe feſtinantes.

CVPEDINARII. Varro humanarum rerum, *Numerius, Equitius Cupes* inquit, *& Romanius Macellus ſingulari latrocinio multa loca habuerunt infeſta. His in exilium actis publicata ſunt bona, & ædes vbi habitabant diruta: éque ea pecunia ſcalæ deum penatium ædificata ſunt. vbi habitabant, locus vbi venirent ea quæ veſcendi cauſa in vrbem erant allata. Itaque ab altero Macellum, ab altero forum Cupedinis appellatum eſt.* CVPEDINARII. Omnes qui eſculenta & poculenta vendunt, à rebus Cupidinis ob alimentum *cupedinarij* appellantur. Et ipſe ſubiecit qui accipiendi ſunt cupedinarij.

LANII. Qui laniant pecora: vnde & *laniſtæ* dicti, qui laniandis præſunt gladiatoribus. Sic & *Macellum* à mactandis pecoribus dictum.

PISCATORES. Qui recentem piſcem præbent. FARTORES. Qui inſitia & farcimina faciunt. CETARII. Qui cete, id eſt magnos piſces venditant, & bolonas exercent. CETARII, LANII, COQVI, FARTORES. ἁμάρτημα comicum, In palliata Romanas res loquitur.

QVIBVS ET RE SALVA. Cùm de meo impenderem.

ET PERDITA PROFVERAM. Cum de alieno nanciſcor & expendo.

SAEPE. Expletinæ ſignificationis eſt.

AD CENAM VOCANT. Vtrum ad emendam cenam? an ad conuiuium?

ADVENTVM GRATVLANTVR. Accuſatiuum caſum pro datiuo, pro *aduentui gratulantur.* Et *aduentus* propriè expectatorum, neceſſariorúmque dicitur.

ILLE VBI MISER FAMELICVS VIDET ME. Hic oſtendit quæ res coegerit ad diſcendum: & ſimul vide ſecundùm vulgi opinionem loqui paraſitum. Miſerum & famelicum, hominem honeſtis moribus præditum. ILLE VBI MISER FAMELICVS VIDET ME. Vide vt ſententioſe demonſtret malos ex bonis contagione fieri, exemplis in prauum præualentibus. Videt mihi hoc prodeſſe & diſcere optat quod negabar ſe poſſe.

IN TANTO HONORE. Quia concurrunt, ſalutant. *Famelicus* à fame & edendo dictus eſt, quaſi famedicus.

TAM FACILE VICTVM QVAERERE. Quia ad cœnam vocant. IBI. Pro tunc.

HOMO. Mirè addidit *homo*, aut additum ſuperuacuè *homo*. Vt, *Donat habere viro decus, & tu tamen inarmis.*

VT SIBI LICERET DISCERE. Quaſi diſciplinam, aut artem. tantùm authoritatis criminum fœlicitas ſumpſit.

DISCERE EA DE ME. Magis *de illo, & de me,* veteres dicebant: quàm vt nos dicimus *à me*, aut *ab illo.*

SECTARI IVSSI. Propriè. nam & *ſectæ* philoſophorum ab eo dictæ ſunt.

EX IPSIS. Philoſophis ſcilicet. EX IPSIS VOCABVLA. Vt Pythagorica, Platonica Hoc igitur non eſt conſequens ad illud quod vult dicere: niſi fortè *diſciplinam* pro diſcipulis poſuerit.

PARASITI ITEM VT GNATONICI VOCENTVR. Non hoc intulit, quod cœperat dicere: niſi fortè *diſciplinam* pro diſcipulis accipimus.

VIDEN' OTIVM ET CIBVS QVID FACIAT ALIENVS? Rurſus Parmeno & facetias dicit, & diſtinguit longiloquium paraſiti. QVID FACIAT. Legitur &, *quid facit*: vt ſit figura per modos, pro, *quid faciat*.

HANC DEDVCERE. Propriè. Nam *ducitur* quis ad ſupplicium: *Deducitur* ad lætitiam.

ET ROGITARE AD CENAM. Vide paraſitum magis optare ad cenam Thaidem vocari, quam munus capere. THAIDIS. Legitur & *Thais*.

SALVA RES EST. Quia & ante oſtium & triſtem video, *ſalua res eſt*. Nec hoc valet ad lætitiam, quòd Parmeno eſt, ſed quòd riualis ſeruus. SALVA RES EST. Prouerbialiter.

NEBVLONEM. Vel furem, quia nebulas obiiciat: vel mollem, vt nebulam: vel inanem & vanum, vt nebula eſt.

HICE. Pro *hi*, vetuſte. Virgilius, *Hi certè neque amor cauſa eſt, vix oſſibus hærent*. quia *hiſce* debebat dicere. HICE HOC MVNERE ARBITRANTVR. Non immerito Gnatonem deridet Parmeno, qui penitus nouerit meretricis conſilium.

SVMMVM SVVM. ἔλλειψις. SVMMVM SVVM IMPARTIT GNATO. Hæc tota locutio, paraſiticæ elegantiæ, & ſimul εἰρωνείας plena eſt. Nam & plurimam dicit ei ſalutem, quem ne exiguam quidem velit conuiuere: & ſummum dicit eum, qui nec leuis amicus ſit ſibi: & Parmenonem Gnato, non ego te. SVMMVM SVVM. Quam venuſtè, quòd ſummum amicum non reſalutet Parmeno.

QVID AGITVR? Pro blandimento, non pro interrogatione nunc ponitur. vt, *O noſter quid fit?* QVID AGITVR? STATVR. Pro, *quid agis? ſto*. Et facete: nam ſtat, cui ingredi non licet.

AT NVMQVID ALIVD? Cum iurgio hic de illo reſpondit. & ideò repetit dictum Gnato. QVI DVM? Interrogat interrogantem, ne ipſe reſpondeat.

NIHIL EQVIDEM. Dicens *nihil*, mutauit vultum Parmeno in lætitiam. Ideò illi facete Gnato agenti hoc ipſum. *ne ſis* dixit: vt probaret triſtem fuiſſe. NIHIL EQVIDEM Pro *non*. & infrà, *Nihil dixit vt ſequeret ſe*.

HOC TIBI MANCIPIVM? κατὰ ἀντίφρασις mancipium dicit puellam, aut virginem.

NON MALVM HERCLE. Inimica laudatio. VRO HOMINEM. Sibi hoc geſtu & vultu paraſitico dicit. & pro eo quod eſt, dolere cogo.

VT FALSVS ANIMI EST? Similiter & Parmeno ſecum geſtu ſeruili. & *animi*, pro animo, ἀντίπτωσις veterum: qui *ingens es virium*, & *dives es opum*, amabant dicere. VT FALSVS ANIMI EST? Ex hoc falſus animi eſt, quod putat huiuſmodi munere capi poſſe Thaidem.

QVAM HOC MVNVS GRATVM THAIDI. Mirè inſultat Gnato: Quanto enim magis munus gratum fuerit, tanto erit riualis excluſior.

OMNIVM RERVM HEVS VICISSITVDO EST. Vide locum in quo erumpere dolor Parmenonis potuit, niſi commiſſa ſeruaret, & celaret Thaidis conſilium.

SEX EGO TE TOTOS, &c. Quid eſt *totos*? an diebus & noctibus: vtpote amatoris ſeruum: ac per hoc ſine vlla ceſſatione & intermiſſione.

HOS MENSES: *Hos*, qui nunc aguntur, id eſt hoc tempore.

QVIETVM REDDAM. Facete, quaſi hoc ipſe fecerit. & hoc eſt quod ait, *Plurima ſalute Parmenonem ſummum ſuum impartit Gnato*: tanquam amico conſulat.

NE SVRSVM, DEORSVM CVRSITES. Quod eſt laboris.

NEVE VSQVE AD LVCEM VIGILES. Quod eſt exitii.

SIC SOLEO AMICOS. Hoc εἰρωνικῶς. DETINEO TE. Valde teneo.

FORTASSE TV PROFECTVS ALIO FVERAS. Vult exprimere confeſſionem, quòd ad Thaidem venerit, ſed intrare non poſſit.

PAVLVM DA MIHI OPERAE. Hoc quaſi ſupplicantis vultu ad irriſionem dicitur. PAVLVM DA MIHI OPERAE. Propriè ſic dicitur, adiuua me. Sic in Adelphis, *Hæc opera vt data ſit*. NVNC TIBI PATENT FORES HAE. Ex eo quantum licere oportuit oſtendit, quàm miſere nihil illi liceat Parmenoni.

QVIA ISTAM DVCIS. Hoc quaſi ad Gnatonem: ſed lentè, ac ſub lingua murmurat.

NVM QVEM EVOCARI HINC VIS FORAS? Quia ipſe intrare non poteſt.

SINE BIDVVM HOC PRAETEREAT. Et hoc lentius. nam ſi aliter pronuntiaueris,

ſecreta produntur. QVI MIHI. *Mihi* τῷ ἀττικισμῷ dictum eſt.

FORTVNATVS: Vt ipſe videris tibi.

NE TV. *Ne* valde. NE TV ISTAS FAXO CALCIBVS. Mira eloquentia, in qua vtraque ὑπερβολὴ expreſſiſſima eſt. Nam neque vno digitulo minus aliquid dici poteſt: neque calcibus ſæpe inſultabis, aut amplius, aut ingentius.

INSVLTABIS FORES. Salluſtius, *Multos tamen ab adoleſcentia bonos inſultauit.*

NVMNAM. Hic *nam* abundat: vt *quidnam.*

RELICTVS CVSTOS. Bene *relictus*: quaſi ab excluſo.

NE QVIS FORTE INTERNVNTIVS. Propriè, *internuntius.* NE QVIS FORTE INTERNVNTIVS. Ex his verbis datur intelligi paraſitum è domo meretricia egredi. NE QVIS FORTE INTERNVNTIVS CLAM A MILITE AD ISTAM CVRSITET? Et hoc facete: quaſi ipſe ſibi Thaidem totam vendicauerit, quod miles facit.

FACETE DICTVM. εἰρωνικῶς. quia infacete.

MIRA VERO MILITI QVAE PLACEANT. *Mira*, pro mirum. Virgilius, *Nota tibi.* & eſt εἰρωνεία. Quid mirum eſt, inquit, facete loqui eum, qui militi placeat? Poteſt tamen & pluraliter intelligi.

SED VIDEO ERILEM FILIVM. Non poteſt Terentius τρόφιμον propriè dicere: & ideo *erilem filium* dicit.

MIROR QVID EX PIRAEO ABIERIT. Hic cauſa oſtenditur, cur poteſt ignotus eſſe vicinis, & pro eunucho fingi. MIROR. Pro neſcio. MIROR QVID EX PIRAEO ABIERIT. Vt ex Piræo diſcederet, ſymbola amicorum: vt huc perueniret omiſſo negotio, aſpectus virginis fecit.

NAM IBI CVSTOS PVBLICE. Aduerſus prædonum incurſus illic excubabat iuuentus Attica. *Piraeum*, vt *Sunium*, eſt maritima & acceſſu littoris pars clementior.

PVBLICE EST NVNC. *Nunc* ambigua diſtinctione poſitum eſt.

NON TEMERE EST. Vt Virgilius, *Haud temerè eſt viſum.*

ET PROPERANS VENIT. Mire locuturum antè formauit. vt geſtus verba præcedant, verba habitum conſequantur.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

CHAEREA. PARMENO.

OCCIDI.
Neque virgo eſt vſquam: neque ego, qui illam è conſpectu amiſi meo.
Vbi quaeram? vbi inueſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam?
Incertus ſum: vna haec ſpes eſt, vbi vbi eſt, diu celari non poteſt.
O faciem pulchram! deleo omnes dehinc ex animo mulieres.
Taedet cotidianarum harum formarum. PA. ecce autem alterum,
Neſcio quid de amore loquitur. ò infortunatum ſenem!
Hic verò eſt, qui ſi occeperit, ludum iocúmque dicet
Fuiſſe illum alterum, prae vt huius rabies quae dabit.
CH. Vt illum di, deaeque ſenium perdant, qui me hodie remoratus eſt:
Méque adeò qui reſtiterim: tum autem, qui illum floccifecerim.
Set eccum Parmenonem. ſalue. P. quid tu es triſtis, quidue es alacris?

Vnde is? CH. egone? neſcio hercule, neque vnde eam, neque quorſum eam.
Ita prorſum oblitus ſum mei.
PA. quî quæſo? CH. amo. PA. hem. CH. nunc Parmeno te oſtendes, qui vir ſies.
Scis te mihi ſaepe pollicitum eſſe, Chaerea aliquid inuêni
Modo quod ames: in ea re vtilitatem ego faciam vt cognoſcas meam:
Cum in cellulam ad te patris penum omnem congerebam clanculum.
PA. Age inepte. CH. hoc hercle factumſt. fac ſis nunc promiſſa appareant:
Siue adeò digna res eſt, vbi tu neruos intendas tuos.
Haut ſimilis virgoſt virginum noſtrarum: quas matres ſtudent
Demiſſis vmeris eſſe, vincto pectore, vt graciles ſient,
Si qua eſt habitior paulo, pugilem eſſe aiunt: deducunt cibum.
Tametſi bona eſt natura, reddunt curatura iunceas.
Itáque ergo amantur. PA. quid tua iſtaec? CH. noua figura oris. PA. papae!
CH. Color verus, corpus ſolidum, & ſucci plenum. PA. anni? CH. anni? ſexdecim.
PA. Flos ipſe. CH. hanc tu mihi vel vi, vel clàm, vel precario
Fac tradas: mea nihil refert, dum potiar modo.
PA. quid virgo, cuiaſt? CH. neſcio hercle. PA. vndeſt? CH. tantundem. PA. vbi habitat?
CH. Ne id quidem. PA. vbi vidiſti? CH. in via. PA. qua ratione amiſti?
CH. Id equidem adueniens mecum ſtomachabar modo:
Nec quemquam eſſe ego hominem arbitror, cui magis bonae
Felicitates omnes aduerſae ſient.
PA. Quid hoc eſt ſceleris? CH. perii. PA. quid factumſt? CH. rogas?
Patris cognatum, atque aequalem, Archidemidem.
Nouiſtin'? PA. quid ni? CH. is, dum ſequor hanc, fit mihi obuiam.
PA. Incommode hercle. CH. imò enimuero infeliciter:
Nam incommoda alia ſunt dicenda Parmeno.
Illum, liquet mihi deierare, his menſibus
Sex ſeptem prorſum non vidiſſe proximus,
Niſi nunc, cum minime vellem, miniméque opus fuit.
Eho, nónne hoc monſtri ſimileſt? quid ais? PA. maxume.

CH. Continuo adcurrit ad me, quàm longe quidem,
Incuruus, tremulus, labiis demiſſis, gemens:
Heus, heus, tibi dico Chaerea, inquit. reſtiti:
Scin' quid ego: te volebam? dic. cras eſt mihi
Iudicium. quid tum? vt diligenter nunties
Patri, aduocatus mane mihi eſſe vt meminerit,
Dum haec dicit, abiit hora: rogo numquid velit.
Recte inquit. abeo. cum huc reſpicio ad virginem,
Illa ſe ſe interea commodum huc aduorterat
In hanc noſtram plateam. PA. mirum, ni hanc dicit, modo
Huic quae dataſt dono. CH. huc cum aduenio, nulla erat.
P. Comites ſecuti ſcilicet ſunt virginem?
CH. Verum; paraſitus cum ancilla. PA. ipſaſt: ilicet.
Deſine: iam conclamatumſt. CH. alias res agis.
PA. Iſtuc ago quidem. CH. noſtin' quae ſit? dic mihi:
Aut vidiſtin'? PA. vidi, noui: ſcio, quò abducta ſit.
CH. Eho Parmeno mi, noſtin'? PA. noui. CH. & ſcis vbi ſiet?
PA. Huc deductaſt ad meritricem Thaidem: ei dono dataſt.
CH. Quis is eſt tam potens cum tanto munere hoc? PA. miles Thraſo
Phraedriae riualis. CH. duras fratris partes praedicas.
PA. Immò enim ſi ſcias quod donum huic dono contrà comparet:
Tum magis id dicas. CH. quodnam quaeſo hercle? PA. eunuchum.
CH. illúm ne obſecro
Inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt here, ſenem, mulierem?
PA. Iſtunc ipſum.. CH. homo quatietur certe cum dono foras.
Set iſtam Thaidem non ſciui nobis vicinam. PA. haut diuſt.
CH. Perii, numquàm ne etiam me illam vidiſſe? ehodum dic mihi;
Eſtne, vt fertur, forma? PA. ſanè. CH. at nihil ad noſtram hanc.
PA. alia res.
CH. Obſecro hercle Parmeno, fac vt potiar. PA. faciam ſedulo, ac
Dabo operam; adiuuabo. numquid me aliud? CH. quò nunc is? PA. domum,
Vt mancipia haec, ita vt iuſſit frater, ducam ad Thaidem.
CH. O fortunatum iſtum eunuchum, qui quidem in hanc detur domum!
PA. Quid ita? CH. rogitas? ſumma forma ſemper conſeruam domi
Videbit: conloquetur: aderit vnà in vnis aedibus.
Cibum nonnumquam capiet cum ea. interdum propter dormiet.
PA. Quid ſi nunc tute fortunatus fias? CH. qua re Parmeno?
Reſponde. PA. capias tu illius veſtem. CH. veſtem? quid tum poſtea?

PA. Pro illo te ducam. CH. audio. PA. te eſſe illum dicam.
CH. intellego.
PA. Tu illis fruare commodis, quibus tu illum dicebas modo:
Cibum vnà capias, adſis, tangas, ludas, propter dormias:
Quandoquidem illarum neque te quiſquam nouit, neque ſcit qui ſies:
Præterea forma, & aetas ipſaſt, facilè vt pro eunucho probes.
CH. Dixti pulchre: numquam vidi melius conſilium dari.
Age, eamus intrò: nunc iam orna me; abduc, duc, quantum potes.
PA. Quid agis? iocabar equidem. CH. garris. PA. perii. quid ego egi miſer?
Quò trudis? perculeris iam tu me. tibi equidem dico, mane.
CH. Eamus PA. Pergín'? CH. certumſt. PA. vide ne nimium calidum hoc ſit modo.
CH. Non eſt profecto: ſine. P. at enim iſtaec in me cudetur faba. CH. ah.
PA. Flagitium facimus. CH. an id flagitiumſt, ſi in domum meretriciam
Deducar, & illis crucibus quae nos, noſtrámque adoleſcentiam
Habent deſpicatam, & quae nos ſemper omnibus cruciant modis,
Nunc referam gratiam; atque eas itidem fallam vt ab illis fallimur?
An potius haec patri aequum eſt fieri, vt à me ludatur dolis:
Quod qui reſcierint, culpent: illud merito factum omnes putent?
PA. Quid iſtic? ſi certumſt facere, facias. verum ne pòſt conferas
Culpam in me. CH. non faciam. PA. iubéſne? CH. iubeo, cogo, atque impero.
Numquam defugiam authoritatem: ſequere. PA. Di vortant bene.

OCCIDI. In hac ſcena nouus amor adhuc ephebi, & conſilium potiendæ virginis demonſtratur: tanta virtute poetæ comici, vt hoc commentum non quæſitum eſſe, ſed occurriſſe ſua ſponte videatur. OCCIDI: NEQVE VIRGO EST VSQVAM. Non habuit quid dicere debeat aliud, properans & circunſpiciens, niſi *occidi*. OCCIDI. Produc mediam ſyllabam verbi huius, & contrarium ſignificat.

NEQVE EGO, QVI ILLAM E CONSPECTV AMISI MEO. Amatorie, dum illam non inuenit, & ſe perdidit.

VBI QVAERAM? Hoc circunſpectantis eſt. VBI INVESTIGEM? Plus intulit.

QVEM PERCONTER? Hoc tertium plus intulit. nam vbi nec veſtigia reperiuntur. ſupereſt interrogatio.

QVAM INSISTAM VIAM? Si nec qui interrogetur apparet. QVAM INSISTAM VIAM? Et *qua via*, legitur.

VEL VBI EST, DIV CELARI NON POTEST. Ob nimiam ſcilicet formæ gratiam.

O FACIEM PVLCHRAM? Faciem modò, non partem corporis dicit: ſed totam ſpeciem quæ apparet & cernitur. Virgilius, —— *quibus aſpera quondam Viſa maris facies.*

DELEO OMNES DEHINC EX ANIMO MVLIERES. πρὸς τὸ πιθανὸν argumentatus eſt, vt oſtenderet hunc grandem iam ephebum etiam amoris expertem non fuiſſe. Sic & alibi, *Cum me ipſum noram quàm elegans formarum ſpectator ſiem. In hac commotus ſum.*

COTIDIANARVM. Hoc eſt, leuium & vſitatarum: eſt quippe huic contrarium, *Noua figura oris. papæ.*

ECCE AVTEM ALTERVM. Sic dicimus, cum propter alterũ, de altero venit in mentem.

NESCIO QVID DE AMORE LOQVITVR. Vt iamdudum Phædria loquebatur.

O INFORTVNATVM SENEM? Hoc dictum præſtruxit ad exitum fabulæ ac Cataſtrophen. Nam perturbatus ad Thaidem ingreditur hic ſenex per fallaciam Pythiæ, & indicium Parmenonis: atque ita firmabuntur nuptiæ virginis, quam ducet Chærea.

HIC VERO EST. Vtrum ſenex, an Chærea? ſed ſenex potius. HIC VERO EST SENEX QVI. Scilicet Chærea.

PRAEVT HVIVS RABIES QVAE DABIT. *Præ*, ex comparatione ſignificat. Ergo propriè: & eſt integra locutio: & ordo eſt, Præut illa ſunt, quæ huius rabies dabit. Et bene *dabit*, quaſi de re violenta. Vt, ——— *dabit ille ruinam Arboribus.* PRAEVT HVIVS RABIES QVAE DABIT. Hic ex parte characteris inſcius quidem eſt perſonæ Chæreæ, quem moribus conijcit ſeruus ardentiorem in amorem ferri poſſe ſimul ac cœperit. PRAEVT HVIVS RABIES QVAE DABIT. Et hic oſtenditur iampridem motum in res venereas Chæream, & magna poetæ cura eſt, ne incredibile videatur, adoleſcentulum qui pro eunucho deduci potuerit, tam expedite virginem vitiaſſe. quocirca artifex ſummus, quod ætati non poteſt, naturæ attribuit Chæreæ: vt calidior ingenio, & ante annos amator, non libidinem in ſeſe, ſed quandam rabiem deſignauerit in venèreos appetitus.

VT ILLVM. Pro vtinam. DI DEAEQVE SENIVM PERDANT. Plus dixit *ſenium*, quàm *ſenem*. Nec mireris, poſt *ſenium*, *qui* additum: ideò quia declinationem ad intellectum retulit. vt alibi, *In eunuchum ſuam* Et *ſenex*, ad ætatem refertur: *Senium*, ad conuitium. ſic Lucilius ait, *At quidem ſe ſenium, atque inſulſe ſophiſta.*

REMORATVS EST. A *remora* piſciculo, qui & ἐχενηίς vocatur, *Remoratio & remoratus* dicitur. TVM AVTEM, QVI ILLVM FLOCCIFECERIM. *Tum autem* pro, &c. Duas vult enim cauſas eſſe, cur ſeipſum di perdant. vnam quòd reſtiterit: alteram, quòd ſenem peruerſus diu remanſerit à perſequenda virgine. Et nota *flocciſecerim*, & contemnere, & non contemnere ſignificare: vt nunc, *Qui illum flocciſecerim.* deeſt *vel*: vt ſit, vel floccifecerim.

QVID TV ES TRISTIS? QVIDVE ES ALACRIS? Prouerbiale eſt in hominem perturbatum & incerti vultus. Aut lætus es. nam *alacris*, L litera pro D poſita, non triſtis id eſt ἄδακρυς intelligitur. QVIDVE ES ALACRIS? Et *alacer* & *alacris* dicitur: vt habes apud Virgilium, *Ergo alacris, cunctíſque putant excedere pugna.* QVIDVE ES ALACRIS? *Alacritas* eſt mutatio quædam vultus geſtientis in ſpem aliquam.

VNDE IS? Modò ad quid venis ſignificat. ſed *eo*, de loco ad locum veteres dicebant: quod mox in ſubiectis probabitur.

QVORSVM EAM. Bene: quia proximè dixerat, *vbi quæram? vbi inueſtigem? quem perconter? quam inſiſtam viam? incertus ſum.* QVORSVM EAM. Hinc vt diximus, manifeſtum eſt, *eo* & aduentum ſignificare.

ITA PRORSVM OBLITVS SVM MEI. Huic contrarium, *Dum memor ipſe mei.* Ergo oblitus mei, inſanus. ITA PRORSVM SVM OBLITVS MEI. *Prorſum*: recta. id eſt omnino: nam *prorſum*, eſt porrò verſum id eſt ante verſum. hinc & *prorſa oratio*, quam non inflexit, cantilena. HEM. Si cum H, Parmeno. ſi leniter, Chærea.

OSTENDES QVI VIR SIES. Non, ſi vir ſies: ſed qui vir ſies: quod eſt ἐμφατικώτερον. ſi quæſiſſet quidem, qui vir ſies, an debeas præſtare qui virum ſe ſic monſtraturus eſt? Et *vir* modò, non ad ſexum, nec ad ætatem dicitur, ſed ad laudem. QVI VIR SIES. In veteribus inuenitur.

SAEPE POLLICITVM ESSE. *Pollicitum*, quod promittentem vltrò ſignificat, dixit. & ſæpe pollicitum ſe, an neceſſe ſit præſtare eum qui promiſerit?

CHAEREA ALIQVID INVENI Induxit μίμησιν pragmaticè, more ſuo, non contentus dicere quid pollicitus ſit tantùm, ſed quo modo etiam, & quibus verbis.

MODO QVOD AMES. Tantummodo. quaſi hæc mora ſit promiſſis complendis.

In ea

In ea re vtilitatem ego faciam vt cognoscas meam. An poſſit, qui poſſe ſe affirmauit? plus eſt probaſſe quod promiſerit, quàm oſtendere quod poſſit.

Cvm in cellvlam. Sic dicit anus * quæ & acceperit beneficium.

Patris penvm omne. Ipſum penum: non ex eo aliquid, ὑπερβολικῶς. Et hoc *penu*, & hic *penus*, & hæc *penus*, veteres dixerunt. Ergo & *omnem* & *omne* legitur.

Congerebam clancvlvm. λάθρᾳ ἢ κρύφα.

Age inepte. Qui dubitas de promiſſis: an qui exprobres te multa eſſe largitum?

Hoc hercle factvm est. Inueni quod amem. hoc quod dicebas, inquit, moræ eſſe, iam factum eſt. amo.

Promissa appareant. Vtilitatem vt cognoſcam tuam.

Sive adeo digna res est. Si perſona Parmenonis eſt, *ſiue* abundat: & pro expletiua coniunctione modo eſt. In quibuſdam omnino non legitur. *Adeo* autem abundat, aut nimis ſignificat, vel ſatis. Si Chærea dicit, hic ordo & ſenſus eſt, Fac ſi vis nunc, ſiue adeò digna res eſt, vbi tu neruos intendas tuos, vt promiſſa appareant. vt ſit *ſis* ſi vis: & addatur *vt*, quod deeſt. Fac vt promiſſa appareant.

Vbi tv nervos intendas tvos. Vtrum obſcœne hoc, vt ſeruus? an μεταφορικῶς? vbi laborare ac periclitari debeas. Sed melius legunt qui hoc totum ad perſonam applicant Chæreæ: & melius quàm qui Parmenonem hoc putant loqui, *Siue adeò digna res eſt vbi neruos intendas tuos.*

Havt similis virgo est virginvm nostrarvm. Ciuium ſcilicet, id eſt, terræ ac patriæ noſtræ vt Virgilius, *Non eadem arboribus pendet vindemia noſtris.* Et Salluſtius, *Noſtri fœda fuga*, &c.

Qvas matres stvdent. Hoc verbo oſtendit cultum induſtriæ, non pulchritudinem naturalem.

Demissis hvmeris esse, vincto corpore. Antiqui enim Græci etiam virginibus ſuis præbebant palæſtram, ad componenda corpora. Vel, *demiſſis humeris eſſe*, liquidè & molliter deductis, neque extantibus alæ in modum. Demissis hvmeris esse, vincto pectore. Non accipiendum eſt quaſi hoc dicat, Ad hoc illas ſtudent matres demiſſis humeris eſſe, & vincto pectore, vt graciles fient: quaſi hæc duo propter vnum illud fiant. ſed variè tria dixit, ne diceret * aut ſtudent illas demiſſis humeris, & vinctum pectus, vt graciles fient. Vincto pectore. Caſtigato ac tenui, & velut vincto. Deeſt ergo *velut*.

Vt graciles fient. A ſingulari *gracilis* venit hæc declinatio.

Siqva habitior pavlo. Vnde & *habitudo* dicitur: vt, *Quæ habitudo eſt corporis?* nam *habilior*, aptior intelligitur. vt, *Namque humeris de more habilem ſuſpenderat arcum.* Ergo *habitior* legendum eſt. Pvgilem esse aivnt. Laus in virginem.

Dedvcvnt cibvm. Mirè vituperauit formam, quam accurauerit fames. Et propriè *deducunt*. Tametsi bona est natvra. *Bona*, id eſt plena, magna, & pinguis.

Reddvnt. Exhibent, perficiunt. Cvratvra. *Cura*, meatus eſt: *Curatio*, medicinæ: *Curatura*, diligentiæ. Ivnceas. Tenues & pallidas.

Itaqve ergo amantvr. Itaque, inquit, nemo illas amat. εἰρωνεία eſt. aut verè amantur: vt eo magis hæc amanda ſit. quæ naturæ beneficio, non factis comptibus, aut induſtria eſt pulchra. Itaqve ergo amantvr. Atque ita ſit vt amentur: non naturæ merito, ſed induſtria.

Qvid tva istaec? Rectè: ſic enim ipſe dicet, *At nihil ad noſtram hanc.* Qvid tva istaec? Deeſt, *qualis eſt*, *dic*

Nova figvra oris. Laudis genus eſt, *noua*: quia dixerat *Tædet cotidianarum harum formarum.* Papae! Interiectio mira ſubito accipientis.

Color verus. Quæ non de cura eſt ac de fuco, id eſt naturalis, non fucatus.

Corpvs solidvm. Quia non vitiatum. Corpvs solidvm. Plenum & forte, id eſt non flaccidum.

Svcci plenvm. Quia nemo deduxit cibum. nam ſuccus, eſt humor in corpore, quo abundant bene valentes. Virgilius, *Et ſuccus pecori, & lac ſubducitur agnis.* *Succus* propriè,

quaſi *ſugus*: quem ſibi ex alimentis membra ſugunt, vt ſe repleant. SVCCI PLENVM. *Succus*, eſt interior pinguedo membrorum.

ANNI SEXDECIM. Vide quemadmodum ætatem virginis maturæ poeta ex occaſione demonſtrauerit.

HANC TV MIHI VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO. Hæc tria ſunt quibus non ritè res agitur, Vel vi, vel clàm, vel precario: ſine pretij mentione. vel quia virgo, non meretrix: vel quia nulla ephebo ſpes eſt fallendi ſenis. HANC TV MIHI VEL VI, VEL CLAM, VEL PRECARIO FAC TRADAS. Secundum ius locutus eſt: nam his tribus mala fide aliquid poſſidetur: vi, clàm, precario. Vi, quia virgo. clàm, quia cuſtoditur. precario, quia pretium non habet Chærea.

MEA NIHIL REFERT, DVM POTIAR MODO. Non hoc perſonæ attribuendum eſt, ſed affectui. non enim quia Chærea eſt, ſed quia amator, de ſe cupit facere quemadmodum potiatur. QVID VIRGO, CVIA EST. Verum ſerua, an filia.

NE ID QVIDEM. Pulchra varietas, *Neſcio*, *Tantumdem*, *Ne id quidem*.

QVA RATIONE AMISTI? Figura συγκοπὴ, pro *amiſiſti*. QVA RATIONE AMISTI? Si non remanſiſſet Chærea, ſed conſecutus virginem vidiſſet quò deducta eſſet prius, quàm Parmenonem conueniret: non ita procederet fabula, vt nunc procedit. irruiſſet enim in cognitionem meretricis importunè Chærea, nec pro Eunucho adduceretur vlterius.

ID EQVIDEM. Deeſt *ob*, aut *propter*: vt ſit, *ob id*, aut *propter id*.

MECVM STOMACHABAR. Bene *mecum*: quia acriorem dolorem ſuſtinet, qui ipſe ſibi iraſci cogitur. *Mecum* ergo, pro *apud me*, vel *mihi*.

HOMINEM ESSE ARBITROR. Deeſt, *quàm me*.

CVI MAGIS BONAE FELICITATES. *Bonæ* magnæ. Noue autem dixit magnas felicitates ſibi aduerſari, eo quòd virginem tantæ pulchritudinis ex oculis amiſerit: nam vidiſſe eam, felicitatis iudicat. ſed amiſiſſe, aduerſæ felicitatis. & quod *bonæ* dixit, vel magnæ, vel nimiæ intelliguntur. vel ἐπίθετον eſt proprium & perpetuum felicitatum. FELICITATES. *Felicitas* aduerſa eſt, cum ex proſperitate, quòd lædat naſcitur. BONAE FELICITATES. ἔμφασις eſt, eo quòd *felicitates* pluraliter poſuit. ἐπίθετα autem de tribus cauſis nominibus adduntur: diſcretionis, proprietatis, ornatus. Diſcretionis: vt, *Phrygiæ molimur montibus Ida*. Proprietatis: vt, *Terribili impexum ſeta & dentibus atru*. Ornatus: vt, *Alma Venus Phrygij genuit Simoentis ad vndam*.

QVID HOC EST SCELERIS? Propter hoc quod patior inquit. nunc enim ſcelus dicit à ſene commiſſum.

ARCHIDEMIDEM NOSTIN'? Hoc ſic pronunciandum eſt, vt appareat ex ipſo nomine ſtatim odioſum neſcio quem occurriſſe ac permoleſtum.

QVID NI? Correptio eſt ab ſe manifeſta inquirentis. eſt enim ſenſus, Quid niſi, aut cur non nouerim? eſt enim *quid ni*, aut quid niſi, aut cur non: quia veteres *ni* pro *ne* ponebant, & *ne* pro *non*. Vt Plautus, *Ni ſtulta ſis*, pro ne. & *ne vult*, pro non vult.

IMO ENIMVERO INFELICITER. Bene hoc interponit, quod incredibile eſt tardiorem futurum amatorem inceſſu virginis.

NAM INCOMMODA ALIA SVNT DICENDA. Quæ minora ſunt ſcilicet, aut ſimilia.

ILLVM LIQVET MIHI DEIERARE. Liquidum eſt, conſtans, & manifeſtum, & certum. Et ſic *liquet*, pro liquidum eſt: vt *claudit*, pro claudum eſt. Vt apud Salluſtium, *Nihil ſocordia claudebat*. Et eſt LIQVET verbum iuris: quo vtebantur iudices, quum amplius pronunciabant, obſcuritate commoti cauſæ magis quàm negotij ſimplicitate. *Deierare*, valde iurare: vt *demiror*, & *deamo te Syre*. ſi *de* producta legeris. ſi correpta, deos iurare intelligitur.

PRORSVM NON VIDISSE PROXVMIS. Quia non vidiſſe dixit, *proximis* præteritis intelligimus. Proxima enim nobis aut præterita, aut futura ſunt. Nam præſentia ea ſunt, in quibus nunc ſumus.

NISI NVNC QVVM MINIME VELLEM. Quia ſemper nolui, ideo nunc minime, vtpote adoleſcens tenem.

MINIMEQVE OPVS FVIT. Sæpe enim nolumus tantum, nunc etiam opus non eſt.

Qvam longe qvidem. Bene *longe* dixit: quia *à longe* non potuit dicere: an ſubauditur erat, vt ſit, quam longe erat?

Incvrvvs, tremvlvs, labiis demissis, gemens. Vt omnia oſtendat in contrarium ſibi verſa eſſe, etiam curſum attribuit ſeni. *Labra*, ſunt ſuperiora: *labia*, inferiora. *Labra* aſinorum propriè dicuntur. *Gemens* autem, ob continuam tuſſim. Sic Lucilius:

Ante foras autem, & triclinij limina quidam
Perditus Tyreſia tuſſi grandæuus gemebat.

Incuruus, valdè caruus. Sic Virgilius, *Turnus vt infractos aduerſo Marte Latinos Defeciſſe videt* ———. *Infractos* enim valdè fractos ſignificat. nam *in* præpoſitio nunc auget, nunc minuit dictionem. Recte etiam deformitatem deſcribit ſenis, qui præter ætatem poſt pulchram virginem fœdior videbatur. Et quàm importune omnia? pro puella, ſenex occurrit: pro virgine, incuruus, tremulus: pro pulchra, labiis demiſſis, gemens: & cùm amator ſit, inaniter adoleſcenti ipſe iudicium loquitur: dum feſtinandum ſit, remoratur. Labiis demissis. Maiora labra, vnde *labeones*. Alij *labia* inferiora, & *labra* ſuperiora. Hevs, hevs, tibi dico Chaerea. Tibi dico Chærea, non adderet niſi videret Chæream diſſimulantem præterire.

Inqvit. Aliter *inquit* pronuntiandum eſt, hoc eſt concitate. nam ſenis verba aliter proferenda ſunt.

Scin' qvid ego te volebam. Hic oſtenditur odioſa tarditas ſenis apud feſtinantem Chæream. nam non dicit, ſed promittit ſe dicturum.

Cras est mihi ivdicivm. Huic moræ etiam illud additum. quòd quum debeat dicere quid velit, prius dicit quod non eſt neceſſarium, quare velit.

Vt diligenter nvnties. *Diligenter* nihil tam abundanter, nihil tam moraliter dici potuit. Esse vt meminerit. Non vt ſit: ſed, vt eſſe meminerit. O prolixitas!

Dvm haec dicit. Dat tempus verbis: quæ non potuit, quamuis imitaretur, exprimere.

Rogo nvmqvid velit. Hoc eſt, ſignifico me abire. nam abituri, ne id dure facerent, *Numquid vis*, dicebant his quibuſcum conſtitiſſent. Quid eſt ergo? Rogo numquid velit? hoc eſt, dico quod abeuntes ſolent.

Recte inqvit. Pro eo quod eſt nihil: & moraliter τῷ ἀπλιχισμῷ.

Cvm hvc respicio ad virginem, illa sese. &c. In hanc partem ſcilicet, qua meretrix habitabat.

Interea commodvm. Tantùm quod, vel ipſo eodémque tempore. Interea commodvm. Vnà. Et hoc ſignificat: vt ſi dicas, Eodem tempore quo hoc agebatur. Nam *interea*, nunc coniunctio accipienda eſt: non vt aliàs, pro aduerbio ponitur.

In hanc nostram plateam. Rectè, quia vicina eſt illis Thais, ad quam deducitur. Nvlla erat. Etenim ingreſſa iam fuerat.

Comites secvti scilicet svnt virginem. Interrogatiuè quidem: ſed ſic, vt ſcire videatur id quod quærit: ſed ad hoc quærere, vt quod ſcit, confirmet.

Verum parasitvs. *Verum*, modo inceptiua eſt, non relatiua particula. vt in Andria, *Verum vidi Cantharam ſuffarcinatam.*

Iam conclamatvm est. Tranſactum ac finitum. vt conclamata corpora nihil reliqui iam habent ad vitæ officia. Conclamatvm est. Manifeſtum ſignificat, ipſam idem. * eſſe, vel pulchram eſſe, quia & ipſe dixerat. *Hæc ſuperat ipſam Thaidem.* vt in conclamatis funeribus nulla dilatio eſt doloris & luctus. vnde Lucanus ait. ——— *corpora nondum Conclamata iacent.* Aut *conclamatum*, ſatis deploratum, ſatiſque vociferatum eſt: quia dixerat, *O infortunatum ſenem: ſi & hic amare cœperit.* Tanquam dicat, Iam occiſum patrem tandem ſcimus, iámque deflemus.

Alias res agis. Recte, quia dixit ille, *Iam conclamatum eſt.* Alias res agis. Aut non attendis ad id quod dico, ſignificat, vt nulla ſit in eo attentio. nam hinc natum eſt, *Agite amabo.* Aut nugatorias res agis, hoc eſt iocaris. quaſi dicat, vanas res agis.

Scio qvo abdvcta sit. Plus dixit quàm interrogabatur: credo tædio interrogantis. nam properat, vt dicturus eſt. ad deducendum eunuchum ad Thaidem cum ancilla ex Aethiopia. Scio qvo abdvcta sit. Secunda ἀποσιώπησις.

EHO PARMENO MI, NOSTIN'? ET SCIS VBI SIET? Amatorie ſatis repetuntur quæ ſemel dicta ſufficerant.

HVC DEDVCTA EST AD MERETRICEM. Et hoc confundit ſemel, quum aceruatim dicit, velut odio interrogantis ſæpius, & feſtinatione ad mandata Phædriæ peragenda.

PHAEDRIAE RIVALIS. Cum pronuntiatione addendum, quo magis doleat Phædriæ riualis.

DVRAS FRATRIS PARTES PRAEDICAS. Scilicet contra æmulum & diuitem & largiſſimum. Et *partes duras*, μεταφορικῶς ab actoribus ſcenicis.

COMPARET. Hic iam oſtenditur miles illuſtrior per riualis dona, quàm per ſua. Et eſt qualitas comparatiua. *Comparet* pro emat, aut comparandum putet.

TVM MAGIS ID DICAS. Duras partes fratris eſſe.

QVODNAM QVAESO HERCLE? Curioſitatem addidit, παρελκόντων *Quæſo* & *Hercle*. Et vide quàm molliter, & ſine intellectu ſpectatoris ad argumenti ſpectati ordinem poëta perueniat: vt de eunucho facta mentione conſilium naſcatur ſupponendi Chæreæ.

EVNVCHVM. Mirè Terentius primo ſimpliciter Eunucho nomen poſuit, huic quoque detracturus.

INHONESTVM. Fœdum: vt contrà, *facie honeſta*. vt apud Virgilium, *Et lætos oculis afflarat honores.* HOMINEM. Opportune *hominem* dixit, tanquam incerti ſexus.

SENEM MVLIEREM? Non communi genere dixit *ſenem*: quippe qui alibi ſeparauerit dicendo, *ſenex atque anus*: ſed ſubdiſtinguendum eſt. vt ſit duplex vituperatio: vna ab ætate, quòd ait *ſenex*: altera à membrorum mollitie, quòd ait *mulierem*.

QVATIETVR CERTE CVM DONO FORAS. Mire *cum dono*: tanquam illi repulſæ cauſa donum futurum ſit. Tum deinde non reiicietur, ſed quatietur. Vide quàm contumelioſius dictum ſit, *quatietur foras*: vel verberibus impelletur foras, non expulſione, ſed detruſione. vel ſic dixit, *foras quatietur*, vt deſit *verſum*: vt ſit, *foras verſum* verberabitur: vt verberetur & fugetur foras. nam & peruulgatæ conſuetudinis dictum eſt, *Feri canem foras*: hoc eſt, feriendo canem foras eiice.

SED ISTAM THAIDEM NON SCIVI NOBIS VICINAM. Quomodo enim pro eunucho veniet, ſi aut nouit, aut notus eſt? Etſi mulierem adoleſcens non nouit quidem: ipſe multo maxime neſcietur. Sed iſtam Thaidem non ſciui nobis vicinam ἀντινομία contra illud, quòd meretrix vicina erat.

HAVT DIV EST? Vicina ſcilicet. Et eſt cauſa, an veriſimile ſit neſcire potuiſſe vicinam. Et nota apud Terentium vicinas poni ſæpius adoleſcentibus meretrices, vt hæc ſit prima amoris illecebra.

NVMQVAMNE ETIAM ME ILLAM VIDISSE? Artificioſe inculcat poeta τὸ πιθανὸν

ESTNE, VT REFERTVR, FORMA? Hoc propter illud quod ſuprà diximus. Sed nimio lepore Terentiano, iam illud agitur. Nam hic oſtenditur veriſimile eſſe pro eunucho creditum apud vicinam meretricem Chæream, qui adeò ignotus ſit mulieri, vt nec ipſe eam nouerit: quod erat facilius & promptius. Et additur color, quòd & illa non diu vicina eſt, & quòd adoleſcens plurimum in Piræo commoratus eſt.

NIHIL AD NOSTRAM HANC. Moraliter *noſtram* dixit, pro meam.

ALIA RES EST. Non potuit melius ſuam vtrique gratiam reſeruare. nam & illa, & hæc amantur.

FACIAM SEDVLO. Mire in promiſſis poſterioribus difficultas rei oſtenditur: quum primò *faciam* dixerit.

NVMQVID ME ALIVD VIS? Hoc dicere abeuntes ſolent. Et bene, *Numquid me aliud vis?* quia feſtinat. & ſimul quia hinc naſcitur dolus fallendæ meretricis.

VT MANCIPIA HAEC, ITA VT IVSSIT FRATER, DEDVCAM AD THAIDEM. Vide Terentium, vt non quæſita eſſe hæc fallacia, ſed ipſa ſe obtuliſſe videatur.

O FORTVNATVM ISTVM EVNVCHVM. *Iſtum*, ſæpe annotauimus, aut ad contemptũ aut ad odium referri. vt Virgilius,

Aut quid petis iſtis? &,

Iſta quidem quia nota mihi tua magna voluntas

Iuppiter. ——— QVI QVIDEM IN HANC DETVR DOMVM. Quid facilius

quàm imitari velle quod laudes? nec quiſquam, niſi qui cupit eligitur pro eunucho, qui eunuchum putat eſſe beatum. Vide quàm molli deſcenſu ad hoc conſilium peruenitur. Res enim hoc ſuggerit potius quàm Parmeno: ideo quia ſeruum hoc ſuadere Chæreæ nimis temerarium fuit.

QVID ITA? Potuit intelligere ſtatim ſeruus: ſed ad hoc interrogat, vt doceatur ſpectator.

VIDEBIT: COLLOQVETVR: ADERIT VNA, &c. Amatorie nimis, quinque lineas amoris executus eſt: adeóque diligenter, vt etiam ordinem cuſtodierit. VIDEBIT: COLLOQVETVR: ADERIT VNA IN VNIS AEDIBVS. Mire amator non ſimul effudit hoc bonum, ſed particulatim digeſſit: vt maior voluptas futura eſſe noſcatur. VIDEBIT COLLOQVETVR: ADERIT, &c. Iſtæ enim ſunt amoris lineæ: etſi eas non omnes eſt perſecutus.

QVID ES NVNC TVTE FORTVNATVS FIAS? Sic videtur Parmeno dicere, potius vt iocetur, quàm vt fieri credat poſſe.

CAPIAS TV ILLIVS VESTEM. Non ſemel oſtenditur quod futurum ſit: quia particulatim poteſt etiam quod turpe eſt, tamen mitti ad perſuaſionem. Simul in geſtum reſpicitur. Ergo non dixit, ibis pro Eunucho: ſed primo, Capias illius veſtem. tum deinde hoc ipſum non aſpernante domino, pergit ſeruus ad cætera quæ audaciora ſunt.

VESTEM. Quàm libenter audiat repetitio dictorum per interrogationem oſtendit.

AVDIO. Id eſt, libenter hoc admitto, & conſentio. Vt in Phormione, *Audio & fateor.* & contrà, *Non audio.*

INTELLEGO. *Audio & intelligo* vim modo non vſitatam exprimunt, ſcilicet conſentientis immodicum affectum.

CIBVM VNA CAPIAS. Bene ſeruus interturbauit ſupra dictas amandi lineas, & ordinem voluptatum: quippe qui amare non nouerit. CIBVM VNA CAPIAS, ADSIS, TANGAS, LVDES, PROPTER DORMIAS. Etſi ſatis erat ſuperior verſus, tamen incentiua ſunt amoris etiam ſigillatim hæc enumerata, quæ vna ſententia ſuperior verſus oſtenderat.

QVANDOQVIDEM ILLARVM QVISQVAM, Pro, *ex illis.* QVISQVAM. Quia *quæquam* dicere, abſurdum eſt. ILLARVM QVISQVAM. *Quiſquam*, multis exemplis probatur etiam feminino genere veteres protuliſſe: ita vt in numeris & generibus hæc pronomina infinita ſint.

NEQVE SCIT QVI SIES. Hoc eſt, quod ſuprà callide poeta præſtruxit.

FORMA AETAS IPSA EST. Deeſt, *in te.*

FACILE VT PRO EVNVCHO PROBES. Formam ſcilicet & ætatem. Formam, quia pulcher es: ætatem, quia ephebus. FACILE VT PRO EVNVCHO PROBES. *Probes*, fingas, atque perſuadeas: vt in conſuetudine dicimus, *Homo ſacrilegus pro innocente ſe probauit.* Et Cicero, *Hoc tu his probabis?* Itaque deeſt *te*, quod ſubaudiamus. vt ſit, *pro Eunucho te probes. Probes*, vt *Migrantes cernas.* Aut *probes*, perſuadeas. Et ſimul honeſte non dixit, quod erat rectum, vt Eunuchum probes, ſed pro Eunucho: ne eſſet contumelioſum in Chæream.

NVNC IAM ORNA ME? Hortatiue *orna* dixit: non deſpolia, aut exue me. ABDVC. Abducimur vnde volumus: Ducimur quo volumus. QVANTVM POTES. Deeſt, *cito.*

QVID AGIS? Callide ſeruus non vult ſe authorem videri tanti facinoris. QVO TRVDIS? Comici ſemper ea oſtendunt fieri ab altero verbis alterius perſonæ, quæ oſtendi per ſe ipſa non poterant. vt nunc manu agere Chæream Parmenone ipſo dicente cognoſcimus. QVO TRVDIS? Præbet ſe vi cogendum domino quem compulit dictis.

PERCVLERIS IAM TV ME? Peruerteris. vnde prouerbium. *Bene plauſtrum perculit.*

TIBI EQVIDEM DICO, MANE. Sigillatim iſta pronuntianda ſunt: ex quibus intelligatur, non ceſſare Chæream quin adhuc impellat & trudat.

PERGIN'? Quaſi verò ioco dixerit, non ſerio.

NE NIMIVM CALIDVM. Periculoſum. ſed melius *callidum* legitur. NIMIVM, prouerbiale: quia *nimium* propria vox eſt.

AT ENIM ISTAEC IN ME CVDETVR FABA. Id eſt, in me hoc malum recidet, in me

hæc vindicabitur culpa: vt laborat ſolum, in quo cuditur, id eſt batuitur faba. quum ſiliquis exuitur tunſa fuſtibus: vt in areis more ruſticorum fit. Vel quòd quidam male coctam fabam, & quæ non maduerit, ſed dura permanſerit ſupra caput coqui, velut ipſi fabæ irati ſaxo comminuunt. tum vniuerſum malum, & omnis dolor ad coquum péruenit. Simile & alibi à pulmento prouerbium eſt, *Tute hoc intriſti, tibi hoc eſt exedendum*, *accingere.*

Flagitivm facimvs. *Flagitium* more militari dicitur, res flagitatione, hoc eſt increpatione digna. nam *flagitatio*, à ſtrepitu dicitur: vnde *flamma* & *flagella*, & *flagitare*, id eſt perſonare intelligimus dici. Nam hæc omnia ſine ſonitu, crepitúque non ſunt.

An id flagitivm est? An liceat? an deceat? Et prius, quia licet. An id flagitivm est? Terentius laudat argumentum huius fabulæ: in quo exemplum promitur, quod proſit parentibus, obſit meretricibus: & ſimul deliberationibus tractans id faciendum.

Si in domvm meretriciam dedvcar. Hoc tale eſt, nulla lex prohibeat, & defendatur vt licitum.

Et illis crvcibvs. Hoc iam ad illud pertinet, vt oſtendatur decêre, & primo à perſona eius cui fit.

Habent despicatam. Contemptam atque deſpectam. & ita eſt ἰσοδύναμος & μεταπλασμός. Vel certe alterius verbi declinatio, ab eo quod eſt *deſpicor*, vt *conſpicor*. Salluſtius, *Quem interea Metellus monte digrediens cum exercitu conſpicatur, primo dubius quid nam inſolita facies oſtenderet.*

Nvnc referam gratiam. Non eas, inquit, laceſſam: ſed quod iuſtum eſt, vicem reddam: quaſi ipſe in aliis læſus ſit. Vt ab illis fallimvr? Non dixit, *alij falluntur.*

An potivs haec pati, aeqvvm est fieri? Illic viciſſitudo extat in *Pati dolos.*

Vt a me lvdatvr dolis. ἔλλειψις. ſubauditur *pati.*

Qvod qvi resciverint. Ex conſequentibus argumentum. nam illud factum vituperatio ſequitur, hoc approbatio.

Illvd merito factvm omnes pvtent. Bene, non *indicent*: quia & hoc ipſum non ſatis probum eſt, vel meretricem fallere.

Qvid istic? Aduerbium eſt ægrè concedentis. Facias. Pro facito.

Vervm, ne post conferas. Si *ne* prohibentis eſt, nihil deeſt: ſi percontantis, vt ſit *ne forte*: deeſt timeo. Vervm, ne post conferas cvlpam in me. In hoc negotio non autor vult intereſſe, ſed ſeruus. Vervm, Deeſt, *vide.*

Cogo atqve impero. Euidenter oſtendit plus eſſe *imperare* quàm *iubere.*

Nvmqvam. Pro non. Vt, *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

Nvmqvam defvgiam avtoritatem tvam. Non, inquit, recuſabo facere, dum tu tamen author ſis facti.

ACTVS TERTII SCENA PRIMA.

THRASO. GNATO. PARMENO.

MAGNAS verò agere gratias Thais mihi?
G. Ingentis. T. ain' tu? laeta eſt? G. non tam ipſo
quidem
Dono, quàm abs te datum eſſe: id verò ſerio
Triumphat. P. huc prouiſo, vt vbi tempus ſiet
Deducam. ſet eccum militem. T. eſt iſtuc datum
Profectò, vt grata mihi ſint quae facio omnia.
G. Aduorti hercle animum. T. vel rex ſemper maximas

Mihi agebat, quidquid feceram: aliis non item.
G. Labore alieno magnam partam gloriam
Verbis ſaepe in ſe tranſmouet, qui habet ſalem,
Quod in te eſt. T. habes. G. rex te ergo in oculis. T. ſcilicet.
G. Geſtire. T. vero, credere omnem exercitum,
Conſilia. G. mirum. T. tum ſicubi eum ſatietas
Hominum, aut negoti ſiquando odium ceperat:
Requieſcere vbi volebat, quaſi: noſtin'? G. ſcio:
Quaſi vbi illam expueret miſeriam ex animo. T. tenes.
Tum me conuiuam ſolum abducebat ſibi. G. hui,
Regem elegantem narras. T. imò ſic homoſt
Perpaucorum hominum. G. imò nullorum arbitror,
Si tecum viuit. T. inuidere omnes mihi:
Mordere clanculum: ego non flocci pendere.
Illi inuidere miſere. verum vnus tamen
Impenſe, elephantis quem Indicis praefecerat.
Is vbi moleſtus magis eſt, quaeſo inquam, Strato,
Eo ne es ferox, quia habes imperium in belluas?
G. Pulchre me hercle dictum & ſapienter: papae!
Iugularas hominem. quid ille? T. mutus ilico.
G. Quid ni eſſet? P. di veſtram fidem, hominem perditum
Miſerúmque, & illum ſacrilegum. T. quid, illud Gnato
Quo pacto Rhodium tetigerim in conuiuio,
Numquam tibi dixi? G. numquam: ſed narra obſecro.
Plus milies audiui. T. vnà in conuiuio
Erat hic, quem dico, Rhodius adoleſcentulus:
Fortè habui ſcortum: cœpit ad id adludere,
Et me inridere: Quid ais, inquam, homo impudens?
LEPVS TVTE ES, & pulpamentum quaeris. G. ha, ha, he.
T. Quid eſt? G. facete, lepide, laute: nihil ſuprà.
Tuum ne obſecro te, hoc dictum erat? vetus credidi.
T. Audieras? G. ſaepe, & fertur in primis. T. meumſt.
G. Dolet dictum inprudenti adoleſcenti & libero.
P. At te dij perdant. G. quid ille quaeſo? T. perditus.
Riſu omnes qui aderant emoriri: denique
Metuebant omnes iam me. G. non iniuria.
T. Set heus tu, purgón' ego me de iſtac Thaidi,
Quòd eam me amare ſuſpicataſt? G. nihil minus.

Imo auge magis ſuſpicionem. T. cur? G. rogas?
Scin, ſiquando illa mentionem Phaedriae
Facit, aut ſi laudat, te vt malè vrat? T. ſentio.
G. Id vt ne fiat, haec res ſolaſt remedio:
Vbi nominabit Phaedriam, tu Pamphilam
Continuo. ſiquando illa dicet, Phaedriam
Intromittamus commiſſatum: tu Pamphilam
Cantatum prouocemus. ſi laudabit haec
Illius formam: tu huius contrà. denique,
Par pro pari referto, quod eam mordeat.
T. Siquidem me amaret, tum iſtuc prodeſſet Gnato.
G. Quando illud quod tu das, expectat atque amat:
Iam dudum te amat: iam dudum illi facile fit
Quod doleat: metuit ſemper, quem ipſa nunc capit
Fructum, ne quando iratus tu aliò conferas.
T. Bene dixti. ac mihi iſtuc non in mentem venerat.
G. Ridiculum; non enim cogitaras: ceterum
Idem hoc tute melius quanto inueniſſes Thraſo!

MAGNAS VERO AGERE GRATIAS. Hic ſermo ſic prodit, vt poſt ſcenam inchoatus eſſe videatur. Continet autem aſſentationem paraſiticam, & ſtultitiam glorioſi militis. AGERE. Plus ſonat infinitus modus finito.

INGENTIS. Vide quantum adiiciat paraſitus: ille, *magnas* dixit: hic reſpondit, *ingentis*. Ille *laeta eſt*. Hic, *triumphat*.

QVAM ABS TE DATVM ESSE. Maioris eſt gratiæ tantum potuiſſe amorem militis, vt meretrix minus lætaretur ob lucrum.

ID VERO SERIO. *Id*, ob id: vt, *Id amabo adiuua me.* Alias παρέλκον, id eſt productionis locus eſt. TRIVMPHAT. Vt militaribus dictis tangit militem paraſitus.

HVC PROVISO. Tertia perſona venit in ſcenam: ſed ſeparatim loquitur & ſecum.

SED ECCVM MILITEM. Iniurioſe militem. honorifice proprio nomine dicitur: vt in ſubiectis, *Audire vocem viſa ſum modo militis.*

EST ISTVC DATVM. Fato decretóque conceſſum: vt, *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis.* VT GRATA MIHI SINT. QVAE FACIO, OMNIA. Gratæ nobis ſunt aut res perſonæ: ſed nunc res dicit. QVAE FACIO OMNIA. ἔλλειψις vel ἀνάληψις

ADVORTI HERCLE ANIMVM. Approbat dictum & hoc, *Ais, aio.*

VEL REX SEMPER MAXIMAS MIHI AGEBAT. Quàm intempeſtiuè miles ad regem tranſitum fecit, cum de meretrice agatur.

VEL REX. Vt in Hecyra. *Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi, quàm ſanctè.* VEL REX SEMPER MAXIMAS. Subauditur *gratias*: ab eo quod ſuprà dixit, *Magnas verò agere, gratias Thais mihi.*

PARTAM GLORIAM. Id eſt, quæ paritur. vt, *Vectus equo ſpumante Sages.*

VERBIS IN SE SAEPE TRANSMOVET, QVI HABET SALEM. Mirè adulator hoc attribuit militi, quod minime habet vel verba, vel ſalem. QVI HABET SALEM. *Sal* neutraliter, condimentum eſt: maſculini, ſapientia. QVOD IN TE EST. Quod tu habes.

HABES. Intelligis. quod enim tenemus corpore, habemus animo: quódque item animo habemus, intelligimus. HABES. Pro intelligis. Sic dicitur accipe, & da. *Habes*

etiam

etiam, id eſt dicis. vt Salluſtius: *Tarteſſum Hiſpaniæ ciuitatem, quam nunc Tyrij mutato nomine Gaditum habent.*

REX TE ERGO IN OCVLIS SCILICET GESTARE. VERVM. Vide inconditam properationem laudari ſe cupientis, adeò vt non ſinat verba impleri, quin præfeſtinet *ſcilicet* & *verum* dicere.

CREDERE OMNEM EXERCITVM. Magis ridebis, ſi conſideres militem motum eſſe, qui * CREDERE OMNEM EXERCITVM CONSILIA. Sub obtentu militis ea ſtultitia, deſcripſit breuiter comitem regium acceptúmque imperatori. Nam qui nunc credit exercitum, credit & conſilia, Virgilius:

Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus,
Seu pacem, ſeu bella geram: tibi maxima rerum,
Verborúmque fides. ——— CONSILIA. ἀκύρως. plus enim eſt cōſilia, quàm totus exercitus. MIRVM. Melius per εἰρωνείαν pronuntiamus *mirum.* quaſi dicat, Quis non crederet tali viro? Sed poteſt etiam ſimpliciter pro admirantis geſtu accipi.

VBI SATIETAS HOMINVM, AVT NEGOTI SIQVANDO ODIVM CEPERAT. Reipub. princeps duas res patitur, homines & negotia, id eſt perſonas & res hominum. SATIETAS HOMINVM, AVT NEGOTI SIQVANDO ODIVM CEPERAT. Propriè reddidit & decenter, hominum ſatietas, negotij odium. Non enim par erat Reipub. principem hominum odio laborare.

REQVIESCERE VBI VOLEBAT. Bono verbo vſus eſt. Nam *ceſſat* deſidioſus: *Requieſcit* defeſſus.

QVASI NOSTIN'. Grate expreſſit ſtulti infantiam militis, qui antè vult intelligi quod ſentit, quàm ipſe dicat. Et propriè hoc morale eſt ſtolidi, ſiue ſuditer loquentis. QVASI NOSTIN'. ἀποσιώπησις pro habes hoc? hoc eſt quod ſuprà *Intelligis.*

QVASI VBI ILLAM EXPVERET MISERIAM. *Vbi* pro quando, & in his, & ſuprà, EXPVERET. *Expuere* eſt cum faſtidio aliquid reiicere & expellere. Nam *expuere*, eſt extra pus mittere, id eſt foras. Nam *pus* eſt omnis humor corpori oneroſus.

TVM ME CONVIVAM SOLVM ABDVCEBAT SIBI. Hoc ſuperat, vt qui eſſet miniſter magnatum rerum, id eſt conſiliarius: voluptatum quoque regis particeps eſſet. Et vide quo ſignificatu dicatur, *Me*, & *Conuiuam*, & *Solum*, & *Abducebat*: nam non vocabat. Et *Sibi*, quaſi non propter me, ſed vt ſibi bene eſſet. TVM ME CONVIVAM. Id eſt, quum ſatietas hominum eſſet, cum odiſſet negotia. CONVIVAM SOLVM ABDVCEBAT. Vt ——— *ſolam nam perfidus ille Te colere.* Significat autem ſæpiuſcule factum.

REGEM ELEGANTEM NARRAS. Qui eligere ſciat, aut qui ipſe ſit eligendus.

PERPAVCORVM HOMINVM. Aut qui paucis vtitur: aut qui de paucis eſt, aut qui paucis placet: hoc eſt bonis & ſapientibus, qui ferè pauci ſunt.

IMO NVLLORVM ARBITROR, SI TECVM VIVIT. Hoc auerſus, ne miles audiat. Poteſt tamen & aliter intelligi, maxime cum milite.

INVIDERE OMNES MIHI. Plus poteſt ad ſignificandum infinitum tempus, quàm finitum.

EGO NON FLOCCI PENDERE. Quòd morderent clanculum, vel quòd inuiderent.

ILLI INVIDERE MISERE. *Miſer* enim eſt cui animæ miſeria ineſt.

VERVM VNVS. Propriè *vnus*, nam *vnus* ex multis dicitur. Et mire eſt facta nullius ponderis repetitio ad inertiam loquentis exprimendam. nam poſtquam dixit, *Inuidere omnes mihi*: repetit, *Illi inuidere miſere.* Quin & *impenſe* & *miſere* idem ſignificant: & mox tamen ſine vllo actu addidit, *Verum vnus tamen impenſe.* Aut plus eſt *miſere*, quàm *impenſe.*

ELEPHANTIS QVEM INDICIS PRAEFECERAT. Et hoc ſtulte: cum hoc ad dignitatem ſumit, & ſic pronuntiat vt magna eſſe præfectura videatur hæc ipſa: & hoc à ſtolido milite ſic profertur, tanquam magnum hominem velit eſſe qui ſibi inuideret. Et *Indicis* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Maurorum, qui & mitiores ſunt.

IS VBI MOLESTVS MAGIS EST. More ſuo *Magis* addidit, ne diceret *moleſtior.*

QVAESO INQVAM STRATO. *Strato.* nomen accommodatum militiæ.

EONE ES FEROX. Cauſale eſt, idcóne ſignificans.

QVIA HABES IMPERIVM IN BELLVAS. Mire extulit, *Imperium in belluas.* Sic Virgil.

——— illa ſe iactet in aula

Aeolus, & clauſo ventorum carcere regnet.

PVLCHRE ME HERCLE DICTVM. Immodica laudatione vertit etiam ſiquid ſacete dictum eſt. ſufficeret enim *pulchre*, quod eſt ſapienter. Quòd & IVGVLARAS HOMINEM: pulchre tangit militem, *Iugularas* dicendo, non occideras: quaſi gladio, non verbo vſus ſit.

MVTVS ILICO. Tam hoc ſtultum eſt, quàm ſi diceret, ſtatim nihil. Rectè autem diceret, *Ex illo mutus fuit.* Tale eſt & illud, *Tacere feſtinat.*

QVIDNI ESSET. Hoc eſt, vt poſſet eſſe iugulatas.

HOMINEM PERDITVM. Deeſt, ô: vt ſit, ô hominem perditum! ſed ſic melius ſonat: maioris enim ſtuporis eſt hoc modo pronuntiatum. HOMINEM PERDITVM MISERVMQVE ET ILLVM SACRILEGVM. Vide quantum addiderit, qui non hominem ſimpliciter, ſed perditum, & miſerum illum: nec malum, ſed ſacrilegum dixerit.

TETIGERIM. Luſerim, fatigauerim. nam *Tangere*, cum multa, tum etiam hoc ſignificat.

NVNQVAM: SED NARRA OBSECRO. Callide paraſitus intelligit ad hoc ſe interrogatum, vt audire poſtulet.

PLVS MILIES IAM AVDIVI. ὑπερβολή. aut ſuperfuitura * vt æquatur: aut ſubiacet, vt tantum non milies conuenit ſtultum eundem & immemorem eſſe, qua & intelligentia eſt. FORTE HABVI SCORTVM. Vide quemadmodum miles, dum multa ad dictum ſuum peruenire fateatur, interim quam contemptus ſit atque deriſus. Abdomen in corpore fœminatum patiens iniuriæ coitus, *ſcortum* dicitur: ideò quia *ſcorta* ſunt dura coria. A parte ergo ſui meretrices *ſcorta* dicuntur: vel ἀπὸ τοῦ σκαίρειν quod Græcè palpitare intelligitur: quod illæ faciunt ſaltando aſſiduè: vel potius criſſando, vt Lucretius ait, ob eam cauſam vt concinniorem venerem exhibeant viris: aut ſibi abigant conceptum, quod in vuluam fœminæ in ipſo coitu non ſe mouentis incidit.

LEPVS TVTE ES, ET PVLPAMENTVM QVAERIS. *Lepus* pro infamia multa ponitur: vel quòd magis à poſteriori parte, hoc eſt armis, pulpamentum de ſe præbeat, cum in conuiuio carpitur appoſitus. vt Horatius ait, *Fœcundi leporis ſapiens ſectabitur armos.* Vel quòd venantur illum, & perſectantur canes: quos pro amatoribus ἀλληγορικῶς intelligimus: vt ipſe Terentius ait, *Ceruam videre fugere, ſectari canes.* Vel quòd illum ſic fugiant omnes, conſtituat vt hunc libido effœminata. Vel quòd à phyſicis dicatur incerti ſexus, ac eſſe modo mas, modo fœmina. LEPVS TVTE ES, ET PVLPAMENTVM QVAERIS. Quod in te habes, hoc quæris in altero. & eſt τρόπος ἀλληγορία.

HA HA HE. Paraſitus hîc interiectionem riſus addidit: quo magis nunc primum hoc audiſſe credatur. QVID EST? Hæc interrogatio geſtum vultúmque continet cuiuſdam alacris & certi, quòd laudandus ſit. FACETE. *Facetus* eſt qui facit verbis quod vult.

LEPIDE. *Lepidus*, qui politus eſt, vt λεπὶς id eſt lamina. LAVTE. *Lautus*, qui mundus & ſplendidus eſt.

TVVM OBSECRO TE HOC DICTVM ERAT. Et dicta & prouerbia & adagiones, quòd rem agant, facetis hominibus aſcribuntur: & hoc laudis genus eſt, ad potiores referre, quod alter probatur dixiſſe.

VETVS CREDIDI. Quia omnia vetera magna ſunt.

SAEPE. Non ex ipſo: nam eſſet contrarium ſuperiori.

MEVM EST. Non ſenſu tantummodo, ſed verbis quoque ipſis agreſte eſt, quod nunc dicit, *Meum eſt.*

DOLET DICTVM IMPRVDENTI ADOLESCENTI ET LIBERO. Deeſt *mihi*, vt ſit, *Dolet mihi.* Et *dictum*, participium eſt, id eſt quod dixiſti. addidit enim paraſitus quo grauius ſit dictum. commiſerationem eius in quem dictum eſt, vtpote imprudentem adoleſcentem & liberum. Scit enim homines ſtultos, malos videri velle. Et vide paraſitum in iiſdem verſari, cum ait ſuprà *Iugularas*, hîc *Dolet dictum.* IMPRVDENTI. Scilicet qui minimè crederet tali ſe percuti poſſe conuitio: aut cum tali viro ſibi rem fu-

tutam. & ſic laudat militem, vt miſeratione iam dignus ſit adoleſcens. Tam feſtiuè * vt etiam miſereri inimicorum vacet.

AT TE DII PERDANT. Noue Parmeno, non ipſi, ſed de ipſo loquitur, non audiente eo. ἀρχαϊκῶς Parmeno hîc male facit; At te dii perdant, inquit.

RISV OMNES QVI ADERANT EMORIRI. Diſciplina eſt comicis vt ſtultas ſententias, ita etiam vitioſa verba aſcribere ridiculis imperitiſque perſonis. vt Plautus, *Latronibus ego denumerem ſtipendium*, inquit, ex perſona militis. Itaque hîc *Emoriri* dixit. At verò Atticus adoleſcens in Heauton. *Emori cupio*. vide igitur poetam pro loco ac tempore ſcire quid dicat.

METVEBANT OMNES IAM ME. Ne cui dicerem, *Lepus tute es & pulpamentum quæris*. Aut, *Eóne es ferox, quia habes imperium in belluas*.

NON INIVRIA. Hoc ſic pronuntia, quemadmodum illud ſuprà, *Quidni eſſet*.

PVRGON' EGO ME DE ISTAC THAIDI. οἰκονομία ad litem futuram inter militem & Thaidem. QVOD EAM ME AMARE SVSPICATVR. Quia apparet illam militi quoque κατὰ τὸ σιωπώμενον oſtendiſſe, quod dixit Phædriæ.

IMO AVGE MAGIS SVSPICIONEM. Hæc erit cauſa reiiciendi militis.

SCIN'. Monentis eſt dicere *ſcin'*, vel *ſcito*.

SIQVANDO ILLAM MENTIONEM. *Siquando* & prima ſyllaba acui poteſt & media. tamen variat ſententiam.

ID VT NE FIAT. Modo *Ne*, non ſignificat. HAEC RES SOLA EST REMEDIO. Si te ſuſpicetur amare Pamphilam. VBI NOMINABIT. Et locum & tempus ſignificat *Vbi*.

TV PAMPHILAM CONTINVO. Hic magna οἰκονομία eſt, qua Terentius præparat quemadmodum iurgium inter Thaidem militémque & Gnatonem per duas partes ſerpat fabulæ. Et bene *continuo*: vt intelligat meretrix non tam Pamphilam amari, quàm ſibi vicem dari.

PAMPHILAM CANTATVM PROVOCEMVS. Eleganter, quia ille foris eſt, hæc intus: illum intromittamus, illam prouocemus. Hæc eſt in verbis, poetæ germana proprietas.

TV HVIVS CONTRA. Hic *contrà*, vicem ſignificat.

QVOD EAM MORDEAT. *Quod* par. Aut abſolutè *Quod*, quæ res.

SI QVIDEM ME AMARET: TVM ISTVD PRODESSET GNATO. His verſiculis perſonam militis & Gnatonis continentibus οἰκονομία inducitur, quòd veriſimile ſit, facilè militem ferre poſſe anteponi ſibi Phædriam, qui ſe ſemper intellexerit non amari: nam ſi hoc tollas, aut excludendus eſt Phædria, aut ex dolore militis in hac fabula fit exitus tragicus. Et hoc miles, vt ſapiens, locutus eſt. Ergo meminiſſe conuenit ridiculas perſonas non omnino ſtultas & excordes induci à poëtis comicis. nam nulla delectatio eſt, vbi omnino, qui deluditur, nihil ſapit. Stultitia autem eſt in his quatuor modis: aut non venire in mentem quod oportet: aut ſi venerit, non tenere: aut bonum conſilium amittere: aut malum admittere. Vide ergo, vt hoc quod commode miles viderat, non tenuerit, totúmque amiſerit. Hoc autem idcirco interpoſuit poeta, vt oſtenderet quid veneni haberet aſſentatio: per quàm non modo errantes decipiuntur, ac præcipites eunt: verum etiam ſapientes interdum, ſaníque euertuntur.

QVANDO ILLVD QVOD TV DAS, EXPECTAT. Hac ſententia tollitur militi quod rectè ſenſerat: nec perſuadetur tamen, quòd ametur ab amica.

IAM DVDVM AMAT TE. Vel nimium, & valdè, vel iampridem.

QVOD DOLEAT. Hoc ad illud refertur quòd ſuprà dixit, *Par pro pari referto, quod eam mordeat*. NEQVANDO IRATVS TV ALIO CONFERAS. Et hic locum pro perſona poſuit: vt ne diceret, *ad aliam*.

AT MIHI ISTVC NON IN MENTEM VENERAT. Sic pronuntiandum eſt, quaſi militi monſtri ſimile videatur, ſapiens dictum alii prius veniſſe in mentem, quàm ſibi.

RIDICVLVM. Vel hominem, vel dictum ſignificamus.

CAETERVM HOC TVTE MELIVS QVANTO INVENISSES THRASO. Scilicet, ſi cogitaſſes.

Actvs tertii scena II.

THAIS. THRASO. PARMENO. GNATO. PYTHIAS.

AVDIRE vocem viſa ſum modo militis:
Atque eccum. ſalue mi Thraſo. THR. ô Thais mea,
Meum ſuauium, quid agitur? ecquid nos amas
De fidicina iſtac? P. quàm venuſtè! quod dedit
Principium adueniens! THA. plurimum merito tuo.
GN. Eamus ergo ad cenam: quid ſtas? P. hem alterum;
Ex homine hunc natum dicas. THA. vbi vis, non moror.
P. Adibo, atque adſimulabo, quaſi nunc exeam.
Iturán Thais quopiam es? THA. ehem Parmeno,
Bene feciſti: hodie itura. P. quò? THA. quid, hunc non vides?
P. Video, & me taedet. vbi vis dona adſunt tibi
A Phaedria. THR. quid ſtamus? cur non imus hinc?
P. Quaeſo hercle vt liceat, pace quod fiat tua,
Dare huic quae volumus, conuenire & conloqui,
THR. Perpulchra credo dona, haut noſtris ſimilia.
P. Res indicabit. heus iubete iſtos foras
Exire, quos iuſſi, ocius. procede tu huc.
Ex Aethiopia eſt vſque haec. THR. hîc ſunt tres minae.
GN. Vix. P. vbi tu es Dore? accede huc. hem eunuchum tibi
Quàm liberali facie, quàm aetate integra.
THA. Ita me di ament, honeſtus eſt. P. quid tu ais Gnato?
Numquid habes quod contemnas? quid tu autem Thraſo?
Tacent: ſatis laudant. fac periculum in literis,
Fac in palaeſtra, in muſicis: quae liberum
Scire aequum eſt adoleſcentem, ſollertem dabo.
THR. Ego illum eunuchum, ſi opus ſit, vel ſobrius.
P. Atque haec qui miſit, non ſibi ſoli poſtulat
Te viuere, & ſua cauſa excludi ceteros.
Neque pugnas narrat, neque cicatrices ſuas
Oſtentat: neque tibi obſtat, quod quidam facit.
Verum vbi moleſtum non erit, vbi tu voles,
Vbi tempus tibi erit, ſat habet ſi tum recipitur.
THR. Apparet ſeruum hunc eſſe domini pauperis
Miſerique. GN. nam hercle nemo poſſet, ſat ſcio,

Qui haberet quî pararet alium, hunc perpeti.
P. Tace tu, quem ego eſſe infra infimos omnis puto
Homines: nam qui huic animum aſſentari induxeris,
E FLAMMA *petere te cibum poſſe arbitror.*
THR. Iámne imus? THA. hos prius introducam, & quae volo
Simul imperabo: poſt continuò exeo.
THR. Ego hinc abeo, tu iſtanc opperire. P. haut conuenit
Vnà ire cum amica imperatorem in via.
THR. Quid tibi ego multa dicam? domini ſimilis es.
G. Ha, ha, he. THR. quid rides? GN. iſtuc quod dixti modo:
Et illud de Rhodio dictum cum in mentem venit.
Set Thais exit. THR. abi prae, curre, vt ſint domi
Parata. GN. fiat. THA. diligenter Pythias
Fac cures, ſi Chremes huc fortè aduenerit,
Vt ores, primùm vt maneat: ſi id non commodumſt,
Vt redeat: ſi id non poterit, ad me adducito.
PY. Ita faciam. THA. quid? quid aliud volui dicere?
Ehem, curate iſtam diligenter virginem.
Domi adſitis, facite. THR. eamus. THA. vos me ſequimini.

AVDIRE VOCEM VISA SVM MODO MILITIS. Hic inducitur multiplex concurſus diſſimilium perſonarum, & tamen virtute & conſilio poetæ diſcretarum, vt confuſio nulla ſit facta ſermonis: ſimul etiam pro ſe cuique accommodata mire repreſentatur oratio. AVDIRE VOCEM VISA SVM MODO MILITIS. Omnes ſenſus *viſa* dicuntur, ab eo quod eſt certiſſimum oculorum. Ergo *viſa ſum*, ſenſi. vt Virgilius: ——— *viſæque canes vlulare per vmbram, Aduentante dea.*

SALVE MI THRASO. Quia ſecum, militis: quia apud illum, Thraſo. Eſt quædam actio cuius nomen honeſtum eſt: ſicut orator, philoſophus. eſt quædam, cuius nomen offenſum eſt, vt miles, lanarius.

MEVM SVAVIVM. Tria ſunt oſculandi genera, *Oſculum* ſcilicet, *baſium* & *ſuauium*. *Oſcula* officiorum ſunt: *Baſia*, pudicorum affectuum: *Suauia*, libidinum vel amorum. MEVM SVAVIVM. Cùm oſcularetur, dixit.

QVID AGITVR. Et hoc blandimenti genus eſt poſt oſculum. ſed duri eſt & agreſtis: infert enim, *Ecquid* nos amas? Et *Ecquid*, aliquantulúmne ſignificat: & ideo illa *plurimum* recitat. Cicero in Catilinam, *Quid eſt Catilina? ecquid attendis? ecquid animaduertis horum ſilentium.*

DE FIDICINA ISTAC? *De*, propter: vt ſit, propter fidicinam. Et vide non puellam, ſed *fidicinam*, quaſi ab amatore dictam, & eo amatore, qui quaſi memor ſit artis qua delectatur: & quia puella ſit æmula meretricis: nam meretricum eſt fidicinam eſſe.

QVAM VENVSTE! QVOD DEDIT PRINCIPIVM ADVENIENS! Bene reprehendit Parmeno. nam in beneficiis debet obliuiſci qui dedit, & meminiſſe qui accepit. Et eſt grauis εἰρωνεία *Quàm venuſte.*

PLVRIMVM MERITO TVO. Facetè meretrix amorem ſuum non ad auaritiam retulit, ſed ad officium. Et cum de fidicina, inquit, te amem præcipue merito tuo. Alii ſic reſpondere intelligunt, vt ipſa de fidicina gratias agat. nam cum ille dixerit, *Ecquid*

nos amas? Illa reſpondit, *Plurimum.* Quod autem de fidicina hac dixit ille, ſubiecit hæc, *Merito tuo.* id eſt quoniam mereris, dando eam. Sed melius eſt, vt præter munus *Meritum* dixerit: quamquam multi *munus meritum* intelligant. vt eſt illud Virgilij, *Quique ſui memores alios fecere merendo.* id eſt, gratos ſibi reddidere munerando.

EAMVS ERGO AD CENAM. Decuit paraſitum de cœna etiam importune admonere, cum quadam ἐμφάσει velut magnæ rei.

HEM ALTERVM. Bene *alterum*, quia duo ſunt. HEM ALTERVM. Si hic reprehendatur miles, *alterum dictum*: ſi paraſitus, *alterum hominem.* vult enim Parmeno & paraſito eſſe verſutior, & debet eſſe, cum peioris conditionis ſit. HEM ALTERVM. *Alterum*, non reſpectiuè, ſed abſolutè. ac ſi dixiſſet, aliud dictum. vel alterum ſtultum.

EX HOMINE HVNC NATVM DICAS. Rectè reprehendit Parmeno duos, quorum vnus beneficium Thaidi exprobrat, alter pro beneficio cœnam oſtendit, tanquam ad eam currendum ſit nam hoc ſignificat, *Quid ſtas?* quaſi ſit cauſa properandi.

VBI VIS NON MOROR. Ad *Eamus ad cœnam, vbi vis* retulit: *Quid ſtas, Non moror.*

QVASI NVNC EXEAM. Mire, *Nunc exeam*, quippe qui iamdudum procul ſteterit.

ITVRANE THAIS QVOPIAM ES. Vt experiatur Thaidis animum, fingit neſcire quò eat. HEM PARMENO. Vide deprehenſam meretricem velle blandimentis ſatisfacere Parmenoni.

BENE FECISTI. Quid bene fecit Parmeno? An quaſi perturbata hæc loquitur, etiam de nihilo blandiens, vtpote meretrix & faceta? An quòd illuſerit conuitio?

HODIE. Dulciter additum *hodie*, quaſi cum exceptione: quo ſe ſignificat non perpetuo obſecuturam militi: & vt quæ promiſerit biduum tantum abfuturum Phædriam.

QVID, HVNC NON VIDES. Si dixerit militem, lædit præſentem: ſi amicum, lædit Parmenonem. Mire igitur pronomen inuenit.

VIDEO, ET ME TAEDET. Opportune Parmeno fatetur odium militis, vt retundat ab eo amorem Thaidis.

VBI VIS DONA ADSVNT TIBI A PHAEDRIA. Nil potuit exitioſius militi contingere, quàm vt continuò riualis mitteret munus, & poſterior, & coram ipſo. DONA ADSVNT TIBI A PHAEDRIA. Cum illa ſub pronomine celauerit nomen militis, ex arte Parmeno pronuntiauit *A Phedria.*

QVID STAMVS. *Quid ſtamus*, ad moram refertur. QVID STAMVS. His verbis miles iniuſtius dolere ſe indicat. CVR NON IMVS HINC. Vbi ſeruus riualis eſt Parmeno.

PACE QVOD FIAT TVA. *Pace*, aut gratia, aut voluntate: & deeſt *cum.* & ſic locutus eſt, quaſi bellum his verbis omnibus indixerit. PACE QVOD FIAT TVA, DARE HVIC QVAE VOLVMVS, CONVENIRE ET CONLOQVI. Propriè: quia *pax, datio, deditio, conuentio, colloquium*, militiæ verba ſunt: & inuidioſe ſic ait, quaſi per eum non accipere liceat dona Thaidem. Et ſic pronuntiandum, vt ſubaudiatur *vel*: vt ſit, vel dare, vel conuenire, & colloqui: vt inter hoſtes ſolet. Salluſtius: *Quæ pacta in conuentione non præſtitiſſent.* Et alibi, *Cum ad verba voluntate, colloquio militibus permiſſo, corruptio facta paucorum, & exercitus Syllæ datus eſt.* DARE HVIC QVAE VOLVMVS. Hæc ſingula cum inuidia pronuntianda ſunt. CONVENIRE ET CONLOQVI. Sic Pronuntiandum eſt, vt quaſi dicat liceat per te miles, quod etiam inter hoſtes, & in bello licet.

PERPVLCHRA CREDO DONA. εἰρωνεία de fiducia pulchræ virginis.

NOSTRIS SIMILIA. Et *his ſimilia*, & *horum ſimilia*, dicimus.

RES INDICABIT. Scit eunuchi nomen poſſe contemni: & ideo videri vult potius, quàm ſperari munera ſua, id eſt Chæream.

IVBETE ISTOS FORAS EXIRE, QVOS IVSSI OCIVS Cum fiducia & alto vultu pronuntiat & feſtinat ne occupet miles prius abire, quàm videat. Et eſt ordo, *ocius exire.*

PROCEDE TV HVC. Bene *procede* dixit, non accede, aut veni: vt appareat dignitas in inceſſu. Et callide ab inferiore incipit munere, hoc eſt à puella ad Chæream venturus, ſimul vt à verò mancipio incipiens, ad falſum ſine ſuſpicione tranſiret.

EX AETHIOPIA EST VSQVE HAEC. Quod Thais cupiebat. nam ſuprà, *Nonne vbi dixi cupere te ex AEthiopia ancillulam*, VSQVE additum, vt longinquitas monſtraretur.

& hoc eſt quod facit, *Munus noſtrum ornato verbis quod poterit.* Ex Aethiopia est vsqve. Hîc oſtendit quid ſit ex Æthiopia, addendo *vſque*: vt ex longinquitate dignitas muneris ponderetur, & quid erit iam criminis in colore, quando ipſe dicere gloriatur vnde ſit? Et mire ab inferiore cœpit, vt αὔξησιν doni faceret in Chærea: & turpi præcedente lenocinium compararet ſecuturo pulchro. *Vſque* modo aduerbium de loco eſt: vt, *Siculo proſpexit abſque Pachinno.*

Hic svnt tres minae. Callidæ munus ad pretium reuocauit: vt ad auaritiam conuerteret meretricem: ne officio donantis, & gratia leniretur. & ideo non dixit, tribus minis valet, ſed, *hic ſunt tres minæ*: quaſi iam vendenda ſit.

Vix. Aut difficilè ſignificat, aut non: vt ſit, nec hoc. Lucilius. *Carcer vix carcere dignus.*

Vbi tv es Dore. Tanquam quæratet eum, vt nomen indicet: quo audito magis diſſimulet Chæream.

Accede hvc. Vultu eo dicitur, quo debuit dicere & dicto æmulorum læſus, & confidentia deſtitutus, velut in eo duntaxat conſpectu Chæreæ confidens.

Hem evnvchvm tibi. Mirè: poſtquam dixit, ——— *eunuchum porrò dixti velle te, Quia ſolæ vtuntur his reginæ reppert.* Qvam liberali facie. Non narratiuè laudat, ſed per interrogationem, quæ maior fiducia eſt.

Qvam aetate integra. Id eſt, qua florent puberes. vt Virgilius, *atque integer aeui Aſcanius.* Ita me di ament. Iurauit ideò, vt non amore Phædriæ, ſed veritate cogi ad laudandum videatur coram milite.

Honestvs. Pulcher. Virgilius, *Et lætos oculis afflarat honores.* Honestvs. Hîc ſubdidit, quod in ancilla prætermiſit, quia Aethiopiſſa honeſta dici non potuit.

Nvmqvid habes. *Habes* pro inueniſti. Qvod contemnas. Plus eſt *contemnas*, quàm vituperes: & deeſt, *in hoc*: vt ſit, numquid habes quod in hoc contemnas?

Tacent: satis lavdant. Taciturnitas, confeſſionis genus eſt, præſertim contra aduerſarij interrogationem. Ideo tacere hoc, vel quaſi laudis argumentum eſt: quia ſuprà tacere vituperauit: ideo & ipſe ſic ait, *Quid tu an Gnato? numquid habes quod contemnas.* Tacent: satis lavdant. Et, *Quid tu Thraſo?* quia ſuprà contempſerat puellam.

Fac pericvlvm in litteris, fac in palaestra, in mvsicis. Si totum ſingulariter diceret, eſſet ὁμοιοτέλευτον, *Litera, palæſtra, muſica.*

Qvae liberum scire aeqvvm est. Quondam liberi pueri his artibus erudiebantur. Et eſt figura ἔλλειψις: deeſt enim, *His.*

Solertem. Id eſt diſertum. Virum hæc *ſolertem.* vt Horatius, *Docte ſermones vtriuſque linguæ.* An aſſumendum eſt *His* extrinſecus? Solertem. Deeſt, *His.* *Solers*, quaſi totus ex arte conſiſtens, vt ὅλος ἀρετῆ, quod Latinis verbis, quaſi ſolus in arte ſit. Huic *iners* contrarium. Nam *ſolers*, quaſi ὅλος ἀρετῆ dictus. ὅλον ſolum. vt ἕξ *ſex*, & ὗς *ſus* dicimus.

Ego illvm evnvchvm, si sit opvs, vel sobrivs. Hoc vt militare eſt, ita importunum præſente Thaide: extra quam, miles, ſi ſaperet, nihil amatorie contemplari debuit. Sed & hoc accedit ad eius odium: præterquam quod iam in ſuſpicione eſt amicæ ſuæ, quod fidicinam magis diligat. Et hoc mire, quod nemo prior eunuchum eſſe Chæream, quàm miles, credidit: adeò ſtultus etiam nomine ipſo appellauit. Sed ſtatim ſtulte miles, primò quidem conuitium ipſi eunucho facit: in quo poteſt iam lædere amicam. deinde atteſtatur hoc dicto pulchritudinem huius muneris. Quid igitur proficit? Satis autem ioculare eſt, ſi cogites Chæream eſſe, qui hæc de ſe audiat, & tacere cogatur.

Vel sobrivs. Honeſta ἔλλειψις, propter mulieris præſentiam. vt Virgilius, *Nouimus & qui te.* Et ipſe in Heautont. *Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam.* Hoc tamen miles coactus à Parmenone dicit. quia reprehenſus eſt tacuiſſe.

Atqve haec qvi misit. Id eſt, tanta munera. hoc enim *hæc* ſignificat.

Non sibi soli postvlat. Hoc eſt, Iſtum æmulum, quod potes, ab ipſa pellito.

Sva cavsa excludi ceteros. Nihil potuit dici inuidioſius. Non enim dixit Phædriam, ſed *ceteros*, quaſi futuri amatores fuiſſent, niſi metueretur exemplum Phæ-

driæ. NEQVE PVGNAS NARRAT. Deſcriptio militis, tantum excepto nomine.

NEQVE CICATRICES. Inſigne fœditatis. Nam apud meretricem quid aliud cicatrices valent? Nam cicatrices etſi ſemper glorioſæ ſint, non tamen etiam apud meretrices, quibus poſt precium forma placet, vt Salluſtius quoque fatetur, *Hæc ſunt virtutis inſignia: dehoneſtamento tamen eſſe corpori maxime lætabatur.*

NEQVE TIBI OBSTAT. Qui à te repellat amatores tuos.

QVOD QVIDAM FACIT. Quidam *recte*. nam & figuratum & aptum ſententiæ eſt, & contemptum indicat hoc verbum.

VBI MOLESTVM NON ERIT. Ad ſuperiora retulit quod nunc dicit: ſcilicet ad, *Non ſibi ſoli poſtulat te viuere, & ſua cauſa excludi ceteros: neque pugnas narrat.* &c. *Vbi moleſtum non erit, vbi tu voles,* ad, *Neque tibi obſtat: Vbi tempus tibi erit.* Et mirè occupat animum meretricis, cum illam huius impulſu in lucit facere quicquid dure fecit excludendo Phædriam. Hic igitur qui ſcit præcepta de beneficiis æſtimandis, intelligit oratorie in vtramque partem dicta omnia. VERVM VBI MOLESTVM. Vtrum tibi moleſtum, an aliis? ſed aliis, quia illaturus eſt.

VBI TEMPVS TIBI ERIT. Non amatori. Et vbi tu voles: non vt nunc in milite pateris VBI TEMPVS TIBI ERIT, SAT HABET, SI TVM RECIPITVR. His dictis & militem repulit ab animo meretricis, & commendauit adoleſcentem: & perfecit ne iniuria videatur apud Thaidem quod ſponte ſuſceperit Phædriam.

APPARET SERVVM HVNC ESSE DOMINI PAVPERIS. Triſtiores enim ſunt ſerui pauperum, & ob hoc ipſum nequiores. & hoc melius erat: quamuis illud aliter paraſitus exponat. DOMINI PAVPERIS MISERIQVE. Bene additum *miſeri*: quia non continuo pauper etiam miſer eſt.

NAM HERCLE NEMO POSSET. Secundum illud, *Ait, aio*: approbat paraſitus quod miles dixit. Et eſt ordo, Nam hercle ſatis ſcio, nemo poſſet hunc perpeti, qui haberet, qui pararet alium ſeruum. NAM HERCLE NEMO POSSET. Aliam cauſam ſubtiliorem aſſignat paraſitus quàm quam dixerat miles.

QVI HABERET QVI PARARET. Prius *Qui*, pronomen: ſequens aduerbium eſt.

QVEM EGO ESSE PVTO INFRA OMNIS INFIMOS HOMINES. Multum dixit, *infra infimos omnis homines*. nam hac ſententia vult illum hominem ſeruis etiam eſſe peiorem: quia & ſeruus, homo. vt in Phormione, *Seruum hominem cauſam orare leges non ſinunt.*

QVI HVIC ANIMVM ASSENTARI INDVXERIS. Propriè: nam animus inducitur aduerſum obiectas difficultates.

E FLAMMA TE PETERE CIBVM POSSE ARBITROR. Vnde ſine damno aut malo nihil poteſt auferri. E FLAMMA. Hoc intelligit, non ex foco, ſed ex medio igni, vel incendio flammæ. Nam antiquum verbum eſt, *Petere cibum è flamma.* mordèique vtrumque ſimul: vt neſcias quem peius vituperauerit huiúſne famem, an illius immanitatem vel voraginem. Et ſimul vide conuitium redditum vnde coniectum eſt: id eſt de paupertate & egeſtate.

IAMNE IMVS. Odium Parmenonis, & ſtomachum militis iſta indicat feſtinatio. & *Iam*, increpatio moræ eſt.

POST HVC CONTINVO EXEO. Legitur & *poſtea*, vt ſit *poſt* pro *poſtea* ἈΠΟΚΟΠῌ quomodo pro poſtremo *poſt*.

EGO HINC ABEO. Conſequens erat vt offenderetur miles tam diligenter riualis munus ſuſcipiente meretrice.

VNA IRE CVM AMICA, IMPERATOREM IN VIA. Vide προπαρασκευὴν futuræ litis inter Thaidem & militem. CVM AMICA. Mirificè *amicam* dixit, non meretricem. IMPERATOREM IN VIA. Congrue in militem: quaſi ipſe ſit, ſub quo eſt. & hic ſeruat Parmeno quod ſibi mandatum eſt. *Et iſtum æmulum quòd poteris, ab ea pellito.* Et bene mutat nomina, hinc ad honorem, hinc ad inuidiam. Hanc, non meretricem, ſed amicam dixit: hunc non militem, ſed imperatorem.

QVID TIBI EGO MVLTA DICAM. Non habuit aliud miles ſtultus: & redit ad illa quæ ſuprà dixit, *Domini pauperis miſerique.*

Domini ſimilis es. Ineptus iocus, in quo ſeruus iniuriæ vice domino comparatur.

Qvid rides. Et hoc eo vultu dicitur, quaſi ſibi conſcius ſit miles facete dicti cõuitij. nam non quòd neſciat cauſam riſus, eo interrogat quid riſerit: ſed ideo, vt denuo laudetur. Et illvd de Rhodio dictvm. Hoc eſt illud, *Eorum ingenia admirer ſimul.* Et huic, vt apparet, ſit amicior: ideo facilius ab amica, quàm à paraſito ſeparabitur.

Abi prae, cvrre, vt sint domi parata omnia. Non dixit *quæ*: quia intelligitur. Domi vt sint parata omnia. ἔλλειψις ἠθική, in qua plus vultu ſignificatur quàm verbis.

Fiat. Faciam, vel *fiet*, diceret ſeruus. Liber verò, *fiat*: tanquam & ipſe iubeat ſibi.

Si Chremes hvc forte ad me venerit. οἰκονομία ad litem futuram, & exitum fabulæ. Et hoc non audit miles: nam ſi audiret, nimis iraſceretur.

Ad me addvcito. Modo vbi ſum ſignificat.

Qvid, qvid alivd volvi dicere. Pro, *quid aliud?* hinc eſt illud Ciceronis, *Quem, quemnam? recte admonet, Polycletum eſſe dicebant.*

Cvrate istam diligenter virginem. Hæc res eſt quæ faciet virginem claudi, in lectulo collocari & obdormire. Cvrate istam diligenter virginem. Ridiculum, quum contrà euenturum ſit.

Vos me seqvimini. κωφὰ πρόσωπα ſunt puellæ, quæ ſequuntur.

Actvs tertii scena III.

CHREMES PYTHIAS.

PROFECTO quanto magis magiſque cogito,
Nimirum dabit haec Thais mihi magnum malum,
Ita me video ab ea aſtutè labefactarier.
Iam tum cum primum iuſsit me ad ſe adcerſier:
Roget quis, quid tibi cum illa? ne noram quidem.
Vbi veni, cauſam, vt ibi manerem, repperit.
Ait rem diuinam feciſſe, & rem ſeriam
Velle agere mecum. iam tum erat ſuſpicio
Dolo malo haec fieri omnia: ipſa accumbere
Mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quaerere
Vbi friget, huc euaſit: quàm pridem pater
Mihi & mater mortui eſſent. dico, iam diu,
Rus Sunij ecquod haberem, & quàm longè à mari.
Credo ei placere hoc: ſperat ſe à me auellere.
Poſtremo, ecqua inde parua periſſet ſoror:
Ecquis cum ea vnà: quid habuiſſet cum perit:
Et quis eam poſſet noſcere. haec cur quaeritet?
Niſi ſi illa forte, quae olim periit paruula
Soror, hanc ſe intendit eſſe, vt eſt audacia.
Verum ea ſi viuit, annos nata'ſt ſedecim:
Non maior. Thais, quàm ego ſum, maiuſcula'ſt.

Miſit po ,orare, vt venirem ſeriò.
Aut dicat quod volt, aut moleſta ne ſiet:
Non hercle veniam tertio. heus, heus. P. Ecquis hic?
CH. Ego ſum Chremes. PY. ô capitulum lepidiſſimum.
CH. Dico ego mihi inſidias fieri. PY. Thais maximo
Te orabat opere, vt cras redires. CH. rus eo.
PY. Fac amâbo. CH. non poſſum inquam. PY. at tu aput nos hic mane,
Dum redeat ipſa. CH. nihil minus. PY. cur mi Chremes?
CH. Malam rem hinc ibis? PY. ſi iſtuc ita certumſt tibi,
Amâbo, vt illuc tranſeas, vbi illaſt. CH. eo.
PY. Abi Dorias, cito hunc deduce ad militem.

PROFECTO QVANTO MAGIS MAGISQVE COGITO. Hæc perſona apud Menandrum, adoleſcentis ruſtici eſt, & inconſequens oratio eſt: ſed conceditur ſecum loquentibus multa tranſcendere, quæ taciti intelligunt, eſt enim integrum hoc modo, Profecto quanto magis magiſque cogito, nimirum intelligo vel inuenio, quòd dabit hæc Thais mihi magnum malum. Poteſt autem *nimirum* & pro confirmatione accipi vt nihil deſit: vt ſit *nimirum*, ſine dubio, pro certo.

NIMIRVM DABIT HAEC THAIS MIHI MAGNVM MALVM. Solue *nimirum*: & fac, non eſt mirum: & ſtatim conſequens erit per ἀσύνδετον tota ſententia, quaſi dixerit, non eſt mirum: & ſubdiſtinctione interpoſita mox intulerit, Dabit hæc Thais mihi magnum malum. nam *Ni*, ne ſignificat: & *Ne*, non. *Ni* pro ne: Virgilius, ——— *lati diſcrimine paruo Ni teneant.* *Ne* pro non: Plautus, *Neuolt inquit.* pro non vult. NIMIRVM DABIT HAEC THAIS MIHI MAGNVM MALVM. His verbis intelligitur ſe ſentire paulatim labi in amorem meretricis, quamuis inuitum, & adhuc retinentem mentem.

ROGET QVIS, QVID TIBI CVM ILLA. Prius intulit, quàm interrogauit.

VT VBI MANEREM. *Manerem* modo, non dormirem, ſed remanerem ſignificat.

ET REM SERIAM VELLE AGERE MECVM. Scilicet quæ non poſſet nunc agi, cum operetur. An rem ſeriam magis agendam tunc putabat, cum rem diuinam feciſſet?

DOLO MALO HAEC FIERI OMNIA. *Dolus* à lædendo dictus, id eſt à dolando, id eſt minuendo. nam & δόλος Græce, læſio dicitur: & *dolones*, tela quædam bellica: & *dolare* fabri, lignum eſt aſcia cædere. Quòd autem addidit *malo*: aut ἀρχαϊσμὸς eſt, quia ſic in duodecim tabulis à veteribus ſcriptum eſt: aut ἐπίθετον doli eſt perpetuum: aut diaſtole eſt, quia eſt & bonus, quo à medentibus falli ægros, non tamen decipi, Lucretius poeta teſtatur. ACCVMBERE MECVM. *Mecum*, penes me ſignificat.

MIHI SESE DARE. Non poteſt magis ſignificari profuſa petulentia.

SERMONEM QVAERERE. *Sermonem quærimus*, quando non ſolum quod dicamus quærimus, verumetiam quomodo alter nobis reſpondeat & obloquatur: puta cum deficientibus ſermocinandi cauſis, *quota ſit hora: & ſatis rectè quis valuerit*, percontamur.

HVC EVASIT. Tanquam impudenter contenderit ad hanc inquiſitionem.

QVAM PRIDEM PATER MIHI ET MATER MORTVI ESSENT. Hoc propter ætatem puellæ inquiſitum eſt. IAMDIV. Iam olim.

ET QVAM LONGE A MARI. Hoc ideo meretrix inquiſiuit, vt ſciret vtrum rapina prædonibus fuiſſet, quippe ad mediterraneum locum, qui acceſſus eſſe potuit piratis? Sed tamen non abhorret à ſuſpicione huius meretricis, quòd & ſcire vellet cuius pretij fundum habeat Chremes. hoc eſt quàm amœnum, vel quàm maritimum.

SPERAT SE A ME AVELLERE. Bono vſus eſt verbo *auellere*, tanquam à pertinaciter tetinente, QVIN HABVISSET, CVM PERIIT. *Cum*, pro quando: aut cùm periret.

Haec cvr qvaeritet. In geſtu ac vultu id quod reſtat oſtenditur. Nam deeſt, *neſcio*. Hanc se intendit esse. Propriè *intendere*, eſt crimen in aduerſarium iacere.

Maivscvla est. Diminutiuè dixit, vt oſtenderet vtramque eſſe primæuam.

Misit porro orare. *Porrò*, pro poſtea.

Vt venirem serio. Vtrum, vt venirem ſerio, an orare ſerio?

Avt dicat qvid volt. Pro *quid velit*. In Hecyra, *Ac vide quàm immerito ægritudo hæc oritur mihi abs te Soſtrata*. Avt molesta ne siet. Aut hoc moraliter (nam cui hoc imperat?) aut cum quo hoc agit.

Hevs hevs, hic qvis est. Hæc ſeparatim pronuntianda ſunt. nam apparet inter hæc verba pulſatam ianuam perſonare.

Ego svm Chremes. Vide quantum diſtet, ac varia ſit huius ruſticitas, Ego ſum Chremes: à faceta meretricis diſciplina.

O capitvlvm lepidissimvm. Nam ruſticum eſſe ſtatim magis apparebit, vbi dixerit, *Rus eo*: & ἀπαγγέλματα σὺν τονισμῷ.

Dico ego mihi insidias fieri. Blandimentum ruſticus inſidias putat.

Rvs eo. Pro potiore negotio rus poſuit. & maior negatio eſt, quàm ſi diceret, *Non huc venio*. Non possvm inqvam. Plus eſt, quam *nolo*. Dvm redeat ipsa. *Ipſa*, vel domina, vel ipſa de qua agitur. Nihil minvs. Deeſt *faciam*.

Malam rem hinc ibis? Hoc aduerbialiter dixit: quemadmodum dicimus *Domum ibis*. Et apparet illum manu tactum eſſe qui ſic iraſcitur, quia dixit Pythias, *Cur mi Chremes?* quaſi dicat, Cur meus ſic indignatus eſt adoleſcens? nam ab eo quod eſt *meus* vocatiuus *mi* facit.

Amabo, vt illvc transeas vbi illa est. Vide non eſſe otioſum, quod omnia prætenta ſunt potius, quàm res importuna fieret, vt ad militis domum Chremes deduceretur. neque enim hoc conueniebat perſonæ Bacchiali: quoniam aut infacetum & præter vſum aut importunum: ideo hoc ipſum Doriæ præcepit. Vt illvc transeas vbi illa est. Vt breuem viam demonſtraret, non eas, ſed tranſeas, dixit. Amabo. Interiectio eſt amantis: ſic verbum ſonat.

Actvs tertii scena IIII.

Antipho.

Heri aliquot adoleſcentuli coimus in Piræeo,
In hunc diem vt de ſymbolis eſſemus, Chaeream ei rei
Præfecimus. dati annuli: locus, tempus conſtitutumſt.
Præteriit tempus: quo in loco dictumſt, parati nihil eſt.
Homo ipſe nuſquamſt: neque ſcio quid dicam, aut quid coniectem.
Nunc mihi hoc negoti ceteri dedêre, vt illum quæram:
Idque adeò viſam ſi domiſt. quiſnam hinc à Thaide exit?
Is eſt, an non eſt? ipſus eſt. quid hoc hominis! qui hic ornatus eſt?
Quid illud mali eſt? nequeo ſatis mirari neque conicere.
Niſi quidquid eſt, procul hinc lubet prius quid ſit ſciſcitari.

Heri aliqvot adolescentvli coimvs in Piraeo. In hoc proloquio inſinuatio perſonæ eius eſt, cui narraturus eſt Chærea, quæ à ſe poſt ſcenam facta ſunt. Fit autem hoc populi cauſa, vt ſpectator auribus accipiat, quod ſubiicere oculis

poeta non potuit. Coimvs. *Coimus*, conſenſimus, ac pepigimus: ne ſit ſolœciſmus. In piraeo. pro In Piræum. Heri aliqvot adolescentvli. Bene iuuenta perſona eſt cui narret Chærea, ne vnus diu loquatur: vt apud Menandrum. Vt de symbolis essemvs. Plautus in Menæchmis, *Minore nunquam fui diſpendio*. Sed melius *Eſſimus*, producta è litera.

Praefecimvs. Id eſt συμποσίαρχον fecimus. Dati annvli: Nihil interim de ſcorto. apparet enim ephebos eſſe. Praeteriit tempvs: Quia tempus conſtitutum eſt. Qvo in loco. Quia locus conſtitutus eſt. Homo ipse. Quia Chæream ei rei præfecimus. Ceteri dedere. *Ceteri*, exceptis me atque illo.

Qvisnam hinc a thaide exit? Cauſa ſciſcitandi eſt admiratio de habitu commutato, & vix agnitus Chærea. Is est, an non est? ipsvs est. Vide an potuerit meretricem ignotam hoc habitu atque ornatu fallere, qui ab Antiphone vix agnoſcitur. Qvid hoc hominis! Vide an longam narrationem poſſit audire, qui nondum amico narrat, & iam affectus pendet. Qvid hoc hominis! Quòd à Thaide ephebus exit. Qvi hic ornatvs est! Quia eunuchi veſte indutus eſt.

Qvid illvd mali est! Quò timidus egreditur.

Qvid sit sciscitari. *Sciſcitari*, eſt occulta magis & ſecretiora mirari, ac velle cognoſcere. vt, *Suſpenſi Eurypilum ſcitatum oracula Phœbi Mittimus.*

Actvs tertii scena V.

Chaerea. Antipho.

NVMQVIS hic eſt? nemo eſt. numquis hinc me ſequitur? nemo homoſt.
Iámne erumpere hoc licet mihi gaudium? prò Iuppiter!
Nunc eſt profecto interfici, cum perpeti me poſſum,
Ne hoc gaudium contaminet vita aegritudine aliqua.
Sed neminem ne curioſum interuenire nunc mihi
Qui me ſequatur: quoquò eam rogitando obtundat, enecet:
Quid geſtiam, aut quid laetus ſim: quò pergam, vnde emergam, vbi ſiem
Veſtitum hunc nactus, quid mihi quaeram, ſanus ſim anne inſaniam?
A. Adibo: atque ab eo gratiam hanc, quam video velle, inibo.
Chaerea, quid eſt quod ſic geſtis? quid ſibi hic veſtitus quaerit?
Quid eſt, quod laetus ſis? quid tibi vis? ſatine ſanus? quid me aſpectas?
Quid taces? CH. ô feſtus dies hominis; amice ſalue,
Nemoſt hominum quem ego nunc magis cuperem videre, quàm te.
A. Narra iſtuc quaeſo quid ſiet. CH. imò ego te obſecro hercle vt audias.
Noſtin' hanc, quam amat frater? A. noui, nempe opinor Thaidem.
CH. Iſtam ipſam. A. ſic commemineram CH. quaedam hodie eſt ei dono data
Virgo: quid ego eius tibi nunc faciem praedicem, aut laudem Antipho:
Cum ipſum me noris, quàm elegans formarum ſpectator ſiem?

In hac commotus ſum. A. ain' tu? CH. primam dices, ſcio, ſi videris.
Quid multa verba? amare cœpi: forteſortuna domi
Erat quidam eunuchus, quem mercatus fuerat frater Thaidi:
Neque is deductus etiam dum ad eam. ſubmonuit me Parmeno
Ibi ſeruus, quod ego arripui. A. quid id eſt? CH. tacitus, citius audies?
Vt veſtem cum eo mutem, & pro illo iubeam me illoc deducier.
A. Pro eunuchón'? CH. ſic eſt. A. quid ex ea re tandem vt caperes commodi?
CH. Rogas? viderem, audirem, eſſem vnà qua cum cupiebam Antipho.
Num parua cauſa, aut parua ratio'ſt? traditus ſum mulieri.
Illa ilico vbi me accepit, laeta verò ad ſe abducit domum.
Commendat virginem. A. cui? tibíne? CH. mihi. A. ſatis tutò tamen.
CH. Edicit, ne vir quiſquam ad eam adeat: & mihi, ne abſcedam, imperat:
In interiore parte vt maneam ſolus cum ſola: adnuo,
Terram intuens modeſtè. A. miſer. CH. ego inquit ad cenam hinc eo:
Abducit ſecum ancillas: paucae, quae circum illam eſſent manent
Nouiciae puellae. continuo haec adornant vt lauet:
Adhortor properent: dum apparatur, virgo in conclaui ſedet,
Suſpectans tabulam quamdam pictam, vbi inerat pictura haec, Iouem
Quo pacto Danae miſiſſe aiunt quondam in gremium imbrem aureum.
Egomet quoque id ſpectare cœpi: & quia conſimilem luſerat
Iam olim ille ludum, inpendio magis animus gaudebat mihi,
Deum ſe ſe in hominem conuertiſſe, atque in alienas tegulas
Veniſſe clamculum per impluuium, fucum factum mulieri.
At quem deum? qui templa caeli ſumma ſonitu concutit.
Ego homuncio hoc non facerem? ego illud verò ita feci, ac lubens.
Dum haec mecum reputo, adcerſitur lauatum interea virgo:
It, lauit, redit. deinde eam in lectum illae conlocarunt.
Sto expectans, ſi quid mihi inperent. venit vna, heus tu, inquit Dore,
Cape hoc flabellum, ventulum huic ſic facito, dum lauamus:
Vbi nos lauerimus, ſi voles, lauato. accipio triſtis.
A. Tum equidem iſtuc os tuum inpudens videre nimium vellem:
Qui eſſet ſtatus, flabellum tenere te aſinum tantum.
CH. Vix elocuta'ſt hoc, foras ſimul omnes proruunt ſe.
Abeunt lauatum: perſtrepunt, ita vt fit, domini vbi abſunt.
Interea ſomnus virginem opprimit: ego limis ſpecto.
Sic per flabellum clamculum: ſimul alia circumſpecto

Saluí' explorata ſint. video eſſe : peſſulum oſtio obdo.
A. Quid tum? CH. quid? quid tum? fatue. A. fateor. CH. an ego occaſionem
Mihi oſtentatam tantam, tam breuem, tam optatam, tam inſperatam
Amitterem? tum pol ego is eſſem verè, qui ſimulabar.
A. Sanè hercle vt dicis. Set interim de ſymbolis quid actumſt?
CH. Paratumſt. A. frugi es; vbi? domin'? CH. immò aput libertum Diſcum.
A. Perlongeſt: ſet tanto ocius properemus. muta veſtem.
CH. Vbi mutem? perij, nam domo exulo nunc: metuo fratrem,
Ne intus ſit: porrò autem, pater ne rure redierit iam.
A. Eamus ad me: ibi proximumſt vbi mutes. CH. recte dicis.
Eamus: & de iſtac ſimul quo pacto porrò poſſim
Potiri, conſilium volo capere vnà tecum. A. fiat.

NVMQVIS HIC EST? NEMO EST. In hac ſcena, verba geſtum, vultúmque indicant exeuntis: cui obuia perſona obiicitur, ſub cuius occaſione ſpectatoribus geſta narrabuntur. NVMQVIS HIC EST? NEMO EST: NVMQVIS HINC ME SEQVITVR. Duo metuit, nequis obuius comprehenſor occurrat: & ne quis ſui perſecutor exiſtat.

NEMO HOMO EST. Quamuis per *nemo*, homo intelligatur: tamen addidit *homo*, vt veteres ſolent, τῷ ἀρχαϊσμῷ.

IAMNE ERVMPERE HOC LICET MIHI GAVDIVM. *Erumpere*, quaſi actiuum verbum poſuit pro neutrali: vt ſit, *Licétne mihi erumpere hoc gaudium?* Aut *erumpere*, quaſi exire. *Mihi*, pro à me. ERVMPERE Vtrúmne *erumpere*, pro emittere poſuit? An *erumpere* pro exclamare? vt *erumpere vocem* dicitur, qui exclamat. nam, *Prò Iuppiter*, dicturus eſt.

NVNC EST PROFECTO. Ordo & ſenſus hic eſt, Nunc eſt profecto tempus, cum perpeti me poſſum interfici. Hoc autem cur ipſe dixerit, ſtatim ſubiicit cauſam.

CVM PERPETI ME POSSVM. Animaduertendum eſt quod, ſi *cum* coniunctè legeris, quando ſignificat: ſi ſeparatim, *dum* ſignificat. NVNC EST PROFECTO. Figuratè, ac coniunctè lege ſine diſiunctione.

CONTAMINET VITA AEGRITVDINE ALIQVA. Mirè vitæ crimen oſtendit: velut ipſa ſit campus, poſſeſsióque fortunæ inſtabilis variorum.

SED NEMINEM CVRIOSVM, &c. Apparatus ad intentionem futuræ narrationis dicitur.

QVI ME SEQVATVR. Id cupit gaudens, quod triſtibus moleſtum eſt. nam contrà Menedemus grauatur narrare quæ dolet.

OBTVNDAT. Odioſè inſtet ac repetat, moleſtus & odioſus ſit.

ENECET. εὐφωνότερον quàm *enicet*.

QVID GESTIAM. Deeſt *quærens*: vt ſit, rogitando obtundat, & enecet, quærens quid geſtiam. *Geſtire*, eſt motu corporis monſtrare quid ſentias. Conſtat autem à pecudibus ad homines eſſe tranſlatum. QVID GESTIAM. *Geſtire* propriè. eſt ſenſum corporis geſtu indicare: quod magis brutorum eſt animalium. Virgilius, *Et ſtudio in caſſum videas geſtire lauandi.*

AVT QVID LAETVS SIM. Propter quid.

VNDE EMERGAM. Propriè dixit *Emergam*, vt ex luſtris atque inhoneſtis locis, vtpote meretricis domo. Cicero, *At ne tu quidem emerſiſti lutulente Caſoni ex miſerrimis naturæ tuæ ſordibus:*

VESTITVM HVNC NACTVS. Bene *Nactus* dixit: vt qui non ſumeret, niſi ſuaſiſſet hæc occaſio.

ADIBO: ATQVE AB EO GRATIAM, &c. Senſus & ordo hic eſt, Adibo, atque ab eo gratiam hanc inibo. *Gratiam inire*, eſt dare beneficium, ac per hoc alicuius inire gratiam, id eſt, amicitiam. ſed hæc eſt elocutio, *Gratiam ab eo inibo*, pro eius gratiam merebor. Nam *ab eo* amat Terentius pro *eius* ponere. vt in Andria, *Hæc primùm animaduertenda ab eo iniuria eſt*. id eſt, eius iniuria. *Inire* autem *gratiam*, eſt mereri gratiam. Plautus, *Iniet tamen ſolidam & grandem gratiam.*

QVID EST QVOD SIC GESTIS? Facete repetit verba eius interrogationis. vt ſciat ſe iampridem eſſe præſentem.

QVIDVE SIBI HIC VESTITVS QVAERIT? Facete & figurate dictum eſt. ſic & alibi, *Vt pernoſcatis quid ſibi Eunuchus velit.*

QVID EST QVOD LAETVS SIS? Vide aliud eſſe *geſtire*, aliud *lætum eſſe*.

QVID TIBI VIS? πρὸς τὸ, Quid mihi velim.

SATINE SANVS? πρὸς τὸ, Sanus ſim, an inſaniam?

QVID ME ASPECTAS? QVID TACES? His duabus interrogatiunculis deſcripſit vultum dicturi.

O FESTVS DIES HOMINIS? AMICE SALVE: Decet à ſalutatione incipere luculente dicturum. Illud autem veriſimile eſt, & perculſum re noua, & audiendi cupidum immemorem extitiſſe ſalutandi. O FESTVS DIES. Vtrum quia cauſa eſt feſti ac læti diei? an quia ipſe tantus ſit, quantus feſtus dies? O FESTVS DIES HOMINIS, Pro, *homo feſti diei*. Sic dicitur etiam *ſcelus homo*. Ennius, *O pietas animi*.

QVEM EGO MAGIS NVNC. Bene additum *Magis*. vt his amicis ſe antepoſitum intelligat: quos cùm optet videre Chærea, tamen eum magis; adeò vt aliis amicis antepoſitum neminem cupit.

IMO EGO TE OBSECRO HERCLE VT AVDIAS. Bonum compendium, ne multa diceret ad commendandum, vt ſolet, narrationem futuram. IMO TE OBSECRO HERCLE VT AVDIAS. Bene contulit verba: vt ex his appareat quid agere velit. Ille dixit *Quæſo*, hic *Obſecro*.

NOSTIN' HANC, QVAM AMAT FRATER? Quæritur an veriſimile ſit Antiphoni notam eſſe Thaidem, quam frater ipſe neſcierit. Sed intelligere debemus modo notitiam non vultus, ſed famæ poſitum eſſe: quam famam potuit ex Phædria & Antipho ſcire. At verò aliam notitiam negauerat Chærea ſibi fuiſſe cum Thaide, hoc eſt viſus, vultus oris, & corporis.

NOVI, NEMPE OPINOR THAIDEM. Veriſimile eſt hæc ſcire Antiphonem, qui adeò ſit familiaris Chæreæ. Et eſt ordo hic, Noui, nempe opinor Thaidem. OPINOR THAIDEM. Optime & ab illo tacitum, & ab hoc nomen ablatum eſt: vt appareat quàm nouerit, & quàm poſſit aſſequi quæ dicentur.

FACIEM PRAEDICEM, AVT LAVDEM. *Prædicamus*, vt res ſunt: *Laudamus* extollendo. Vel *prædicamus* voce: *Laudamus* argumentis.

QVID EGO EIVS TIBI. Ordo hic eſſe debet, Quid ego eius tibi nunc faciem prædicem, aut laudem Antipho? in hac commotus ſum, cum meipſum noris quàm elegans formarum ſpectator ſiem. vt ſit ſenſus. In hac commotus ſum: ille ſcilicet qui, vt ſcis, formas ſolet eligere, ac faſtidire pro merito.

QVAM ELEGANS FORMARVM SPECTATOR SIEM? Elegans ſpectator eſt qui ſit cunctantis & faſtidioſi iudicii: cui non quid placeat facile. SPECTATOR, Probator: vt *pecuniæ ſpectatores* dicuntur.

IN HAC COMMOTVS SVM. Non eſt conſequens: eſſet autem, ſi diceretur, In hac commotum me ſcias. Erit ergo ordo, & ſenſus qui ſuprà.

PRIMAM DICES SCIO. O fiduciam elegantiæ, & de alienis oculis iudicare.

QVID MVLTA VERBA? AMARE COEPI. Ordine egit. nam prius eſt commoueri: inde amare. Et bene non antè dicit quid aggreſſus fuerit, niſi amoris mentione prælata: quo cogente nihil eſt infectum cupientibus.

SVBMONVIT. Leuiter monuit. & recte. quia *arripui* dicturus eſt. Et totum optime: nam vt non erat boni adoleſcentis hanc technam reperire: ſic ab illo repertam, fuit planè veri amatoris arripere.

TACITVS, CITIVS AVDIES: In oratione ſolemus corripere extra ordinem percontantes. Et bene celeritatem promiſit qua facile tenetur auditor. Et mire, tanquam ſola interrogatio moræ ſit.

ET PRO ILLO IVBEAM ME ILLVC DVCIER. *Iubeam* amico dixit, tanquam inter honeſta ſit quod vile ſit. & turpe factum pleruumque perſeuerante impudentia releuatur.

QVIONAM EX EA RETANOEM. Tranſit à reprehenſione facti, ad cauſam ipſius facti.

NVM PARVA CAVSSA, AVT PARVA RATIO EST? Sic illata interrogatio eſt, quaſi ad hanc annuere, & vultu conſentire Antipho ſit coactus.

LAETA VERO AD SE ABDVCIT DOMVM. COMMENDAT VIRGINEM. Omnia mire, quòd læta, quòd abducit, quòd domum, quòd commendat virginem. Specta ſingula, & mirare virtutem poëtæ. hic enim commendandus eſt locus erroris initium continens apud Thaidem conuicium. TIBINE? Non interrogat, ſed miratur.

SATIS TVTO TAMEN. Quid hic facit *tamen*? Vtrum hoc, etſi meretrix, tamen ſatis tuto agit? An etſi Chæreæ, ſatis tuto tamen: quia nullus accedet alius?

EDICIT. *Edicimus*, iubemus: vel iure edicimus. *Edicta* enim, Imperatoris ſunt.

ET MIHI NE ABSCEDAM, IMPERAT. Certe nullus vir accedit.

MANEAM SOLVS. Remaneam, perſeueremque in loco. ac per hoc ſim miſer, vtpote dono datus, & ſeruiens meretrici. & eſt εἰρωνεία.

EGO, inquit, AD COENAM HINC EO. μίμησις, ad inprudentiam mulieris exprimendam, quæ hoc die erit ſecura de cuſtode Eunucho:

ABDVCIT SECVM ANCILLAS. Memoriter: nam dixerat abiens, *Vos me ſequimini.*

PAVCAE, QVAE CIRCA ILLAM ESSENT, Relictæ nonnullæ, vt lauari poſſit ea virgo quæ ſub vitu huius occaſione nuptura eſt. hoc enim totum ſic inducit Poëta, vt non abhorreat à legitimis nuptiis, in ea præſertim quæ vxor futura eſt.

MANENT. Pro remanent, ἀφαίρεσις. NOVITIAE PVELLAE. κύησις nouitiæ, & puellæ.

CONTINVO HAEC ADORNANT VT LAVET. *Hæc* pluraliter, pro *hæ*. vt in Phormione, *Hæc illæ erant itiones.* *Adornant* autem, ex medio ſignificatu, pro apparant.

DVM APPARATVR, VIRGO IN CONCLAVI SEDET. Imperſonaliter dixit. *& dum apparatur* pro *dum apparetur*: *& ſedet*, pro ſedebat. VIRGO IN CONCLAVI SEDET. *Conclaue*, eſt ſeparatior locus in interioribus tectis: vel quòd intra eum loca multa & cubicula clauſa ſint adhærentia triclinio.

SVSPECTANS TABVLAM QVANDAM PICTAM. Bene. accedit repente pictura ad hortamenta aggrediendæ virginis: ideò quia non ad hoc venerat Chærea, vt continuo vitiaret puellam, ſed vt videret, audiret, eſſetque vnà: cum nihil amplius cogitaret, auſus incitatúſque dum picturam cerneret.

IOVEM QVO PACTO. Mira inuentio, qua hæc pictura domui tribuitur meretricis aduerſus omnium pudicitiam amorum, contra parſimoniam, contra dignitatem, contra pudicitiam.

MISISSE AIVNT. Bene *Aiunt*: & quia fabula eſt, & quia tam turpis Iovi, quàm apta meretrici.

QVO PACTO DANAE MISISSE AIVNT QVONDAM IN GREMIVM IMBREM AVREVM. Quæ aptior pictura domui meretricis ad amatorum illecebras, quàm hæc, quæ exemplum continet amoris, & amoris puellæ, & amoris ad Iouem pertinentis: & amoris non gratuiti, nec paruo propoſiti, ſed aurum in gremium fluente venalis. Tùm quòd in gremium Danae etiam ipſe Iuppiter, vt ſplendidus imber illabitur: nónne videtur meretrix dicere aduleſcentulis illàm corporis partem authore Ioue velut inauratã fuiſſe?

IMBREM AVREVM. Non rorem vel pluuiam, ſed *imbrem* addiderat. ô auaritiã meretricis!

EGOMET QVOQVE ID SPECTARE COEPI. Moris eſt ad id oculos vertere quod videmus: & eum quem aſpicimus, intueri.

IAM

Iam olim ille lvdvm. Bene, non ſcelus, ſed *ludum* dixit.

Inpendio. Id eſt, magis magiſque luſerat. & *Luſerat ludum.* vt, *Hunc oro ſine me furere ante furorem.* figura ἀρχαϊσμός.

Devm sese in hominem convertisse. Philoſophice nunc Terentius demonſtrauit quam cladem moribus hominum, & ciuitatibus afferant figmenta poetarum, cum exempla ſcelerum afferant peccatoris. Devm sese in hominem convertisse. Vtrum quia Iuppiter humana forma aurum infundens pictus erat in tabulis, non pro Ioue aurum? An *in hominem*, id eſt hominis audaciam atque flagitia?

Atqve per alienas tegvlas. Hic apparet Iouem ſeparatim, ſeparatim aurum fuiſſe pictum. In alienas tegvlas. Satis comico charactere locutus eſt, & preſſo ſtilo.

Venisse clancvlvm per implvvivm. Hæc omnia non vt difficilia factu, ſed vt humilia, & Ioue indigna proferuntur, vt merito ſequatur, *Ego homuncio hoc non facerem*, quod non ſolum non Ioui, ſed ne homini quidem, niſi furi, aptum erat?

Fvcvm factvm mvlieri. Id eſt, vt fucum faceret, hoc eſt inſidias & fraudem, *Fucum*, aſtutam fraudem, & *mulieri*, pro, fœminæ.

Qvi templa coeli svmma sonitv concvtit. Ab authoritate perſonæ, vt fit in exemplis. Sonitv concvtit. παρῳδία de Ennio. Templa coeli. Sententia tragica: ſed de induſtria, non errore.

Ego homvncio hoc non facerem? Oratorie. vt Iouem extulit, ita detraxit ſibi: vt pura, Ille eſt deus, & magnus: ego non homo, ſed homuncio.

Dvm haec mecvm repvto, accersitvr lavatvm. Seruauit ordinem nuptiarum: & proprio verbo, quaſi de nuptura dixit. Accersitvr. Vt alibi, *Quàm mox virginem accerſant?* Nam ipſe illam eſt habiturus vxorem. Dvm haec mecvm repvto. Hic oſtendit non ſibi primùm hæc nunc in mentem veniſſe, ſed tunc etiam cogitata, cũ eſſet in domo meretricis.

It. lavit. redit. συντομία qua ſolet, vtitur.

Deinde illam in lecto illae collocant. Vide an aliquid deeſt legitimis nuptiis: nam & ipſum verbum *collocant* proprium eſt, & adſcribitur pronubis.

Sto expectans, siqvid mihi imperent. ἐνέργεια. Non enim dixit *ſtabam*. Expectans, deſiderans. Et mire omne tempus executus eſt ſalua veritate, in qua Virgilius negligens inuenitur: cum poſt occiſum Mezentium, non facta noctis mentione, ſtatim intulit, *Oceanum interea ſurgens aurora reliquit.*

Cape hoc flabellvm. Præclare non ſenſum, ſed verba ipſa per μίμησιν induxit, per quam puellaris error exprimitur. Cape hoc flabellvm, et ventvlvm hvic sic facito. Quàm particulatim, cum qua diligentia, & δεικτικῶς iubet, quaſi nouitio & imperito? Ventvlvm hvic sic facito, dvm lavamvr. Demonſtratiuum, & geſtu explicandum.

Vbi nos laverimvs. Vide vſum verbi tam cito variatum, Dum lauamur: &, Vbi lauerimus.

Accipio tristis. Id eſt, triſti ſimilis: vt, *Namque vt conſpectu in medio turbatus inermis Conſtitit.* Accipio tristis. Bene, *Triſtis*, tanquam aliud magis vellet, hoc eſt lauare, aut ludere: metuit enim ne quod cupit, prodatur gaudio.

Si voles, lavato. Quaſi ſatisfacientis eſt, cum ſolum illum relinquant cum virgine.

Os tvvm impvdens. Licet iocanti & amico conuicium iocunde facere.

Qvis esset statvs. *Statura* corpori aſcribitur: *Status* ad habitum refertur. Ergo *ſtatus* eſt σχῆμα: *Statura*, longitudo corporis.

Te asinvm tantvm. Quia hoc miniſterium, delicatorum ſeruorum eſt.

Omnes prorvvnt se. Verbo neutrali quaſi actiuo vſus eſt.

Vbi absvnt. *Vbi*, & temporis & loci poteſt eſſe.

Interea somnvs virginem opprimit. Vtpote compreſſam ſomno, & oblectatam flabello, atque ab Eunucho nihil metuentem.

EGO LIMIS SPECTO. *Limus*, ſi nominatiuus ſingularis eſt, tranſuerſus ſignificat: ſi ſeptimus pluralis, deeſt *oculis*. Nam *limis*, eſt tranſuerſus: vnde *limen* dicitur quoque, quòd ingredientibus exeuntibúſque tranſuerſum eſt. Quum igitur diſſimulant homines ſe videre quod vident, & non recta facie, ſed tranſuerſa intuentur, *limis* dicuntur *aſpicere*.

SIC PER FLABELLVM CLANCVLVM. *Sic* δεικτικὸν eſt, & neceſſario additum. nam & *limis* & per *flabellum* ſine demonſtratione parum intelligitur. LIMIS SPECTO. Cum *limi* dicantur obliqui generaliter: hoc tamen proprie de oculis dicitur.

PESSVLVM OSTIO OBDO. Scilicet vt amoueret, arcerétque auxilium virginis.

QVID TVM FATVE? Quid enim præter vitium ſupereſt, vbi amator eſt adoleſcens, & virgo dormiens & incluſa? Grate explicata narratio eſt, quam audientis curioſitas finit, & cuius in extrema parte maior attentio eſt.

FATEOR. Me fatuum qui hoc quæſierim, ſubauditur.

AN EGO OCCASIONEM MIHI OSTENTATAM TANTAM TAM BREVEM, TAM OPTATAM, TAM INSPERATAM AMITTEREM. Vide quanta dixerit: non voluntatem, ſed occaſionem: non animaduerſam, ſed oſtentatam: non hanc, ſed tantam: non anguſtam, ſed breuem: non appetitam, ſed optatam: non repentinam, ſed inſperatam. Et bene *inſperatam*: aliud enim ſibi promiſerat, vt ſuprà diximus, non quod pictura occaſióque perſuaſit. TVM POL EGO IS ESSEM. Eunuchus ſcilicet.

SANE HERCLE VT DICIS. Deeſt, *ita eſt*.

SED INTERIM DE SYMBOLIS QVID ACTVM EST. Bene memor eſt perſonæ quam induxit Poëta, per hanc interrogationem. SED INTERIM DE SYMBOLIS. παροιμιῶδες, ἀλλὰ περὶ τῶν χοιριδίων.

FRVGI ES. Vtilis & neceſſarius: vt fruges humano generi. *Frugi* eſt ergo, in quo eſt aliquid quo fruamur, id eſt vtamur.

DISCVM. Nomen eſt proprium *Diſcum*.

SED TANTO OCYVS PROPEREMVS. *Properemus* dixit, pro ambulemus.

MVTA VESTEM. Hæc οἰκονομία eſt ad id, quòd in domum Thaidis rediturus eſt Chærea. VBI MVTEM? Vultu oſtendit quod ſubaudiatur *neſcio*.

NAM DOMO EXVLO. Deeſt *Propè*, aut *Veluti*: vt ſit, Propè iam exulo. *Exulo* duobus modis dicitur. & de loco in quo exul eſt, & de loco ex quo eiectus eſt.

NVNC METVO FRATREM. Cauſas oſtendit, cur domo penitus veluti exulet.

PATER NE RVRE REDIERIT. Præparatur iam interuentus ſenis: & eſt ζεῦγμα ad ſuperiora. nam & hîc *metuo* eſt ſubaudiendum.

IBI PROXVMVM EST. Hoc eſt, domus mea. RECTE DICIS. EAMVS. Ipſa verba quodammodo feſtinationem ſonant. QVO PACTO PORRO. *Porrò*, poſtea, deinceps.

ACTVS QVARTI SCENA I.

DORIAS.

ITa me Di bene ament, quantum ego illum vidi, nonnihil timeo miſera,

Ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi.

Nam poſtquam iſte aduenit Chremes adoleſcens, frater virginis,

Militem rogat, vt illum admitti iubeat: ille continuò iraſci:

Neque negare audere: Thais porrò inſtare vt hominem inuitet.
Id faciebat retinendi illius cauſa: quia illa, quae cupiebat
De ſorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat;
Inuitat triſtis: manſit. ibi illa cum illo ſermonem occipit:
Miles verò ſibi putare adductum ante oculos aemulum,
Voluit facere contrà huic aegrè. heus, inquit, puer Pamphilam
Adcerſe, vt delectet hìc nos. illa exclamat, minime gentium:
In conuiuium illam? miles tendere inde ad iurgium.
Interea aurum ſibi clàm mulier demit: dat mihi vt auferam:
Hoc eſt ſigni, vbi primùm poterit, ſe illinc ſubducet ſcio.

ITA ME DI BENE AMENT. Ea perſona quæſita eſt, quæ terribilem credat militem: & eo magis in exponendo vanus ac ridiculus eſſe poſſit. ITA ME DI BENE AMENT. Hoc loco quid poſt ſcenam geſtum ſit, hoc eſt in conuiuio militis, ancilla demonſtrat: vt iam quæ in proſcenio agantur, ex his poſſimus agnoſcere.

NE QVAM ILLE HODIE INSANVS. *Illum*, & *Ille inſanus*, ſic effertur, vt omnibus inſuauis miles eſſe noſcatur.

NAM POSTQVAM ISTE ADVENIT. Inſtanter admonet, qui ſcilicet ſit Chremes.

MILITEM ROGAT. Et hoc quaſi de odioſo *Militem* dixit, non *Thraſonem*.

CONTINVO IRASCI. Vt riuali. NEQVE NEGARE AVDERE. Vt amicæ poſcenti.

INSTARE VT HOMINEM INVITET. Vide impudentiam meretricis. primùm petit vt iubeat eum admitti: poſt ea vt inuitet, quod eſt maius.

ID FACIEBAT RETINENDI ILLIVS CAVSSA. Admonet ſpectatorem, ne exiſtimet alteri riuali iniuriam fieri Phædriæ. Et ſimul eſt hìc προπαρασκευὴ virginis agnoſcendæ. INVITAT TRISTIS. *Triſtis*, inuitus, non libenter. Vt contrario Virgilius, *Vobis lætus ego hunc candentem in littore taurum Conſtituam ante aras, voti reus.* Et *Accipio triſtis*, eodem modo.

MANSIT IBI. Adoleſcens ſcilicet. & *manſit*, pro remoratus eſt, id eſt accubuit, nec receſſit, *manſit* ſignificat. Simile eſt, *Manſit*, paſſus eſt. Sic *Chremes manſit*, immoratus eſt, conuiua neceſſitate diſceſſit accipiendus eſt.

SERMONEM OCCIPIT. *Sermonem*, colloquium dicit.

ADDVCTVM AEMVLVM. Plus dixit *Adductum*, quàm *Admiſſum*: & ſimul quia videbat furibundum Chremem, & totum crimen reuocat ad Thaidem. & hæc eſt cauſa cur à milite in eius domo nullam rixam patiatur Chremes.

HVIC AEGRE. Huic Thaidi, non adducto.

HEVS, inquit, PVER. Hìc oſtenditur quod ſuprà apparatum eſt.

PAMPHILAM ADCERSE. Non prouoca, ſed *adcerſe*: quia non eſt aptum militi.

VT DELECTET HIC NOS. Quaſi dicat, quod hæc non facit: ſed delectare, fidicinæ eſt: quia ſuprà de illa dixerat, *Et fidibus ſcire*. Et bene *hic*, quaſi inſuauiter nunc tractemur.

ILLA EXCLAMAT. Non reſpondit, inquit: ſed, exclamat.

MINIME GENTIVM. Hoc magis mirum, *minime gentium*, quàm *nuſquam gentium*.

IN CONVIVIVM ILLAM? ἐμφατικῶς. vt, *Cantando tu illum?* ILLAM? Deeſt, accerſas: & eſt figura ἀποσιώπησις.

MILES TENDERE. Propriè dixit *tendere*, quod ſignificat pertinacem contentionem. Virgilius. *Vaſto certamine tendunt.*

INDE AD IVRGIVM. Subauditur, *ventum eſt*.

INTEREA AVRVM SIBI CLAM MVLIER DEMIT. Ne aurum pro virgine, quod reti-

nebat, amitteret. vel *aurum* demit, vt eſſet ad fugam expeditior, vel ad rixam. Et oppoe-tooe mulierem dixit, oon *Thaidem* : vt oſtenderet malitiam ſexus.

Hoc est signi, vbi primvm poterit. Ad quam rem ſigoi? Vtrum hoc eſt ſigni, *Quamobrem metuam ne quam ille hodie inſanus turbam faciat, aut vim Thaidi?* An hoc eſt ſigni, *Vnde ſcio quòd vbi primùm poterit, ſe illinc ſubducet?* Erit igitur ſubaudieodum ſic, *vnde* & *quòd*: vt ſit, Vnde ſcio, quòd vbi primùm poterit.

Actvs qvarti Scena II.

Phaedria.

Dvm rus eo, coepi egomet mecum inter vias,
Ita vt fit vbi quid in animo eſt moleſtiae,
Aliam rem ex alia cogitare, & ea omnia in
Peiorem partem. quid opus eſt verbis? dum haec puto,
Praeterii inprudens villam: longè iam abieram,
Cum ſenſi; redeo rurſum, male verò me habens;
Vbi ad ipſum veni diuerticulum, conſtiti:
Occoepi mecum cogitare, Hem, biduum hîc
Manendumſt ſoli ſine illa? quid tum poſtea?
Nihil eſt? quid? nihil? ſi non tangendi copia eſt,
Eho ne videndi quidem erit? ſi illud non licet,
Saltem hoc licebit: certè extrema linea
Amare haut nihil eſt. villam praetereo ſciens.
Set quid hoc, quòd timida ſubito egreditur Pythias?

Dvm rvs eo, coepi egomet. Hic oune cauſa narratur, cur ſtatim in vrbem redeat Phædria, qui diſceſſerat abfuturus biduum, ad tollendum iurgium militis, & importune redit. Dvm rvs eo. Iam tempos eſt reuocandi in ſcenam Phædriam, poſtquam acta ſuot omnia, quæ illius abſeotiam deſiderabant. Coepi egomet mecvm. Ordo, Cœpi aliam rem ex alia re cogitare.

Inter vias. Figurate & oooe inter vias.

Et ea omnia in peiorem partem. Vtrom ſubaudiatur, cogitare? an ibant, aut vergebaot, aut quid tale?

Dvm haec pvto. Id eſt exiſtimo. vt Virgilius, *Multa putans, ſortémque animo miſeratus iniquam.* Et eſt ἀφαίρεσις pro reputo. *Putamus* enim inſtantia: *Reputamus* præterita.

Vbi ad ipsvm veni diverticvlvm *Diuerticulum*, eſt vbi iter de via flectitur. & proprie *diuerticula* dicuntur in via domicilia, ad quæ de itinere diuerteodom ſit.

Constiti. Plus eſt nunc ſcientem ſtetiſſe, quàm præteriiſſe neſcieotem.

Hem, bidvvm hic manendvm est. Ioteriectio laborantis aoimi. *Biduum* ſic pronuntia, vt longum, nimiúmque tempus. Tum deinde *hic* tanquam in loco ſolo atque triſti.

Soli sine illa? Aut ſine alio oblectamento? Sine illa? Satis amatorie. Sine illa? Iam cauſa eſt cum biduum grauetur loco triſti, cur ſolatium cooquirendum, Sunt autem qui idem putent *ſoli eſſe*, & *ſine illa* : vt ſine illa ἐξήγησις eius ſit, quod dixerat, *Soli.*

Nihil est: qvid nihil? Amantium diſputationes iotermiſceot qoædam cooſi-

lia ſanæ mentis, quæ tamen ſtatim reſurgentis amoris ſæuitia deuincuntur.

EHO, NE VIDENDI QVIDEM ERIT? *Eho*, ridicule additum: tanquam omnino non ſecum loquatur, ſed cum altero.

SI ILLVD NON LICET, SALTEM HOC LICEBIT. Bene bis dictum *licet licebit*: quaſi de re magna loquatur. tantum ergo amatorie.

CERTE EXTREMA LINEA. Et hoc recte: quia quinque lineæ perfectæ ſunt ad amorem. prima viſus, ſecunda loqui, tertia tactus, quarta oſculari, quinta coitus. An ſic dixit *extrema linea*, quemadmodum dicitur *longa linea* quid fieri? id eſt de longinquo.

AMARE, HAVT NIHIL EST. *Amare* modo frui amore dicit. Plautus in Bacchidibus, *Prius hic adero, quàm te amare deſinam.* Et, *Sine te amem.*

VILLAM PRAETEREO SCIENS. Sciens quidem, ſed non minus amator quàm prius.

SET QVID HOC, QVOD TIMIDA SVBITO EGREDITVR PYTHIAS? Ex his verbis perſona in ſcenam veniens, & futura deſcribitur. & *Timida*, modo ægra, turbata, commota. Plautus, *Manum ex mari timide.* Et hic ipſe, *Vxorem* inquit *Philumenam pauitare, neſcio quid dixerunt.* Timidum aliud naturale, aliud euentu eſt: vt, *Addit ſe ſociam, timidiſque ſuperuenit Aegle.*

ACTVS QVARTI SCENA III.

PYTHIAS. PHAEDRIA. DORIAS.

Vbi ego illum ſceleroſum miſera, atque impium inueniam?
aut vbi quaeram?
Hoccine tam audax facinus facere eſſe auſum? PH. perii,
hoc quid ſit vereor.
PY. Quin etiam inſuper ſcelus, poſtquam ludificatus eſt
virginem,
Veſtem omnem miſere diſcidit: tum ipſam capillo conſcidit.
PH. Hem. PY. qui nunc ſi detur mihi:
Vt ego vnguibus facile illi in oculos inuolem venefico!
PH. Neſcio quid profecto abſente nobis turbatumſt domi.
Adibo. quid iſtuc? quid feſtinas? aut quem quaeris Pythias?
PY. Ehem Phaedria, ego quem quaeram? in hinc quò dignus cum donis
tuis
Tam lepidis. PH. quid iſtuc eſt rei?
P. Rogas me? eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit!
Virginem, quam erae dono dederat miles, vitiauit. PH. quid ais?
P. Perii PH. temulenta es. P. vtinam ſic ſint, qui mihi male volunt.
DO. An obſecro mea Pythias, quid iſtuc nam monſtrum fuit?
PH Inſanis: quî iſtuc facere eunuchus potuit? P. ego illum neſcio
Qui fuerit: hoc quod fecit, res ipſa indicat.
Virgo ipſa lacrumat, neque cum rogites quid ſit, audet dicere.
Ille autem bonus vir nuſquam apparet: etiam hoc miſera ſuſpicor,

Aliquid domo abeuntem abſtuliſſe. P H. *nequeo mirari ſatis*
Quò ille abire ignauos poſsit longius; niſi ſi domum
Fortè ad nos rediit. P. *viſe amâbo, num ſit.* P H. *iam faxo ſcies.*
D. *Perii, obſecro tam infandum facinus mea tu, ne audiui quidem.*
P. *At pol ego amatores mulierum eſſe audieram eos maximos.*
Set nihil poteſſe. verum miſerae non in mentem venerat:
Nam illum aliquò concluſiſſem: neque illi commiſiſſem virginem.

VBI EGO ILLVM. In hac ſcena operæpretium delectationis eſt ſpectatoribus ex querela ancillæ Thaidis, atque errore Phædriæ. VBI EGO ILLVM. Hoc initio oſtenditur tanquam perſequentem fugientem, progreſſam eſſe perſonam.

SCELEROSVM. *Scelerosus*, eſt multorum: *Sceleſtus*, vel vnius. *Sceleroſus*, proprie author eſt ſceleris: *Sceleratus*, in quo ſcelus ſit conſtitutum vel commiſſum. SCELEROSVM ATQVE IMPIVM. *Sceleroſum* in Thaidem, *impium* in virginem.

AVDAX FACINVS FACERE. *Facinus facere.* figura ἀρχαϊσμὸς.

HOC QVID SIT VEREOR. Pro duobus vnum dixit, ſcilicet *vereor*, pro, & neſcio & vereor. QVIN ETIAM INSVPER Accuſatio facti.

SCELVS. ἄγξιοις. Plus enim eſt *ſcelus* quàm *ſceleſtus*. Vt Lucilius, *Carcer vix carcere dignus.*

POSTQVAM LVDIFICATVS EST VIRGINEM. Argumentum ab his quæ ſunt poſt negotium geſta. Et mire, *Poſtquam ludificatus eſt*, *Diſcidit* dixit: cum ille videlicet, dum virgo reluctatur, hoc fecerit. Et mire expreſſit vitium illatum virgini ab eo quidem, qui vitiare iam poſſet: ſed tamen eiuſmodi adoleſcentulo, cuius propter teneras adhuc vires ad explendam venerem longiore noxa aduerſus virginem vtendum fuit. Nam ideo præter occaſionem familiæ diſcedentis, tempus, locus, & cætera attributa negotio, etiam ſomnus virginem opprimens adiuuat Chæream. Et mire *Ludificatus* potius quàm *Complexus eſt*, aut tale aliquid quod amorem indicaret.

VESTEM OMNEM MISERE DISCIDIT. Adeò vt non amore fecerit, ſed iniuria. Et vide, vt ex his appareat multum virginem reluctatam eſſe.

TVM IPSAM CAPILLO CONSCIDIT. Multo melius, quàm ſi diceret, *Capillum illi conſcidit.*

VTI EGO VNGVIBVS FACILE ILLI IN OCVLOS INVOLEM. Nónne credis Pythiam id comminari quod à virgine minus factum ſit? quod, quia puella, non potuit. VNGVIBVS. Quibus armatur hic ſexus. IN OCVLOS. Quaſi amatori.

VENEFICO. Mutanti homines, & ex virginibus mulieres facienti. An *venefico* amatori? quia amor, venenum occultum eſt. vt Virgilius, *Occultum inſpires ignem, falláſque veneno.* Et. *Longúmque bibebat amorem.*

ABSENTE NOBIS TVRBATVM EST DOMI. Aut ſubdiſtinguendum eſt, & ſubaudiendum *me*. aut ἀρχαϊσμὸς figura eſt, *abſente nobis*. pro nobis abſentibus. Pomponius, *Sine ergo iſtuc, præſente amicis inter cœnam.* Varro in Marcellum, *Id præſente legatis omnibus, exercitu, pronuntiat.* ABSENTE NOBIS. Cum ſic dicit, pro præpoſitione ponit *Abſente*: ac ſi diceret, *Coram amicis*.

QVID FESTINAS? Properas, turbaris, & trepidas? Salluſtius, *Feſtinantibus in ſumma inopia patribus.* EGON' QVEM QVAERAM? Deeſt *rogas*.

EVNVCHVM QVEM DEDISTI NOBIS QVAS TVRBAS DEDIT. Aut ἀντίπτωσις: vt, *Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt.* Aut *quem* cum interrogatione pronuntiandum, vt ſit, *qualem*. EVNVCHVM QVEM DEDISTI. Quidam volunt *quem* diſtinguere, quaſi dicat *qualem*: ſed neſciunt hac figura multum veteres vſos eſſe. *Eunuchum* enim ad *dediſti* verbum retulit. Nunc ergo addit propter aliud ἀξίωμα aſſumendum extrinſecus, is eunuchus. Nam quo-

tles vno nomine, aut pronomine diuerſæ declinationis enuntiationes comprehenduntur, neceſſe eſt quod alteri accommodatum fuerit, ab altero diſcrepare. QVEM DEDISTI QVAS TVRBAS, Et *quem* & *quas* ſic accipe, quaſi dixerit, qualem eunuchum, & quales turbas. QVID AIS? Hoc admirantis eſt magis quàm interrogantis.

TEMVLENTA ES. Ebria, à *temeto*, quo nomine antiqui graue vinum appellabant, eò quòd tentaret mentem, id eſt labefactaret. Virg. *—tenuiſque Lagæos*

Tentatura pedes olim, vincturaque linguam.

VTINAM SIC SINT, QVI MIHI MALE VOLVNT. Bene non ebriam eſſe, in maledictum vertit: quaſi verò temulentam eſſe, felicitatis ſit. An non negat ſe eſſe ebriam, ſed non vino, verum malo ebriam vult intelligi?

MEA PYTHIAS. *Mea*, & *mea tu*, & *amabo*, & alia huiuſcemodi, mulieribus apta ſunt blandimenta.

QVID ISTVCNAM MONSTRI FVIT? Quippe *monſtrum* eſt omne contra naturam. Si igitur eunuchus eſt, & vitiauit virginem, contra rerum naturam factum eſt, & rectè monſtrum eſt. Et ordo eſt, Quid iſtucnam monſtri fuit?

QVI ISTVC FACERE EVNVCHVS POTVIT? *Iſtuc facere*, honeſtius apud puellam, quàm ſi *Vitiare* dixiſſet: & poteſt videri aliquid nutu ſignificare.

EGO ILLVM NESCIO QVI FVERIT. σύλληψις. Bene vitauit Eunuchi nomen, vt vitiaſſe virginem obtinere poſſit.

VIRGO IPSA LACRVMAT. Nunc oſtendit quid fecerit, & oſtendit argumentis.

NEQVE CVM ROGITES QVID SIT, AVDET DICERE. Quid ſi verberata eſſet? ſed non puderet queri. Hæc autem iniuria apud virginem non habet nomen.

BONVS VIR. εἰρωνικῶς. non enim iam eunuchus. BONVS VIR. Bene *vir*: quia hoc illum eſſe contendit.

NVSQVAM APPARET. Ne ſcias vtrum fuga eius queratur, an culpa. ſed conſtat hæc argumenta eſſe, quòd ipſe virginem vitiauerit.

ETIAM HOC MISERA SVSPICOR. Bene *etiam*: quia & hoc ſuſpicatur virginem vitiatam.

NEQVEO MIRARI SATIS. Bene hîc omnes ſuſpiciones ad eunuchum, quem nouit, reuocat, neſcit Chæream ſiquidem hunc eſſe. Et mira locutio, pro eo quod eſt, *neſcio*.

VISE AMABO NVM SIT. *Domi* ſubaudiendum eſt, aut, *Num ſit quod dicis*.

SED NIHIL POSSE. Vt voluntatis rei ſint, non etiam facti.

VERVM MISERAE NON IN MENTEM VENERAT. Non, nihil poſſe eos, ſed amatores eſſe maximos. ad partem enim ſententiæ pertinet quod dicit, Non in mentem venerat: non ad totum quod audiuiſſe ſe dudum. Etiam niſi penitus negatiue conſideraueris, controuerſia inerit. ſi enim nihil poſſe audieras, quid eſt quod in mentem non venerit vt vitares? verum igitur amatores mulierum eſſe maximos audieras? quod ipſum vitandum fuit. Neque enim hoc ſatis eſt ad pudicitiam, ſtuprum vitaſſe, cum impudica fieri vel ſolo oſculo poſſit, quam omnino integram & illibatam velis. An *Verum*, non erit coniunctio, ſed nomen? vt illud quaſi falſum audierit: hoc autem, quod verum inuentum eſt, non ipſa ſuſpicata ſit. Nam *in mentem venire*, non reminiſci tantùm, ſed etiam cogitare ſignificat. Sic Cicero, *In mentem tibi non venit cauſam publicam ſuſtinere*, id eſt non cogitas, nó ſuſpicaris. VERVM MISERAE. Si *verum* pro coniunctione accipimus, ſubaudiendum erit, *amatores mulierum eos eſſe maximos*. IN MENTEM NON VENERAT. Non quod audieram: ſed, quod hic fecit. An non aliud in mentem venerat? non, ſcilicet facturum fuiſſe quod fecit. NON IN MENTEM VENERAT. Aut non erat cogitatum: aut non etiam recordata.

¶ NAM ILLVM ALIQVO CONCLVSISSEM. Mire *Concluſiſſem* dixit, vt ſæuam feram. ſic alibi, *Concluſam hic habeo vxorem ſæuam*.

NEQVE ILLI COMMISISSEM VIRGINEM. Si vel amatorem tantùm meminiſſem.

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

PHAEDRIA. DORVS. PYTHIAS. DORIAS.

EXI foras ſceleſte: at etiam reſtitas
Fugitiue? prodi male conciliate. DO. obſecro. PH. oh,
Illud vide os vt ſibi diſtorſit carnufex.
Quid huc reditioſt? quid veſtis mutatio?
Quid narras? paulum ſi ceſſaſſem Pythias,
Domi non offendiſſem: ita iam ornarat fugam.
PY. Habéſne hominem amâbo? PH. quidni habeam? P. factum bene!
D. Iſtuc pol verò bene. P. vbi eſt? PH. rogitas? non vides?
P. Videam? obſecro quem? PH. hunc ſcilicet. P. quis hic eſt homo?
PH. Qui ad vos deductus hodieſt. P. hunc oculis ſuis
Noſtrarum numquam quiſquam vidit, Phaedria.
PH. Non vidit? P. an tu hunc credidiſti eſſe obſecro
Ad nos deductum? PH. nam quem? alium habui neminem. P. au.
Nec comparandus hic quidem ad illumſt: ille erat
Honeſta facie & liberali. PH. ita viſus eſt
Dudum, quia varia veſte exornatus fuit:
Nunc tibi videtur foedus, quia illam non habet.
P. Tace obſecro; quaſi verò paulum interſiet.
Ad nos deductus hodie eſt adoleſcentulus,
Quem tu videre verò velles Phaedria.
Hic eſt vietus, vetus, veternoſus, ſenex,
Colore muſtellino. PH. hem, quae haec eſt fabula?
Eò redigis me, vt, quid egerim, egomet neſciam.
Eho tu, emin' ego te? DO. emiſti. P. iube mihi denuo
Reſpondeat. PH. roga. P. veniſtin' hodie ad nos? negat.
At ille alter venit annos natus ſedecim,
Quem ſecum adduxit Parmeno. PH. age dum, hoc mihi expedi
Primùm: iſtam, quam habes, vnde habes veſtem? taces?
Monſtrum hominis, non dicturus? DO. venit Chaerea.
PH. Fratérne? DO. ita. PH. quando? DO. hodie. PH. quàm dudum? DO. modo.
PH. Qui cum? DO. cum Parmenone. PH. noráſne eum prius?

DO. Non

DO. Non. nec quis eſſet, vnquam audieram dicier.
PH. Vnde igitur fratrem meum eſſe ſciebas? DO. Parmeno
Dicebat eum eſſe: is dedit mihi hanc. PH. occidi.
DO. Meam ipſe induit: poſt vnà ambo abierunt foras.
P. Iam ſatis credis ſobriam eſſe me, & nihil mentitam tibi?
Iam ſatis certumſt virginem vitiatam eſſe? PH. age nunc belua,
Credis huic quod dicat? P. quid iſti credam? res ipſa indicat.
PH. Concede iſtuc paululum: audin'? etiam nunc paululum. ſat eſt.
Dic dum hoc rurſum, Chaerea tuam veſtem detraxit tibi?
DO. Factum. PH. & eaſt indutus? DO. factum. PH. & pro te huc deductuſt? DO. ita.
PH. Iuppiter magne, ô ſceleſtum atque audacem hominem! P. vae mihi,
Etiam nunc non credis indignis nos eſſe inriſas modis?
PH. Mirum ni tu credas quod iſte dicat. quid agam neſcio.
Heus negato rurſum: poſſúmne ego hodie ex te exculpere
Verum? vidiſtin' fratrem Chaeream? DO. non. PH. non poteſt ſine
Malo fateri, video: ſequere hac: modo ait, modo negat.
Ora me. DO. obſecro te verò Phaedria. PH. in intro nunc iam? DO. oi, ei.
PH. Alio pacto honeſte quo modo hinc abeam neſcio:
Actumſt ſiquidem. tu me hîc etiam nebulo ludificabere?
P. Parmenonis tam ſcio eſſe hanc technam, quàm me viuere.
D. Sic eſt. P. inueniam pol hodie parem vbi referam gratiam.
Set nunc, quid faciundum cenſes Dorias? DO. de iſtac rogas
Virgine? P. ita, vtrum taceámne, an praedicem? D. tu pol, ſi ſapis,
Quod ſcis neſcis, neque de eunucho, neque de vitio virginis:
Hac re, & te omni turba euolues, & illi gratum feceris.
Id modo dic, abiſſe Dorum. P. ita faciam. D. ſet video' Chremem?
Thais iam aderit. P. quid ita? D. quia cum inde abeo, iam tum inceperat
Turba inter eos. P. aufer aurum hoc: ego ſcibo ex hoc quid ſiet.

EXI FORAS SCELESTE. Iocundus error, in quo non dubitet Phædria ipſum eſſe qui quæritur: verum inſuper ſic aggreditur tanquam ſit ipſe. SCELESTE. Quale eſt ſceleſtum appellari qui nihil ſciat.

RESTITAS? Neceſſariò reſtitat, qui miratur ſe protrahi.

Fvgitive. Et ſceleſtum & fugitiuum increpat, in hunc crimen transferens Chæreæ.

Male conciliate. Oportune adoleſcens hic exprobrat munus magno emptum. *Male*, magno ſignificat, vt Plautus in Amphitryone, *Hac nox ſcita eſt exercendo ſcorto conducto male.* Ergo *Male conciliate*, magno empte ſignificat. nam omnis conuentio, *conciliatio* nominatur. *Conciliatum* ergo, magno emptum.

Os vt sibi distorsit. Et hic memor adoleſcens inſinuandi muneris, dicit illum ſibi os diſtorſiſſe, qui natura ſit pulcher. *Os* autem dicimus illi *diſtorquere*, quem natura pulchrum deturpamus.

Qvid hvc reditio est? Eleganter ei reditio obiicitur, qui tenera loco ſe non mouerit.

Qvid vestis mvtatio est? Sic veteres. Plautus in Trinummo, *Quid tibi interpellatio, aut in conſilium hac acceſſio eſt?* Cæcilius ἀρπαζομένῳ, *Quid tibi aucupatio eſt argumentum, aut de meo amore verbificatio eſt patri?* Qvid vestis mvtatio est? Nam liberi veſtem habebat, vtpote Chæreæ: ſerui verò atque eunuchi depoſuerat.

Pavlvlvm si cessassem Pythia. Familiare eſt iratis auertere ſe ad aliam perſonam ab ea, in quem commoueantur.

Ita iam ornarat fvgam. Vt ſuprà, *Adornant vt lauet.*

Habesne hominem amabo? Hæc omnia Pythias cernens eunuchum loquitur. id enim erit iocundum, vt quærat illum quem videt.

Qvid ni habeam? *Quid ni*, quid niſi: hoc eſt, cur non habeam?

Vbi est? Dorum contemplata, dicit, *Vbi eſt?* quia non ipſum, ſed alterum nouit.

Rogitas? non vides? Stomachatur vterque errans mirificè: illa, quòd eunuchum credidit, Chæream videns: hic, quòd eunucho obiicit quod commiſit Chærea.

Hvnc scilicet. Hic iam tangens eunuchum, dicit Phædria.

Hvnc ocvlis svis nostrarvm nvnqvam qvisqvam vidit. ἀρχαϊσμὸς eſt figura pro noſtrum, vel noſtrarum. id eſt quæ familiæ noſtræ ſunt: vt parum ſit non vidiſſe Thaidem, niſi addatur, ne familiarium quidem vllam eſſe, quæ hunc viderit. Qvisqvam. Antiqua locutio eſt.

Non vidit! Totidem, iiſdémque verbis reperit. Et interrogatio ſtuporem admirantis oſtendit, & iam veluti conſentientis.

Namq. alivm habvi neminem. Bene ad illud quod ait, *An tu hunc*: quaſi ex multis.

Av, ne comparandvs hic qvidem est. *Au*, interiectio eſt conturbatæ fœminæ, nec conſtantis ſibi.

Ille erat honesta facie et liberali. τῷ ἰδιωτισμῷ *erat*, quaſi de mortuo: aut qui non eſt, ſcilicet Thaidi, quia fugit. Honesta facie et liberali. Commode deſcriptus eſt Chærea.

Nvnc eo tibi videtvr foedvs. Facete, *fœdus videtur*. non eſt enim.

Tace obsecro. Apte dictum eſt *Tace*, fœmineo ſtomacho, quaſi impudenter aſſentienti formæ improbæ, & argumenta inaniter pertinaciterque inuocanti. Tace obsecro. De conſuetudine dictum eſt *Tace*. & bene additur *Obſecro*: ne *Tace* ipſum videatur iniuria.

Qvem tv viro videre velles Phaedria. Commota aduerſus Phædriam, cogitur eum laudare, cui irata eſt: & ideò totum callide. Qvem tv vero videres. Facete, quaſi nec hunc, nec ipſum qui miſit, conſpectum velit. Qvem tv. *Quem* talem. & breuiter eius forma laudata eſt: cum prolixius illius ſit deſcribenda deformitas. Qvem tv vero videres. *Verò*, pulchre. Pulchre enim eſt cuius forma nec odium, nec conuitium commeruit. Lucilius in ſatyra Athymnidis,* *ex facie florem delegeris.* Qvem tv videres. Quare tu? an quia iſte iam non velit videre, iratus ſcilicet ob vitiatam virginem? An tu, quaſi ſpectator elegans formarum, & qui amator ſis Thaidis?

Hic est vietvs, vetvs, veternosvs, senex. Sic hoc totum pronunciandum quaſi iraſcatur huic, propter quem laudauerit Chæream. Vietvs. Mollis, flaccidúſque, & flexibilis corpore. vnde & *vimina* & *vimenta* & *vites* & *vietores* dicuntur. & *viere*,

religare dicitur: quia vietis virgis magis religare poſſumus quidlibet. Lucretius *araneæ* dixit *vietam veſtem*, id eſt putri mollitia præditam. VETVS. Ad vituperationem modo, non ad laudem ponitur: vt, *Veteru poëtæ maledictis reſpondeat.* *Vetus* eſt, cuius diminutiuum eſt *vetulus*. VETERNOSVS. Morbo vetere confectus, id eſt veterno: quales ſunt qui hydropem patiuntur. Et recte. Nam ſæpe eunuchi in ſenecta veternoſi fiunt, & cito hoc laborant morbo. SENEX. Ex morbo ægritudinéque rugoſus. SENEX. Verum ſenex? an quia ita videtur ob deformitatem?

COLORE MVSTELLINO. Errauit Terentius, non intelligens Menandricum illud, αὐτόσ ὅτ' ἦν γαλεώτης γέρων. ait autem Stellionem, animal quod lacertæ non diſſimile eſt, maculoſo corio. namq. ad id genus coloris facies exprimitur eunuchorum corporis, quia pleriq. lentiginoſi ſunt. Hinc ergo errauit ideo, quia γαλῆ *Muſtela* dicitur, γαλεώτης *Stellio*. ὡς παρ' ἀριστοφάνει νεφέλαις. ἤδη γαλεώτη καταχέσαντι σαπέρδης. Ego Adeſionem ſequor, qui recte intellexit, Terentium ſcientem, muſtelino colore eunuchum dixiſſe coloratum, velut ſubliuido: quia verè eunuchi, aut ex candidiſſimis lentiginoſi fiunt, vt ex Gallis, & huiuſmodi occidentalibus: aut ex fuſcis, ſubliuidi: vt ex Armeniis, & aliis orientalibus.

VT QVID EGERIM, EGOMET NESCIAM. Pro non meminerim, vel non agnoſcam.

EHO TV, EMEN' EGO TE? Mito ſtomacho quod ipſe fecit, id ex alio conatur audire: & donec hæc audiat, an hoc fecerit, dubitat.

SINE MIHI DENVO RESPONDEAT. Hoc eſt, quod in rhetoricis Cicero ait, *Contra firmam argumentationem, aliam æquè firmam aut firmiorem opponimus.* hæc eſt autem æquè firma. *Denuo* autem, ad *Reſpondeat* pertinet: non ad *Iube*. DENVO RESPONDEAT. Iube verò, mihi denuo reſpondeat, intelligendum eſt.

ROGA. Mire vtriuſque fiducia confertur, & apud vtrunque eſt veritas, cum vterque fallatur.

AT ILLE ALTER VENIT. Bene inſtat, quaſi ex parte iam obtinuerit Pythias.

AGEDVM HOC MIHI EXPEDI. Hæc Plautina ſunt, cum in iiſdem longa ſit diſputatio: ſed mire à Terentio proferuntur ad eius exemplum: & quod eſt plus, carent Plautinis nugis. AGEDVM. *Dum*, παρέλκον eſt, & adiuuat ex animo loquentem.

TACES? Et recte tacet: quia metuit Chæream. MONSTRVM HOMINIS. Bene eunucho dictum eſt *Monſtrum hominis*, hoc eſt, nec mas, nec fœmina exiſtens. Sic & ſuprà, *ſenem mulierem* dixit.

MODO. Nota *Modo* aperte pro præterito tempore dictum eſſe, id eſt iamdudum. nam qui vitiauerat virginẽ, non modo, ſed longe antè veſtẽ mutauit cum eunucho Phædriæ.

QVICVM. Præpoſitio *cum* his dictionibus ſupponitur, *quicum*, *nobiſcum*, *vobiſcum*. Cæteris verò, ita vt ipſum nomen præſcribit, præponitur: vt, *Cum amicis*, *cum exercitu*, *cum aduocatis*.

VNDE IGITVR FRATREM MEVM ESSE SCIEBAS. Vtpote nouitius: & eum qui ex Piræo rarò diſceſſerit: & longo interuallo εἰς τὸ ἄστυ venerit. Et hæ ſunt obliquæ interrogationes: quibus vti oratores videmus, cum deriuare teſtimonium nituntur. Et ideo ſic ait Phædria, vt fruſtretur omnia quæ confeſſus eſt Dorus. vult enim fratri eſſe conſultum.

PARMENO DICEBAT EVM ESSE. Propè infirmatum teſtimonium eſt. quod enim ſic ait, Parmeno dicebat eum eſſe: falſum eſſe poteſt. Et mirè ſic ait: vt, *Sola mihi talis caſus Caſſandra canebat.* Sic autem dicimus, quando non ſemel quod factum fuerit: ſed ſæpius demonſtramus.

IAM SATIS CREDIS ME ESSE SOBRIAM. Quia ſuprà dixit, *Temulenta es*, & quaſi grauem iniuriam hoc dicto paſſa ſit, memoriter dictum retulit: vt, *En ego victa ſitu.* & *Pulſus ego.* IAM SATIS CERTVM EST VIRGINEM VITIATAM ESSE? Ordine ait, quum primùm de ſe, tum de aduerſario loquitur.

CREDIS HVIC QVOD DICAT? A perſonæ qualitate derogat fidem. nam quid credendum eſt ſeruo eunucho fugitiuo?

QVID ISTE CREDAM? RES IPSA INDICAT. Hìc à perſona quæ conuincebatur, oratoriè ad factum ſe retulit.

CONCEDE ISTVC PAVLVLVM. Ad ſe verſum dicit iſtuc: vt longè ſit à Pythia. Eunucho enim dicit Phædria.

O SCELESTVM, ATQVE AVDACEM HOMINEM! Chæream ſcilicet vel Parmenonem ſed ſic pronunciandum eſt, vt potest ancilla de eunucho dici, hoc ipſo quòd præſto eſt. ideo illa infert, ——*Væ mihi, Etiam nunc non credis indignam nos eſſe irriſas modis.*

VAE MIHI. Hoc totum, *Væ mihi*, quidam à Pythia, vſque ad *irriſas modis*, dici exiſtimant.

MIRVM NI TV CREDAS QVOD ISTE DICAT. Vtrum an ſerua quod ſeruus? an ſtulta quod ſtultus? an fœmina quod eunuchus? MIRVM NI TV. Clarè dicit. quidam preſſius putant.

HEVS TV NEGATO RVRSVM. *Rurſum*, non ad negationem pertinet, ſed ad interrogationem: vt ſit: rurſus interrogatus. *Rurſus*, retro, id eſt econtrario: ac per hoc contrarium ſuperioribus dicito.

NON POTEST SINE MALO FATERI, VIDEO. Ampliatio & dilatio quæſtionis argumento eſt nihil conſtitiſſe. Adde. quòd pœnam minatur, non tanquam iam incerto, ſed falſo teſti. Deinde ipſum *fateri* conſideremus quale ſit. Non eſt teſtis fateri, ſed rei. Hic igitur vt in illum culpam transferat vniuerſam, fateri dixit, non indicare: vt ipſe reus, non alieni facti teſtis eſſe dicatur. NON POTEST SINE MALO. Quaſi nec hæc fuerit, nec illa confeſſio, in quibus nulla veritas ſit. SEQVERE HAC. Quaſi ad tormenta.

MODO AIT, MODO NEGAT. Teſtis aut ab aduerſario conuincitur falſitatis: aut à ſeipſo, ſi variauerit dicta. Ergo priora, quia non potuere conuinci, ab inconſtantia teſtis præſidium defenſionis inquiſitum eſt.

ORA ME. Hoc lentius: vt ſit cauſa non ſæuiendi.

OBSECRO TE VERO PHAEDRIA. Bene *verò*. nam quia ille dixerat, vt ſimularet preces: hic annixus *vero* addidit, oſtendens ſerio ſe rogare, & ex animo: non vt ille iubebat, dolo.

IN INTRO. Terribiliter dummodo eum ſummoueat INTRO. Vtrum *intro* domum ad Phædriam? an ad Thaidem? ſed non oportet ad Thaidem intelligi, ne celandarum rerum index teneatur.

OI, EI. Bene *oi, ei* χιτλισμὸν ruſticum poſuit: vtpote & ſerui & nouitij. & eſt deploratio ab eis ſic dicta.

ALIO PACTO HONESTE. Contra officium fuit mentiri docuiſſe ſeruum, & adfuiſſe mendacio liberalem adoleſcentulum. Sed vide quemadmodum defendatur, dum ſe mentiri coactum dicit, dum conſulit honeſtati. Hanc autem cauſam longæ ſermocinationis, ad hoc induxit artifex Poëta, vt apud omnes iam certum ſit a Chærea vitiatam virginem, ne vllo errore impediantur vlterius nuptiæ. vel finis fabulæ differatur. ALIO PACTO HONESTE. *Nullo alio* ſcilicet, niſi per hanc fallaciam.

ACTVM EST SIQVIDEM. Hoc rurſus clarè. & ſic dicit tanquam adhuc iratus eunucho ſuo.

QVAM ME VIVERE. Deeſt *magis*: vt ſit, *Magis ſcio, quàm me viuere.*

INVENIAM HODIE POL. Hæc eſt προοικονομία ad futurum exitum fabulæ. nam dum ſe vlciſcitur Pythias, fit indicium patri Chæreæ, & confirmantur nuptiæ.

VTRVM TACEAMNE, AN PRAEDICEM? Tertium παρέλκον. abundat enim aut *vtrum*, aut *ne*: aut certe hoc ſit, vt ſit figura τμῆσις.

TV POL SI SAPIS, QVOD SCIS NESCIS. Non poſſumus neſcire quod ſcimus. ſed ita, vt *Concordia diſcors.* & Virgilius, *Sequitúrque ſequentem.* TV POL SI SAPIS, QVOD SCIS NESCIS. Videamus, cur nolit Poëta de vitio virginis continuò ſcire Thaidem. vtrum ne improuiſo malo vehementius commoueatur, ac doleat: an vt ex eiuſdem virginis habitu, vultúque iſta cognoſcat? quod eſt actuoſius. an quod proximum vero eſt, vt illam & Thais, & frater ignorantes vitiatam, animoſius aduerſus militem defendant

repetitum eam venientem cum tanto ſtrepitu ac minis? Nam quo ore præterea diceret Thais Chremeti de ſororis pudore ſollicito, *Educta eſt ita uti teque, illáque dignum eſt*: ſi ſciret eam virginem non eſſe? QVOD SCIS NESCIS. Vnde in Heauton. *Neſcias quod ſcis, ſi ſapis.* Et hoc eſt quod κακόζηλον dicitur. QVOD SCIS NESCIS. Prouerbiale eſt, & multum apud dialecticos tractatum: vt, *Facio, & non facio*: &, *Amicus ſum, & non ſum*: &, *Audio, & non audio*, & cætera huiuſmodi.

DE EVNVCHO. Quid fuerit. DE EVNVCHO. Quòd Chærea ſit, non eunuchus.

DE VITIO VIRGINIS. Quòd iam mulier facta ſit. HAC RE TE OMNI TVRBA EVOLVES. Cauſa quæſita cur ante iurgium cum milite Thais neſciat vitiatam virginem.

ET ILLI GRATVM FECERIS. Cui, niſi virgini? cuius crimen, vt ſuprà ſilentio texeris, præſertim tacentis iniuriam ſuam, & ſic dolentis amiſſam virginitatem, vt nec confeſſionem ſuæ calamitatis ſubire poſſit.

ID MODO DIC. *Id* pro *hoc*, ſubiunctiuum pro præpoſitiuo.

THAIS IAM ADERIT. Bene dixit, *Aderit*. huic enim aderit Thais.

QVIA CVM INDE ABEO. Aliam cauſam ex alia ſuppoſuit: quaſi diceret, *Video cauſam*.

ACTVS QVARTI SCENA V.

CHREMES PYTHIAS.

Attat, data hercle verba mihi ſunt: vicit vinum quod bibi.
Ac dum accubabam, quàm videbar mihi eſſe pulchrè ſobrius!
Poſtquam ſurrexi, neque pes, neque mens ſatis ſuum officium facit.
P. Chremes. C. quis eſt? ehem Pythias, vah quanto nunc formoſior
Videre mihi, quàm dudum! P. certe tu quidem pol multo hilarior.
C. Verbum hercle hoc verum eſt, SINE CERERE ET LIBERO FRIGET VENVS.
Sed Thais multo antè venit? P. an abiit iam à milite?
C. Iamdudum: aetatem. lites ſunt inter eos factae maxumae.
P. Nihil dixit, vt ſequerêre ſeſe? C. Nihil, niſi abiens mihi innuit.
P. Eho nónne id ſat erat? C. at neſciebam id dicere illam, niſi quia
Correxit miles, quod intellexi minus: nam me extruſit foras.
Set eccam ipſam: miror vbi ego huic anteuerterim.

ATTAT, DATA HERCLE VERBA MIHI SVNT. Hic ſemigrauis inducitur vino Chremes priorum memor, titubans in præſentibus, vt ferè adpoti ſolent. ATTAT. Interiectio eſt paulatim percepti atque intellecti mali. DATA VERBA. Fraus facta. DATA HERCLE VERBA. A milite, an à meretrice, cuius iampridem dolum malum in omni re ſuſpicatus eſt? an magis à vino, quaſi captioſo aliquo, data verba ſunt? quia bibere, dulce eſt: ebrium fieri, turpiſſimum. adeò his quæ ſequuntur, quaſi ſubtilem frau-

dem ebrietatis inducit Plautus de vino, *Pedes captat primo, luctator doloſus.* Virgil. de vua,

Tentatura pedes olim, vincluráque linguam.

Ac dvm accvbabam. Hic verba data ſunt. Qvam videbar mihi esse pvlchre sobrivs. Nihil elegantius. non dixit Videbar mihi tunc eſſe ſobrius: ſed vt hoc ſpſum iam erroris eſſet, ac violentiæ accumulatio. *Videbar*, inquit, *mihi nimium ſobrius.* Pvlchre. Fortiter ac nimis.

Neqve pes. Ad inceſſum. Neqve mens. Ad facta ac dicta.

Satis svvm officivm facit. Bene: non enim omnino non facit, nam hoc inſani eſt: ſed, non ſatis facit: quod eſt ebrietatis.

Qvis est? ehem Pythias. γνωμικῶς & ſatis miro exemplo mutatam credit, poſtquam ipſe mutatus eſt.

Qvanto nvnc formosior videre mihi, qvam dvdvm. Hoc multum Academicos iuuat, qui aiunt, Prout habiti fuerimus atque affecti, ita nobis aliud atque aliud videri: & ideo nihil certi comprehendi poſſe.

Certe tv qvidem pol. Et *Certe* & *Pol*, hæc dixit, vt appareret hanc verè loqui quæ ſobria eſt: illum verò ex vino falli. Et honorifice, atque vt ſobria, non dixit Temulentior, aut laſciuior, ſed alacrior.

Verbvm hercle hoc. *Verbum*, prouerbium. vt idem in Andria, *Verbum illud verum eſt, vulgò quod dici ſolet.*

Sine Cerere et Libero friget Venvs. Hoc ſi ad ſententiam teneces, non conuenier ebrio: ſi ad petulantiam quam * ſic ante dictum eſt. Nam & improbior factus eſt: & quum tropice locutus ſit, tamen ordinem naturalem ſeruauit: nam primum cibus, deinde potus, poſtremo libido venerea. *Friget* autem, quia omnis eiuſmodi voluptas in calore ſanguinis conſtituta eſt, qui his rebus alitur. Et *Friget* proprie non adhæret: translatum enim hoc prouerbium à picatione vaſorum, quæ frigida picem non tenent: quum alia multa meliora ſint ad vſum frigida, vt ferrum, argentum, aurum, & cætera huiuſmodi: nam ſic alibi, *Vbi friget, huc euaſit.* Et vide tres μετωνυμίας Cererem, Liberum, Venerem.

Sed Thais mvlto ante venit? Interrogatiue pronuntiandum hoc. Et ſcias de his interrogationibus hanc ipſam eſſe, in quibus ita quærimus, vt qui interrogantur, reſponſuri nobis ſe neſcire videantur.

Iamdvdvm aetatem. Quia *iam dudum* infinitæ motæ eſt: addit *ætatem*, vt oſtendat multum abiiſſe temporis, vt factum eſt. *Iamdudum, ætatem*, pro longinquo tempore. Lucilius, *Vt multos menſéſque diéſque: Non tamen ætatem.* Aetatem. Diu longinquoque tempore ac prolixo, vt eſt ætas. nam ſic dicimus de die, & dieculam, aliquantulam moram.

Nihil dixit tvm, vt seqverere sese. *Nihil*, pro non. Virgilius,

Deponunt animos nil magnæ laudis egentes.

Nihil, nisi abiens mihi innvit. Apparet quaſi iratam diſceſſiſſe Thaidem à milite, & tamen ſic iratam, vt illi ira conſilium non ademerit. *Innuit*, inquit, *quum abiret.*

Eho nonne id sat erat? Adeò ſimplex hic inducitur adoleſcens, vt à Pythia reprehendi poſſit. nam quid opus fuit dicere, ſi innuit?

At nesciebam id dicere illam. *Dicere* pro velle, vel ſignificare. Sic alibi, *Quaſi tu dicas id factum conſilio meo.*

Nisi qvia correxit miles qvod intellexi minvs. Hoc videtur facetius & ſapientius quàm dici ab ebrio, ruſtico, & adoleſcente debuiſſet. Hoc vitium tunc fit, quum Poetæ ingenium ſuum in perſonas conferunt. Qvod intellexi minvs. Veriſimile hunc tantùm extruſum fuiſſe, non etiam vapulaſſe: quia miles Thaidi magis, quàm huic iraſcitur.

Miror vbi ego hvic antevorterim. Id eſt hanc præceſſerim. *Vbi*, in qua parte viæ.

ACTVS QVARTI SCENA VI.

THAIS. CHREMES. PYTHIAS.

Credo equidem illum iam adfuturum eſſe, vt illam à me eripiat: ſine veniat.
Atqui ſi illam digito adtigerit vno, oculi illico effodientur.
Vſqueadeò ego illius ferre poſſum ineptias, & magnifica verba,
Verba dum ſint: verum enim ſi ad rem conferentur, vapulabit.
CH. Thais, ego iamdudum hîc adſum. T. ô mi Chremes. te ipſum expectabam.
Scin' tu turbam hanc propter te eſſe factam: & adeò ad te adtinere hanc
Omnem rem? CH. ad me? quî? quaſi iſtuc. T. quia dum tibi ſororem ſtudeo
Reddere & reſtituere, haec atque huiuſmodi ſum multa paſſa
CH. Vbi ea eſt? T. domi aput me. CH. hem. T. quid eſt?
Educta ita, vti téque illáque dignumſt. CH. quid ais? T. id quod res eſt:
Hanc tibi dono do, neque repeto pro illa quidquam abs te pretii.
CH. Et habetur, & refertur Thais à me, ita vti merita es, gratia.
TH. At enim caue, ne prius, quàm hanc à me accipias, amittas Chreme.
Nam haec eaſt quam miles à me vi nunc ereptum venit.
Abi tu, ciſtellam Pythias domo effer cum monumentis.
CH. Vidén' tu illum Thais? P. vbi ſitaſt? T. in riſco. odioſa ceſſas?
CH. Militem ſecum ad te quantas copias adducere!
Attat. T. non formidoloſus obſecro es mi homo? CH. apagéſis,
Ego formidoloſus? nemoſt hominum qui viuat, minus.
T. Atque ita opuſt. CH. hau metuo, qualem tu me eſſe hominem exiſtumes.
T. Imo hoc cogitato, qui cum res tibi eſt, peregrinus eſt,
Minus potens quàm tu, minus notus, minus amicorum hîc habens.
CH. Scio iſtuc. Set tu QVOD CAVERE poſſis, ſtultum admittereſt.

Malo ego nos proſpicere, quàm hunc vlciſci accepta iniuria.
Tu abi, atque obſera oſtium intus, dum ego hinc tranſcurro ad forum.
Volo ego adeſſe hîc aduocatos nobis in turba hac. T. mane.
CH. Melius eſt. T. mane.' C. omitte, iam adero. T. nihil opus eſt
iſtis Chreme:
Hoc modo dic, ſororem illam tuam eſſe, & te, paruam virginem
Amiſiſſe, nunc cognoſſe. ſigna oſtende. P. adſunt. T. cape.
Si vim faciet, in ius ducito hominem: intellextin'? C. probe.
T. Fac animo haec vt praeſenti dicas. C. faciam. T. adtolle pallium.
Peri! huic ipſi eſt opus patrono, quem defenſorem paro.

CREDO EQVIDEM ILLVM IAM ADFVTVRVM ESSE, VT ILLAM A ME ERIPIAT. Vides vt ex ipſis appareat verbis, quàm concita, & recens à litigio veniat Thais. Itaque nec nominat mulierem, nec virginem: ſed pronomine vtrumque ſignificat, quaſi in medio conſtituta negotio. ADFVTVRVM ESSE. Id eſt aduenturum: vt, *Affuit & Mneſtheus.*

SINE VT VENIAT. Quaſi dicat, ſine * nullis; & comminantis eſt: vt, *Sine modo.*

ATQVI SI ILLAM DIGITO ADTIGERIT VNO. Moris comminantium eſt, ad exiguum reuocare commiſſa, quæ ſe vlturos prædicent.

OCVLI ILLICO EFFODIENTVR. Et fœmineæ minæ ſunt, & in libidinoſos quàm maxime: nam hunc ſuſpicatur amatorem eſſe virginis. Sic & alibi, *Vt ego vnguibus facile illi in oculos inuolem veneſico.* In oculos autem maxime ſæuire fœminas, & tragœdiæ ferè omnes, & comœdiæ proteſtantur.

VSQVE ADEO EGO ILLIVS FERRE POSSVM INEPTIAS, ET MAGNIFICA VERBA. Non dixit, Vſque adeò illum poſſum amare: ſed, quam inſuauis iam diu ſit, oſtendit, dicendo, *Ferre poſſum.* Et cito oſtendit quæ ſit amicitia militis. *Ineptias*, inquit, *& magnifica verba.*

VERBA DVM SINT. Hoc eſt, quæ vim non admiſceant rerum.

VERVM ENIM SI AD REM CONFERENTVR, VAPVLABIT. Si diſceſſerit à verbis: & rem experiri cœperit, vapulabit. Et bona locutio: vt ſi dicas, Verba ad rem contulit, hoc eſt, agere quod dicebat aggreſſus eſt.

AD ME? QVI? QVASI ISTVC. Et ruſticus, & timidus, & pudens commotus eſt meretriculæ dicto.

HAEC ATQVE HVIVSMODI SVM MVLTA PASSA. Mulier facunda meretrix, hæc impurat adoleſcenti quæ vidit, & alia quibus interfuit.

REDDERE ET RESTITVERE. Propriè *redditur* cupientibus, vt domino ſeruus: *Reſtituitur* cupiens, vt patriæ ciuis. *Redditur & reſtituitur*, cupiens cupientibus, vt parenti filius. Ergo in hac vtrumque eſt & reddi & reſtitui.

HEM. Extimuit adoleſcens cum ſororem ſuam in domo meretricis eſſe audiuit: cui rei ſtatim occurrit Thais.

EDVCTA. Subauditur *eſt.* VTI TEQVE ILLAQVE DIGNVM EST. Bene purgat id quod ex faſtu meretricio exprobabatur. non, inquit, vt me dignum eſt, apud me eſt.

QVID AIS? Recte: quia mirum apud meretricem liberaliter educaram.

HANC TIBI DONO DO. Melius dixit, quàm *Dono*: vt donum placidius videatur & præſtantius.

NEQVE REPETO PRO ILLA ABS TE QVICQVAM PRETII Ex eo quod potuit iure facere, beneficium demonſtrauit, oratoriè dicens ſe non eſſe facturam.

ET HABETVR ET REFERTVR A ME THAIS. Qui habet apud ſe gratiam, nondum retulit

retulit. *Retulit* qui deſtitit habere. Multum ergo hîc dixit, *Ac habetur gratia & refertur.* Quem ſenſum tranſtulit Salluſtius in bellum Iugurthinum, *Arma, pecuniam ſume, vtere: & quoad vixeris, nunquam redditam tibi gratiam putaris, ſemper apud me integra erit.*

NE PRIVS, QVAM HANC A ME ACCIPIAS, AMITTAS CHREME. Hoc in comœdia licet more vulgi dicere. Cæterum non poteſt amitti quod nondum acceptum ſit. An quia iamdudum ſumptum ſit?

NAM HAEC EA EST, QVAM MILES A ME VI NVNC EREPTVM VENIT. Non ad deterrendum, ſed ad præparandum animum adoleſcentis hæc dicit, quem audacem putat, aliter ac res ipſa eſt. nam mox Thais mutabit orationem: & dicet, *Qui cum res tibi eſt, peregrinus eſt: Minus potens quàm tu, minus notus, amicorum hîc habens minus.*

CVM MONVMENTIS. *Monumenta* ſunt quæ Græci dicunt γνωρίσματα καὶ ἀνάγνωσα.

VIDEN' TV ILLVM THAIS. Longe videre, timoris eſt indicium. VBI SITA EST. Trepidantes perſonas immiſcuit. IN RISCO. Ciſta pelle contecta. nomen Phrygium.

QVANTAS COPIAS. Propriè dixit *Copias*: nam ſic dicuntur legiones in vnum collectæ. conuenit tamen rudi & ruſtico adoleſcenti ſex homines *copias* dicere: Militem ſcilicet, Paraſitum, Donacem, Syriſcum, Simalionem, Sangam.

NVM FORMIDOLOSVS OBSECRO ES MI HOMO? *Formidoloſus* & terribilis & timidus intelligitur. APAGESIS. Plautus in Trinummo, *Apage amor.*

ATQVE ITA OPVS EST. Vt minus formidoloſus ſis. METVO QVALEM TV ME ESSE HOMINEM EXISTVMES. Videtur ebrius factus hîc Chremes iam etiam diſplicere nolle mulieri. nam idcirco fatetur ſe timere malam opinionem Thaidis de ſe. Et *metuo qualem tu me exiſtumes*, nonne dixit: pro, *Metuo ne ignara ſit.*

PEREGRINVS EST, MINVS POTENS QVAM TV. Quàm * poſtquam tamen ipſa non eloquitur, quid efficiatur: ex eo quod ait, *Peregrinus eſt*, minus potens quàm tu: bene ſic dixit: quia tardum fuit dicere, *Ille impotens, tu potens*, & cætera.

SED TV, QVOD CAVERE POSSIS, &c. Oſtendere vult Terentius plures ſententias ad timiditatem congruere, quàm ad audaciam. nam & mox dicturus eſt, *Omnia prius experiri, quàm armis, ſapientem decet.* Quia ex prouidentia timor, ex audacia temeritas prouenit.

ADMITTERE EST. Fieri ſinere. & melius dixit, quàm *Pati*. hoc generale eſt. nam nunc admittere, pati fieri ſignificat.

MALO EGO NOS PROSPICERE. Prouidere ne fiat: id eſt proſpicere & cauere. ab eo quod præcedit id quod ſequitur.

ACCEPTA INIVRIA. Hîc cauſa oſtenditur, cur illud malit.

OSTIVM OBSERA INTVS. Parudi conſilium nihil aliud continet poſt clauſtra & fugam. nam *ſera* eſt clauſtrum ianuæ.

TRANSCVRRO AD FORVM. *Tranſcurro* dixit, non *Curro*: vt proximitatem fori oſtenderet.

VOLO EGO. Quaſi minus timeat: *cupio* non inquit, ſed, *volo*.

IN TVRBA HAC. Vide timidum *turbam* appellare, quam mulier non timet.

MELIVS EST. Fugæ occaſionem hic cupit dari.

MANE. Hoc, geſtu iam adiuuatur.

OMITTE, IAM ADERO. Ex huius verbis apparet etiam manu comprehenſum eſſe adoleſcentem. OMITTE, IAM ISTIC ADERO. Quia cauſam probari non videt, celeritatem redeundi pollicetur.

NIHIL OPVS EST ISTIS. *Iſtis*, vtrum aduocatis, an iſtis omnibus quæ dixiſti? Virgil. *Aut quid petis iſtis?*

HOC DIC MODO SOROREM ILLAM TVAM ESSE. Ordine eſt executus: primo vtrum perſonam habeat, *Dic ſororem*, inquit, *illam tuam eſſe.* *Vtrum negotium habeat*, *Et te paruam virginem amiſiſſe.* *Cur hodie agat*, *Nunc cognoſſe.* Et *vnde probet*, *Signa oſtende.* Hæc omnia ſic pronuntianda ſunt, vt & iuſta & factu facilia demonſtrentur.

SI VIM FACIET, IN IVS DVCITO HOMINEM. Et recte: quia violento ciuiliter reſiſti ſolet.

FAC ANIMO HAEC VT PRAESENTI DICAS. Hæc non dicerentur à Thaide, niſi in illius vultu pauor nimius appareret.

FACIAM. Adiuuandum pronuntiatione. *faciam* enim, timidè dictum eſt.

ADTOLLE PALLIVM. His verbis Chremetis demonſtrauit nimium liberaliter panidi adoleſcentuli animum. ATTOLLE PALLIVM. Vel quia ſimplex eſt, vel quia ebrius, pallium trahit Chremes.

PERII, HVIC IPSI EST OPVS PATRONO, &c. Hæc meretricis querela rudem adoleſcentulum magis & honeſte natum, quàm culpandum eſſe demonſtrat.

ACTVS QVARTI SCENA VII.

THRASO. GNATO. SANGA.
CHREMES. THAIS.

HAncine ego, vt contumeliam tam inſignem in me accipiam Gnatho?
Mori me ſatius eſt. Simalio, Donax, Syriſce ſequimini,
Primùm aedeis expugnabo. GN. rectè. THR. virginem eripiam. GN. probè.
THR. Male mulcabo ipſam. GN. pulchrè. THR. in medium huc agmen cum vecti, Donax:
Tu Simalio in ſiniſtrum cornu, tu Syriſce in dexterum.
Cedò alios: vbi centurioſt Sanga, & manipulus furum? SA. eccum adeſt.
THR. Quid ignaue, peniculón' pugnare, qui iſtuc huc portes, cogitas?
SA. Egone? imperatoris virtutem noueram, & vim militum.
Sine ſanguine hoc fieri non poſſe, qui abſtergerem vulnera.
THR. Vbi alii? SA. qui, malùm, alii? ſolus Sannio ſeruat domum.
THR. Tu hoſce inſtrue: hîc ego ero poſt principia: inde omnibus ſignum dabo.
GN. Illuc eſt ſapere! vt hoſce inſtruxit, ipſus ſibi cauit loco.
THR. Idem hoc iam Pyrrhus factitauit. C. viden tu Thais quam hic rem agit?
Nimirum conſilium illud rectumſt de occludendis aedibus.
THA. Sanè, quod tibi nunc vir videatur eſſe hic, nebulo magnus eſt,
Ne metuas. THR. quid videtur? GN. fundam tibi nunc nimis vellem dari,
Vt tu illos procul hinc ex occulto caederes: facerent fugam.
THR. Sed eccam Thaidem ipſam video. GN. quàm mox inruimus?

THR. mane.

OMNIA *prius experiri, quàm armis, ſapientem decet.*
Quî ſcis, an quae iubeam ſine vi faciat? GN. di veſtram fidem,
Quanti eſt ſapere! numquam accedo quin abs te abeam doctior.
THR. Thais primum hoc mihi reſponde; cum tibi do iſtam virginem,
Dixtin' hos mihi dies ſoli dare te? THA. quid tum poſtea?
THR. Rogitas? quae mihi ante oculos coràm amatorem adduxti tuum?
THA. Quid cum illo agas? THR. & cum eo clàm te ſubduxti mihi?
THA. Lubuit. THR. Pamphilam ergo huc redde, niſi vi mauis eripi.
C. Tibi illam reddat? aut tu illam tangas? omnium! GN. ah quid ais? tace.
THR. Quid tu tibi vis? ego non tangam meam? C. tuam autem furcifer?
GN. Caue ſis, neſcis cui nunc maledicas viro. C. non tu hinc abis?
Scin' tu vt tibi res ſe habeat? ſi quidquam hodie hîc turbae coeperis,
Faciam vt huius loci, dieique, meique ſemper memineris.
GN. Miſeret tui me, qui hunc tantum hominem facias inimicum tibi.
C. Diminuam ego caput tuum hodie, niſi abis. GN. aín' verò canis?
Sicine agis! THR. quis tu homo es? quid tibi vis? quid cum illa rei tibi eſt?
C. Scibis: principio eam eſſe dico liberam. THR. hem! C. ciuem Atticam. THR. hui!
C. Meam ſororem. THR. os durum. C. miles, nunc adeò edico tibi,
Ne vim facias vllam in illam. Thais, ego eo ad Sophronam
Nutricem, vt eam adducam, & ſigna oſtendam haec. THR. tún' me prohibeas
Meam ne tangàm? C. prohibeo inquam. GN. audin' tu? hic furti ſe adligat.
Satis hoc tibi eſt. THR. idem hoc tu ais Thais? THA. quaere qui reſpondeat.
THR. Quid nunc agimus? GN. quin redeamus: iam haec tibi aderit ſupplicans
Vltró. THR. credín'? GN. imò certe: noui ingenium mulierum:
Nolunt vbi velis: vbi nolis cupiunt vltró. THR. bene putas.
GN. Iam dimitto exercitum? THR. vbi vis. GN. Sanga, vt fortis decet

Milites, domi, ſocique fac viciſsim vt memineris.
S. Iamdudum animus eſt in patinis. GN. frugi es. THR. vos me hac ſequimini.

HANCINE EGO CONTVMELIAM. Hic rurſus inepti vanitas militis demouſtratur, ad amicam tanquam ad hoſtilem exercitum pergentis irritato animo, concitato curſu, inclinata chlamyde, trepidi & quatientis caput. Et hæc verba pro hortatu imperatoris accipienda ſunt: quandoquidem omnia de exercitu transferuntur. *Contumeliam* verò proprie, & vt miles. Salluſtius, *Ne qua contumelia*, &c. CONTVMELIAM TAM INSIGNEM IN ME ACCIPIAM GNATO? Apparet Gnatonem & dehortatorem eſſe certaminis, & ad pocula militem prouocare: maxime cum videat perſuaſiſſe iſta conſilia, vt hoc certamen moueretur. TAM INSIGNEM, *Inſignem*, vt miles dixit, quia *inſignia* armorum ſunt.

MORI ME SATIVS EST. Ridicula præſumptio, tanquam aduerſus meretricem iurgia nunquam Thraſo ſumere auſus eſſet, niſi morte propoſita. Ergo velut mortis contemptu opus eſt ad tale prælium. MORI ME SATIVS EST. Tanquam aliter miles aduerſus mulierem audere non poſſet, vel quia nihil, vel quia amator. MORI ME SATIVS EST. Quaſi ille ſibi dicat, vel moleſtum eſſe certamen, vel amicam non eſſe lædendam.

SIMALIO. Et hoc concitate pronuntiandum eſt.

SEQVIMINI. Huiuſmodi militia per tumultum repente ſuſcipitur, & dicitur *Euocatio*. vbi dux alloquitur ciues, QVI REM PVBLICAM SALVAM VVLTIS, ME SEQVIMINI. Vnde Virgilius ſic ait, — *deſuetáque bello*
Agmina in arma vocat ſubito, ferrúmque retractat:
Ipſe vocat pugnas, ſequitur tum cætera pubes.

PRIMVM AEDES EXPVGNABO. Debet hîc eſſe vociferatio vana ad hoc, & verbum militis cum quodam motu ingenti, & per immanes minas ſine vlla vi rerum. Vanáque comminatio eſt, velle ædes expugnare, cum foris ſit meretrix.

MALE MVLTABO IPSAM. Vide ordinem belli. Primo expugnatio mœnium. tum recuperatio captarum rerum. demum pœna prædonum.

PVLCHRE. Poſtquam non obtinuit quod volebat Gnato, aſſentatur ad omnia. *Vide* autem manifeſtam irriſionem ex ipſo genere laudandi. nam quid eſt in ædium expugnatione recti? quid in virginis ereptione probitatis? quid in male multanda muliere pulchritudinis? Sed hoc eſt quod ait ſuprà de ſeipſo paraſitus, *Quicquid dicunt, laudo.*

IN MEDIVM HVC AGMEN CVM VECTI, DONAX. Mire compoſita ad contemptum nomina legionariorum ſunt. nam *Donax* ab arundine, veluti ſitinanis & fragilis, nomen ſortitus eſt. IN MEDIVM HVC. Ridicule ſatis: armaturas leues non putat aduerſus Thaidem idoneas: & ideo agmen cum vecti vult venire in medium. An ideo cum vecti, quia ad expugnationem venitur ædium?

SIMALIO. A ſimio, vel à ſimia deriuatum eſt, ob fœditatem oris vel naſi.

SYRISCE. Iam diminutiuum eſt à Syro. TV SIMALIO IN SINISTRVM CORNV: TV SYRISCE IN DEXTERVM. Hic agmen inſtruitur. Facetum autem eſt, cum à rebus magnis res ridiculæ deriuentur.

CEDO ALIOS. Non *reliquos* dixit, ſed *alios*, quaſi multi ſint.

SANGA. Nec ſangarius ſaltem, vt nomen eſſet.

MANIPVLVS FVRVM? *Mampulus* proprie eſt militis. Cum Romani & Latini ſub vno Centurione bellum aggreſſuri deputabantur, ſibi ſertum vel coronam ex manipulo herbæ vel huiuſmodi conficiebant, quem pro ſigno ſequebantur. Merito ergo Centurionem videns, manipulum deſiderauit: hoc eſt coquum videns, conuiuas deſiderat: qui apparauerat, quotiens locus affuit, id eſt conuiuium eſt conſtitutum. Alii *manipulum furum*, coci diſcipulos dici putant.

ECCVM ADEST. Pro ſe ac pro diſcipulis Sanga.

Qvid ignave. Apparet coquum ad repentinum ſtrepitum ſic exiſſe, vt ad artem ſuam fuerat expeditus.

Egone? Hæc cauſa eſt. Imperatoris virtutem noveram, et vim militum. Hoc plus habebit ſalis, ſi ſic intellectum fuerit, vt Sanga vno eodémque tempore & quærat quid dicat, ſimúlque reſpondeat, *Hoc noueram ſine ſanguine fieri non poſſe*, ſcilicet *ἀπροσδοκήτως*. Quid igitur ſi hoc ſciebat?

Qvi abstergerem vvlnera? Quaſi hoc fuerit auxilii genus. Quid hoc eſt? vnde vulnera? quorum vulnera? vtrum vtriuſque partis? An, quod magis ridiculum eſt, ſuorum?

Qvi malvm. *Malum*, per *παρένθεσιν* ſuauiter infertur. Plautus in Epidico, *Quæ (malùm) hæc impudentia eſt?* Et non interponitur *malùm*, niſi oculis conuerſis ad eum qui id quod reprehendimus, dixerit. *Malùm* nunc interiectio eſt.

Solvs Sannio servat domvm. Hæc figura *παρόμοιον* dicitur. Solvs Sannio servat domvm. Vt, *Sola mihi tales caſus Caſſandra canebat*. Servat domvm. Pro remanet vt obſeruet. Nam *ſeruat domum*, rectum erat: non, *ſeruat domi*, ſi cuſtodit intelligeretur. Vel *Seruat*, pro ſedet: ab eo quod ſequitur, id quod præcedit. nam non ſeruat, niſi qui prius in eo loco ſederit.

Post principia. Magnifice ad riſum commouendum. nam dicere debuit, *poſt vos*. Et hunc locum ſibi optimum elegit, vt timidus. Post principia. Militare dictum eſt. Et ambigunt multi, an in extremo agmine ſit hic locus, an in medio.

Inde omnibvs signvm dabo. Tanquam non omnibus dari poſſit, ſi aliunde detur.

Ipsvs sibi cavit loco. An *Loco* ſimpliciter, quia poſt principia? an *Loco*, in loco, opportune & *εὐκαίρως*? Terentius in Adelphis, *Pecuniam in loco negligere, interdum maximum eſt lucrum*. An pro de loco?

Idem hoc iam Pyrrhvs factitavit. Irridet quidē Poeta: veruntamen oſtendit officium imperatoris hoc eſſe, ne ſe in periculum proiiciat. Sic Salluſtius, *Et in prœliis actu promptus*. Et hoc totum, quaſi in Palliata: ſed conceſſum poetis fuit. Pyrrhus autem peritiſſimus ſtratagematon fuit: primúſque quemadmodum ea diſciplina per calculos in tabula traderetur, oſtendit.

Nimirvm consilivm illvd rectvm est. *Illud rectum eſt*, & noua locutio, & ſuperiori ſimilis, *Nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum* pro, ſine dubio rectum eſt.

Sane qvod tibi nvnc vir videatvr esse, hic nebvlo magnvs est: ne metvas. Figurata locutio, & præterea *ὑπερβατὸν* intermixtum. nam hic ordo eſt, Sane hic nebulo eſt, ne metuas. An hic erit ordo & ſenſus, vt ſit dictum. Ne metuas: ſane qui tibi vir videtur eſſe, hic nebulo magnus eſt. Et rectè: nam obiiceretur adoleſcens, & ætate militis, quòd iam vir eſt: & magnitudine, quòd magnus corpore: quæ vtraque in illo vana eſſe, meretrix vt experta denuntiat. *Nebulo* autem, vel inanis, vel vanus, aut mollis, vt eſt nebula, dicitur. Et hoc *εἰρωνικῶς* dictum eſt. Meretrix fruſtra metuentem corripiens Chremetem, *Sane*, inquit, *quòd tibi nunc vir videatur eſſe*. & deeſt, *Non eſt*: vt ſit, Non eſt quod tibi nunc vir videatur eſſe. hic nebulo magnus eſt. Sic & alibi,

Si in plateá hac te offendero pòſt vnquam, nihil quod dicas mihi,

Alium quærebam: iter hac habui: periſti. Vt ſit, Non eſt quod dicas mihi.

Qvid videtvr? Non diceret miles ſi ſtaret in ſententia: ſed iam videtur timore mutatus. Qvid videtvr. Dubitandi eſt quod dictum ſit, *Quid videtur?* Ego ſane hoc militem puto dicere, quem paulatim à violentis atque acribus principiis ad terrorem deſidiámque perducit timor. Nam primò ipſe præcedit, vtpote qui dicat, *Sequimini*. Dum denique propius deuentum eſt, poſt principia refert pedem. Pòſt iam nihil ipſe audet, ſed quærit conſilium paraſiti. Denique, vbi cominus res gerenda eſt, dixit *Mane*, & continet irruentes. Ad poſtremum diffiſus, neſcit quid agat: ad paraſitum ſpectans, *Quid agimus, inquit?*

Fvndam tibi nvnc. Mire paraſitus hoc ait: vel quia militem nolle videt: vel quia

audet impugnare, conſilium formidoloſum, & aptum metuenti dedit, ſubtiliter tamen: nam funda pugnant, qui cominus non poſſunt: & ex occulto, qui non audent palàm. Sed honeſta cauſa, non quia timeas inquit, ſed vt fugiant: tanquam niſi hoſtes fugerint, non ſit tutum accedere. FVNDAM TIBI. Non dixit haſtam, aut lanceam: ſed ſagittam, *fundam*, quæ nimirum longe iactatur. vt ex hoc interuallo pauorem oſtenderet non audentis accedere. Et mire *tibi*: tanquam ipſe paraſitus nec hoc audeat. Sunt autem qui putent hæc à Thaide ad Chremetem dici, ſed male. non enim conueniunt iſta meretricis dictis ſuperioribus: niſi quia mouet me, quod *ex occulto* dicit: quaſi conſtet ei iamdudum videri militem, & ipſum non vidiſſe cum qua pugnaturus ſit.

VT TV ILLOS. Meretricem ſcilicet cum ſuis. vt alibi, *Nos prius introducant.*

VT CAEDERES. Pro, cædendo cogeres vt facerent fugam.

FACERENT FVGAM. Deeſt rurſus *vt.* ſic, *Vt facerent fugam*, vel ἀσυνδέτως illatum eſt.

FACERENT FVGAM. Deſiderat coniunctionem *enim*, vt ſit, *Facerent enim fugam.*

SED ECCAM THAIDEM IPSAM. *Eccam & ipſam*, figura ἔμφασις: quaſi *eccam* principem belli: & *ipſam*, contra quam pugnaturus eſt.

QVAM MOX IRRVIMVS. Hoc paraſitus irridens militem dixit. Et *irruere* proprie dicuntur, qui cum furore prælium ineunt.

OMNIA PRIVS EXPERIRI, QVAM ARMIS, SAPIENTEM DECET. Animaduerte quantam vim habeant ad delectandum in Comœdiis ſeueræ ſententiæ, cum à ridiculis perſonis proferuntur: quale eſt apud Plautum, vbi miles ſuam formam admirans, ait, *Nimia eſt miſeria nimis pulchrum eſſe hominem.* QVAM ARMIS. ἀνακόλουθον: pro, *quàm armis.* Aut ἔλλειψις eſt, ſi ſubaudiamus *agere.* Et mire non dixit *Me*, ſed *Sapientem.* quod magis ridiculum eſt.

AN QVAE IVBEAM. Et mire non *velim*, ſed *iubeam* dixit. *iubeam* pro *velim*: vt, *Iubeo Chremetem.*

DI VESTRAM FIDEM. Bona ἀναλογία: qui leuiora laudauerat, hic exclamare iam debet. Et hoc eſt quod ſuprà ait, *Id rurſum ſi negant, laudo id quoque.* Nam negat rurſum male pugnandum eſſe, qui ſuperius retineri non poterat, quin in prælium vel moriturus irrueret. DI VESTRAM FIDEM, QVANTI EST SAPERE! NVNQVAM ACCEDO QVIN ABS TE ABEAM DOCTIOR. Mire egit perſonam admirantis per trinam ἀποστροφήν. ad deos, vt, *Dii veſtram fidem.* ad ſeipſum, *Quanti eſt ſapere!* ad militem; *Nunquam accedo quin abs te abeam doctior.* Et ridicule paraſitus, Nunquam accedo ad te, dixit, qui nunquam recedit. QVIN ABS TE ABEAM DOCTIOR. Nimis impudens aſſentatio, ſe fieri doctiorem ex militis ſapientia.

THAIS, PRIMVM HOC MIHI RESPONDE. Omiſſa contentione repetendæ virginis, non enim iam puellam, ſed pactum exigit, vt amator.

CVM TIBI DO. Pro, *cum tibi darem.*

QVID TVM POSTEA. Aut dixi, reſpondendum erat: aut, *Non dixi.* Sed vide contumaciam meretricis in contemptionem perſonæ militis interrogantem: interrogare maluit, quàm per inductionem capi.

ROGITAS? Contentionis genus interrogatiuæ.

QVAE MIHI ANTE OCVLOS CORAM. Verum ſignificat inepti militis dictum? An *Ante oculos*, minus eſt quàm *Coràm*? ANTE OCVLOS CORAM. Poteſt ante oculos, & longe tamen intelligi: *coràm* proximitatem ſignificat.

QVID CVM ILLO AGAS? Omnino meretrix non putat illum idoneum, cui reddenda ſit ratio, cuique ſe purget: adeò apud illam amicitiæ eius pertæſum eſt. Nam errant qui dicunt eam ſe velle militi reconciliare.

ET CVM EO CLAM TE SVBDVXTI MIHI. Inuidioſe; *Et cum eo*: nam vt ſuprà legimus, Excluſit Chremem. SVBDVXTI TE MIHI? Furtim ſubtraxiſti mihi. Virgil.

——— *Et fidum capiti ſubduxerat enſem* ———.

LVBVIT. Superbum eſt, & meretricium verbum. Sic de Chelidone Cicero ait, *Libenter ait ſe facturam.*

Hvc redde. Idioma eſt, pro contumelia repoſcentis. ſic & in Hecyra, *Renumeret dotem huc: eat.*

Nisi vt mavis eripi. Verum *niſi* pro non & ſi: vt ſit, *Si non tibi illam mauis eripi.*

Tibi illam reddat? Se primùm interponit Chremes, vt adoleſcentulus potuit iam fracto milite.

Avt tv illam tangas? omnivm. Ait vtrumque Chremes. nam quia dixit, *Niſi ſi tibi mauis eripi*, ait, *Tu illam tangas?* & addidit *Omnium.* & eſt ἀνταπόδοσις ſecunda. ſic autem loqui ſolent plus geſtu, quàm verbis conciti. Tibi eam reddat! avt tv eam tangas, omnivm? Magna vis in pronominibus & ſignificatio eſt. vt, *Cantando tu illum?*

Qvid tv tibi vis? Recte. cum Thaide enim loquebatur, non cum hoc.

Ego non tangam meam? Bene addidit *Meam.* hinc enim probatur iniuſte dictum, *Tu illam tangas?*

Tvam avtem fvrcifer? Incongrue, vt imperitus adoleſcens liberum ſeruilibus conuitiis exagitat.

Cave sis, nescis cvi maledicas nvnc viro. Animaduerte paraſitum neque tacere omnino, ne defuiſſe patrono videatur: neque in aliena cauſa iram in ſe transferre. Cave sis. Quia imperatiua verba ſunt contumelioſa. addebant veteres, *ſis*: quod ſignificat *ſi vis.*

Non tv hinc abis? scin' tv vt tibi res se habeat? Hoc paraſito, illud militi Chremes. Scin' tv. Non paraſito, ſed militi dicit.

Faciam vt hvivs loci, dieiqve, meiqve semper memineris. Moris eſt magnas eſſe minas hominum meticuloſorum. Specta ergo quàm acriter timidus comminetur. Hvivs loci, dieiqve, meiqve. *Loci*, in quo læſus. *Diei*, quo cæſus. *Mei*, à quo cæſus.

Miseret tvi me. Hic paraſitus nunc quaſi monitor Chremeti reſpondet.

Qvi hvnc tantvm hominem inimicvm facias tibi. Ne nunc quidem paraſitus à militis aſſentatione diſcedit.

Diminvam ego capvt tvvm hodie, nisi abis. Ruſticius dixit, *Caput tuum diminuam*, quàm ſi diceret, *Diminuam tibi caput.*

Ain' vero canis? Hoc verbo impudentibus inimicis conuitium fieri ſolet. nam militare dictum eſt in hoſtem, *canis*: & apud Homerum pro graui contumelia in aduerſarium dicitur, velut in illo loco, τὸ μὲν ἀγρόμενοι μυλιλάω σοῖτε κυνῶν.

Qvis tv homo es? qvid tibi vis? ἐπιτροχασμὸς figura eſt, vbi multa terribiliter interrogantur: vt, *State viri, quæ cauſa viæ, quíve eſtis in armis? Quóve tenetis iter?*

Scibis. Non obſequenter, ſed ſignate dicitur ab irato. Scibis. Et *ſcies*, & *ſcibis* dicitur poſt productionem tertiæ coniugationis.

Principio eam esse dico liberam. Quo tollitur, *Tuam videri.* Principio. In tria diuiſit officium defenſionis ſuæ. In aſſertoris, *Principio eam eſſe dico liberam.* In cognitoris, *Ciuem Atticam.* In fratris, *Meam ſororem.* Et bonus eſt ordo, *Libera, ciuis, nobilis.*

Civem Atticam. Quo etiam negotium poteſt ei fieri, qui ſe pro domino geſſit in ciuem.

Hvi. *Hui*, *hem*, & cætera huiuſmodi generis ſannæ ſunt aduerſus eos quibus iraſcimur.

Meam sororem. Quo conſtat præſto eſſe defenſionem puellæ.

Os dvrvm. Quaſi ex omnibus hoc ſit impudentius, quòd & ſororem ſuam dicat. Os dvrvm. Os impudens: vt contrà, *molles frontis* dicuntur, qui ſunt reuerentes.

Nvnc adeo edico tibi. Vt ſuperbè, quaſi militi. nam *edictum*, Prætoris dicitur & Imperatoris. Miles, nvnc adeo tibi. *Miles*, contumelioſe dixit. De iis enim eſt officiis quæ ſuo nomine contumelioſa cenſentur. ſicut in Adelphis, *Delibera hoc, dum ego redeo, leno.*

Ne vim facias vllam in illam. Seruanit præcepta meretricis: adeò vt me-

minerit, *Si vim faciet, in ius ducito hominem.*

EGO EO AD SOPHRONAM. Hoc lentius à Thaide Chremeti.

PROHIBEO INQVAM. Non ſatis exercitatè adoleſcens totidem verbis dictum repetit militis.

AVDIN' TV? HIC FVRTI TE ADLIGAT. Gnato occaſionem finiendi litigii iamdudum quærit ob deſiderium menſæ & cibi: & ideo quaſi de iure conſilium ſuggerit, hunc reum militis eſſe poſſe, qui paratus eſt alienam rem ſuam dicere, & id in iure profiteri, hoc eſt apud Prærorē. Ergo *furti ſe adligat*, .i. reum ſe efficit fraudis. Nam μεταληπτικῶς *furtum* pro omni fraude & dolo accipimus & iniuria. ADLIGAT. Aſtringit, illaqueat, & obnoxium facit. Omne igitur quod fraude fit, furtum eſt. Sic Virgilius, *Furta paro belli*, id eſt inſidias. & *Dulcia furta*, id eſt adulteria. Omne malum factum,

Quæ quis apud ſuperos furto lætatus inani
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.

Furtum duobus modis dicitur. Vno, cum omne maleficium generaliter ſignificatur. altero, cum res ſurrepta demonſtratur. Nunc ergo *furtum*, maleficium eſt.

SATIS HOC EST TIBI? Ad repetendam ſcilicet virginem, ſumendámque iniuriæ vindictam.

IDEM HOC TV AIS. Id eſt, hoc quod Chremes, & tanquam Chremes. Et ipſam circumuenturus interrogat, quòd illa intelligens malitioſe ait, Quære qui reſpondeat. ſatis contumelioſe: illud enim quæritur quod difficilè reperitur. Ergo non modo indignus es, inquit, cui ego reſpondeam: ſed vix inuenies qui te dignum reſponſo iudicet.

QVAERE QVI RESPONDEAT. Et contempſit interrogantem: & indixit inimicitias profeſſione iracundiæ, cum dixit indignum militem.

QVID NVNC AGIMVS? Vide vt euanuerit actio militis. Primò dixit, *Omnia prius experiri quàm armis ſapientem decet.* Pòſt, *Idem hoc tu ais, Thais?* Et poſtremò, *Quid nunc agimus?* Et *Quid nunc agimus?* conſilium quærentis eſt. QVID NVNC AGIMVS? Languidi atque defeſſi eſt. QVID NVNC AGIMVS? Vbi eſt illud quod ait, *Primùm ædes expugnabo*, & cetera Sed vani impetus hunc exitum ſemper accipiunt.

QVIN REDEAMVS. *Quin*, modo imò. Non abeamus inquit, ſed redeamus: vt irritos conatus vno verbo oſtenderet.

CREDIN'? Ex parte conſentit qui ſic interrogat. CREDIN'? *Credere*, dubitantis eſt: *Certum eſſe*, fidentis.

VBI NOLIS, CVPIVNT VLTRO. Plus intulit ſpei, non reuocando verbum quod expectabatur, hoc eſt volunt: ſed *cupiunt*. Ergo variauit: non enim intulit, *Volunt vltro*.

BENE PVTAS. Hoc eſt, recte putas, ſapis, vel intelligis. Virgilius, *Multa putans, ſortémque animo miſeratus iniquam.* Vel coniicis. Vel *putas*, diſputas. Vel *putas*, cogitas.

IAM DIMITTO EXERCITVM. *Dimitti exercitus* dicitur, vel pace facta, vel vexatis hoſtibus. Ridicula ergo magnificentia verborum eſt, cum ſint facta deformia.

SANGA, VTI FORTES DECET MILITES, DOMI FOCIQVE FAC VICISSIM VT MEMINERIS. Vt mire in coquum, qui focum curat in domo. quia milites hi fortiter pugnant, qui ſunt memores domorum. Vide ergo quàm vtrumque comicum. Ad ineundum prælium, réſque bellicas Donax primus eſt. ad res domeſticas Sanga, qui coquus. DOMI FOCIQVE. *Domi & Foci*, genitiui ſunt. Cæcilius, *Decora domi.* Plautus, *Quanquam domi cupio, opperiar tamen.*

IAMDVDVM ANIMVS EST IN PATINIS. Hic aperuit cauſam Poeta, cur & inuitus Gnato iret ad litem, & libens domum redeat.

FRVGI ES. Vtilis & neceſſarius à frugibus, quæ quòd his fruamur, dictæ ſunt. *Inde fructus & frumentum.* *Frui* autem eſt veſci. à frumine, quæ eſt ſumma pars gulæ: à qua re, etiam his quæ nec cibo nec poculo ſunt, *frui* dicimur, καταχρηστικῶς: vtpote rebus venereis, & delectatione odoris, viſus, auditus, & ceteris.

ACTVS QVINTI SCENA I.

THAIS. PYTHIAS.

PERGIN' ſceleſta mecum perplexè loqui?
Scio, neſcio, abiit, audiui, ega non adfui.
Non tu iſtuc mihi dictura aperte es quidquid eſt?
Virgo conſciſſa veſte lachrumans obticet.
Eunuchus abiit: quamobrem? quid factumſt? taces?
P. Quid tibi ego dicam miſera? illum eunuchum negant.
Fuiſſe. T. quis fuit igitur? P. iſte Chaerea.
T. Qui Chaerea? P. iſte ephebus frater Phaedriae.
T. Quid ais venefica? P. atqui certò comperi.
T. Quid is obſecro ad nos? quamobrem adductus eſt? P. neſcio;
Niſi amaſſe credo Pamphilam. T. hem miſera occidi.
Infelix, ſiquidem tu iſtaec vera praedicas.
Num id lachrumat virgo? P. id opinor. T. quid ais ſacrilega?
Iſtucine interminata ſum hinc abiens tibi?
P. Quid facerem? ita vt tu iuſſi ſoli creditaſt.
T. Sceleſta, LVPO OVEM commiſiſti. diſpudet
Sic mihi data eſſe verba. quid illic hominis eſt?
P. Era mea tace; tace obſecro, ſaluae ſumus:
Habemus hominem ipſum. T. vbi is eſt? P. hem ad ſiniſtram,
Videſné? T. video. P. comprehendi iube, quantum poteſt.
T. Quid illo faciemus ſtulta? P. quid facias, rogas?
Vide amâbo, ſi non, quum aſpicias, os inpudens
Videtur. non eſt? tum quae eius confidentiaſt!

PEROIN' SCELESTA MECVM PERPLEXE LOQVI? Nunc demum virgo vitiata eſſe cognoſcitur à Thaide, oportune, poſtquam magnopere & defenſa eſt, & retenta. Nam ſtatim conſequentur nuptiæ eius & Chæreæ, qui illam vitiauit. PERPLEXE LOQVI? Ideo *Perplexe*, quia ſtatuerat crimen virginis celare.

SCIO, NESCIO, ABIIT, AVDIVI. Mire ex dictis omnibus pauca decerpit, & oſtendit quid perplexe dixerit: & ſtomachum ſæuientis expreſſit. SCIO. Flere puellam. NESCIO. Vitiatam. ABIIT. Eunuchus. AVDIVI. Domi hoc admiſſum.

EGO NON ADFVI. Cum hæc fierent. Acriter iratorum eſt, ea repetere quæ proximè dixerint quibus iraſcuntur. vt, *En ego victa ſitu, veríque effœta ſenectus.*

NON TV ISTVC, &c. Non eſt hic interrogatio.

VIRGO CONSCISSA VESTE LACHRAMANS OBTICET. Hæc omnia rixam eſſe ſi-

gnificauerant. VIRGO OBTICET. *Tacemus* conſilia. vt, *Nec tacui demens.* *Reticemus* dolores: vt, *Ne verere, ne taice.* *Obticemus* quorum nos pudet. vt in Phormione, *Heus quid nam obtices?*

EVNVCHVS ABIIT. Non *Chereas*, ſed *Eunuchus*: non *Fugit*, ſed *Abiit*, dixit.

QVAMOBREM? QVID FACTVM EST? TACES? Hæc ἀξιώσεις inſtantis dominæ vultum habitúmque demonſtrant.

QVIS FVIT IGITVR? Hæc cunctatiue pronuntianda ſunt: aut quia inuita indicat, aut dubitat de nomine ignoti: aut trepidat per timorem: aut, vt non videatur affuiſſe, cum fuerit actum: aut quia non libenter dicat eius nomen cui iraſcitur. Sed ego agnoſco ancillarum conſuetudinem, quæ obliuioſæ ſunt.

ISTE EPHEBVS. *Ephebus* nomen ad ætatem retulit, non ad facinus commiſſum.

EPHEBVS. Cito oſtendit, cur iſte eunuchus creditur.

QVID AIS VENEFICA? Redit rurſum ad iracundiam. aptum conuitium & comicum in ancillas, venefica, lupa, vipera, & ſacrilega, & cætera.

QVID IS OBSECRO AD NOS? Non rogantis eſt *obſecro*, ſed dolentis.

NISI AMASSE CREDO PAMPHILAM. Deeſt *quòd*: vt ſit, *Niſi quòd*.

NVM ID LACRVMAT VIRGO? Vt ſuprà, *Id verò ſerio triumphat*: pro, ob id.

ID OPINOR. Callide Pythias *Opinor* dixit, cum ſciat.

QVID AIS SACRILEGA? αὔξησις. nam primo *ſceleſta*, deinde *venefica*, poſtremo *ſacrilega*.

ISTVCINE INTERMINATA SVM. Satis moraliter, *Iſtucine interminata ſum*: pro, *Non iſtuc tibi comminata ſum?* *Iſtucine interminata ſum hinc abiens tibi?* Apparet hæc poſt ſcenam eſſe mandata nam ſuprà non meminit: ſed dixerat, Tamen hos prius introducam: & quæ volo ſimul imperabo: poſtea continuò exeo.

ITA VT TV IVSTI, SOLI CREDITA EST. Dixerat enim prius Chærea, *Edicit ne vir quiſquam ad eam adeat, & mihi ne abſcedam, imperat.* IVSTI. συγκοπὴ καὶ μεταπλασμός, pro *iuſſiſti*.

SCELESTA, OVEM LVPO COMMISISTI. Bene dilatum tot occaſionibus prouerbium, perſonæ Thaidis aſſcriptum eſt. continet enim fœmineam reuerentiam & meretricium ſenſum, reditque rurſus ad minora conuitia: quia videt ſe eſſe conuictam. & eſt prouerbium. *Ouem lupo commiſiſti*.

SIC MIHI DATA ESSE VERBA. Videtur plura fuiſſe dictura, niſi ſuperueniſſet Chærea.

QVID HOMINIS ILLIC EST? Per genitiuum caſum iniurioſe dicitur: per nominatiuum, honorifice. QVID HOMINIS ILLIC EST? Non continuò agnoſcit hunc hominem meretrix: quia etſi adhuc Eunuchi veſte indutus eſt, attamen exuit ſpadonis inceſſum: vultum, habitúmque mutauit: & præter veſtem, totus in Chæream redit.

ERA MEA TACE TACE OBSECRO. Blande ac puellariter arridet.

TACE. Non ſilentium indicentis eſt, ſed ſecuram facientis: vt, *Tace, egomet conueniam ipſum.* HABEMVS HOMINEM. Mire *hominem* dixit, vt reum.

IVBE COMPREHENDI. Pro *comprehende*. *Iube* enim *velle* ſignificat.

QVANTVM POTEST. Deeſt *cito*. QVID ILLO FACIEMVS STVLTA? Subauditur *comprehenſo*.

QVID FACIAS, ROGAS? Moraliter expreſſit puellæ ſtupentis verba, & non habentis quid reſpondeat ad ea quæ dicta ſunt.

VIDE AMABO, SI NON CVM ASPICIAS, OS IMPVDENS VIDETVR. Mire ab eo quod reſpondere cœperat, ad aliud tranſit, mirata confidentiam Chæreæ. Non eſt impudens inquit, non eſt niſi ſimilis impudenti. Sic alibi, *Seueritas ineſt in vultu, atque in verbis fides*.

ACTVS QVINTI SCENA II.

CHAEREA. THAIS. PYTHIAS.

APVD Antiphonem vterque, mater & pater,
Quaſi dedita opera domi erant, vt nullo modo
Introire poſſem, quin viderent me: interim
Dum ante oſtium ſto, notus mihi quidam obuiam
Venit: vbi vidi, ego med in pedes, quantum queo,
In angiportum quoddam deſertum: inde item
In aliud, inde in aliud: ita miſerrimus
Fui fugitando, ne quis me cognoſceret.
Set éſtne haec Thais, quam video? ipſaſt: haereo.
Quid faciam? quid mea autem? quid faciet mihi?
TH. Adeamus. bone vir Dore ſalue: dic mihi,
Aufugiſtin'? CH. era, factum. TH. ſatin' id tibi placet?
CH Non. TH. credín' te inpune habiturum? CH. vnam hanc noxiam
Omitte: ſi aliam admiſero vmquam, occidito:
TH. Num meam ſaeuitiam veritus? CH. non. TH. quid igitur?
CH. Hanc metui, ne me criminaretur tibi.
T. Quid feceras? C. paulùlum quiddam. T. eho paulùlum inpudens!
An paulum hoc eſſe tibi videtur, virginem
Vitiare ciuem? CH. conſeruam eſſe credidi.
PY. Conſeruam! vix me contineo quin inuolem in
Capillum: monſtrum, etiam vltrò deriſum aduenit.
TH. Abin hinc inſana. PY. quid ita verò abeam?
Credo iſti quicquam furcifero, ſi id fecerim:
Praeſertim cum ſe ſeruum fateatur tuum.
TH. Miſſa haec faciamus. non te dignum Chaerea
Feciſti. nam ſi ego digna hac contumelia
Sum maximè, at tu indignus qui faceres tamen.
Neque aedepol, quid nunc conſilij capiam ſcio
De virgine iſtac: ita conturbaſti mihi
Rationes omnes: vt eam non poßim ſuis,
Ita vt aequom fuerat, atque vt ſtudui, tradere:
Vt ſolidum párerem hoc mihi beneficium Chaerea.
CH. At nunc dehinc ſpero aeternam inter nos gratiam
Fore Thais: ſaepe ex huiuſmodi re quapiam, &

MALO PRINCIPIO magna familiaritas
Conflataſt. quid ſi hoc quiſpiam voluit deus?
TH. Equidem pol in eam partem accipióque, & volo.
CH. Imo ita quaeſo. vnum hoc ſcito : contumeliae
Non me feciſſe cauſa, ſed amoris. TH. ſcio.
Et pol propterea magis nunc ignoſco tibi.
Non adeò inhumano ingenio ſum Chaerea,
Neque ita inperita, vt quid amor valeat, neſciam.
CH. Te quoque iam Thais, ita me Di bene ament, amo.
PY. Tum pol tibi ab iſtoc era cauendum intellego.
CH. Non auſim. PY. nihil tibi quidquam credo. TH. deſinas.
CH. Nunc ego te in hac re mihi oro vt adiutrix ſies.
Ego me tuae commendo & committo fidei.
Te mihi patronam capio Thais: te obſecro.
Emoriar ſi non hanc vxorem duxero.
TH. Tamen ſi pater. C. quid? ah volet, certò ſcio:
Ciuis modo haec ſit. T. paululum opperirier
Si vis : iam frater ipſe hìc aderit virginis.
Nutricem accerſitum iit quae illam aluit paruolam.
In cognoſcendo tute ipſe aderis Chaerea.
C. Ego verò maneo, T. vin interea, dum is venit,
Domi opperiamur, potius, quàm hìc ante oſtium?
C. Immò percupio. PY. quam tu rem actura obſecro es?
TH. Nam quid ita? P. rogitas? hunc tu in aedis cogitas
Recipere poſthac? T. cur non? P. crede hoc meae fidei,
Dabit hic aliquam pugnam denuo. T. au, tace obſecro.
P. Parum perſpexiſſe eius videre audaciam.
C. Non faciam Pythias. PY. non pol credo Chaerea,
Niſi ſi commiſſum non erit. CH. quin Pythias
Tu me ſeruato. P. neque pol ſeruandum tibi
Quidquam dare auſim, neque te ſeruare. apage te.
TH. Adeſt optumè ipſe frater. C. perii hercle, obſecro
Abeamus intrò Thais : nolo me in via
Cum hac veſte videat. T. quamobrem tandem? an quia pudet?
C. Id ipſum. PY. idipſum? virgo verò. T. i-prae, ſequor.
Tu iſtic mane, vt Chremem introducas, Pythias.

APVD ANTIPHONEM VTERQVE. Rediens in viciniam ſuam cauſam reddit Chærea, cur non mutauerit veſtem. Oportuit autem. & de neceſſitate argumenti fuit, Chæream non mutaſſe veſtem: vt cum meretrix virginem à Chærea vitiatam audiret, & eum cum turpi habitu incedentem intueretur, eum reum vitiatæ virginis putaret. *Apud Antiphonem* dixit, pro in domo eius.

VTERQVE, MATER ET PATER. Non, vterque pater, & vtraque mater, ſed *vterque parens*: quia pater & mater.

QVASI DEDITA OPERA DOMI ERANT. Non tam mirum, ſi domi erant: ſed illud magis mirum, quòd in ea domus parte, qua in ædes introeundum erat adoleſcentulo.

VT NVLLO MODO INTROIRE POSSEM. Superius cauſa continetur cur non mutauerit veſtem. Inferius autem cur huc redierit.

QVIN VIDERENT ME. *Quin* modò, pro quo minus. DVM ANTE OSTIVM STO. Antiphonis ſcilicet.

NOTVS MIHI QVIDAM OBVIAM VENIT. An notus, qui me poſſet agnoſcere? an qui me nouerit, id eſt amicus?

QVANTVM QVEO. Deeſt *velociter*.

IN ANGIPORTVM. Vide illum non vitaſſe ſub vna clauſula bis *in* dicere, *in pedes, in angiportum*. *Angiportum* dicebant vicum non peruium, viam publicam. IN ANGIPORTVM QVODDAM DESERTVM. Deeſt, fugiens.

ITA MISERRIMVS FVI FVGITANDO. Id eſt fatigatus, laſſus, & languidus ſum dum fugio. Et honeſta locutio eſt: vt, *Miſer amando, miſer currendo*.

NEQVIS ME COGNOSCERET. Nota impropriè dictum pro *Agnoſceret*.

SET ESTNE HAEC THAIS QVAM VIDEO? Iampridem ipſe viſus, nunc primum videt.

HAEREO. Incertus remaneo atque defigor. Primus metus adimit conſilium: ſed recogitatio reddit confidentiam.

QVID MEA AVTEM. Colligit ſe rurſus ad impudentiam Chærea. & vide ſi non eadem eſt audacia in Chærea, quæ in ſuſcipiendo facinore fuit. & ἑλληνικῶς, quid mea autem?

QVID FACIET MIHI? Opportunè ſe confirmauit, quia ſi extimuiſſet & fugiſſet, nihil nuptiæ promouerentur.

BONE VIR DORE. Hoc totum figuratè dixit, vt meretrix, & ſubtiliter. Nam ſcit Chæream eſſe quem alloquitur, non eunuchum. Et hic magna occaſio datur meretrici adeundi adoleſcentis, qui habitum non mutauit: & adhuc quaſi eunuchus & ſeruus eſt. BONE VIR DORE SALVE. Maior obiurgatio eſt per hanc diſſimulationem Thaidis aduerſus Chæream, quàm ſi illum id, quod eſt, appellet.

ERA, FACTVM. Non potuit ſubtilius reſpondere Chærea, quàm accommodare ſe interroganti.

SATIN' ID TIBI PLACET? Hoc poteſt & non figuratè dici, ſed aperte.

VNAM HANC NOXIAM MITTE. Triſyllabo nomine *Noxiam* dixit, quaſi noxam. Alibi aliter, *Dominam* dixit *extra noxam*.

SI ALIAM ADMISERO VMQVAM, OCCIDITO. Verba ſeruorum, quibus nihil horribile eſt poſt præſentes plagas. Et non *Cædito*, ſed *Occidito*: & non *Alias* dixit, quaſi illa Chæreæ dixerat, at hic irriſor eſt vt fugitiuus.

NVM MEAM SAEVITIAM VERITVS ES? Vt fugeres.

HANC METVI NE ME CRIMINARETVR TIBI. Perfectè imitatus eſt verba fugitiuorum, quæ apud dominos faciunt comprehenſi.

VITIARE CIVEM. Benè intulit *Ciuem*: quòd plus eſt quàm virginem vitiare. αὔξησις gradatim facta.

CONSERVAM ESSE CREDIDI. Locus erat vt diceret, *Seruam eſſe credidi*, ſed admirabiliter *Conſeruam* dixit. & hoc ipſum, miſerabiliter pronuntiandum eſt: tanquam miſerabiliter crediderit conſeruam eſſe quæ ciuis erat: atque eam quaſi conſeruam vitiare debuerit.

CONSERVAM! Oportune ſtomachabatur Pythias facta mentione conſeruæ.

VIX ME CONTINEO QVIN INVOLEM IN CAPILLVM. Minæ iſtæ propriè ſunt mulierum ſunt, & in ſe, & in alios vnguibus ſæuientium: vt, *Vnguibus ora ſoror fœdans, & pectora pugnis.* Sed *inuolem*, ab auibus tractum eſt. vt apud Virgilium, *Prædam pedibus circumuolat vncis.* Ergo hoc geſtu, & dicto, & corporis motu eſt adiuuandum. INVOLEM IN CAPILLVM. Apparet more veterum intonſum eſſe.

ETIAM VLTRO DERISVM ADVENIT. Mire nunc addidit accuſationem, quòd non ſaltem fugeret.

DEBEAM CREDO ISTI QVICQVAM FVRCIFERO. Subauditur *verò*, aut εἰρωνικῶς pronuntiandum eſt. Sane debere dicimur pœnas pro iniuria, ei cui iniuriam fecerimus: quas ſe non debituram Chæreæ vt furcifero dicit Pythias, ſi illi cædem intulerit in ſeruili habitu conſtituto. SI ID FECERIM. Si inuolauerim in capillum eius.

MISSA HAEC FACIAMVS. Hæc ſcilicet iocularia & futilia.

NON TE DIGNVM CHAEREA FECISTI. Artificioſe meretrix ab eo quod licuit, ad id quod oportuit tranſit: nec tractat quid ſit legitimum, ſed quid honeſtum. Itaque totam illam partem facti accuſandi omittit, & ab accidentibus perſonæ adoleſcentis obiurgat. ſcit enim vno verbo obſtari poſſe, *Licuit mihi*, in domo meretricia ſcilicet: ne videatur irrationabilis audacia illa ingenui à poëta inducta eſt. NON TE DIGNVM. *Dignum*, pro digne. aut deeſt *facinus*: vt ſit, *non te dignum facinus feciſti.* Mira accuſatio mixta laudi & blandimento.

NAM SI EGO DIGNA HAC CONTVMELIA SVM. Deeſt *&*, vt ſit ordo, Nam etſi maxime. Et bene additum eſt *Maxime*, vt appareat quod etſi digna pati ſit meretrix: non tamen maxime digna pati Thais eſt.

AT TV INDIGNVS QVI FACERES TAMEN. Recte dixit: quatuor enim ſunt modi in huiuſmodi rebus: ita vt aut vterque dignus ſit, aut vterque indignus: aut alter dignus, alter indignus: aut contrà.

NEQVE AEDEPOL, QVID NVNC CONSILII CAPIAM SCIO DE VIRGINE ISTAC. Intelligit Thais amari virginem ab hoc: & ideo ſic ait, vt conciliet nuptias: nam ſatis ſigni eſt, quòd eunuchi habitum propter hanc ſumpſit. Et vide quemadmodum ad captionem nuptiarum res eant: quod tamen dicere non audet Thais: ſed oſtendit adoleſcenti coniectutis, quem tentat, ſciens amantem virginem: & viam oſtendit petendi ſibi vxoris.

HOC MIHI BENEFICIVM CHAEREA. Blande nomen repetitum eſt, Chærea.

AT NVNC DEHINC SPERO. Nunc iam Chærea vera veris æquiparans, recedit à iocularibus.

SAEPE EX HVIVSMODI RE. Hoc eſt turbulenta. QVAPIAM. Quacumque, vel aliqua.

QVID SI HOC QVISPIAM VOLVIT DEVS? Pleráque repentinis impulſionibus nata, miriſque prouentibus deo aſcribi ſolent: vt, *Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes Expedior.* Et, *Hinc me digreſſum veſtris deus appulit oris.* Et Salluſtius, *Vt tanta repente mutatio non ſine deo videretur.* QVID SI HOC QVISPIAM VOLVIT DEVS? Vult amorem intelligi deum.

EQVIDEM POL IN EAM PARTEM ACCIPIOQVE ET VOLO. Vt æterna inter vos ſit gratia, & ex malo principio compleatur magna familiaritas. ET VOLO. Euenire ſubauditur, & eſt σύλληψις tertia.

IMO ITA QVAESO. Vtrum meretricem, an deos quæſo? vtrumque enim accipi poteſt.

VNVM HOC SCITO. SCIO. Vnde hoc ſciat Thais, inepte quæritur, quum ipſa res clamet nunquam hanc conditionem ſubiturum Chæream, vt pro eunucho etiam ſeruo, ſe fingeret ſine amoris impulſu.

NVNC IGNOSCO TIBI. Quòd culpa non ſit hominis, ſed amoris.

NON ADEO INHVMANO INGENIO SVM CHAEREA. Hoc eſt immitis non ſum, quantum putas: vt, *Non obtuſa adeò geſtamus pectora Pœni.*

NEQVE TAM IMPERITA. Idæſt, non experta.

VT QVID AMOR VALEAT, NESCIAM. Non *inhumana*, quia homo. non *imperita*, quia meretrix. *Et neque tam imperita* inquit: quaſi dicat Neque tam pudica ſum, vt quid amor valeat, neſciam.

TE QVOQVE IAM THAIS. Bene *quoque*: non enim iam hanc ita amat, vt negligat illam: ſed hanc illius cauſa.

POL TIBI AB ISTOC ERA CAVENDVM. Facete. tanquam qui ſoleat capillum & veſtem eius conſcindere, quam amauerit.

NON AVSIM. Pro, *non audebo*; & eſt verbum huius temporis tantum. NON AVSIM, Vtrum propter ætatem? an propter fratrem ſuum Phædriam potius?

NIHIL TIBI QVICQVAM. παρέλκον quartum: aut *nihil*, pro *non*.

DESINAS. Pro eo quod eſt, *desine*. aut deeſt *fac*: vt ſit, *fac desinas*.

EGO ME TVAE COMMENDO ET COMMITTO FIDEI. Satis amatorie. vt appareat nunc maxime captum Chæream, ac mancipatum virgini. *Commendamus* nos cognitis: *Committimus* ignotis. Ergo αὔξησις eſt maioris officii, fideique circa Thaidem.

TE MIHI PATRONAM CAPIO. *Te* adiectum, vim habet, & ex animo ſupplicantis habitum adoleſcentis oſtendit.

EMORIAR, SI NON HANC VXOREM DVXERO. Vide amatorem adoleſcentulum, cui in ipſo flore nihil dulcius vita eſt, ipſam deſpicere, ſi ſibi vxor non datur.

TAMEN SI PATER. ἔλλειψις, aut ἀποσιώπησις ſecunda.

QVID? AH VOLET, CERTO SCIO. *Quid?* deeſt *dicas*. ſed iſta omnia ad confirmationem valent.

CIVIS MODO HAEC SIT. Mire hîc in votum conuerſum eſt, quod timere potuit non ducturus vxorem.

PAVLVLVM OPPERIRIER SI VIS, IAM FRATER IPSE HIC ADERIT VIRGINIS. Adeò cito probari poteſt.

EGO VERO MANEO. Modo *verò*, conſentientis eſt aduerbium. aliàs confirmantis, aliàs coniunctio, aliàs particula ironiam iuuans: vt, *Egregiam verò laudem, & ſpolia ampla refertis Túque puérque tuus.*

DOMI OPPERIAMVR POTIVS, QVAM HIC ANTE OSTIVM? Non ignara illecebrarum meretrix, non ſolum Chæream retinet: verum etiam vocat, vbi virgo eſt. & ſatis callide interrogat an velit: quaſi neſciat velle.

IMO PERCVPIO. Amatorie. non *Volo*, ſed *Percupio*.

HVNC TV IN AEDES. Pronomen in his plus valet quàm accuſatio. HVNC TV IN AEDES COGITAS? Mire: cum illa iam velit, *Cogitas* dixit, volens vt recogitet. IN AEDES COGITAS RECIPERE POSTHAC? Per ancillæ verba vult oſtendere quàm ſit tractandorum adoleſcentium perita meretrix. POSTHAC? Poſt hoc factum, poſt hanc audaciam.

CREDE HOC MEAE FIDEI. Puellariter dixit, *Mea fidei*.

DABIT HIC ALIQVAM PVGNAM DENVO. Pro ſtupro: vt, *At non in Venerem ſegnes, nocturnáque bella.* Vt, *Veretú que bella & ingens facinus.* Vt Lucilius, *Vicimus ô ſocii, & magnam pugnauimus pugnam.* *Dabit* autem, proprie pro inducet; vt, *Magnam dabit ille ruinam.*

AV, TACE OBSECRO. *Au*, interiectio eſt perturbatæ mulieris: vt apud Græcos ἰού.

PERVM PERSPEXISSE EIVS VIDERE AVDACIAM. *Parum* εἰρωνεία eſt. Et non *Senſiſſe*, ſed *Perſpexiſſe* dixit: vt iam non ſit experienda illius audacia, quæ ſit perfecte cognita.

NON FACIAM PYTHIAS. Bene & moraliter appoſitum, *Pythias*.

NON POL CREDO CHAEREA, NISI EI COMMISSVM NON ERIT. Iculariter, vt illei *Pythias* dicit: ita hæc, *Charea*.

QVIN PYTHIAS. Iterum nomen vultuoſe eſt additum. *Quin*, pro imò.

NEQVE POL SERVANDVM TIBI QVICQVAM DARE AVSIM. Totum garrule & geſticuloſe, vt puellam cum adoleſcentulo fabulari videas.

ADEST OPTVME IPSE FRATER. *Optume*, oportune. Et non eſt additum, cuius frater: vtpote in re manifeſta.

Nolo me in via cvm hac veste videant. Subtiliter adoleſcens, quia nihil profecerat dicendo, *Percupio*: inuenit cauſam qua tandem ingredi poſſit.

Qvamobrem tandem. Pro *tamen*. Interrogatio hæc increpationem continet impudentiſſimi facti.

An qvia pvdet? Hæc interrogatio irriſionis plena eſt in eum quem nihil pudet.

Idipsvm Hoc veluti moleſto vultu dicitur: adeò vt imitetur dictum, vultúmque eius Pythias.

Virgo vero. *Vero* εἰρωνικῶς. nam εἰρωνεία eſt: vt, *Egregiam verò laudem*. Virgo. Quaſi qui minimè pudicitiæ ſtatum ac verecundiæ virginalis veneretur.

I prae, seqvor. Manifeſtum eſt cur meretrix docta capiendorum iuuenum, præire velit Chæream, & in conſequendo ipſa ſit tardior. vult enim liberum ſine arbitris cum puella eſſe colloquium, & licitum amorem. Niſi fortè putamus Terentium hæc ſine cauſa feciſſe, qui ſit artificioſiſſimus poeta. nam neque ipſa ingreditur cum Chærea, neque ingredi ſimul permittit Phædriam.

Tv istic mane, vt Chremem introdvcas. Relicta eſt Pythias ob multas cauſas: & in primis vt poſſit per eam deluſus Parmeno pauore ſuo ſenem compellere ingredi ad meretricem, & præſentem fieri ad confirmandas nuptias.

Actvs qvinti Scena III.

PYTHIAS. CHREMES. SOPHRONA.

QVID, quid venire in mentem nunc poſſit mihi,
Quidnam? quî referam illi ſacrilego gratiam,
Qvi hunc ſuppoſuit nobis? CH. moue verò ocius
Te nutrix. SO. moueo. CH. video, ſet nihil promoues.
P. Iámne oſtendiſti ſigna nutrici? CH. omnia.
P. Amâbò, quid ait? cognoſcitne? CH. ac memoriter.
P. Bene aedepol narras: nam illi faueo virgini.
Ite intro: iamdudum era vos expectat domi.
Virum bonum eccum Parmenonem incedere
Video. vide vt otioſus it, ſi dis placet!
Spero me habere, qui hunc meo excruciem modo.
Ibo intrò, de cognitione vt certum ſciam:
Pòſt exibo, atque hunc perterrebo ſacrilegum.

QVid, qvid venire in mentem, In hoc loco cogitantis diſputatio eſt apud ſeipſam Pythiæ quatenus Parmenonem dolo poſſit vlciſci.

Qvidnam. Sic Cicero, *Sed earum rerum artificem, quem? quemnam? rectè admones, Polycletum eſſe dicebant.*

Qvi referam. *Quî*, quomodo, vel vt.

Qvi hvnc svpposvit nobis? Proprie *ſuppoſuit*. nam vt *ſubduci* dicuntur quæ noluimus amittere, ita *ſupponi* quæ non deſideramus. Sic Plautus, *Ei pro ſcorto ſupponetur hircus vnctus nautea.*

Move vero ocivs te, nvtrix. *Verò*, pro interiectione poſuit ſtomachantis.

Video, set nihil promoves. Hinc eſt illud Virgilianum, *Illa gradum celerans ſtudio properabat anili.* Scilicet non re celerabat, ſed ſtudio. Promoves. proficis.

Ama-

Amabo qvid ait? cognoscitne? Exhibitum ſpectatori eſt quid poſt ſcenam geratur, id eſt agnitio puellæ.

Ac memoriter. Plus intulit quàm interrogabatur: nam magna ſunt ſigna in quibus anilis memoria non errat. Ac memoriter. Reſponſionis breuitas attulit compendium perquirenti, ne plura interrogaret.

Nam illi faveo virgini. Quaſi dicat, illi faueo, non Chæreæ. & ſimul cauſa eſt cur illum vlciſci cupiat: quia ſcilicet multum illi fauet.

Virvm bonvm. εἰρωνεία. Eccvm Parmenonem incedere video. Res odio dignior, nouitate ſcilicet inceſſus.

Vide vt otiosvs it. Inuidet illi ſecuritatem, quem ſollicitum tedditura eſt: non enim vlla alia erit vindicta pòſt, præter iſtam. Vide, vt vtiosvs it. Vultu dicit, & geſtu eum eſſe ſecurum. Et mire Poeta lætum deſcribit, vt repente oſtendat eſſe commotum.

Si dis placet! Proprium eſt exclamantis propter indignitatem alicuius rei. Spero me habere. Pro *habituram.* aut *Spero* pro *credo*, more ſuo. Meo modo. id eſt, vt volo.

Ibo intro, de cooNitione vt certvm sciam. Eleganter defatigare Parmenonem non neceſſarium putat, ſed ex occaſione. Nam poſt eum dicit ſe ire intro: excitura autem, vt ipſum in timorem coniiciat.

Actvs qvinti Scena IIII.

PARMENO. PYTHIAS.

REVISO quidnam Chaerea hîc rerum gerat.
Quòd ſi aſtu rem tractauit, Di voſtram fidem!
Quantam, & quàm veram laudem capiet Parmeno.
Nam vt mittam, quòd ei amorem difficillimum, &
Cariſſimum ab meretrice auara: virginem
Quam amabat, eam confeci ſine moleſtia,
Sine ſumptu, ſine diſpendio. tum hoc alterum
Id verò'ſt quod ego mihi puto palmarium,
Me repperiſſe, quo modo adoleſcentulus
Meretricum ingenia, & mores poſſet noſcere:
Mature vt quum cognorit, perpetuò oderit.
Quae dum foris ſunt, nihil videtur mundius,
Nec magis compoſitum quidquam, nec magis elegans:
Quae, cum amatore ſuo quum cenant, liguriunt.
Harum videre inluuiem, ſordes, inopiam,
Quàm inhoneſtae ſolae ſint domi, atque auidae cibi:
Quo pacto ex iure heſterno panem atrum vorent:
Noſſe omnia haec, ſalus eſt adoleſcentulis.
PY. Ego pol te pro iſtis dictis & factis, ſcelus,
Vlciſcar: vt ne inpunè in nos inluſeris.

Proh fidem deûm! facinus foedum! ô infelicem adoleſcentulum!
O ſceleſtum Parmenonem! qui iſtum huc adduxit. PA. quid eſt?
PY. Miſeret me: itaque vt ne viderem, miſera huc effugi foras.
Quae futura exempla dicunt in eum indigna? PA. ô Iuppiter,
Quae illaec turba eſt? numnam ego perii? adibo. quid iſtuc Pythias?
Quid ais? in quem exempla fient? PY. rogitas audaciſſime?
Perdidiſti iſtum, quem adduxti pro eunucho adoleſcentulum,
Dum ſtudes dare verba nobis. PA. quid ita? aut quid factumſt? cedò.
PY. Dicam: virginem iſtam, Thaidi quae hodie dono dataſt,
Scis eam hinc ciuem eſſe, & fratrem eius eſſe apprimè nobilem?
PA. Neſcio. PY. atqui ſic inuentaſt: eam iſte vitiauit miſer.
Ille vbi reſciuit factum frater violentiſſimus,
PA. Quidnam fecit? PY. colligauit primùm eum miſeris modis. P. hem.
Colligauit! PY. atque equidem orante, vt ne id faceret, Thaide.
PA. Quid ais? PY. nunc minatur porrò ſeſe id, quod mœchis ſolet.
Quod ego numquam vidi fieri, neque velim. PA. qua audacia
Tantum facinus audet? PY. quid ita tantum? PA. an non tibi hoc maximum eſt.
Quis homo pro mœcho vnquam vidit in domo meretricia
Praehendi quemquam? PY. neſcio. PA. anne hoc neſciatis, Pythias,
Dico, edico vobis, noſtrum eſſe illum erilem filium. PY. hem,
Obſecro an is eſt? PA. ne quam in illum Thais vim fieri ſinat:
Atque adeò autem cur non egomet intrò eo? PY. vide Parmeno
Quid agas, ne neque illi proſis, & tu pereas. nam hoc putant,
Quidquid factumſt, ex te eſſe ortum. PA. quid igitur faciam miſer?
Quidve incipiam? ecce autem video rure redeuntem ſenem:
Dicam huic, an non? dicam hercle, etſi mihi magnum malum
Scio paratum: ſet neceſſe eſt, huic vt ſubueniat. PY. ſapis.
Ego abeo intrò: tu iſti narra omnem rem ordine vt factum ſiet.

REVISO QVIDNAM CHAEREA, &c. ASTV. Pro *aſtute*, modo aduerbium eſt: alias nomen: vt, *An in aſtu venit?*

DI VOSTRAM FIDEM. Modo non inuocantis eſt, ſed admirantis. & eſt figura ἐπιμονὴ per ἐκφώνησιν facta.

NAM VT OMITTAM QVOD EI AMOREM DIFFICILLIMVM ET CARISSIMVM. Quum dicere deberet, quòd ei amorem & difficillimum & cariſſimum confeci: primò quaſi oblitus dicti ſuperioris, tranſit ad virginem. deinde addit cauſam ex abundanti. Quòd ſi dixiſſet, *amorem confeci*: poſſet intelligi *confeci*, expediui, perfeci. At verò *virginem confeci*, quid intelligemus, niſi hoc vnum, quòd inſultat Parmeno confectam virginem, quaſi dicat ſuperatam atque deuictam? Nam proprie hoc verbum conuenit gladiatoribus iis, qui grauiſſimis vulneribus occubuerunt. Sic Cicero in Catilinam, *Gladiatori*

illis confectis & ſaucio. Conuenit ergo ſeruilibus verbis, & velut iocoſe, verniliterque iactanti rem confectam eſſe in puella virgine, & non exhibere Chæreæ damnum vel negotium.

AB MERETRICE AVARA: VIRGINEM QVAM AMABAT. ἀνταπόδοσις ſecunda: *Difficillimum*, quia virginem quam amabat: *Cariſſimam*, quia à meretrice auara.

ID VERO EST. *Vero*, niſi ornatiuum eſſet, nihil ſignificaret. PALMARIVM. Palma dignum.

MERETRICVM INGENIA. Optime, non *meretricis* dixit, ſed potius *meretricum*.

MATVRE. Cito & ante tempus. VT CVM COGNORIT. Suauiter non *Nouerit*, ſed *Cognorit*, dixit: quod eſt plenæ perſpicaciæ. MATVRE VT CVM COGNORIT. Bene addidit *Maturè*. Ferè enim cito cognouiſſe obfuit: ſed id ad illecebram fuit quòd cognitus eſt cito.

QVAE DVM FORIS SVNT. Apud amantes ſcilicet.

NIHIL VIDETVR MVNDIVS. Bene *Videtur*: non enim ſunt.

NEC MAGIS COMPOSITVM QVICQVAM. Bona varietas. nam hæc omnia per *magis* aduerbium profert: nec omnia per comparatiuum gradum.

NEC MAGIS ELEGANS. More ſuo, ne diceret compoſitius aut elegantius: vt ſuprà, *Hoc nemo fuit minus ineptus, magis ſeuerus.*

QVAE CVM AMATORE SVO QVVM COENANT. Vnum *Cum*, præpoſitio eſt. alterum coniunctio. & dicitur hæc figura λεαλότης.

LIGVRIVNT. ἀπὸ τοῦ λιγυροῦ, quod ſecundum Græcos ſuaue intelligitur. *Ligurire* dicitur, qui eleganter, & more lenum multo faſtidio ſuauiora quæque deguſtat.

HARVM VIDERE INGLVVIEM. Ordo erat, *Harum videre ingluuiem, ſordes inopiam, quàm inhoneſtæ ſolæ ſint domi*: id eſt, eum ſolæ ſint, vt inhoneſtæ atque auidæ cibi: quæ quum foris ſunt, cœnant ſcilicet.

QVO PACTO EX IVRE. *Ex* pro *cum* poſitum eſt. aut deeſt *Madidum*, aut *Maceratum*, aut *emollitum*. nam apparet & ſordidum eſſe, & quaſi atrum durúmque panem, qui ex iure heſterno ſit comedendus. Cui contrarium Salluſtius poſuit, de delicijs militum loquens, *Panes enim in dies mercari*, inquit. EX IVRE HESTERNO PANEM ATRVM VORENT. Hoc eſt, vt quidam volunt, ex antiquitate mucidum: quaſi dicat, panem mucidum heſterno iure accipientes deglutiunt.

EGO POL TE PRO ISTIS DICTIS ET FACTIS, SCELVS, VLCISCAR. Miro artificio Poetæ, & ab initio non placatur Pythias, nec in gratiam redit Chæreæ. Et inſuper, nunc mire à Parmenone irritatur magis: vt per eam Parmeno terreatur, & per Parmenonem ingredi ad Thaidem cogatur ſenex: & demum per ſenem nuptiæ confirmentur. Hæc ergo artificibus & eruditis, cætera ſpectatoribus Poeta exhibet.

PROH FIDEM DEVM. Vim magnam oſtendit, deorum implorans fidem: quaſi in hoc negotio nihil poſſit humanum conſilium. PROH FIDEM DEVM. Simulata perturbatione ſui Parmenonem terret Pythias. PROH FIDEM DEVM. Hæc ſingula pronuntianda ſunt pauido & attonito vultu.

FOEDVM. Crudele. Salluſtius, *Fœdi oculi*.

O INFELICEM ADOLESCENTVLVM. Plus eſt miſeriam adoleſcentis dicere Pythiam, quàm iraſci ei.

O SCELESTVM PARMENONEM. Vt verba ſunt, periit profectò miſer adoleſcens, quum in eodem peccato iraſcitur Parmenoni Pythias, non Chæreæ.

MISERET ME. Hæc omnia quaſi ſecum loquitur: & fingit ſe neſcire quòd aſſiſtat Parmeno.

QVAE FVTVRA EXEMPLA DICVNT IN EVM INDIGNA? Graues pœnæ quæ poſſunt cæteris documento eſſe, *exempla* dicuntur. IN EVM INDIGNA? Modo per *indigna*, fœda, crudeliáque ſignificat. Vt Virgilius,

— atque illi Miſenum in littore ſicco,
Vt venere, vident indigna morte peremptum.

QVAE ILLIC TVRBA EST? Quæ loquitur. Aut quam oſtentat ex vultu ac dictis.

Sed apparet, vultum Pythiæ turbam dicere. vt in Andria, *Sed quid Pamphilum exanimatum video? Vereor quid ſiet: opperiar vt ſciam nunc, quidnam hæc turba triſtitiæ adferat.*

Rogitas avdacissime? Totum hoc terribile eſt in geſtu ac vultu Pythiæ, & nimis vſitatum & fœmineum.

Perdidisti istvm, qvem adduxti, &c. Artificioſe non accuſat quid peccauerit aduerſus Thaidem, quaſi ex pœna adoleſcentis plus doleat, quàm iraſcatur Parmenoni.

Dvm stvdes dare verba nobis. Bene, *Studes dare*: neque enim dediſti.

Qvid ita? Deeſt *dicis*: vt ſit, *Quid ita dicis?*

Scis eam hinc civem esse. *Eam*, abundat: quemadmodum ſuprà, *Quam amabat virginem, eam confeci ſine moleſtia.*

Et eivs fratrem apprime nobilem? Hæc ad terrorem & gratiam aucta ſunt. Nam primò *virginem* poſuit, pòſt *ciuem*, ad vltimum *nobilis ſororem.*

Nescio. Perturbatur Parmeno: nec negare potuit, nec conſentire volebat: ſed quaſi defenſionis loco dixit, *Neſcio.*

Atqvi sic inventa est. Facile eſt vt credat, qui dicit *neſcio*. Ergo Pythias non laborat, vt ſuadeat ciuem eſſe. Atqvi sic inventa est. Magnum horrorem incutit audienti, non accuſando, ſed miſerando Chæream.

Frater violentissimvs. Hoc inuentum eſt, quod daretur ad nobilem.

Colligavit primvm evm. Mira tarditas, ad torquendum Parmenonem: ſimul etiam relictus ad ſuccurrendum locus.

Atqve eqvidem orante, vt ne id faceret, Thaide. Adeò violentiſſimus. & recte hoc additum, ne ſperet auxilium à Thaide.

Nvnc minatvr. *Minatur* vt ſuccurri poſſit ei qui non ſit paſſus. Minatvr porro sese. Deeſt *facturum*. Qvod moechis solet. Deeſt *fieri*.

Qvid ita tantvm? Nimis callide Pythias hunc dicit violentum: & tamen iniuſtum, audacémque dici non patitur, ſed defendit, vt magis terreat Parmenonem.

Qvis homo pro moecho vnqvam. Cauſa finalis, virginem ciuem apud meretricem vitiauit: mercedem offert: petitur ad ſupplicium.

Nescio. Quàm aſtutè dixit *Neſcio*: ne laborans ad contradicendum, amitteret fidem ſimplicis perſonæ, ac vera dicentis. vult enim magis nuntii officio fungi, quàm perſuadentis.

Dico, edico vobis. αὔξησις vt ſuprà, *Vbi quæram, vbi inueſtigem?* Dico. Tibi Pythias. Edico. Omnibus tuis. Ergo ad vniuerſos vtrumque refertur, & *dico* & *edico*.

Obsecro an is est? Inſultantis. vt in Phormione, *Hiccine eras?* nam ſciebat eum eſſe.

Ne qvam in illvm Thais vim fieri sinat. Quàm bene prouidet Pythias!

Atqve adeo avtem cvr non egomet intro eo. Pythias, *Vide Parmeno quid agas, ne neque illi proſis, & tu pereas.* Totum hoc ad id addidit, vt ſenex intromittatur ad confirmandas nuptias: ſed poeta hoc agit, perſonæ neſciunt.

Qvidve incipiam? *Facimus* mediocria, *Incipimus* ingentia.

Ecce avtem video rvre redevntem senem. Choragii eſt adminiſtratio, vt opportune in proſcenium.

Dicam hvic, an non? Hoc non eſſet veriſimile, niſi dubitaſſet. Quid enim ad Chæream pertinet, dubitat.

Scio paratvm: sed necesse est. Hæc cauſa dubitandi fuit: quòd hinc Parmenonis, illinc adoleſcentis periculum cernitur.

Sapis. *Sapis* dicit, non videns quid futurum ſit: ſed tantum deriſiſſe contenta.

Sed necesse est. *Dicere*, ſubaudiendum eſt: vt ſit, *Sed neceſſe eſt dicere.* & ἀσυνδέτως inferendum eſt quod ſequitur. Deeſt enim *propterea*, vel quid tale.

ACTVS QVINTI SCENA V.

LACHES. PARMENO.

EX meo propinquo rure hoc capio commodi:
Neque agri, neque vrbis odium me vmquam percipit.
Vbi ſatias cepit fieri, commuto locum.
Set éſtne ille noſter Parmeno? & certe ipſus eſt.
Quem praeſtolare Parmeno hîc ante oſtium?
PA. Quis homo eſt? ehem, ſaluum te aduenire ere gaudeo.
LA. Quem praeſtolare? PA. perij: lingua haeret metu.
LA. Hem! quid eſt, quid trepidas? ſatín ſalue? dic mihi.
PA. Ere primùm te arbitrari quod res eſt, velim:
Quidquid huius factum eſt, culpa non factumſt mea.
LA. Quid? PA. recte ſanè interrogaſti: oportuit
Rem praenarraſſe me. Emit quendam Phaedria
Eunuchum, quem dono huic daret. LA. cui? PA. Thaidi.
LA. Emit! perij hercle. quanti? PA. viginti minis.
LA. Actumſt. PA. tum quamdam fidicinam amat hic Chaerea.
LA. Hem quid? amat? an ſcit iam ille quid meretrix ſiet?
An in Aſtu venit? aliud ex alio malum.
PA. Ere, ne me ſpectes: me inpulſore haec non facit.
LA. Omitte de te dicere: ego te furcifer,
Si viuo. ſet iſtuc quidquid eſt, primùm expedi.
PA. Is pro illo eunucho ad Thaidem deductus eſt.
LA. Pro eunuchón'! PA. ſic eſt. hunc pro mœcho poſtea
Comprehendêre intus, & conſtrinxêre. LA. occidi.
PA. Audaciam meretricum ſpecta. LA. num quid eſt
Aliud mali damníve, quod non dixeris,
Reliquom? PA. tantum eſt. LA. ceſſo huc introrumpere?
PA. Non dubium eſt, quin mihi magnum ex hac re ſit malum:
Niſi quia neceſſe fuit hoc facere, id gaudeo,
Propter me hiſce aliquid eſſe euenturum mali.
Nam iam diu aliquam cauſam quaerebat ſenex,
Quamobrem inſigne aliquid faceret: is nunc repperit.

EX MEO PROPINQVO RVRE HOC CAPIO COMMODI. Annotandum, quòd huius ſcenis nomen apud Terentium non eſt: apud Menandrum Simon dicitur. Ex meo

PROPINQVO RVRE HOC CAPIO COMMODI. Firmatur ſtatus trepidantis ſenis, vt appareat quàm inopinato malo amens fieri poſſit: quod ipſum ſuperius & in Parmenone ſeruatum eſt. Imparatis enim mentibus mala maiora ſunt. Ergo nunc tam otioſus incedit ſenex, vt neque mores increpet, nec quidquam ſuſpicetur mali, ſed agat gratias proximæ villæ: cuius beneficio non ſcit quid in vrbe agerent filii. Et nunc adeſt vbi opus eſt poetæ. Et vide hanc cauſam fuiſſe, cur non ad villam diuerterit. Omnes villas comicas ſuburbanas eſſe, commoditatem ipſam nunc explicat & oſtendit.

NEQVE AGRI, NEQVE VRBIS. Tragicus apparatus. Delicias memorat, qui pericula cogniturus eſt.

ODIVM ME VNQVAM PERCIPIT. Faſtidium ex abundantia eſt.

VBI SATIAS COEPIT FIERI. Suffecerant ad hanc ſententiam duo ſuperiores ii verſus: ſed ἐνέργεια eſt ſenilis eloquii, faceti & garruli ſimul.

COMMVTO LOCVM. Mira breuitate duas res explicuit ſimul. *Vbi ſatietas eſt*, deeſt *Nam*: vt ſit, *Nam vbi ſatietas cœpit fieri.* Et *cœpit*, pro *cœperit*. *Satietas*, odium: ab eo quod præcedit, id quod ſequitur.

SET ESTNE ILLE NOSTER PARMENO? ET CERTE IPSVS EST. Et dubitauit, & firmauit poſteà: vtpote ſenex, viſu iam languido, atque oculis ætate defeſſis.

QVEM PRAESTOLARE PARMENO HIC ANTE OSTIVM? Noue: non, *Cui præſtolare*: ſed, *Quem* dixit. Aliter Tullius in Catilinam, *Qui tibi ad forum Aurelium præſtolarentur.* *Præſtolari*, eſt præſto eſſe & apparere, hoc eſt obſequi.

QVIS HOMO EST? Quare, *Quis homo*, quum prouiderit venientem: vtrum non vult videri prouidiſſe, ne quid fallaciæ paraſſe videatur? Sic & in Andria, *Quaſi de improuiſo reſpice ad eum.* Vel quia perturbatur exanimatus, qui dum quid apud Thaidē geratur, auſcultat, non videt ſenē propius accedere, quem lōgè viderat? An verò idcirco hoc fingit, quia quod parabat dicere de Chærea, poſtquam cominus ventum eſt, non audet loqui?

LINGVA HAERET METV. Virgilius, *Et vox faucibus hæſit.*

QVID EST QVOD TREPIDAS? Inſtandum eſt ſeni ad audienda quæ de facili nunquam fateretur Parmeno.

SATISNE SALVE? *Salvè*, integre, recte, commode. Plautus in Trinummo, *Beneuolens tuus atque* * SATISNE SALVE? Nunc aduerbium eſt: producta eſt e litera. Salluſtius, *Inde ortus ſermo, percontantibus vtrimque, ſatin' ſalue, quàm grati ducibus ſuis, quantis familiaribus copiis agerentur.*

ERE, PRIMVM TE ARBITRARI QVOD RES EST VELIM. Quòd ante narrationem confirmatio inducitur, contra morem & præcepta eſt: ſed meritò, quia perturbatus eſt, licet ſimul * vt non poſſit dicere.

QVIDQVID HVIVS FACTVM EST. Abſolute vt ſuprà, *Et quidquid huius feci, cauſa virginis feci.* Aut deeſt *rei*: vt ſit, *huius* rei. Stomachoſè.

QVID? *Quid*, interrogat. quis enim ante crimen, quàm obiiciatur, aut proponatur, neget?

RECTE SANE. Docte Terentius ipſe ſe reprehendit. Nam ordine factum non eſt præ timore & conſcientia.

EMIT QVENDAM PHAEDRIA EVNVCHVM. Vide narrationem à neceſſariis & vrgentibus cœptam non in ſe continere, niſi quod rei conditio cogit fateri. EMIT, inquit, QVENDAM EVNVCHVM, QVEM DONO HVIC DARET. Non dixit, *Cui dono daret*. Aliter ab amoris mentione cœpiſſet. Deinde τὸ *quendam* ἐξουθενισμὸν ſignificat, & εὐτελῆ τὸν ἀνδρός.

HVIC. *Huic* more ſuo dixit potius, quàm *meretrici*. Quin etiam interrogatus, Thaidi potius dicturus eſt, quàm vt nomen dicat, quo offenditur ſenex. Eunuchi autem ſolius mentio neceſſaria eſt: quia dicturus eſt pro eunucho deductum Chæream.

ACTVM EST. Deſperantis verbum.

TVM QVANDAM FIDICINAM AMAT HIC CHAEREA. Mire & neceſſario variauit. ille *Emit* vt eunuchum mittat ad Thaidem: hic *Amat*, vt deduci ſe pro eunucho velit. QVANDAM FIDICINAM. Extenuatio criminis eſt: non quòd virginem, quòd ciuem vitiauerit.

Hem, qvid? amat? Hæc ſingula pronuntianda ſunt, vt ſtuporem nimiæ indignationis oſtendat.

An scit iam ille qvid meretrix siet? Quia fidicina, meretrix eſt.

An in Astv venit. *In Aſtu*, in vrbem de Piræo. ſic Athenienſes vocabant vrbem ſuam: vnde ipſi incolæ ἀςοὶ vocantur.

Alivd ex alio malvm. Hoc ſeparatim dixit ſenex fixis in Parmenonem oculis.

Me impvlsore haec non facit. Ipſum accuſat conſcientia. non enim quod leuius eſt, dixit, me ſciente: quum plus inſerat, me impulſore.

Ego te fvrcifer, si vivo. Modo omnis ſæuitia comica aut in comminatione eſt, aut in apparatu verborum. Si vivo. ἀποσιώπησις: te vlciſcar. quia neceſſario ſequitur.

Set istvc qvidqvid est. Inuenta cauſa cur ſupplicia differantur, donec vxorem ducat Chærea, & ipſe purget Parmenonem: ſecundum argumenta quæ ſibi ipſe proſpexit, iuſſu coactúque feciſſe, & imperio herilis filii ſui, Chæreæ ſcilicet.

Ad Thaidem dedvctvs est. Vnde ductor ipſe ſceleratus.

Pro evnvchon? Non interrogat, ſed exhorreſcit.

Hvnc pro moecho postea. Bene ſtuduit Terentius *pro* bis numero dicere: & pro eunucho, & pro mœcho. *Pro mœcho* autem quaſi excuſans dixit. Nam verè in virginem Atticam, non pro mœcho, ſed mœchus eſt. Hvnc pro moscho postea. Bene vtrumque *pro*: quia neque eunuchus eſt qui vitiauit virginem: neque mœchus qui in domo meretricia. Et ſpecta quàm oratoriè tranſtulerit mentionem vitiatæ virginis. *Pro mœcho*, inquit, vt culpam Chæreæ ſub meretricis accuſatione celaret. Hvnc pro moecho. Bene totum *pro*: quia neque eunuchus, qui ephebus: neque adulter, qui amator.

Comprehendere intvs, et constrinxere. Quo dicto vim ingeniem inferri ſignificat Chæreæ. *Comprehendere*, ſignificat ſtrictim aliquem in facinore deprehenſum.

Avdaciam meretricvm specta. Maior ἔμφασις accuſationis eſt per pluralem numerum, quàm ſingularem. Sic alibi.

——— *an potius ita me comparem,* *Non perpeti meretricum contumelias?* Avdaciam meretricvm. Oratoriè auertit iram ſenis à ſe, & à Chærea: atque deriuat in meretricem.

Nvmqvid est alivd mali, damnive? Bene interrogat: quia omnia inuitus ſeruus dicere videbatur. Et cum damnum, malum ſit, de proximo collatum diſcernitur: & damnum ad emptionem eunuchi, malum ad comprehenſum pertinet & conſtrictum Chæream.

Cesso hvc intrørvmpere? In tantam formidinem coniectus eſt ſenex, vt non miremur, quòd tam cito nuptias firmet ephebi & virginis: & quamuis non honeſte, tamen quia ex ingenti metu vel indigno matrimonio filii vitam paciſci velit.

Non dvbivm est, qvin mihi magnvm ex hac re sit malvm. Suaue eſt neſcire perſonas quid agat poeta. Ita non periclitaturus Parmeno.

Nisi qvia necesse fvit. *Neceſſe*, eſt nomen. Nam *neceſſus*, *neceſſu*, & *neceſſitas*, & *neceſſum*, lectum eſt.

Id gavdeo. Scilicet vt ſuccurratur Chæreæ periclitanti.

Propter me. Plus dixit, quàm ſi *per me* diceret.

Hisce aliqvid. Meretricibus, non adoleſcentibus. & item pluraliter ſuo more: vt, *Audaciam meretricum ſpecta.* Et, *Non perpeti meretricum contumelias.*

Nam iam div aliqvam cavsam qvaerebat senex. Nota *cauſam*, pro occaſione.

Qvamobrem insigne aliqvid faceret. Manifeſtius hoc Menander explicat, Iam pridem infeſtum meretrici ſenem, poſt corruptum ab ea Phædriam: nunc demum ſe inuenta occaſione vindicaturum. Qvamobrem. Quamuis dixiſſet *cauſam*, intulit *quamobrem*. Insigne aliqvid. Magnum & nobile facinus.

Faceret. ἰδιωτικῶς dixit.

ACTVS QVINTI SCENA VI.

PYTHIAS. PARMENO.

NVMQVAM edepol quidquam iam diu quod magis vellem euenire,
Mihi euenit, quàm quòd modo ſenex intrò ad nos venit errans.
Mihi ſolae ridiculo fuit, quae quid timeret ſciebam.
PA. Quid hoc autem eſt? PY. nunc id prodeo, vt conueniam Parmenonem.
Set vbi obſecro eſt? PA. me quaerit haec? PY. atque eccum video: adibo.
PA. Quid eſt inepta? quid tibi vis? quid rides? pergin'? PY. perii,
Defeſſa iam ſum miſera ridendo te. PA. quid ita? PY. rogitas?
Numquam pol hominem ſtultiorem vidi, nec videbo: ah
Non poſſum ſatis narrare quos ludos praebueris intus:
At etiam primo callidum & diſertum credidi hominem.
Quid ilicône credere ea quae dixi, oportuit te?
An poenitebat flagitii, te authore quod feciſſet
Adoleſcens, ni miſerum inſuper etiam patri indicares?
Nam quid illi credis animi tum fuiſſe, vbi veſtem vidit
Illam eſſe eum indutum pater? quid eſt? iam ſcis te periiſſe.
PA. Hem, quid dixti peſſuma? an mentita es? etiam rides?
Itán' lepidum tibi viſum eſt, ſcelus, nos inridere? PY. nimium.
PA. Siquidem iſtuc inpune habueris. PY. verum? PA. reddam hercle. PY. credo.
Set in diem iſtuc Parmeno eſt fortaſſe quod minitare.
Tu iam pendebis, qui ſtultum adoleſcentulum nobilitas
Flagitiis, & eundem indicas: vterque in te exempla edent.
PA. Nullus ſum. PY. hic pro illo munere tibi honos eſt habitus: abeo.
PA. Egomet MEO INDICIO *miſer, quaſi ſorex, hodie perij.*

NVMQVAM AEDEPOL IAM QVIDQVAM IAM DIV. Pythias egreditur veluti irriſura Parmenonem vt ipſa putat. egredi autem à poeta cogitur, vt doceat populum quid intus egerit ſenex. Ergo perſona cachinnans inducitur, quærens Parmenonem: aſpectu que eius ob nimium riſum vix loqui poſſe. NVMQVAM AEDEPOL QVIDQVAM. Rarum eſt euenire quod velis: & quod maxime velis, id rarum magis.

INTRO AD NOS VENIT ERRANS. Non greſſu errans, nec via: ſed animo & opinione.

MIHI

MIHI SOLAE RIDICVLO FVIT. *Soli* regulariter dicitur: *ſola* non recte, ſed antique. vt alibi, *Hoc ipſa in itinere, altera dum narrat, fortè audiui.*

QVID HOC AVTEM EST. Ridentem miratur Parmeno. NVNC ID PRODEO. Propter id.

QVID RIDES? PEREON'? Ex huius verbis oſtendit quàm multum rideat petulans puella.

PERII. Proprie hic verbum eſt aptum, quaſi ſit laſſa ridendo. NVNQVAM AEDEPOL HOMINEM STVLTIOREM VIDI. Poſtquam *rogas* dixerat, quaſi narratura videbatur: & redit ad inſultationem.

QVOS LVDOS PRAEBVERIS INTVS. Ex errore & metu nimio ſenis credentis conſtrictum filium ſe offenſurum in domo meretricis.

AT ETIAM PRIMO CALLIDVM AC DISERTVM CREDIDI HOMINEM. Hæc omnia ſic in ſcena pronuntiata ſunt, vt riſu interrumpi verba puellæ viderentur. Maioriſque inſultationis eſt, ſi is qui fatigat alterum, dicat ſe antè de illo multo aliter ſenſiſſe.

ILICONE CREDERE. Non ideo hoc dicit, quòd perſonæ ſuæ fidem deroget: ſed quòd res incredibilis fuerit, quam illi perſuaſerit: aut certe ſi credendum fuerit, non ſtatim neque examinata, neque facta rei cognitione. ILICONE CREDERE. Obiurgatio de tempore.

AN POENITEBAT FLAGITII. Illud quod ſuprà, à ſtulto: hoc quod nunc dicit, à malo fieri potuit: illud, ab imprudente: hoc quod peius eſt, à ſciente. AN POENITEBAT FLAGITII. Paruum videbatur. Ipſe alibi. *Quantum hic opera fiat, pœnitet.* Plautus in Truculento *Pœnitétne te, quòd ancillas iam?* nimis erumpere *

NI MISERVM INSVPER ETIAM PATRI INDICARES? Duo obiicit. vnum, quòd male eiuulauerit: alterum, quòd male prodiderit conſilia ſua. Et bene *Indicares.* nam *indicium* dicitur eius qui vnà peccauerit. NI MISERVM INSVPER ETIAM PATRI INDICARES? Ad inuidiam Parmenonis, miſerum dicit adoleſcentem: eo modo quo Iuno accuſans Venerem, ait, ——— *an miſeros qui Troas Achiuis Obiecit.* Sic enim agimus, quum ab his qui falsò rei ſunt, in authores culpam ſceleris remouemus.

NAM QVID ILLI. Adoleſcenti ſcilicet.

QVID EST? IAM SCIS TE PERIISSE. Hoc non ſtupentibus, ac culpam patientibus dicitur.

HEM, QVID DIXTI PESSVMA? Nunc demum intelligit Parmeno ſe eſſe deluſum.

ETIAM RIDES? Apparet eam ex huius ſtomacho vehementius cachinnare.

NOS IRRIDERE? Nos ſuperbius dixit, quàm ſi diceret *Me*.

SI QVIDEM ISTVD IMPVNE HABVERIS. Subauditur, *Tam nimium.*

VERVM. Irridentis interrogatio.

SED IN DIEM ISTVC. In longam dilationem. vnde *dilatio* eſt dicta, diei prolatio:

TV IAM PENDEBIS. *Iam*, nimiam velocitatem ſignificat.

NOBILITAS FLAGITIIS, ET EVNDEM INDICAS. Duas res ſignificat ſimul: & cogis flagitia facere, & facientem indicas.

VTERQVE IN TE EXEMPLA EDENT. Noua ac mira tormenta, quæ pro exemplis narrentur: aut quæ documenta ſunt cæteris ne delinquant; *exempla* dicuntur. Et *edent*, & *edet* legitur. ſi *Edent*, figuratum eſt. ſi *Edet*, recte. Et plus eſt *Edet*, quàm *Dabit*.

NVLLVS EVM. Hoc ſecum Parmeno.

HIC PRO ILLO MVNERE TIBI HONOS EST HABITVS: ABEO. εἰρωνικῶς & μεταφορικῶς *Pro munere.* Et honos rumigerulis haberi ſolet.

EGOMET MEO INDICIO MISER, QVASI SOREX, HODIE PERII. Proprium ſoricum eſt vel ſtridére clarius quàm mures, vel ſtrepere magis quum obrodunt friuola: ad quam vocem multi ſe intendentes, quamuis per tenebras noctis, transfigunt eos. Plautus, *Confeſſiorem te faciam ſoricina nenia.* EGOMET MEO INDICIO. Prouerbium in eos, qui ipſi ſe produnt. quia ſorex non facilè caperetur, niſi emitteret vocem noctu. QVASI SOREX HODIE PERII. Quia latêre potuit, nec occidi, ſi taceret.

ACTVS QVINTI SCENA VII.

GNATO. THRASO.

QVID nunc? qua ſpe, aut quo conſilio huc imus? quid cœptas Thraſo?
THR. Egóne? vt Thaidi me dedam, & faciam quod iubeat. GN. quid eſt?
THR. Quî minus quàm Hercules ſeruiuit Omphale? GN. exemplum placet.
Vtinam tibi commitigari videam ſandalio caput.
Set fores crepuere ab ea. THR. Perij, quid hoc autemſt mali?
Hunc ego numquam videram: & iam hîc quidnam properans proſiliit?

QVID NVNC? QVA SPE, AVT QVO CONSILIO HVC IMVS? Reminiſcere hunc eſſe, qui ſuprà militi dixerit de Thaide, *Iamdudum te amat.* & rurſus, *Iam tibi hæc aderit ſupplicans vltrò.* & hinc videbis quos exitus habeat aſſentatio. nam idem militi anthor eſt ſummæ deſperationis. Et animaduerte, quòd ſemper à menſa Gnato inuitus abſtrahatur: nam & ſuprà, quum ad litem venitur, ex verbis Thraſonis manifeſtum eſt, & Gnatonem inuitum ſequi, vbi dicit, *Hanccine ego vt contumeliam tantam? tam inſignem in me accipiam Gnato? Mori me ſatius eſt.* Et bene, *Qua ſpe,* & *Quo conſilio*: tanquam omnia expertus, & nec muneribus gratus, nec terroribus metuendus. QVID NVNC? QVA SPE. Paraſitus intelligit quid agat miles: ſed ad hoc inducitur interrogare ipſum militem, vt populus audiat, quo conſilio veniat ad Thaidem. QVID NVNC? QVA SPE. Summa deſperatio eſt apud militem reconciliandæ amicæ, ad hoc vt æquo animo ferat admitti Phædriam, dum ipſe quoque recipiatur. nam non in fine fabulæ contriſtandus eſt.

QVID INCOEPTAS THRASO? *Incipere*, magnorum facinorum eſt, & audaciæ.

VT THAIDI ME DEDAM. Poſt inductionem belli, & inſtructionem pugnæ quid ſequatur, niſi deditio ſuperatorum?

ET FACIAM QVOD IVBEAT. Propriè: nam in deditione victores iubent, victi obſequuntur.

QVI MINVS QVAM HERCVLES SERVIVIT OMPHALE? Hîc Terentius exprimit conſuetudinem, in qua ignauis rationes criminum, & exempla ſuppeditant. nam ſic & ſuprà de Pyrrho. Omphale Lydiæ regina fuit, quæ Herculem ſibi ſeruientem etiam ad lanificium compulit: quum ipſa calathum & colum, cultúſque fœmineos ſagittis, & claua, leoniſque tegmine mutaſſet. HERCVLES SERVIVIT OMPHALE? Subauditur; & ego ſeruiam Thaidi?

VTINAM TIBI COMMITIGARI VIDEAM SANDALIO CAPVT. *Commitigari*, eſt tundendo deprimi atque deponi. SANDALIO CAPVT. Plus dixit *Caput*, quàm ſi aliam partem corporis diceret verberari. Et mirè calceamento caput verberari.

PERII, QVID HOC AVTEM EST MALI? Eunuchi habitu Chærea, ſed virili confidentia proſilit, & militem velut noui riualis terret aſpectu.

HVNC EGO NVMQVAM VIDERAM. Ideo Chæream miratur.

ACTVS QVINTI SCENA VIII.

CHAEREA. PARMENO. PHAEDRIA.
GNATO. TRHRASO.

O POPVLARES, ecquis me viuit hodie fortunatior?
Nemo hercle quiſquam: nam in me planè Di poteſtatē ſuam
Omnem oſtendêre, cui tam ſubito tot contigerint commoda.
PA. Quid hic laetus eſt? CH. ô Parmeno mi, ô mearum voluptatum omnium
Inuentor, inceptor, perfector: ſcin' me in quibus ſim gaudiis?
Scis Pamphilam meam inuentam ciuem? PA. audiui. CH. ſcis ſponſam mihi?
PA. Bene, ita me Di ament, factum. GN. audin' tu illum quid ait? CH. tum autem Phaedriae.
Meo fratri gaudeo amorem eſſe omnem in tranquillo: vnaſt domus.
Thais patri ſe commendauit in clientelam & fidem:
Nobis dedit ſe. PA. fratris igitur Thais totaſt? CH. ſcilicet.
PA. Iam hoc aliud eſt quod gaudeamus: miles pellitur foras.
CH. Tu, frater vbi vbi eſt, fac quàm primum haec audiat. PA. viſam domum.
TH. Numquid Gnato tu dubitas, quin ego nunc perpetuò perierim?
G. Sine dubio opinor. C. quid commemorē primum? aut laudem maxume?
Illum ne qui mihi dedit conſilium vt facerem: an me qui auſus ſim
Incipere? an fortunam conlaudem, quae gubernatrix fuit:
Quae tot res, tantas, tam oportunè in vnum concluſit diem?
An mei patris feſtiuitatem & facilitatem? ô Iuppiter
Serua obſecro haec nobis bona. PH. Di veſtram fidem, incredibilia
Parmeno modo quae narrauit. ſet vbi eſt frater? CH. praeſto adeſt.
PH. Gaudeo. CH. ſatis credo. nihil eſt Thaide hac tua frater dignius
Quod ametur: ita noſtrae eſt omni fautrix familiae.
PH. Mihi illam laudas? THR. perij, quanto minus ſpei eſt, tanto magis amo.
Obſecro Gnato in te ſpes eſt. GN. quid vis faciam? THR. perfice hoc
Precibus, pretio, vt haeream in parte aliqua tandem apud Thaidem.
GN. Difficile eſt. THR. ſi quid conlibuit, noui te. hoc ſi effeceris,
Quo vis donum & praemium à me optato: id optatum feres.
GN. Itáne? TH. ſic erit. GN. ſi efficio hoc, poſtulo vt mihi tua domus

Te praeſente, abſente, pateat: inuocato vt ſit locus
Semper. TH do fidem futurum. G. accingar. PH. quem hîc ego audio?
O Thraſo. THR. ſaluete. PH. tu fortaſſe quae facta hîc ſint neſcis?
THR. Scio. PH. cur ergo in his ego te conſpicor regionibus?
THR. Vobis fretus. PH. ſcin' quàm fretus? miles, edico tibi,
Si te in platea offendero hac pòſt vmquam, quod dicas mihi,
Alium quaerebam: iter hac habui: periſti. GN. eia haut ſic decet.
PH. Dictumſt. GN. non cognoſco veſtrum tam ſuperbum. PH. ſic erit
GN. Prius audite paucis: quod quum dixero, ſi placuerit,
Facitote. PH. audiamus. GN. tu concede paululum iſtuc Thraſo.
Principio ego vos credere ambos hoc mihi vehementer velim.
Me huius quidquid facio, id facere maxume cauſa mea.
Verùm ſi idem vobis prodeſt, vos non facere inſcitiaſt.
PH. Quid eſt? G. militem ego riualem recipiendum cenſeo. PH. hem,
Recipiendum! GN. cogita modo. tu hercle cum illa Phaedria
Et libenter viuis: etenim bene libenter victitas.
Quod des, paululum eſt: & neceſſe eſt multum accipere Thaidem,
Vt tuo amori ſuppeditare poſſit ſine ſumptu tuo.
Ad omnia haec magis opportunus, nec magis ex vſu tuo
Nemo eſt: principio & habet quod det, & dat nemo largius.
Fatuus eſt, inſulſus, tardus: ſtertit noctéſque & dies.
Neque iſtum metuas, ne amet mulier: facilè pellas vbi velis.
PH. Quid agimus? GN. praeterea hoc etiam, quod ego vel primùm puto,
Accipit hominem nemo melius prorſus, neque prolixius.
PH. Mirum, ni illoc homine quoquo pacto opusſt. CH. idem ego arbitror.
GN. Recte facitis. vnum etiam hoc vos oro, vt me in veſtrum gregem
Recipiatis: ſatis diu hoc iam SAXVM VOLVO. PH. recipimus.
CH. Ac libenter. GN. at ego pro iſtoc, Phaedria & tu Chaerea,
Hunc comedendum & deridendum vobis propino. CH. placet.
PH. Dignus eſt. G. Thraſo; vbi vis accede. TH. obſecro te quid agimus?
GN. Quid? iſti te ignorabant: poſtquam eis mores oſtendi tuos,
Et conlaudaui ſecundum facta & virtutes tuas,
Impetraui. THR. bene feciſti: gratiam habeo maximam.
Numquam etiam fui vſquam, quin me omnes amarent plurimum.
GN. Dixin ego in hoc ineſſe vobis Atticam eloquentiam?
PH. Nihil praeter promiſſum eſt; ite hac. ω. vos valete, & plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

O POPVLARES, ECQVIS ME VIVIT HODIE FORTVNATIOR? Hic perſona Chæreæ eſt, feruens gaudio, vt adoleſcentuli eſt in proſperis rebus. O POPVLARES. Non mirum ſi inſane exultat nuptiis, qui iamdudum ob id ſolùm, quòd vitiauerat virginem, lætabatur.

NEMO HERCLE QVISQVAM. Et interrogauit, & reſpondit ſibi. NEMO HERCLE QVISQVAM. περίλογος tertium.

CVI TAM SVBITO TOT CONTIGERINT COMMODA. *Tam* qualitatis, *tot* quantitatis eſt.

QVID HIC LAETVS EST? Inuenta perſona eſt ad quam geſta hæc narret Chærea, vt populus & miles inſtruatur, quid intus geſtum ſit.

INVENTOR, INCOEPTOR. *Inuenire*, ſapientis eſt: *incipere*, audacis: *perficere*, conſtantis. Ergo plena laudatio eſt. & conſtat hoc Chæream laudatiue dicere. nam in ſubditis ſolum conſilium attributurus eſt Parmenoni.

SCIN' ME IN QVIBVS SIM GAVDIIS? σύλληψις. Et nota, *Scin' me*: quum ſufficeret *ſcin'*. ergo *me* abundat: & eſt figura ἀρχαϊσμός.

SCIS PAMPHILAM MEAM. Amatoriè dixit *meam*: vel potius ſponſam meam, vel quam amo.

INVENTAM. Cognitam. CIVEM. Deeſt *eſſe*.

SCIS SPONSAM MIHI? Deeſt & *eſſe*. & eſt *ſponſa* nunc participium.

AVDIN' TV ILLVM QVID AIT? Hoc vultu mutato & turbato dicitur.

AMOREM ESSE OMNEM IN TRANQVILLO. Bene, *In tranquillo*, quia mari & tempeſtatibus amicæ mobilitas & inſtabilitas comparatur. Sic Horatius,

Simplex munditiis, heu quoties fidem
Mutatóſque deos flebit: & aſpera
Nigris æquora ventis
Emirabitur inſolens,
Qui te fruitur credulus aurea, &c.

VNA EST DOMVS. Poſt Pamphilæ nuptias.

THAIS PATRI SE COMMENDAVIT. Hoc eſt quod profuit Phædriæ.

IN CLIENTELAM ET FIDEM. *Clientelam*, vt ametur: in *fidem*, vt defendatur.

FRATRIS IGITVR THAIS TOTA EST? Bene *Tota*: vt ne ex parte quidem ſit militis.

MILES PELLITVR FORAS. Sunt gaudia ex noſtris bonis: ſunt gaudia ex aliorum malis, hoſtium aut inimicorum. Ergo vtrumque genus gaudiorum complexus eſt.

VISAM DOMVM. Bene domi quæritur amator excluſus. nam neq; ruri, neq; in foro eſt.

PERPETVO PERIERIM. Quia illud periiſſe ſuprà, temporale videbatur. QVIN EGO NVNC PERPETVO PERIERIM. Hic iam militi neque ſeruiendi amicæ, vt apparet, præbetur locus.

SINE DVBIO OPINOR. Quia non quis dicitur perpetuò periiſſe quid enim opus hac exceptione eſt, quando nemo ita perit, vt temporaliter pereat, & poſtea fiat non perditus? Correxit paraſitus ſtulti dictum militis: non illum perpetuò, ſed ſine dubio periiſſe opinari reſpondens. non eſt enim contrarium *Opinor te periiſſe ſine dubio*, pro certo periiſſe. Confirmatur periiſſe miles, vt poſt tanta munera ex deſperato ſupplex, ex ſupplice patiens riualis exiſtat.

QVID COMMEMOREM PRIMVM. διαπόρησις oratoria familiaris laudantibus. Cicero, *Vnde igitur potius incipiam?* Hoc autem fit, vbi omnia & magna videntur & paria.

ILLVM NE QVI MIHI DEDIT CONSILIVM Attribuuntur perſonis conſilia, facta, caſus, & orationes. Ergo hic laudatur conſilium Parmenonis, factum Chæreæ, caſus fortunæ, id eſt euentus: oratio ſenis. ILLVM, QVI MIHI DEDIT CONSILIVM. Tria ſunt in vita hominum, conſilia, facta, ſucceſſus. *Conſilium*, animi eſt: *Factum*, corporis: *Succeſſus*, fortunæ. ILLVM. Parmenonem ſcilicet.

QVAE TOT RES. Bene *Tot res*: quaſi dicat, Eunuchum pro quo duceretur, commendationem virginis, abſentiam meretricis, occaſionem vitii inferendi, patris interuentum in nuptias.

AN MEI PATRIS FESTIVITATEM? Etiam patri laus impartienda eſt. nam non erat tranſeundum *Feſtiuitatem*, qua & feſtiuus amatori non obſtitit, quòd ignouit vt facilis: vnde *feſtiuitas* in dictis, *facilitas* verò in animo & factis. FESTIVITATEM. Lætitiam: vt, *Feſtiuus dies eſt*.

DI VESTRAM FIDEM. Cito interuenit Phædria, vtpote qui domi erat.

QVAE NARRAVIT. Nimius affectus in vtramque partem defectus orationis amat: eſt ergo ἔλλειψις: deeſt enim *Gaudeo*.

SATIS CREDO. Sic dici nota agentibus ſolet. Recte igitur huic dicitur, cui fiunt nuptiæ, *gaudeo*: & ille ſic reſpondet, vt amicis gratulantibus decet, *Satis credo*. CREDO. autem ideo quia multi ſeſe fingunt gratulari, quum inuideant: gaudere, quum doleant.

MIHI ILLAM LAVDAS? Scilicet amatori eius. Et *mihi* pronuntiatione iuuandum eſt.

PERII: QVANTO MINVS SPEI EST, TANTO MAGIS AMO. Hic verò eſt ardor inſaniſſimus: vt Virgilius, *Formoſum paſtor Corydon ardebat Alexin, Delicias domini*. Et profecto ſic eſt, Sapientes ſpe maxime ad amorem coguntur: ſtulti forma tantum.

OBSECRO GNATO, IN TE SPES EST. Mire, quaſi deſperatis omnibus auxiliis, abiecta nimis ſupplicatio inducitur. Nam & *obſecro*, & *Gnato* id ſignificant, & in te ſpes eſt.

QVID VIS FACIAM? Non eſt hoc interrogantis, ſed oſtendentis non eſſe quid faciat.

PRECIBVS, PRETIO. Nihil militi ſupereſt præter precem, vt victo: & pretium, vt diuiti. Nihil aliud optat, quàm ſic res eant, vt perſona Thaidis conuenire poſſit. PRECIBVS, PRETIO. ἀξιωματικὰ velut afflicta & laſſa, pronuntianda ſunt. PRETIO. Varie: quia alibi dixit, *precario*.

VT HAEREAM. τὸ *hæream* vltimum genus beneficii eſt. IN PARTE ALIQVA. Non enim *Parte* dixit, vt *Aequa* intelligatur.

TANDEM. Et deſperantis eſt, & difficulter credentis. *Tandem*, non eſt aduerbium temporis: ſed nunc *Saltem* ſignificat.

DIFFICILE EST. Vultu & pronuntiatione, aſſeueratione firmandum eſt.

SIQVID COLLIBVIT. ἔλλειψις: pro, Siquid collibitum eſt, efficis.

NOVI TE. Deeſt *Perficu*. ſed vbique plura geſtu ſignificat miles, vtpote infantiſſimus.

QVOD VIS DONVM, ET PRAEMIVM A ME OPTATO. *Donum*, præmium eſt: & *munus*, præmium: ſed *donum*, præmium diis datur: *munus*, præmium hominibus. nam ſeparatim, *donum* deorum eſt: *premium* virorum eſt fortium: munus hominum. & donum, munúſque, tam ante factum quàm poſt factum datur: præmium non niſi poſt factum eſt. Donum, voluntarium: præmium, debetur. Alii ergo ἀξιωματικῶς pronuntiant, primò *donum*, & ſic *premium*, quaſi vnam partem orationis. QVODVIS DONVM ET PRAEMIVM. *Donum*, vt à largo homine: *premium*, vt à præclaro facinore. QVOD VIS DONVM, ET PRAEMIVM A ME OPTATO, ID OPTATVM FERES. Donum optato, ob quod præmium accipias. PRAEMIVM A ME OPTATO. Totum militariter. nam & *optatio* dicitur, & *optari* à militibus. vt alibi, *Vir fortis optet quod volet præmium*.

SI HOC EFFICIO, POSTVLO VT MIHI TVA DOMVS TE PRAESENTE ABSENTE PATEAT. Prouerbiale eſt *Præſente abſente*, vt, *ſurſum deorſum*, *vltro citro*. & cetera huiuſmodi: *fanda infanda, iuſta iniuſta, digna indigna velis nolis*.

INVOCATO VT SIT LOCVS SEMPER. *Inuocato*, non vocato ſignificat. *In* etenim auget & minuit dictionem. INVOCATO. Male intelligitur precibus vocato, quum ſit αὐτομάτῳ id eſt, etiam non inuitando, quin vltro venire debeat ſuam domum.

DO FIDEM. Iuro, confirmo, ſpondeo.

ACCINGAR. Non quia facile eſt quod negauit ſuprà, ſed ſuis votis paraſitus adductus eſt ad cœnandum: ideo & *Accingar* dixit: ſic enim dicimus in magnis rebus ſuſcipiendis. vt, *Accingunt omnes operi*.

SALVETE. Supplex ſine gratia & ſine timore, modo inimicus & infeſtus.

TV FORTASSE QVAE FACTA HIC SINT, NESCIS? Hoc totum ſuperbe ac minaciter inquit adoleſcens.

SCIO. Compendium poetæ: ne rurſus eadem dicerentur. CONSPICOR. Commu-

ne verbum eſt *Conſpicor*.

Vobis fretvs. Et hoc ſtulte. quis enim & riualibus & inimicis fretum ſe eſſe dicat? Deinde ἀνακόλουθον, & vitioſa reſponſio eſt. niſi enim addideris *Sum*, erit ſolœciſmus conueniens loquenti impolite homini & militi.

Scin' qvam fretvs? Eſt ab ° ea ſubaudiendum eſt.

Miles boico tibi. Hoc contumelioſe, & proprie vt militi: *Miles*, inquit, *edico tibi*.

Si te in platea offendero hac. Hoc eſt, Si vel caſu inuenero. Et in *platéa*, inquit, non circa meretricis fores.

Nihil qvod dicas. *Nihil*, pro non: vt ſit, Non eſt quod dicas mihi: id eſt, nihil eſt quod dicas, pro vt dicas mihi: vt ſit, *quod*, pro *vt*: aut *quod*, pro quid dicas mihi. Certum eſt autem, ſic veteres locutos eſſe.

Alivm qvaerebam: Aut *Alium* pro *Quendam* poſuit: vt ſit, *quendam quaerebam*, id eſt aliquem. aut *alium*, hoc eſt non quem tu putas: hoc eſt alium, non Thaidem. ſed ſi aliam diceret, neque commode, neque ἐμφάτως loqueretur. praeualet enim maſculinum genus.

Peristi. Ordo eſt, Poſtquam in platéa hac te offendero, periſti.

Eia. Interdum hortantis eſt. ergo nunc *eia*, correctionem ſignificat.

Non cognosco vestrvm tam svperbvm. Locutio annotanda: mire laudauit, vt perſuadere potuiſſet. Vestrvm tam svperbvm. Non, *veſtrum ſuperbum*. Vestrvm tam svperbvm. Abſolute: vt, *Pol Crito antiquum obtines*. Ergo ſubaudiamus vel *ingenium*, vel *animum*, vel *morem*, vel *inſtitutum*.

Privs avdite pavcis. Mira inſinuatione agit: qui non vt conſentiant, ſed vt audiant paucis petit. Et bene *Prius*, quaſi non obſtet quo minus faciant quod velint. Tum deinde quo attentiores exiſtant, addidit *paucis*. deinde *ſi placuerit*. facilius enim flectitur, cum quo non pugnamus vt conſentiat. Privs avdite. Fiduciam oſtentat perſuaſoriam rem dicturi.

Avdiamvs. Bene: non *Faciamus*, ſed *Audiamus* dixit: nam prima oratoris impetratio in mala cauſa eſt, audiri meruiſſe.

Tv concede pavlvlvm istvc Thraso. Thraſo hoc in bonam partem accepit: & ideo paret. putat enim vel turpe eſſe, ſi humiliter precetur ſuo nomine, ſéque audiente paraſitus: vel incongruum ſibi, ſi in os præſens à Gnatone laudetur. Istvc Thraso. Non ad ſe vocat: ſed locum oſtendit quo abeat atque concedat.

Principio, ego vos. Videri neque ſe odio haberi, neque offendi animos audientium in militis nomine. Hoc ergo oratorie: pro eo homine in quo offenditur, eum in quo non offenditur, poſuit.

Me hvivs qvidqvid facio, id facere maxime cavsa mea. Deeſt *rei* aut *eſt*: vt ſit, *Me huius quidquid eſt quod facio, id facere maxime cauſa mea*. Hic à perſona diſceſſit: & rem non odioſam pro odioſa poſuit, id eſt paraſiticam, pro æmuli amore & commodo.

Verum idem si vobis prodest. Multum attulit ad perſuadendum: non eſſe commodum militi admitti, & ſuum commodum ipſorum eſſe commodum.

Vos non facere, inscitia est. Oratorie, & ſecundum inſinuationis præcepta ſic dixit. nam remittendo & dubitando, magis flectit animos, quàm ſi aperte ac pertinaciter aſſeueret.

Militem ego rivalem recipiendvm censeo. Artificioſe ſatis, ſemel intulit omne quod durum dictu ad perſuadendum erat. nam quòd militem & riualem dixit, ad eam rem valet vt magis admittendus ſit quàm excludendus: & ſimul fiducia ſic dicentis parat animos ad audienda quæ dicet. Militem ego rivalem recipiendvm censeo. *Riuales* dicuntur æmuli de mulieribus, facta tranſlatione nominis à feris beſtiis: quæ ſitientes cum ex eodem riuulo hauſtum petunt, in prælium contra ſe inuicem concitantur. Sic Cicero pro Cælio, *Sin erit ex illo fonte riualis*, inquit. Militem rivalem ego. Conſidera quo vultu hoc dicendum ſit: & intelliges & *militem*, & *riualem*, & *recipiendum*, & *ego cenſeo*, quanta ſignificat. Non enim dixit *Thraſonem*, ſed *militem*: quod no-

meu ad ſtultitiam valet. Non *ſocium*, ſed *riualem*: quo oſtendit, quandoquidem riualis in meretrice capiendus eſt, hunc potius eligendum. Nec, non *Excludendum*, ſed *Recipiendum* dixit: vt & oſtenderet adeò prodeſſe, vt etiam de induſtria retinendus ſit. Non, *volo* aut *rogo*, ſed *cenſeo*: vt conſiliarius, non paraſitus, videatur loqui. Nam quòd *ego* addidit, eo dicto vſus eſt, quo vti ſolent qui plus in negotio vident. Nam ſic in Phormione Iuriſconſulti, *Ego quæ in rem tuam fuerint, ea velim facias. Ego ſedulo hunc dixiſſe credo. Ego amplius deliberandum cenſeo.*

CENSEO. Vide virtutem poetæ. non enim dixit *Peto*, ſed *Cenſeo*: tanquam illis modo conſulat, neque pro milite agat.

COGITA MODO. *Modo*, aut tantummodo ſignificat: aut temporis eſt aduerbium. & ſimul incerta diſtinctio eſt.

ET LIBENTER BIBIS. Id eſt, bonorum ciborum edax es.

SVPPEDITARE POSSIT SINE SVMPTV TVO. Aut *ſuppeditare*, pro *ſuppeditari*. aut deeſt *ſe*. Vt, *Accingunt omnes operi.*

AD OMNIA HAEC MAGIS OPORTVNVS, NEC MAGIS EX VSV TVO NEMO EST. Locutio eſt ex negatiuis tertia: vt, *Agrum in his regionibus meliorem nemo habet.* MAGIS EX VSV. Pro vtilior. & *Magis oportunus*, pro oportunior. NEMO EST. Hoc eſt oportunus.

HABET QVOD DET. Vt diues. ET DAT NEMO LARGIVS. Vt liberalis.

FATVVS. Inepta loquens, à fando *fatuus* dicitur: inde *Fauni Fatui*: & nymphæ *Fatuæ* dictæ ſunt. FATVVS EST. Hoc ex vſu tuo.

INSVLSVS. Sine ſale & ſapientia: aut ſine ſaltu & facilitate. FATVVS EST, INSVLSVS. *Fatui* ſunt, qui verbis & dictis fatui ſunt. *Inſulſi* verò, corde & animo. FATVVS EST, INSVLSVS. Sunt qui *fatuum*, animo putant: *Inſulſum*, dictis. ſed male. Nam *fatui* quoque dii ſunt, qui & *Fauni* dicuntur: & non ſtulti, ſed multum fantes, id eſt loquentes. FATVVS EST, INSVLSVS. Hæc quæ nunc addidit, non ex ſuperioribus pendent: ſed cum ſuperiora valeant plurimum (nam quia diues & liberalis, potuit obeſſe riualibus) hæc omnia bona in milite corrumpuntur, quòd fatuus, quòd inſulſus, & cetera, quæ ipſe perſequitur. FATVVS EST, INSVLSVS. Hæc bene adduntur: quia dixit, *Et habet quod det, & dat nemo largius*. Ad rem eam valebat, vt amaretur miles à meretrice, & præponendus omnibus eſſet: ſed ingrata ſunt mulieribus, maximéque laſciuis, hæc omnia quæ ſubiicit. FATVVS EST, INSVLSVS. Hoc pro aceruo vitiorum, cum quadam vultus improbitate prolatum eſt, quo magis res in medio poſita eſſe videatur.

TARDVS. In Venerem ſcilicet. TARDVS. Corpore & membris, quamquam & intellectu *tardos* vocamus qui ſtulti ſunt: ſed melius eſt ſic intelligi, vt ea vitia videatur dicere, quæ inamabilem faciant etiam diuitem, largúmque amatorem. Nam aut verba commendant: vt, *Pendétque iterum narrantis ab ore.* hic fatuus. Aut ſapientia gratum facit: vt, *Multa viri virtus animo.* hic inſulſus eſt. Sed mihi videtur *fatuum* dicere, qui tantum glorietur, & blandiri amicæ neſciat. *Inſulſum*, qui non ſit ſalax, & cupidus coitus. *Tardum* qui non facilè explicet Venerem: quæ res meretricibus odioſa eſt.

STERTIT. Plus dixit quàm *dormit*. NOCTESQVE ET DIES. Plus ſignificat quàm ſi diceret, *diebus & noctibus*: vt hoc ipſo nomine conſiliari authoritas ineſſe videatur.

VBI VELIS. Quando vel quum.

QVID AGIMVS? Initium conſenſionis, dubitatio eſt eius qui negauerit.

HOC ETIAM. *Deeſt*, vel *abeſt*: QVOD EGO. Paraſitus ſcilicet.

PRIMVM PVTO. *Primùm puto*, quaſi paratus.

ACCIPIT HOMINEM. *Accipit*, paſcit, inuitat: vt, *Illos porticibus rex accipiebat in amplis.*

NEMO MELIVS PRORSVS, NEQVE PROLIXIVS. Horum alterum apparatum indicat, alterum copiam.

MIRVM, NI ILLOC HOMINE QVOQVO PACTO OPVS EST. Facete dixit adoleſcens rei parcus, & qui putet amorem ſine damno eſſe oportere, quiq; fefellerit meretricem: non ſolum eiiciendũ non eſſe militem, ſed etiam quouis modo ſuſtinendũ ac perferendum

rendum

rendum. MIRVM, NI ILLOC HOMINE. Obtinuit paraſitus iam quod negabatur. Primo deliberatum: vt, *Quid agimus?* pòſt conceſſum: vt, *Mirum ni illoc homine quoquo pacto opus eſt.* MIRVM, NI ILLOC. Hic inquit, eiuſmodi eſt, vt etiam cum mala conditione patiendus ſit.

IDEM EGO ARBITROR. Sanè opus fuit conſenſione, præcipuè Phædriæ, cuius res agitur: nam ita & ſeruata perſona eſt tarde conſentientis amatoris.

RECTE FACITIS. Gratiarum actio eſt.

VNVM ETIAM HOC VOS ORO. Subtiliter etiam paraſitus hîc ſe adiungit, ſuáſque partes circa hos agit.

VT ME IN VESTRVM GREGEM. Iam hos laudat: & nimis paraſitus eſt, ſi recorderis eundem dixiſſe, *Facete, lepide, laute, nihil ſuprà.*

SATIS DIV HOC IAM SAXVM VOLVO. Vide quemadmodum ſerpat paulatim etiam in eorum aſſentationem ex vituperatione militis. HOC SAXVM VOLVO. Prouerbium in eos qui inextricabili labore afflicti ſunt. Et bene *Saxum* de ſtulto milite ait: & ſeipſum Siſyphum fecit. HOC SAXVM VOLVO. Velut Siſyphus apud inferos.

AT EGO PRO ISTOC, PHAEDRIA. Subaudiamus *&* *ſum hic.* aliter non, vt paraſitus ait.

PHAEDRIA ET TV CHAEREA. Ambos nominat, quaſi legibus paciſcantur.

HVNC COMEDENDVM. Cum cæteris rebus, ſummus poeta etiam fidem oſtendit amicitiæ paraſiticæ, exemplo Gnatonis de milite loquentis hoc modo.

PROPINO. Facete ſic dixit, vt paraſitus, & vt qui de conuiuio loqueretur.

DIGNVS EST. Hæc verba vltima longi ſermonis, eiuſmodi ſunt, vt miles hæc audiens, laudatum ſe eſſe, & approbatum exiſtimet.

VBI VIS. Honorificè reuocat ablegatum cum iniuria, dicendo, *Vbi vis*: quia *accede* imperatiuum erat. & *vbi* niſi *quando* intellexeris, vitium eſt.

ISTI TE IGNORABANT. Figura ἀκυρολογία. Ad vtrumque enim pertinet, & ad laudem, & ad mores. Et hoc ambiguum.

SECVNDVM FACTA ET VIRTVTES TVAS. Et hoc ἀμφίβολον. Nam *virtutes* εἰρωνικῶς pro vitiis poſuit: vt, *Neſcio quo vir fiet.* &, *Ornatus eſſes ex tuis virtutibus.* FACTA ET VIRTVTES. Propriè *facta* militibus adſcribuntur. FACTA ET VIRTVTES. Amarior eſt εἰρωνεία in vitioſos homines, quàm veritas.

NVMQVAM ETIAM FVI VSQVAM. *Numquam,* & locum, & tempus ſignificat: *Vſquam,* locum magis. *Numquam,* pro non. Et *numquam vſquam* τῷ ἀρχαϊσμῷ, pro *non vſquam*, id eſt nuſquam.

QVIN ME OMNES AMARENT PLVRIMVM. Contrarium ſuperiori. quid eſt enim quod bene non fecerit quicquam, ſi in illo eſt, vt ametur?

ATTICAM ELOQVENTIAM. Et hoc εἰρωνικῶς, vt illa quæ ſuprà. *Atticam* dicit veram atque germanam: quia excultior eloquentia, dicitur Attica: & ſummi oratores, *Attici* appellati ſunt.

PRAETERMISSVM. Et hoc anceps eſt, intellectu gemino ad vtrumque.

ITE HAC. Quo vocat paraſitus? an ad meretricem? an ad cœnam militis, vt promiſit? *Hunc ego comedendum & deridendum vobis propino.* ITE HAC. Comeſſatum ad militem, vel ad Thaidem. Si cœnæ interfuit meretrix: quomodo pòſt acta ſunt omnia cum menſtruo noctis non facta ſit? Omnia poſt cœnam geſta ſunt: & non completa per rixam cœna, ſuperfuit plurimum temporis ad agendum.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENT. IN TERENTI EVNVCHVM EXPLICIT.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. HEAVTONTIMORVMENON.

IN MILITIAM *proficiſci gnatũ Cliniã*
Amantem Antiphilã compulit durus pater:
Animíque ſeſe angebat, facti poenitens.
Mox ut reuerſus eſt, clam patrẽ diuortitur
Ad Clitiphonẽ. is amabat ſcortũ Bacchidẽ.
Cum arceſſeret cupitam Antiphilam Clinia,
Vt eius Bacchis venit amica, ac ſeruolae
Habitum gerens Antiphila, factum id, quo patrem
Suum celaret Clitipho: hic technis Syri,
Decem minas meretriculae aufert à ſene.
Antiphila Clitiphonis reperitur ſoror.
Hanc Clinia, aliam Clitipho vxorem accipit.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

ANTIPHILA *meretrix.*
BACCHIS *meretrix.*
CHREMES *ſenex.*
CLINIA *adoleſcens.*
CLITIPHO *adoleſcens.*
DROMO *ſeruus.*
MENEDEMVS *ſenex.*
NVTRIX.
PHRYGIA *ancilla.*
SOSTRATA *matrona.*
SYRVS *ſeruus.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
HEAVTONTIMORVMENOS.

ACTA LVDIS MEGALENSIB. L. CORNELIO LENTVLO, L. VALERIO FLACCO AEDILIB. CVRVLIB. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATTILIVS PRAENESTINVS, MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI. GRAECA EST MENANDRV ACTA PRIMVM TIBIIS INPARIBVS. DEINDE DVABVS DEXTRIS. ACTA TERTIA, M. IVVENTIO, M. SEMPRONIO COSS.

PROLOGVS.

NE cui ſit voſtrum mirum, cur partis ſeni
Poeta dederit, quae ſunt adoleſcentium,
Id primum dicam: deinde, quod veni, eloquar.
Ex integra Graeca, integram comoediam
Hodie ſum acturus Heautontimorumenon:
Duplex quae ex argumento facta eſt ſimplici.
Nouam eſſe oſtendi, & quae eſſet: nunc qui ſcripſerit,
Et cuia Graeca ſit, ni partem maximam
Exiſtimarem ſcire voſtrum, id dicerem.
Nunc, quamobrem has partis didicerim, paucis dabo.
Oratorem eſſe voluit me, non prologum:
Voſtrum iudicium fecit: me actorem dedit.
Set hic actor tantum poterit à facundia,
Quantum ille potuit cogitare commodè,
Qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturus ſum.

Nam quòd rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Graecas, dum fecit
Paucas Latinas: factum hic eſſe id non negat,
Neque ſe pigere: & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt putat.
Tum quod maleuolus vetus Poeta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Amicûm ingenio fretum, haut natura ſua:
Arbitrium voſtrum, veſtra exiſtimatio
Valebit. quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquûm poſſit, quàm aequûm oratio.
Facite aequi ſitis: date creſcendi copiam
Nouarum, qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro ſe dictum exiſtumet,
Qui nuper fecit ſeruo currenti in via
Deceſſe populum: cur inſano ſeruiat?
De illius peccatis plura dicet, quum dabit
Alias nouas, niſi finem maledictis facit.
Adeſte aequo animo: date poteſtatem mihi
Statariam agere vt liceat per ſilentium:
Ne ſemper ſeruos currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem inpudens,
Auarus leno, aſsidue agendi ſint mihi,
Clamore ſummo, cum labore maxumo.
Mea cauſa cauſam hanc iuſtam eſſe animum inducite:
Vt aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc nouas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni:
Si quae laborioſa eſt, ad me curritur:
Sin lenis eſt, ad alium defertur gregem.
In hac eſt pura oratio: experimini,
In vtramque partem ingenium quid poſſit meum.
Si numquam auarè pretium ſtatui arti meae:
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maxumum,
Quammaxumè ſeruire veſtris commodis:
Exemplum ſtatuite in me, vt adoleſcentuli
Vobis placere ſtudeant potius, quàm ſibi.

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMVS.

QVAMQVAM haec inter nos nuper notitia admodumſt,
Inde adeò quòd agrum in proximo hîc mercatus es,
Nec rei ferè ſanè amplius quidquam fuit.
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, vt te audacter moneam & familiariter:
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quàm res te adhortatur tua.
Nam prô deûm atque hominum fidem, quid vis tibi?
Quid quaeris? annos ſexaginta natus es,
Aut plus eo, vt coniicio. agrum in his regionibus
Meliorem, neque preti maioris nemo habet.
Seruos complureis: proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute adtentè illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum reuortor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus: neque te reſpicis.
Haec non voluptati tibi eſſe, ſatis certò ſcio.
At enim dices, quantum hîc operis fiat, poenitet.
Quod in opere faciundo operae conſumis tuae,
Si ſumas in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme tantúmne eſt ab re tua otii tibi,
Aliena vt cures, eáque, nihil quae ad te attinent?
C. Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectumſt ego vt faciam, non eſt, te vt deterream.
M. Mihi ſic eſt vſus: tibi vt opus factoſt, face.
C. An cuiquam eſt vſus homini, ſe vt cruciet? M. mihi.
C. Si quid laboris eſt, nollem: ſet quid iſtuc mali eſt?
Quaeſo? quid de te tantum meruiſti? M. eheu.
C. Ne lachruma; atque iſtuc, quidquid eſt, fac me vt ſciam:
Ne retice: ne verere: crede inquam mihi,

Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.
M. Scire hoc vis? C. hac quidem cauſa qua dixi tibi.
M. Dicetur. C. iſtos raſtros interea tamen
Adpone: ne labora. M. minime. C. quam rem agis?
M. Sine vaciuom tempus ne quod dem mihi
Laboris. C. non ſinam inquam. M. ah, non aequum facis.
C. Hui, tam grauis hos quaeſo? M. ſic meritumſt meum.
C. Nunc loquere. M. filium vnicum adoleſcentulum
Habeo. ah, quid dixi habere me? imò habui Chreme:
Nunc habeam, nécne, incertumſt. C. quid ita iſtuc? M. ſcies:
Eſt è Corintho hîc aduena anus paupercula:
Eius filiam ille amare coepit perditè,
Prope iam vt pro vxore haberet: haec clam me omnia.
Vbi rem reſciui, coepi non humanitus,
Neque vt animum decuit aegrotum adoleſcentuli,
Tractare: ſet vi, & via peruolgata patrum.
Quotidie accuſabam; hem, tibine haec diutius
Licere ſperas facere me viuo patre,
Amicam vt habeas propeiam in vxoris loco?
Erras ſi id credis, & me ignoras Clinia.
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum quod te dignumſt facies: ſet ſi id non facis,
Ego, quod me in te ſit facere dignum, inuenero.
Nulla adeò ex re iſtuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſtuc aetatis, non amori operam dabam,
Set in Aſiam hinc abii propter pauperiem: atque ibi
Simul rem, & gloriam armis belli repperi.
Poſtremo adeò res rediit: adoleſcentulus
Saepe eadem, & grauiter audiendo, victus eſt.
Putauit me & aetate, & beneuolentia
Plus ſcire & prouidere, quàm ſe ipſum ſibi:
In Aſiam ad regem militatum abiit Chreme.
C. Quid ais? M. clam me eſt profectus, menſis tris abeſt.
C. Ambo accuſandi: & ſi illud incoeptum, tamen
Animi eſt pudentis ſignum, & non inſtrenui.
M. Vbi comperi ex iis, qui ei fuere conſcii,
Domum reuertor moeſtus, atque animo ferè
Perturbato, atque incerto prae aegritudine:

Adſido, adcurrunt ſerui: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Coenam adparare: pro ſe quiſque ſedulò
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Vbi video haec, coepi cogitare, Hem, tot mea
Solius ſolliciti ſunt cauſa, vt me vnum expleant?
Ancillae tot me veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſet gnatum vnicum,
Quem pariter vti his decuit, aut etiam amplius,
Quòd illa aetas magis ad haec vtenda idoneaſt,
Eum ego hinc eieci miſerum iniuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem,
Si id faciam. nam vſque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea vſque illi de me ſupplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi ſeruiens.
Ita facio prorſus: nihil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec veſtimentum: conraſi omnia.
Ancillas, ſeruos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumptum exercerent ſuum,
Omnis produxi ac vendidi: inſcripſi ilico
Aedis mercede: quaſi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus ſum: hîc me exerceo.
Decreui tantiſper me minus iniuriae
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer:
Nec fas eſſe vlla me voluptate hîc frui,
Niſi vbi ille huc ſaluos redierit meus particeps.
C. Ingenio te eſſe in liberos leni puto,
Et illum obſequentem, ſi quis rectè aut commodè
Tractaret: verùm nec tu illum ſatis noueras,
Nec te ille. hocque fit, vbi non verè viuitur.
Tu illum numquam oſtendiſti quanti penderes,
Nec tibi illeſt credere auſus quae eſt aequom patri.
Quod ſi eſſet factum, haec numquam eueniſſent tibi.
M. Ita res eſt, fateor: peccatum à me maximumſt.
C. Menedeme, at porrò rectè ſpero, & illum tibi
Saluom adfuturum eſſe hîc, confido, propediem.
M. Vtinam ita Di faxint. C. facient: nunc ſi commodumſt,

Dionyſia hîc ſunt: hodie apud me ſis volo.
M. Non poſſum. C. cur non? quaeſo, tandem aliquantulum
Tibi parce: idem abſens facere te hoc vult filius.
M. Non conuenit, qui illum ad laborem inpulerim,
Nunc me ipſum fugere. C. ſicine eſt ſententia?
M. Sic. C. bene vale. M. & tu. C. lacrumas excuſſit mihi,
Miſerétque me eius. ſet vt diei tempus eſt,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam vt veniat: ibo, viſam ſi domi eſt.
Nihil opus fuit monitore: iam dudum domi
Praeſto apud me eſſe aiunt. egomet conuiuas moror.
Ibo adeò hinc intró. ſet quid crepuerunt fores
Hinc à me, quiſnam egreditur? huc conceſſero.

ACTVS PRIMI SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

NIHIL adhuc eſt, quod vereare Clinia: haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul cum nuntio tibi hîc ego adfuturam hodie ſcio:
Proin tu ſollicitudinem iſtam falſam, quae te excruciat, mittas.
CH. Qui cum loquitur filius?
CL. Pater adeſt, quem volui: adibo. pater, oportunè aduenis.
CH. Quid id eſt? CL. hunc Menedemum noſtin' noſtrum vicinum? CH. probe.
CL. Huic filium ſcis eſſe? CH. audiui eſſe in Aſia. CL. non eſt pater:
Aput nos eſt. CH. quid ais? CL. aduenientem, è naui egredientem, ilico
Adduxi ad coenam: nam mihi magna cum eo iam inde vſque à pueritia
Fuit ſemper familiaritas. CH. voluptatem magnam nuntias:
Quàm vellem Menedemum inuitatum, vt nobiſcum eſſet hodie, amplius,
Vt hanc laetitiam nec opinanti primus ei obiicerem domi!
Atque etiam nunc tempus eſt. CL. caue faxis; non eſt opus pater.
CH. Quapropter? CL. quia enim incertumſt etiam, quid ſe faciat: modo vênit.

Timet omnia, patris iram, & animum amicae ſe erga vt ſit ſuae.
Eam miſerè amat: propter eam haec turba, atque abitio euênit.
CH. ſcio.
CL. Nunc ſeruolum ad eam in vrbem miſit, & ego noſtrum vnà Syrum.
CH. Quid narrat? CL. quid ille! ſe miſerum eſſe. CH. miſerum! quem minus credere eſt.
Quid reliqui eſt? quin habeat quae quidem in homine dicuntur bona,
Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atque haec perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poſſidet:
Qui vti ſcit, ei bona: illi, qui non vtitur rectè, mala.
CL. Immò ille fuit ſenex inportunus ſemper: & nunc nihil magis
Vereor, quàm ne quid in illum iratus plus ſatis faxit pater.
CH. Illéne? ſet reprimam me: nam in metu eſſe hunc, illi eſt vtile.
CL. Quid tute tecum? CH. dicam: vt vt erat, manſum tamen oportuit.
Fortaſſe aliquantum iniquior erat praeter eius lubidinem:
Pateretur. nam quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum?
Huncine erat aequum ex illius more, an illum ex huius viuere?
Et quod illum inſimulat durum, id non eſt: nam parentum iniuriae
Vniuſmodi ſunt fermè: paulo qui eſt homo tolerabilis,
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò conuiuarier.
Praebent exiguè ſumptum, atque haec ſunt tamen ad virtutem omnia.
Verum vbi animus ſemel ſe cupiditate deuinxit mala,
Neceſſe eſt Clitipho conſilia conſequi conſimilia:
Scitumſt, PERICVLVM *ex aliis facere, tibi quod ex vſu ſiet.*
CL. Ita credo. CH. ego ibo hinc intrò, vt videam nobis quid coenae ſiet:
Tu vt tempus eſt diei, vide ſis ne quò hinc abeas longius.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

CLITIPHO.

QVAM iniqui ſunt patres in omnis adoleſcentis iudices,
Qui aequum eſſe cenſent, nos iam à pueris ilico naſci ſenes:
Neque illarum adfines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quae eſt, non quae olim fuit.

Mihi ſi vmquam filius erit, nae ille facili me vtetur patre.
Nam & cognoſcendi & ignoſcendi dabitur peccatis locus.
Non vt meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perij! is mihi, vbi adbibit plus paulò, ſua quae narrat facinora!
Nunc ait, PERICVLVM EX ALIIS FACITO, *tibi quod ex vſu ſiet.*
Aſtutus: ne ille haut ſcit quàm mihi nunc ſurdo narret fabulam.
Magis nunc me amicae dicta ſtimulant, Da mihi, atque adfer mihi:
Cui quid reſpondeam, nihil habeo, neque me quiſquam eſt miſerior.
Nam hic Clinia, etſi is quoque ſuarum rerum ſatagit, attamen
Habet benè ac pudicè eductam, ignaram artis meretriciae.
Meaſt potens, procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis:
Tum quod dem ei, recteſt: nam nihil eſſe mihi, religioſt dicere.
Hoc ego mali non pridem inueni: neque etiam dum ſcit pater.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

SI mihi ſecundae res de amore meo eſſent, iam dudum ſcio
Veniſſent. ſet vereor ne mulier me abſente hic corrupta ſit.
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant:
Occaſio, locus, aetas, mater, cuius ſub imperio eſt, mala:
Cui nihil iam praeter pretium dulceſt. CLIT. *Clinia.* CLIN. *ei miſero mihi.*
CLIT. *Etiam caues, ne videat fortè hinc te à patre aliquis exiens.*
CLIN. *Faciam: ſet neſcio quid profectò mihi animus praeſagit mali.*
CLIT. *Pergin' iſtuc prius diiudicare, quàm ſcis quid veri ſiet?*
CLIN. *Si nihil mali eſſet iam hîc adeſſent.* CLIT. *iam aderunt.* CLIN. *quando iſtuc erit?*
CLIT. *Non cogitas hinc longule eſſe? & noſti mores mulierum:*
Dum moliuntur, dum conantur, annus eſt. CLIN. *ô Clitipho,*
Timeo. CLIT. *reſpira: eccum Dromonem cum Syro, vna adſunt tibi.*

ACTVS SECVNDI SCENA III.

SYRVS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

AIN' tu? DR. ſic eſt. ST. verum interea dum ſermones caedimus,
Illae ſunt relictae. CLIT. mulier tibi adeſt, audin' Clinia?
CLIN. Ego verò audio nunc demum, & video, & valeo Clitipho.
ST. Minime mirum, adeò inpeditae ſunt; ancillarum gregem
Ducunt ſecum. CLIN. perii. vnde illi ſunt ancillae? CLIT. mén' rogas?
ST. Non oportuit relictas: portant quid rerum. CLIN. ei mihi.
ST. Aurum, veſtem: & veſperaſcit, & non nouerunt viam.
Factum à nobis ſtultè eſt. abi dum tu Dromo illis obuiam:
Propera: quid ſtas? CLIN. vae miſero mihi, quanta de ſpe decidi!
CLIT. Quid iſtuc? quae res te ſollicitat autem? CLIN. rogitas quid fiet?
Vidén' tu? ancillas, aurum, veſtem? quam ego cum vna ancillula
Hîc reliqui: vnde eſſe cenſes? CLIT. vah, nunc demum intellego.
ST. Di boni, quid turbaeſt? aedes noſtrae vix capient, ſcio.
Quid comedent? quid ebibent? quid ſene noſtro erit miſerius?
Set video, eccos quos volebam. CLIN. ô Iuppiter vbinam eſt fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletaſti te Antiphila, & me in his deſeruiſti malis:
Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus ſum obſequens:
Cuius nunc pudet me & miſeret: qui harum mores cantabat mihi,
Monuiſſe fruſtrà: neque potuiſſe eum vnquam ab hac me expellere:
Quod tamen nunc faciam: tum quum gratum mihi eſſe potuit, nolui:
Nemo eſt miſerior me. ST. hic de noſtris verbis errat videlicet,
Quae hîc ſumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque eſt, accipis:
Nam & vitaſt eadem, & animus te erga idem ac fuit:
Quantum ex ipſa re coniecturam coepimus.
CLIN. Quid obſecro? nam mihi nunc nihil rerum omniumſt
Quod malim, quàm me hoc falsò ſuſpicarier.
ST. Hoc primùm, vt ne quid huius rerum ignores, anus

Quae eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipſa in itinere alterae
Dum narrat, fortè audiui. CLIT. quae namſt altera?
SY. Mane: hoc quod coepi, primùm enarrem Clitipho:
Pòſt, iſtuc veniam. CLIT. propera. S. iam primùm omnium
Vbi ventum ad aedis eſt, Dromo pultat fores:
Anus quaedam prodit: haec vbi aperuit oſtium,
Continuò hic ſe coniecit intrò: ego conſequor.
Anus foribus obdit peſſulum: ad lanam redit.
Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit,
Vbi de improuiſo eſt interuentum mulieri
Nam ea res dedit tum exiſtumandi copiam,
Cotidianae vitae conſuetudinem,
Quae cuiuſque ingenium vt ſit, declarat maxume:
Texentem telam ſtudioſè ipſam offendimus,
Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Eius anuis cauſa, opinor, quae erat mortua:
Sine auro tum ornatam, ita vti quae ornantur ſibi:
Nulla mala re eſſe expolitam muliebri:
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Reiectus neclegenter: CLIN. Syre mi obſecro
Ne me in laetitiam fruſtrà coniicias. SY. anus
Subtemen nebat. praeterea vna ancillula
Erat, ea texebat vnà: pannis obſita,
Neclecta, inmunda illuuie. CLIT. ſi haec ſunt Clinia
Vera, ita vti credo, quis te eſt fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit ſordidatam & ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignumſt dominam eſſe extra noxiam,
Quum eius tam necleguntur internuntii:
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas primùm, ad dominas qui affectant viam.
CLIN. Perge obſecro te, & caue ne falſam gratiam
Studeas inire. quid ait, vbi me nominas?
SY. Vbi dicimus rediſſe te, & rogare vti
Veniret ad te: mulier telam deſerit
Continuò, & lacrumis opplet os totum ſibi:
Vt facilè ſcires deſiderio id fieri tuo.

CLIN. Prae gaudio, ita me Di ament, vbi ſim neſcio.
Ita timui. CLIT. at ego nihil eſſe ſciebam Clinia.
Agedum viciſſim Syre, dic quae illaſt altera.
SY. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. hem, quid Bacchidem?
Eho ſceleſte, quò illam ducis? SY. quò ego illam? ad nos ſcilicet.
CLIT. Ad patrémne? SY. ad eum ipſum. CLIT. ô hominis impudentem audaciam! SY. heus.
NON *fit ſine periclo facinus magnum & memorabile.*
CLIT. Hoc vide, in mea vita tu tibi laudem is quaeſitum ſcelus:
Vbi ſi paululum modò quid tete fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? SY. at enim. CLIT. quid enim? SY. ſi ſinas, dicam. CLIN. ſine.
CLIT. Sino. SY. ita res eſt haec nunc, quaſi cum. CLIT. quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? CLIN. Syre, verum hic dicit, mitte: ad rem redi.
SY. Enimuero, reticere nequeo: multimodis iniurius
Clitipho: neque ferri potis eſt. CLIN. audiendum hercle eſt: tace.
SY. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum eſſe in potiundo periculum non vis: haut ſtultè ſapis:
Siquidem id ſapereſt, velle te id, quod non poteſt, contingere.
Aut haec cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt.
Harum duarum conditionum nunc vtram malis, vide:
Etſi conſilium, quod coepi, rectum eſſe & tutum ſcio.
Nam aput patrem tua amica tecum ſine metu vt ſit, copiaſt.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inueniam via.
Quod vt efficerem, orando ſurdas iam auris reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? CLIT. ſiquidem hoc fit. SY. ſiquidem, experiundo ſcies.
CLIT. Age age, cedò iſtuc tuum conſilium quid id eſt? SY. adſimulabimus
Tuam amicam, huius eſſe. CLIT. pulchrè: cedò quid hic faciet ſua?
An ea quoque dicetur huius, ſi vna haec dedecori eſt parum?
SY. Imò ad tuam matrem abducetur. CLIT. quid eò? SY. longumſt Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam: vera cauſa eſt. CLIT. fabulae.
Nihil ſatis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.

SY. Mane, habeo aliud, ſi iſtud metuis: quod ambo confiteamini
Sine periclo eſſe. CLIT. huiuſmodi obſecro aliquid reperi. SY. maxumé.
Ibo obuiam hinc: dicam vt reuortantur domum. CLIT. hem,
Quid dixti? SY. ademptum tibi iam faxo omnem metum,
In aurem vtramuis otioſe vt dormias.
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. túne? quid boni eſt. CLIT. Syre dic modò
Verum. SY. age modò: hodie ſerò, ac ne quidquam voles.
CLIN. Datur: fruare dum licet. nam neſcias
Eius ſit poteſtas poſthac, an numquam tibi.
CLIT. Syre inquam. S. perge porrò, tamen iſtuc ago.
CLIT. Verum hercle iſtuc eſt, Syre, Syre inquam, heus heus Syre.
S. Concaluit. quid vis? CLIT. redi, redi. S. adſum, dic quid eſt?
Iam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. imò Syre,
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi.
Tu es iudex: ne quid accuſandus ſis, vide.
S. Ridiculum eſt, te iſtuc me admonere Clitipho,
Quaſi iſtic minor mea res agatur, quàm tua.
Hic ſi quid nobis fortè aduerſi euenerit,
Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter haec res neutiquam neclectuſt mihi:
Set iſtunc exora, vt ſuam eſſe adſimulet. CLIN. ſcilicet
Facturum me eſſe, in eum iam res rediit locum,
Vt ſit neceſſe. CLIT. meritò te amo Clinia.
CLIN. Verùm illa ne quid titubet. S. Perdoctaſt probé.
CLIN. At hoc demiror, quî tam facile potueris
Perſuadere illi, quae ſolet quos ſpernere.
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omniumſt
Primum: nam quemdam miſerè offendi militem
Eius noctem orantem: haec arte tractabat virum,
Vt illius animum cupidum inopia incenderet:
Eadémque vt eſſet aput te hoc quàm gratiſſima.
Set heus tu, vide ſis, ne quid inprudens ruas:
Patrem nouiſti ad has res quàm ſit perſpicax:
Ego te autem noui quàm eſſe ſoleas inpotens,
Inuerſa verba, euerſas ceruices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.

CLIT. Laudabis. SY. vidéſis. CLIT. tutemet mirabere.
S. Set quàm cito ſunt conſecutae mulieres!
CLIT. Vbi ſunt? cur retines? S. iam nunc haec non eſt tua.
CLIT. Scio, aput patrem: at nunc interim. S. nihilo magis.
CLIT. Sine. S. non ſinam inquam. CLIT. quaeſo pauliſper.
S. veto.
CLIT. Saltem ſalutare. S. abeas, ſi ſapis. CLIT. eo.
Quid iſtic? S. manebit. CLIT. ô hominem felicem! S. ambula.

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRVS.

AEDEPOL te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico:
Id quum ſtuduiſti, iſti formae vt mores conſimiles forent:
Miniméque, ita me Di ament, miror ſi te ſibi quiſque expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,
Omniúmque adeò voſtrarum, volgus quae abs ſe ſegregant:
Et vos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe haut mirabile eſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis: nos quibus cum eſt res, non ſinunt:
Quippe forma inpulſi noſtra, nos amatores colunt.
Haec vbi inminuta eſt, illi ſuum animum aliò conferunt.
Niſi ſi proſpectum interea aliquid eſt, deſertae viuimus:
Vobis cum vno ſemel vbi aetatem agere decretumſt viro,
Cuius mos maxumeſt conſimilis voſtrum, hi ſe ad vos adplicant:
Hoc beneficio vtrique ab vtriſque verò deuincimini:
Vt numquam vlla amori veſtro incidere poſſit calamitas.
AN. Neſcio alias: me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulò,
Vt ex illius commodo meum compararem commodum. C. ah.
Ergo mea Antiphila tu nunc ſola reducem me in patriam facis.
Nam dum abs te abſum, omnes mihi labores fuere quos coepi, leues,
Praeterquam, tui carendum quòd erat. S. credo. C. Syre, vix ſuffero.
Hoccine me miſerum non licere meo modo ingenium frui?
S. Immò, vt patrem tuum vidi eſſe habitum, diu etiam duras dabit.
BA. Quiſnam hic adoleſcens eſt, qui intuitur nos? A. ah retine

Nam quòd rumores diſtulerunt malevoli,
Multas contaminaſſe Graecas, dum fecit
Paucas Latinas: factum hic eſſe id non negat,
Neque ſe pigere: & deinde facturum autumat.
Habet bonorum exemplum: quo exemplo ſibi
Licere id facere, quod illi fecerunt putat.
Tum quod maleuolus vetus Poeta dictitat,
Repente ad ſtudium hunc ſe applicaſſe muſicum,
Amicûm ingenio fretum, haut natura ſua:
Arbitrium voſtrum, veſtra exiſtimatio
Valebit. quamobrem omnes vos oratos volo,
Ne plus iniquûm poſſit, quàm aequûm oratio.
Facite aequi ſitis: date creſcendi copiam
Nouarum, qui ſpectandi faciunt copiam
Sine vitiis: ne ille pro ſe dictum exiſtumet,
Qui nuper fecit ſeruo currenti in via
Deceſſe populum: cur inſano ſeruiat?
De illius peccatis plura dicet, quum dabit
Alias nouas; niſi finem maledictis facit.
Adeſte aequo animo: date poteſtatem mihi
Statariam agere vt liceat per ſilentium:
Ne ſemper ſeruos currens, iratus ſenex,
Edax paraſitus, ſycophanta autem inpudens,
Auarus leno, aſſidue agendi ſint mihi,
Clamore ſummo, cum labore maxumo.
Mea cauſa cauſam hanc iuſtam eſſe animum inducite:
Vt aliqua pars laboris minuatur mihi.
Nam nunc nouas qui ſcribunt, nihil parcunt ſeni:
Si quae laborioſa eſt, ad me curritur:
Sin lenis eſt, ad alium defertur gregem.
In hac eſt pura oratio: experimini,
In vtramque partem ingenium quid poſſit meum.
Si numquam auarè pretium ſtatui arti meae:
Et eum eſſe quaeſtum in animum induxi maxumum,
Quammaxumè ſeruire veſtris commodis:
Exemplum ſtatuite in me, vt adoleſcentuli
Vobis placere ſtudeant potius, quàm ſibi.

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMVS.

QVAMQVAM haec inter nos nuper notitia admodumſt,
Inde adeò quòd agrum in proximo hîc mercatus es,
Nec rei ferè ſanè amplius quidquam fuit.
Tamen vel virtus tua me, vel vicinitas,
Quod ego in propinqua parte amicitiae puto,
Facit, vt te audacter moneam & familiariter:
Quod mihi videre praeter aetatem tuam
Facere, & praeter quàm res te adhortatur tua.
Nam prô deûm atque hominum fidem, quid vis tibi?
Quid quaeris? annos ſexaginta natus es,
Aut plus eo, vt coniicio. agrum in his regionibus
Meliorem, neque preti maioris nemo habet.
Seruos complureis: proinde quaſi nemo ſiet,
Ita tute adtentè illorum officia fungere.
Numquam tam mane egredior, neque tam veſperi
Domum reuortor, quin te in fundo conſpicer
Fodere, aut arare, aut aliquid ferre: denique
Nullum remittis tempus: neque te reſpicis.
Haec non voluptati tibi eſſe, ſatis certò ſcio.
At enim dices, quantum hîc operis fiat, poenitet.
Quod in opere faciundo operae conſumis tuae,
Si ſumas in illis exercendis, plus agas.
M. Chreme tantúmne eſt ab re tua otii tibi,
Aliena vt cures, eáque, nihil quae ad te attinent?
C. Homo ſum: humani nihil à me alienum puto.
Vel me monere hoc, vel percontari puta.
Rectumſt ego vt faciam, non eſt, te vt deterream.
M. Mihi ſic eſt vſus: tibi vt opus factoſt, face.
C. An cuiquam eſt vſus homini, ſe vt cruciet? M. mihi.
C. Si quid laboris eſt, nollem: ſet quid iſtuc mali eſt?
Quaeſo? quid de te tantum meruiſti? M. eheu.
C. Ne lachruma; atque iſtuc, quidquid eſt, fac me vt ſciam:
Ne retice: ne verere: crede inquam mihi,

Aut conſolando, aut conſilio, aut re iuuero.
M. Scire hoc vis? C. hac quidem cauſa qua dixi tibi.
M. Dicetur. C. iſtos raſtros interea tamen
Adpone: ne labora. M. minime. C. quam rem agis?
M. Sine vaciuom tempus ne quod dem mihi
Laboris. C. non ſinam inquam. M. ah, non aequum facis.
C. Hui, tam grauis hos quaeſo? M. ſic meritumſt meum.
C. Nunc loquere. M. filium vnicum adoleſcentulum
Habeo. ah, quid dixi habere me? imò habui Chreme:
Nunc habeam, nécne, incertumſt. C. quid ita iſtuc? M. ſcies:
Eſt è Corintho hîc aduena anus paupercula:
Eius filiam ille amare coepit perditè,
Prope iam vt pro vxore haberet: haec clam me omnia.
Vbi rem reſciui, coepi non humanitus,
Neque vt animum decuit aegrotum adoleſcentuli,
Tractare: ſet vi, & via peruolgata patrum.
Quotidie accuſabam; hem, tibine haec diutius
Licere ſperas facere me viuo patre,
Amicam vt habeas propeiam in vxoris loco?
Erras ſi id credis, & me ignoras Clinia.
Ego te meum eſſe dici tantiſper volo,
Dum quod te dignumſt facies: ſet ſi id non facis,
Ego, quod me in te ſit facere dignum, inuenero.
Nulla adeò ex re iſtuc fit, niſi ex nimio otio.
Ego iſtuc aetatis, non amori operam dabam,
Set in Aſiam hinc abii propter pauperiem: atque ibi
Simul rem, & gloriam armis belli repperi.
Poſtremo adeò res rediit: adoleſcentulus
Saepe eadem, & grauiter audiendo, victus eſt.
Putauit me & aetate, & beneuolentia
Plus ſcire & prouidere, quàm ſe ipſum ſibi:
In Aſiam ad regem militatum abiit Chreme.
C. Quid ais? M. clam me eſt profectus, menſis tris abeſt.
C. Ambo accuſandi: & ſi illud incoeptum, tamen
Animi eſt pudentis ſignum, & non inſtrenui.
M. Vbi comperi ex ijs, qui ei fuere conſcii,
Domum reuertor moeſtus, atque animo ferè
Perturbato, atque incerto prae aegritudine:

Adſido, adcurrunt ſerui: ſoccos detrahunt:
Video alios feſtinare, lectos ſternere,
Coenam adparare: pro ſe quiſque ſedulò
Faciebat, quo illam mihi lenirent miſeriam.
Vbi video haec, coepi cogitare, Hem, tot mea
Solius ſolliciti ſunt cauſa, vt me vnum expleant?
Ancillae tot me veſtiant? ſumptus domi
Tantos ego ſolus faciam? ſet gnatum vnicum,
Quem pariter vti his decuit, aut etiam amplius,
Quòd illa aetas magis ad haec vtenda idoneaſt,
Eum ego hinc eieci miſerum iniuſtitia mea.
Malo quidem me dignum quouis deputem,
Si id faciam. nam vſque dum ille vitam illam colet
Inopem, carens patria ob meas iniurias,
Interea vſque illi de me ſupplicium dabo,
Laborans, quaerens, parcens, illi ſeruiens.
Ita facio prorſus: nihil relinquo in aedibus,
Nec vas, nec veſtimentum: conraſi omnia.
Ancillas, ſeruos, niſi eos, qui opere ruſtico
Faciundo facile ſumptum exercerent ſuum,
Omnis produxi ac vendidi: inſcripſi ilico
Aedis mercede: quaſi talenta ad quindecim
Coegi: agrum hunc mercatus ſum: hîc me exerceo.
Decreui tantiſper me minus iniuriae
Chreme, meo gnato facere, dum fiam miſer:
Nec fas eſſe vlla me voluptate hîc frui,
Niſi vbi ille huc ſaluos redierit meus particeps.
C. Ingenio te eſſe in liberos leni puto,
Et illum obſequentem, ſi quis rectè aut commodè
Tractaret: verùm nec tu illum ſatis noueras,
Nec te ille. hocque fit, vbi non verè viuitur.
Tu illum numquam oſtendiſti quanti penderes,
Nec tibi illeſt credere auſus quae eſt aequom patri.
Quod ſi eſſet factum, haec numquam eueniſſent tibi.
M. Ita res eſt, fateor: peccatum à me maximumſt.
C. Menedeme, at porrò rectè ſpero, & illum tibi
Saluom adfuturum eſſe hîc, confido, propediem.
M. Vtinam ita Di faxint. C. facient: nunc ſi commodumſt,

Dionyſia hîc ſunt : hodie aput me ſis volo.
M. Non poſſum. C. cur non? quaeſo, tandem aliquantulum
Tibi parce: idem abſens facere te hoc vult filius.
M. Non conuenit, qui illum ad laborem inpulerim,
Nunc me ipſum fugere. C. ſicine eſt ſententia?
M. Sic. C. bene vale. M. & tu. C. lacrumas excuſsit mihi,
Miſerétque me eius. ſet vt diei tempus eſt,
Monere oportet me hunc vicinum Phaniam,
Ad coenam vt veniat: ibo, viſam ſi domi eſt.
Nihil opus fuit monitore: iam dudum domi
Praeſto apud me eſſe aiunt. egomet conuiuas moror.
Ibo adeò hinc intró. ſet quid crepuerunt fores
Hinc à me, quiſnam egreditur? huc conceſſero.

ACTVS PRIMI SCENA II.

CLITIPHO. CHREMES.

NIHIL adhuc eſt, quod vereare Clinia: haudquaquam etiam ceſſant:
Et illam ſimul cum nuntio tibi hîc ego adfuturam hodie ſcio:
Proin tu ſollicitudinem iſtam falſam, quae te excruciat, mittas.
CH. Qui cum loquitur filius?
CL. Pater adeſt, quem volui: adibo. pater, oportunè aduenis.
CH. Quid id eſt? CL. hunc Menedemum noſtin' noſtrum vicinum? CH. probe.
CL. Huic filium ſcis eſſe? CH. audiui eſſe in Aſia. CL. non eſt pater:
Aput nos eſt. CH. quid ais? CL. aduenientem, è naui egredientem, ilico
Adduxi ad coenam: nam mihi magna cum eo iam inde vſque à pueritia
Fuit ſemper familiaritas. CH. voluptatem magnam nuntias:
Quàm vellem Menedemum inuitatum, vt nobiſcum eſſet hodie, amplius,
Vt hanc laetitiam nec opinanti primus ei obiicerem domi!
Atque etiam nunc tempus eſt. CL. caue faxis; non eſt opus pater.
CH. Quapropter? CL. quia enim incertumſt etiam, quid ſe faciat: modo vênit.

Timet

Timet omnia, patris iram, & animum amicae ſe erga vt ſit ſuae.
Eam miſerè amat: propter eam haec turba, atque abitio euênit.
CH. ſcio.
CL. Nunc ſeruolum ad eam in vrbem miſit, & ego noſtrum vnà Syrum.
CH. Quid narrat? CL. quid ille! ſe miſerum eſſe. CH. miſerum! quem minus credere eſt.
Quid reliqui eſt? quin habeat quae quidem in homine dicuntur bona,
Parentis, patriam incolumem, amicos, genus, cognatos, diuitias?
Atque haec perinde ſunt, vt illius animus, qui ea poßidet:
Qui vti ſcit, ei bona: illi, qui non vtitur rectè, mala.
CL. Immò ille fuit ſenex inportunus ſemper: & nunc nihil magis
Vereor, quàm ne quid in illum iratus plus ſatis faxit pater.
CH. Illéne? ſet reprimam me: nam in metu eſſe hunc, illi eſt vtile.
CL. Quid tute tecum? CH. dicam: vtvt erat, manſum tamen oportuit.
Fortaſſe aliquantum iniquior erat praeter eius lubidinem:
Pateretur. nam quem ferret, ſi parentem non ferret ſuum?
Huncine erat aequum ex illius more, an illum ex huius viuere?
Et quod illum inſimulat durum, id non eſt: nam parentum iniuriae
Vniuſmodi ſunt fermè: paulo qui eſt homo tolerabilis,
Scortari crebrò nolunt, nolunt crebrò conuiuarier.
Praebent exiguè ſumptum, atque haec ſunt tamen ad virtutem omnia.
Verum vbi animus ſemel ſe cupiditate deuinxit mala,
Neceſſe eſt Clitipho conſilia conſequi conſimilia:
Scitumſt, PERICVLVM *ex aliis facere, tibi quod ex vſu ſiet.*
CL. Ita credo. CH. ego ibo hinc intrò, vt videam nobis quid coenae ſiet:
Tu vt tempus eſt diei, vide ſis ne quò hinc abeas longius.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

CLITIPHO.

QVAM iniqui ſunt patres in omnis adoleſcentis iudices,
Qui aequum eſſe cenſent, nos iam à pueris ilico naſci ſenes:
Neque illarum adfines eſſe rerum, quas fert adoleſcentia.
Ex ſua libidine moderantur, nunc quae eſt, non quae olim fuit.

Mihi ſi vnquam filius erit, nae ille facili me vtetur patre.
Nam & cognoſcendi & ignoſcendi dabitur peccatis locus.
Non vt meus, qui mihi per alium oſtendit ſuam ſententiam.
Perij! is mihi, vbi adbibit plus paulò, ſua quae narrat facinora!
Nunc ait, PERICVLVM EX ALIIS FACITO, *tibi quod ex vſu ſiet.*
Aſtutus: ne ille haut ſcit quàm mihi nunc ſurdo narret fabulam.
Magis nunc me amicae dicta ſtimulant, Da mihi, atque adfer mihi:
Cui quid reſpondeam, nihil habeo, neque me quiſquam eſt miſerior.
Nam hic Clinia, etſi is quoque ſuarum rerum ſatagit, attamen
Habet benè ac pudicè eductam, ignaram artis meretriciae.
Meaſt potens, procax, magnifica, ſumptuoſa, nobilis.
Tum quod dem ei, recteſt: nam nihil eſſe mihi, religioſt dicere.
Hoc ego mali non pridem inueni: neque etiam dum ſcit pater.

ACTVS SECVNDI SCENA II.

CLINIA. CLITIPHO.

SI mihi ſecundae res de amore meo eſſent, iam dudum ſcio
Veniſſent. ſet vereor ne mulier me abſente hic corrupta ſit.
Concurrunt multae opiniones, quae mihi animum exaugeant:
Occaſio, locus, aetas, mater, cuius ſub imperio eſt, mala:
Cui nihil iam praeter pretium dulceſt. *CLIT. Clinia.* *CLIN. ei miſero mihi.*
CLIT. Etiam caues, ne videat fortè hinc te à patre aliquis exiens.
CLIN. Faciam: ſet neſcio quid profectò mihi animus praeſagit mali.
CLIT. Pergin' iſtuc prius diiudicare, quàm ſcis quid veri ſiet?
CLIN. Si nihil mali eſſet iam hîc adeſſent. *CLIT. iam aderunt.*
CLIN. quando iſtuc erit?
CLIT. Non cogitas hinc longule eſſe? & noſti mores mulierum:
Dum moliuntur, dum conantur, annus eſt. *CLIN. ô Clitipho,*
Timeo. *CLIT. reſpira: eccum Dromonem cum Syro, vna adſunt tibi.*

Actvs secvndi scena III.

SYRVS. DROMO. CLITIPHO. CLINIA.

AIN' tu? DR. ſic eſt. SY. verum interea dum ſermones caedimus,
Illae ſunt relictae. CLIT. mulier tibi adeſt, audin' Clinia?
CLIN. Ego verò audio nunc demum, & video, & valeo Clitipho.
SY. Minime mirum, adeò inpeditae ſunt; ancillarum gregem
Ducunt ſecum. CLIN. perii. unde illi ſunt ancillae? CLIT. mén' rogas?
SY. Non oportuit relictas: portant quid rerum. CLIN. ei mihi.
SY. Aurum, veſtem: & veſperaſcit, & non nouerunt viam.
Factum à nobis ſtultè eſt. abi dum tu Dromo illis obuiam:
Propera: quid ſtas? CLIN. vae miſero mihi, quanta de ſpe decidi!
CLIT. Quid iſtuc? quae res te ſollicitat autem? CLIN. rogitas quid ſiet?
Vidén' tu? ancillas, aurum, veſtem? quam ego cum vna ancillula
Hîc reliqui: vnde eſſe cenſes? CLIT. vah, nunc demum intellego.
SY. Di boni, quid turbaeſt? aedes noſtrae vix capient, ſcio.
Quid comedent? quid ebibent? quid ſene noſtro erit miſerius?
Sed video, eccos quos volebam. CLIN. ô Iuppiter vbinam eſt fides?
Dum ego propter te errans patria careo demens, tu interea loci
Conlocupletaſti te Antiphila, & me in his deſeruiſti malis:
Propter quam in ſumma infamia ſum, & meo patri minus ſum obſequens:
Cuius nunc pudet me & miſeret: qui harum mores cantabat mihi,
Monuiſſe fruſtrà: neque potuiſſe eum vnquam ab hac me expellere:
Quod tamen nunc faciam: tum quum gratum mihi eſſe potuit, nolui:
Nemo eſt miſerior me. SY. hic de noſtris verbis errat videlicet,
Quae hîc ſumus locuti. Clinia, aliter tuum amorem, atque eſt, accipis:
Nam & vitaſt eadem, & animus te erga idem ac fuit:
Quantum ex ipſa re coniecturam coepimus.
CLIN. Quid obſecro? nam mihi nunc nihil rerum omniumſt
Quod malim, quàm me hoc falsò ſuſpicarier.
SY. Hoc primùm, vt ne quid huius rerum ignores, anus

Quae eſt dicta mater eſſe ei antehac, non fuit:
Ea obiit mortem: hoc ipſa in itinere alterae
Dum narrat, fortè audiui. CLIT. *quae namſt altera?*
ST. *Mane: hoc quod coepi, primùm enarrem Clitipho:*
Pòſt, iſtuc veniam. CLIT. *propera.* S. *iam primùm omnium*
Vbi ventum ad aedis eſt, Dromo pultat fores:
Anus quaedam prodit: haec vbi aperuit oſtium,
Continuò hic ſe coniecit intrò: ego conſequor.
Anus foribus obdit peſſulum: ad lanam redit.
Hinc ſciri potuit, aut nuſquam alibi, Clinia,
Quo ſtudio vitam ſuam te abſente exegerit,
Vbi de improuiſo eſt interuentum mulieri
Nam ea res dedit tum exiſtumandi copiam,
Cotidianae vitae conſuetudinem,
Quae cuiuſque ingenium vt ſit, declarat maxume:
Texentem telam ſtudioſè ipſam offendimus,
Mediocriter veſtitam veſte lugubri,
Eius anuis cauſa, opinor, quae erat mortua:
Sine auro tum ornatam, ita vti quae ornantur ſibi:
Nulla mala re eſſe expolitam muliebri:
Capillus paſſus, prolixus, circum caput
Reiectus neclegenter: CLIN. *Syre mi obſecro*
Ne me in laetitiam fruſtrà coniicias. ST. *anus*
Subtemen nebat. praeterea vna ancillula
Erat, ea texebat vnà: pannis obſita,
Neclecta, inmunda illuuie. CLIT. *ſi haec ſunt Clinia*
Vera, ita vti credo, quis te eſt fortunatior?
Scin' hanc, quam dicit ſordidatam & ſordidam?
Magnum hoc quoque ſignumſt dominam eſſe extra noxiam,
Quum eius tam neclegantur internuntii:
Nam diſciplina eſt eiſdem, munerarier
Ancillas primùm, ad dominas qui affectant viam.
CLIN. *Perge obſecro te, & caue ne falſam gratiam*
Studeas inire. quid ait, vbi me nominas?
ST. *Vbi dicimus rediſſe te, & rogare vti*
Veniret ad te: mulier telam deſerit
Continuò, & lacrumis opplet os totum ſibi:
Vt facilè ſcires deſiderio id fieri tuo.

CLIN. Prae gaudio, ita me Di ament, vbi ſim neſcio.
Ita timui. CLIT. at ego nihil eſſe ſciebam Clinia.
Agedum viciſſim Syre, dic quae illaſt altera.
SY. Adducimus tuam Bacchidem. CLIT. hem, quid Bacchidem?
Eho ſceleſte, quò illam ducis? SY. quò ego illam? ad nos ſcilicet.
CLIT. Ad patrémne? SY. ad eum ipſum. CLIT. ò hominis impudentem audaciam! SY. heus.
NON *fit ſine periclo facinus magnum & memorabile.*
CLIT. Hoc vide, in mea vita tu tibi laudem is quaeſitum ſcelus:
Vbi ſi paululum modò quid tete fugerit, ego perierim.
Quid illo facias? SY. at enim. CLIT. quid enim? SY. ſi ſinas, dicam. CLIN. ſine.
CLIT. Sino. SY. ita res eſt haec nunc, quaſi cum. CLIT. quas, malum, ambages mihi
Narrare occipit? CLIN. Syre, verum hic dicit, mitte: ad rem redi.
SY. Enimuero, reticere nequeo: multimodis iniurius
Clitipho: neque ferri potis eſt. CLIN. audiendum hercle eſt: tace.
SY. Vis amare: vis potiri: vis, quod des illi, effici:
Tuum eſſe in potiundo periculum non vis: haut ſtultè ſapis:
Siquidem id ſapereſt, velle te id, quod non poteſt, contingere.
Aut haec cum illis ſunt habenda, aut illa cum his amittenda ſunt.
Harum duarum conditionum nunc vtram malis, vide:
Etſi conſilium, quod coepi, rectum eſſe & tutum ſcio.
Nam apud patrem tua amica tecum ſine metu vt ſit, copiaſt.
Tum, quod illi argentum es pollicitus, eadem hac inueniam via.
Quod vt efficerem, orando ſurdas iam auris reddideras mihi.
Quid aliud tibi vis? CLIT. ſiquidem hoc fit. SY. ſiquidem, experiundo ſcies.
CLIT. Age age, cedò iſtuc tuum conſilium quid id eſt? SY. adſimulabimus
Tuam amicam, huius eſſe. CLIT. pulchrè: cedò quid hîc faciet ſua?
An ea quoque dicetur huius, ſi vna haec dedecori eſt parum?
SY. Imò ad tuam matrem abducetur. CLIT. quid eò? SY. longumſt Clitipho,
Si tibi narrem, quamobrem id faciam: vera cauſa eſt. CLIT. fabulae.
Nihil ſatis firmi video, quamobrem accipere hunc mihi expediat metum.

ST. Mane, habeo aliud, ſi iſtud metuis: quod ambo confiteamini
Sine periclo eſſe. CLIT. huiuſmodi obſecro aliquid reppert. ST. maxumé.
Ibo obuiam hinc: dicam vt reuortantur domum. CLIT. hem,
Quid dixti? ST. ademptum tibi iam faxo omnem metum,
In aurem vtramuis otioſe vt dormias.
CLIT. Quid ago nunc? CLIN. túne? quid boni eſt. CLIT. Syre dic modò
Verum. ST. age modò: hodie ſerò, ac ne quidquam voles.
CLIN. Datur: fruare dum licet. nam neſcias
Eius ſit poteſtas poſthac, an numquam tibi.
CLIT. Syre inquam. S. perge porrò, tamen iſtuc ago.
CLIT. Verum hercle iſtuc eſt, Syre, Syre inquam, heus heus Syre.
S. Concaluit. quid vis? CLIT. redi, redi. S. adſum, dic quid eſt?
Iam hoc quoque negabis tibi placere. CLIT. imò Syre,
Et me, & meum amorem, & famam permitto tibi.
Tu es iudex: ne quid accuſandus ſis, vide.
S. Ridiculum eſt, te iſtuc me admonere Clitipho,
Quaſi iſtic minor mea res agatur, quàm tua.
Hic ſi quid nobis fortè aduerſi euenerit,
Tibi erunt parata verba: huic homini verbera.
Quapropter haec res neutiquam neclectuſt mihi:
Set iſtunc exora, vt ſuam eſſe adſimulet. CLIN. ſcilicet
Facturum me eſſe, in eum iam res rediit locum,
Vt ſit neceſſe. CLIT. meritò te amo Clinia.
CLIN. Verùm illa ne quid titubet. S. Perdoctaſt probé.
CLIN. At hoc demiror, quî tam facile potueris
Perſuadere illi, quae ſolet quos ſpernere.
S. In tempore ad eam veni, quod rerum omniumſt
Primum: nam quemdam miſerè offendi militem
Eius noctem orantem: haec arte tractabat virum,
Vt illius animum cupidum inopia incenderet:
Eadémque vt eſſet aput te hoc quàm gratiſſima.
Set heus tu, vide ſis, ne quid inprudens ruas:
Patrem nouiſti ad has res quàm ſit perſpicax:
Ego te autem noui quàm eſſe ſoleas inpotens,
Inuerſa verba, euerſas ceruices tuas,
Gemitus, ſcreatus, tuſſis, riſus, abſtine.

CLIT. Laudabis. ST. vidéſis. CLIT. tutemet mirabere.
S. Set quàm cito ſunt conſecutae mulieres!
CLIT. Vbi ſunt? cur retines? S. iam nunc haec non eſt tua.
CLIT. Scio, aput patrem: at nunc interim. S. nihilo magis.
CLIT. Sine. S. non ſinam inquam. CLIT. quaeſo pauliſper. S. veto.
CLIT. Saltem ſalutare. S. abeas, ſi ſapis. CLIT. eo.
Quid iſtic? S. manebit. CLIT. ô hominem felicem! S. ambula.

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

BACCHIS. ANTIPHILA. CLINIA. SYRVS.

AEDEPOL te mea Antiphila laudo, & fortunatam iudico:
Id quum ſtuduiſti, iſti formae vt mores conſimiles forent:
Miniméque, ita me Di ament, miror ſi te ſibi quiſque expetit.
Nam mihi quale ingenium haberes, fuit indicio oratio.
Et quum egomet nunc mecum in animo vitam tuam conſidero,
Omniúmque adeò voſtrarum, volgus quae abs ſe ſegregant:
Et vos eſſe iſtiuſmodi, & nos non eſſe haut mirabile eſt.
Nam expedit bonas eſſe vobis: nos quibus cum eſt res, non ſinunt:
Quippe forma inpulſi noſtra, nos amatores colunt.
Haec vbi inminuta eſt, illi ſuum animum aliò conferunt.
Niſi ſi proſpectum interea aliquid eſt, deſertae viuimus:
Vobis cum vno ſemel vbi aetatem agere decretumſt viro,
Cuius mos maxumeſt conſimilis voſtrum, hi ſe ad vos adplicant:
Hoc beneficio vtrique ab vtriſque verò deuincimini:
Vt numquam vlla amori veſtro incidere poſſit calamitas.
AN. Neſcio alias: me quidem ſemper ſcio feciſſe ſedulò,
Vt ex illius commodo meum compararem commodum. C. ah.
Ergo mea Antiphila tu nunc ſola reducem me in patriam facis.
Nam dum abs te abſum, omnes mihi labores fuere quos coepi, leues,
Praeterquam, tui carendum quòd erat. S. credo. C. Syre, vix ſuffero.
Hoccine me miſerum non licere meo modo ingenium frui?
S. Immò, vt patrem tuum vidi eſſe habitum, diu etiam duras dabit.
BA. Quiſnam hic adoleſcens eſt, qui intuitur nos? A. ah retine

me obſecro.

BA. Amâbo, quid tibi eſt? A. diſperij, perii miſera. BA. quid ſtupes Antiphila? A. videón' Cliniam, an non? BA. quem vides?

C. Salue anime mi. A. ó mi exſpectate, ſalue. C. vt vales?

A. Saluum aduenisſe gaudeo. C. teneóne te Antiphila, maxumè animo exoptata meo?

S. Ite intrò: nam vos iam dudum exſpectat ſenex.

ACTVS TERTII SCENA PRIMA.

CHREMES. MENEDEMVS.

L*VCISCIT hoc iam, ceſſo pultare oſtium*
Vicini? primùm è me vt ſciat ſibi filium
Rediſſe, etſi adoleſcentem hoc nolle intellego.
Verùm quum videam miſerum hunc tam cruciarier
Eius abitu: celem tam inſperatum gaudium,
Cum illi nihil pericli ex indicio ſiet?
Haut faciam. nam quòd potero, adiutabo ſenem.
Ita vt filium meum amico, atque aequali ſuo
Video inſeruire, & ſocium eſſe in negotiis:
Nos quoque ſenes eſt aequom ſenibus obſequi.
M. Aut ego profectò ingenio egregiè ad miſerias
Natus ſum: aut illud falſumſt quod volgo audio
Dici, DIEM ADIMERE *aegritudinem hominibus.*
Nam mihi quidem cotidie augeſcit magis
De filio aegritudo: & quantò diutius
Abeſt, magis cupio tantò, & magis deſidero.
CH. Set ipſum foras egreſſum video: ibo, adloquar.
Menedeme ſalue: nuntium adporto tibi,
Cuius maxumè te fieri participem cupis.
M. Num quid nam de gnato meo audiſti Chreme?
CH. Valet, atque viuit. M. Vbinamſt quaeſo? C. aput me domi.
M. Meus gnatus! CH. ſic eſt. M. venit! CH. certé. M. Clinia
Meus venit! CH. dixi. M. eamus, duc me ad eum obſecro.
CH. Non vult te ſcire ſe rediſſe etiam, & tuum

Conſpectum fugitat propter peccatum: hoc timet,
Ne tua duritia illa antiqua etiam adaucta ſit.
M. Non tu ei dixiſti, vt eſſem? C. non. M. quamobrem Chreme?
CH. Quia peſſumè iſtuc in te, atque in illum conſulis,
Si te tam leni, & victo animo eſſe oſtenderis.
M. Non poſſum: ſatis iam, ſatis pater durus fui. CH. ah,
Vehemens in vtramque partem Menedeme es nimis,
Aut largitate nimia, aut parſimonia.
In eandem fraudem ex hac re, atque ex illa incides.
Primùm, olim potius, quàm paterere filium
Commeare ad mulierculam, quae paululo
Tum erat contenta, cuique erant grata omnia,
Proterruiſti hinc. ea coacta ingratiis
Poſtilla coepit victum volgò quaerere.
Nunc cum ſine magno intertrimento non poteſt
Haberi, quiduis dare cupis. nam, vt tu ſcias,
Quàm ea nunc inſtructa pulchrè ad perniciem ſiet:
Primùm, iam ancillas ſecum adduxit plus decem,
Oneratas veſte atque auro: Satrapes ſi ſiet
Amator, numquam ſufferre eius ſumptus queat,
Nedum tu poſſis. M. éſtne ea intus? CH. ſit rogas?
Senſi: namque ei vnam coenam atque eius comitibus
Dedi: quòd ſi iterum mihi ſit danda, actum ſiet.
Nam, vt alia omittam: pytiſſando modò mihi
Quid quid vini abſumpſit! ſic hoc dicens, Aſperum
Pater hoc eſt, aliud lenius. ſodes vide,
Relini dolia omnia, omnes ſerias.
Omnes ſollicitos habui: atque haec vna nox.
Quid te futurum cenſes, quem aſſiduè exedent?
Sic me Di amabunt, vt me tuarum miſeritumſt
Menedeme fortunarum. M. faciat quod lubet,
Sumat, conſumat, perdat, decretumſt pati:
Dum illum modo habeam mecum. CH. ſi certumſt tibi
Sic facere, illud permagni referre arbitror,
Vt neſcientem ſentiat te id ſibi dare.
M. Quid faciam? CH. quiduis potius, quàm quod cogitas,
Per alium quemuis vt des: falli te ſinas
Technis per ſeruulum: etſi ſubſenſi id quoque

Illos ibi eſſe, & id agere inter ſe clanculum.
Syrus cum illo veſtro conſuſurrat: conferunt
Conſilia adoleſcentes: & tibi perdere
Talentum hoc pacto ſatius eſt, quàm illo minam.
Non nunc de pecunia agitur: ſet illud, quomodo
Minimo periculo id demus adoleſcentulo.
Nam ſi ſemel tuum animum ille intellexerit,
Prius proditurum te tuam vitam, & prius
Pecuniam omnem, quàm abs te amittas filium: hui,
Quantam feneſtram ad nequitiam patefeceris!
Tibi autem porrò vt non ſit ſuaue viuere.
NAM DETERIORES *omnes ſimus licentia.*
Quodcunque inciderit in mentem, volet: neque id
Putabit prauom, an rectum ſiet, quod petet.
Tu remperire, & ipſum, non poteris pati.
Dare denegaris: ibit ad illud ilico,
Quo maxume aput te ſe valere ſentiet:
Abiturum ſe abs te eſſe ilico minabitur.
M. Videre verum, atque ita vti res eſt, dicere.
CH. Somnum hercle ego hac nocte oculis non vidi meis.
Dum id quaero, tibi quî filium reſtituerem.
M. Cedo dexteram: porrò te idem oro vt facias Chreme.
CH. Paratus ſum. M. ſcin' quid nunc facere te volo?
CH. Dic. M. quod ſenſiſti illos me incipere fallere,
Id vt maturent facere: cupio illi dare
Quod volt: cupio iam videre. CH. operam dabo:
Syrus eſt prehendendus, atque adhortandus mihi.
A me neſcio quis exit: concede hinc domum,
Ne nos inter nos congruere ſentiant.
Paululum negotî mihi obſtat: Simus & Crito
Vicini noſtri hîc ambigunt de finibus:
Me cepere arbitrum: ibo, ac dicam, vt dixeram
Operam daturum me, hodie non poſſe his dare.
Continuò hîc adero. M. ita quaeſo. Di voſtram fidem!
ITA COMPARATAM ESSE HOMINVM *naturam omnium,*
Aliena vt melius videant & iudicent,
Quàm ſua? an eo fit, quia in re noſtra, aut gaudio
Sumus praepediti nimio, aut aegritudine?

Hic mihi quanto nunc plus ſapit, quàm egomet mihi!
CH. Diſſolui me ocius, operam vt tibi darem.

ACTVS TERTII SCENA II.

SYRVS. CHREMES.

HAC illac circumcurſa, inueniendumſt tamen
Argentum: intendenda in ſenem eſt fallacia.
CH. Num me fefellit hoſce id ſtruere? videlicet
Ille Cliniae ſeruus tardiuſculus eſt:
Idcirco huic noſtro traditaſt prouincia.
ST. Quis hîc loquitur? perii, numnam haec audiuit? CH. Syre.
ST. hem.
CH. Quid tu iſtic? ST. rectè equidem. ſet te miror Chreme
Tam mane, qui here tantum biberis. CH. nihil nimis.
ST. Nihil narras? viſa veròſt, quod dici ſolet,
AQVILAE ſenectus. CH. eia. ST. mulier commoda, &
Faceta haec meretrix. CH. ſané. ST. idem viſa eſt mihi.
Et quidem hercle forma luculenta. CH. ſic ſatis.
ST. Ita non vt olim, ſet vti nunc ſanè bona:
Miniméque miror, Clinia hanc ſi deperit.
Set habet patrem quemdam auidum, miſerum, atque aridum:
Vicinum hunc noſtin'? at quaſi is non diuitiis
Abundet, gnatus eius profugit inopia.
Scis eſſe factum vt dico? CH. quid ego neſciam,
Hominem piſtrino dignum? ST. quem? CH. iſtunc ſeruulum
Dico adoleſcentis. S. Syre tibi timui male.
CH. Qui paſſus eſt id fieri? S. quid faceret? CH. rogas?
Aliquid reperiret: fingeret fallacias:
Vnde eſſet adoleſcenti amicae quod daret:
Atque hunc difficilem inuitum ſeruaret ſenem.
S. Garris. CH. haec facta ab illo oportebant Syre.
S. Eho quaeſo, laudas qui eros fallunt? CH. in loco
Ego verò laudo. S. rectè ſané. CH. quippe quia
Magnarum ſaepe id remedium aegritudinum eſt:
Iam huic manſiſſet vnicus gnatus domi.
S. Iocóne, an ſeriò illaec dicat, neſcio:
Niſi mihi quidem addit animum, quo lubeat magis.

CH. Et nunc quid exſpectat Syre? an dum hinc denuo
Abeat, cum tolerare huius ſumptus non queat?
Nónne ad ſenem aliquam fabricam fingit? S. ſtolidus eſt
CH. At te adiutare oportet adoleſcentuli
Cauſa. S. facilè equidem facere poſſum, ſi iubes:
Etenim quo pacto id fieri ſoleat, calleo.
CH. Tantò hercle melior. S. non eſt mentiri meum.
CH. Fac ergo. S. at heus tu facito dum eadem haec memineris,
Siquid huius ſimile fortè aliquando euenerit,
Vt ſunt humana, tuus ut faciat filius.
CH. Non vſus veniet ſpero. S. ſpero hercle ego quoque:
Neque eò nunc dico, quòd quidquam illum ſenſerim:
Set ſiquid, nequid. quae ſit eius aetas vides.
Et ne ego te, ſi vſus veniat, magnificè, Chreme,
Tractare poſſim. CH. de iſthoc, quum vſus venerit,
Videbimus quid opus ſit: nunc iſtuc age.
S. Numquam commodius vnquam erum audiui loqui,
Nec quum malefacerem, crederem mihi inpunius
Licere. quiſnam à nobis egreditur foras?

ACTVS TERTII SCENA III.

CHREMES. CLITIPHO. SYRVS.

QVID iſtuc quaeſo? qui iſtic mos eſt Clitipho? itáne fieri oportet?
CL. Quid ego feci? CH. vidíne ego te modò manum in ſinum huic meretrici
Inſerere? S. acta haec res eſt, perii. CL. méne? CH. hiſce oculis, ne nega:
Facis adeò indignè iniuriam illi, qui non abſtineas manum
Nam iſtaec quidem contumelia eſt,
Hominem amicum recipere ad te, atque eius amicam ſubagitare:
Vel heri in conuiuio, quàm inmodeſtus fuiſti! S. factum. CH. quàm moleſtus!
Vt equidem, ita me Di ament, metui quid futurum denique eſſet.
Noui ego amantium animum: aduertunt grauiter quae non cenſeas.
CL. At mihi fides apud hunc eſt, nihil me iſtius facturum pater.
CH. Eſto: at certè concedas hinc aliquò ab ore eorum aliquantiſper.

Multa fert libido: ea prohibet facere tua praeſentia.
Ego de me facio coniecturam: nemoſt meorum amicorum hodie,
Aput quem expromere omnia mea occulta Clitipho audeam:
Aput alium prohibet dignitas: aput alium ipſius facti pudet,
Ne ineptus, ne proteruos videar. quod illum facere credito.
Set noſtrum eſt intellegere, vtcumq; atque vbicumq; opus ſit, obſequi.
S. Quid iſtic narrat? CL. perii. S. Clitipho, haec ego praecipio tibi,
Hominis frugi & temperantis functus officium. CL. tace ſodes.
S. Rectè ſanè. CH. Syre pudet me. S. credo; neque id iniuria:
Quin mihi moleſtumſt. CL. pergis hercle? S. verum, dico quod videtur.
CL. Nónne accedam ad illos? CH. eho quaeſo, vna accedundi via eſt.
S. Actumſt, hic prius ſe indicarit quàm ego argentum effecero.
Chreme vin' tu homini ſtulto mihi auſcultare? CH. quid faciam? S. iube hunc
Abire hinc aliquó. CL. quò ego hinc abeam? S. quò lubet: da illis locum.
Abi deambulatum. CL. deambulatum! quó? S. vah, quaſi deſit locus.
Abi ſanè iſtac, iſtorſum, quò vis. CH. rectè dicit: cenſeo.
CL. Di te eradicent Syre, qui me hinc extrudis. S. at tu pol tibi iſtas
Poſthac comprimito manus.
Cenſen' verò? quid illum porrò credis facturum Chreme,
Niſi eum, quantum tibi opis Di dant, ſeruas, caſtigas, mones?
CH. Ego iſtuc curabo. S. atqui nunc ere hic tibi aſſeruandus eſt.
CH. Fiet. S. ſi ſapias: nam mihi iam minus, minúſque obtemperat.
CH. Quid tu, ecquid de illo, quod dudum tecum egi, egiſti Syre? aut
Repperiſti tibi quod placeat, an nondum etiam? S. de fallacia
Dicis? ſt, inueni nuper quamdam. CH. frugi es: cedò quid eſt?
S. Dicam, verum vt aliud ex alio incidit. CH. quidnam Syre?
S. Peſſuma haec eſt meretrix. CH. ita videtur. S. immo ſi ſcias.
Vah, vide quod incoeptet facinus. Fuit quaedam anus Corinthia
Hîc: huic drachmarum argenti haec mille dederat mutuum.
CH. Quid tum? S. ea mortuaſt. reliquit filiam adoleſcentulam:
Ea relicta huic arraboni eſt pro illo argento. CH. intellego.
S. Hanc ſecum huc adduxit, ea quae eſt nunc aput vxorem tuam.
CH. Quid tum? S. Cliniam orat ſibi uti id nunc det, illam illi tamen

Pòſt daturam mille nummûm poſcit. CH. *& poſcit quidem.* S. *hui!*
Dubium id eſt? CH. *ego ſic putaui: quid nunc facere cogitas?*
S. *Egóne? ad Menedemum ibo: dicam hanc eſſe captam ex Caria,*
Ditem & nobilem: ſi redimat, magnum ineſſe in ea lucrum.
CH. *Erras.* S. *quid ita.* CH. *pro Menedemo nunc ego tibi reſpondeo,*
Non emo. S. *quid ais? optata loquere.* CH. *atqui non eſt opus.*
S. *Non opus eſt?* CH. *non hercle veró.* S. *quid iſtuc, miror.* CH. *iam ſcies.*
Mane mane, quid eſt quod tam à nobis grauiter crepuêre fores?

ACTVS QVARTI SCENA PRIMA.

SOSTRATA. CHREMES. NVTRIX. SŸRVS.

NISI me animus fallit, hic profecto eſt annulus, quem ego ſuſpicor:
Is, quicum expoſita eſt gnata. CH. *quid volt ſibi Syre haec oratio?*
SO. *Quid eſt? íſne tibi videtur?* NV. *dixi equidem, vbi mihi oſtendiſti, ilico,*
Eum eſſe. SO. *at vt ſatis contemplata modò ſis, mea nutrix.* NV. *ſatis.*
SO. *Abi iam nunc intrò: atque illa ſi iam lauerit, mihi nuntia:*
Hîc ego virum interea opperibor. S. *te volt, videas quid velit:*
Neſcio quid triſtis eſt: non temerèſt: metuo quid ſiet. CH. *quid ſiet!*
Nae iſta hercle magno iam conatu magnas nugas dixerit.
SO. *Ehem mi vir.* CH. *ehem mea vxor.* SO. *teipſum quaero.* CH. *loquere quid velis.*
SO. *Primùm hoc te oro, ne quid credas me aduerſum edictum tuum*
Facere eſſe auſam. CH. *vin' me iſtuc tibi, etſi incredibileſt, credere?*
Credo. S. *neſcio quid peccati portet haec purgatio.*
SO. *Meminiſtin' me eſſe grauidam, & mihi te maxumopere dicere*
Si puellam parerem, nolle tolli? CH. *ſcio quid feceris.*
Suſtuliſti. SY. *ſic eſt factum domina. ergo erus damno auctus eſt.*
SO. *Minime: ſet hîc erat Corinthia anus haut inpura: ei dedi*
Exponendam. CH. *ô Iuppiter, tantámne eſſe in animo inſcitiam!*
SO. *Perii, quid ego feci?* CH. *rogitas?* SO. *ſi peccaui mi Chremes,*

Inſciens feci. CH. *id equidem ego, ſi tu neges, certò ſcio*
Te inſcientem, atque imprudentem dicere, ac facere omnia:
Tot peccata in hac re oſtendis. nam, iam primùm, ſi meum
Imperium exequi voluiſſes, interemptam oportuit.
Non ſimulare mortem verbis, re ipſa ſpem vitae dare.
At id omitto: miſericordia, animus maternus: ſino.
Quàm bene verò abs te proſpectum eſt! quid voluiſti? cogita.
Nempe anui illi prodita abs te filia eſt planiſſume,
Per te vel uti quaeſtum faceret, vel uti veniret palàm.
Credo id cogitaſti; quidvis ſatis eſt, dum viuat modo.
Quid cum illis agas, qui neque ius, neque bonum, atque aequum ſciunt?
Melius, peius; proſit, obſit: nihil vident, niſi quod lubet.
SO. *Mi Chreme peccaui, fateor, vincor: nunc hoc te obſecro.*
Quantò tuus eſt animus natu grauior, ignoſcentior,
Vt meae ſtultitiae in iuſtitia tua ſit aliquid praeſidi.
CH. *Scilicet equidem iſtuc factum ignoſcam: verùm Soſtrata,*
Malè docet te mea facilitas multa. ſet iſtuc, quidquid eſt,
Qua hoc occeptumſt cauſa, loquere. SO. *vt ſtultae & miſerae omnes ſumus*
Religioſae, quum exponendam do illi, de digito annulum
Detraho: & eum dico vt vnà cum puella exponeret,
Si moriretur, ne expers partis eſſet de noſtris bonis.
CH. *Iſtuc rectè: conſeruaſti te atque illam.* SO. *is, hic eſt anulus.*
CH. *Vnde habes?* SO. *quam Bacchis ſecum adduxit adoleſcentulam.*
S. *hem.*
CH. *Quid ea narrat?* SO. *ea lauatum dum it, ſeruandum mihi dedit.*
Animum non aduorti primùm: ſed poſtquam aſpexi, ilico
Cognoui: ad te exilui. CH. *quid nunc ſuſpicare, aut inuenis*
De illa? SO. *neſcio, niſi vt ex ipſa quaeras vnde hunc habuerit,*
Si potis eſt reperiri. S. *interii; plus ſpei video, quàm volo:*
Noſtra eſt, ſi ita eſt. CH. *viuitne illa, cui tu dederas?* SO. *neſcio.*
CH. *Quid renunciauit olim?* SO. *feciſſe id quod iuſſeram.*
CH. *Nomen mulieris cedò quod ſit, vt quaeratur.* SO. *Philterae.*
S. *Ipſa eſt. mirum ni illa ſalua eſt, & ego perii.* CH. *Soſtrata.*
Sequere me intró. SO. *vt praeter ſpem euenit! quàm timui male,*
Ne nunc animo ita eſſes duro, vt olim in tollendo, Chreme.
CH. *Non licet hominem eſſe ſaepe ita vt vult, ſi res non ſinit.*
Nunc ita tempus eſt mihi, vt cupiam filiam: olim nihil minus.

ACTVS QVARTI SCENA II.

SYRVS.

NISI me animus fallit, haut multum à me aberit infortunium:
Ita hac re in anguſtum oppidò nunc meae coguntur copiae,
Niſi aliquid video, ne eſſe amicam hanc gnati reſciſcat ſenex.
Nam quod de argento ſperem, aut poſſe poſtulem me fallere,
Nihil eſt: triumpho, ſi licet me latere tecto abſcedere.
Crucior bolum tantum mihi ereptum tam ſubito è faucibus.
Quid agam? aut quid comminiſcar? ratio deintegro ineundaſt mihi.
NIHIL TAM *difficile eſt, quin quaerendo inueſtigari poſſiet.*
Quid ſi hoc nunc ſic incipiam? nihil eſt. quid, ſi ſic? tantumdem egero.
At ſic opinor: non poteſt. immò optume. euge habeo optumam.
Retraham hercle opinor ad me idem illud fugitiuum argentum tamen.

ACTVS QVARTI SCENA III.

CLINIA. SYRVS.

NVLLA mihi res poſthac poteſt iam interuenire tanta,
Quae mihi aegritudinem adferat: tanta haec laetitia oborta eſt.
Dedo patri me nunc iam, vt frugalior ſim quàm volt.
S. Nihil me fefellit: cognita eſt, quantum audio huius verba.
Iſtuc tibi ex ſententia tua obtigiſſe laetor.
CL. O mi Syre, audiſtin' obſecro? S. quid ni? qui vſque vnà adfuerim?
CL. Cui aequè audiſti commodi quidquam eueniſſe? S. nulli.
CL. Atque ita me Di ament, vt ego nunc non tam meapte cauſa
Laetor, quàm illius: quam ego ſcio eſſe honore quouis dignam.
S. Ita credo. ſet nunc Clinia age, da te mihi viciſſim:
Nam amici quoque res eſt videnda, in tuto vt conlocentur,
Ne quid de amica nunc ſenex. CL. ô Iuppiter. S. quieſce.
CL. Antiphila mea nubet mihi. S. ſicine mihi interloquere?
CL. Quid faciam Syre mi? gaudeo: fer me. S. fero hercle verò.

CL. Deo-

CL. Deorum vitam apti ſumus. S. fruſtrà operam opinor ſumo.
CL. Loquere; audio. S. at iam hoc non ages. CL. agam. S. videndum eſt inquam,
Amici quoque res Clinia tui in tuto vt conlocetur:
Nam ſi nunc à nobis abis, & Bacchidem hîc relinquis,
Senex reſciſcet ilico eſſe amicam hanc eſſe Clitiphonis:
Si abduxeris, celabitur itidem, vt celata adhuc eſt.
CL. At enim iſtoc nihil eſt magis Syre meis nuptiis aduorſum:
Nam quo ore appellabo patrem? tenes, quid dicam? S. quid ni?
CL. Quid dicam? quam cauſam adferam? S. quin nolo mentiare.
Apertè, ita vt res ſeſe habet, narrato. CL. quid ais? S. iubeo
Illam te amare, & velle vxorem hanc eſſe Clitiphonis.
CL. Bonam, atque iuſtam rem oppidò inperas, & factu facilem:
Et ſcilicet iam me hoc voles patrem exorare, vt celet
Senem voſtrum. S. Immò vt recta via rem narret ordine omnem. CL. hem,
Satin' ſanus es, aut ſobrius? tu quidem illum planè prodis.
Nam quî ille poterit eſſe in tuto? dic mihi.
S. Huic equidem conſilio palmam do: hîc me magnificè effero,
Qui vim tantam in me, & poteſtatem habeam tantae aſtutiae,
Vera dicendo vt eos ambos fallam: vt quum narret ſenex
Voſter noſtro, iſtam eſſe amicam gnati, non credat tamen.
CL. At enim ſpem iſtoc pacto rurſum nuptiarum omnem eripis:
Nam dum amicam hanc meam eſſe credet, non conmittet filiam.
Tu fortaſſe quid me fiat paruipendis, dum illi conſulas.
S. Quid, malùm, me aetatem cenſes velle id adſimularier?
Vnus eſt dies, dum argentum eripio: pax. nihil amplius.
CL. Tantum ſat habes? quid tum quaeſo, ſi hoc pater reſciuerit?
S. Quid ſi redeo ad illos qui aiunt, QVID SI NVNC COELVM RVAT?
CL. Metuo quid agam. S. metuis? quaſi non ea poteſtas ſit tua,
Quo velis in tempore vt te exſoluas, rem facias palàm.
CL. Age, age, traducatur Bacchis. S. optumè ipſa exit foras.

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

BACCHIS. CLINIA. SYRVS.
DROMO. PHRYGIA.

SATIS pol proteruè me Syri promiſſa huc induxerunt:
Decem minas, quas mihi dare pollicitus eſt. quòd ſi is nunc
Me deceperit, ſaepe obſecrans me, vt veniam, fruſtrà veniet.
Aut quum venturam dixero & conſtituero: quum is certè
Renuntiarit, Clitipho cum in ſpe pendebit animi:
Decipiam, ac non veniam: Syrus mihi tergo poenas pendet.
CL. Satis ſcitè promittit tibi. S. atqui tu hanc iocari credis?
Faciet niſi caueo. BA. dormiunt: ego pol iſtos commouebo.
Mea Phrygia audiſti, modò iſte homo quam villam demonſtrauit
Charini? PH. audiui. BA. proxumam huic fundo ad dexteram?
PH. memini.
BA. Curriculo percurre: apud eum miles Dionyſia agitat.
S. Quid inceptat? BA. dic me hîc oppidò eſſe inuitam, atque adſeruari:
Verùm aliquo pacto verba his me daturam eſſe, & venturam.
S. Perii hercle. Bacchis mane; mane, quò mittis iſtanc? quaeſo
Iube maneat. BA. i. S. quin eſt paratum argentum. BA. quin ego maneo.
S. Atqui dabitur. BA. vt lubet, num ego inſto? S. at ſcin' quid, ſodes?
BA. Quid. S. tranſeundum nunc tibi ad Menedemum eſt, & tua pompa
Eò traducenda eſt. BA. quam rem agis? ſcelus. S. egóne? argentum cudo,
Quod tibi dem. BA. dignam me putas, quam inludas? S. non eſt temerè.
BA. Etiámne tecum hîc res mihi eſt? S. minime, tuum tibi reddo.
BA. Eatur. S. ſequere hac. heus Dromo. DR. quis me volt. S. Syrus. DR. quid eſt rei?
S. Ancillas omnes Bacchidis traduce huc ad vos properè.
DR. Quamobrem? S. ne quaeras: efferant quae ſecum huc adtulerũt.

Sperabit ſumptum ſibi ſenex leuatum eſſe harum abitu.
Nae ille haut ſcit, paulum lucri, quantum ei damni adportet.
Tu neſcis id, quod ſcis Dromo, ſi ſapies. DR. *mutum dices.*

ACTVS QVARTI SCENA V.

CHREMES. SYRVS.

ITA me di amabunt, vt nunc Menedemi vicem
Miſeret me, tantum deueniſſe ad eum mali.
Illancine mulierem alere cum illa familia?
Etſi ſcio, hoſce aliquot dies non ſentiet:
Ita magno deſiderio fuit ei filius:
Verùm vbi videbit tantos ſibi ſumptus domi
Cotidianos fieri, nec fieri modum,
Optabit rurſum vt abeat ab ſe filius.
Syrum optume eccum. SY. *ceſſo hunc adoriri?* CH. *Syre.*
SY. *hem.*
CH. *Quid eſt?* SY. *Te mihi ipſum iam dudum exoptabam dari.*
CH. *Videre egiſſe iam neſcio quid cum ſene.*
SY. *De illo quod dudum? dictum ac factum reddidi.*
CH. *Bonáne fide?* SY. *bona hercle.* CH. *non poſſum pati*
Quin tibi caput demulceam: accede huc Syre:
Faciam boni tibi aliquid pro iſta re, ac lubens.
SY. *At ſi ſcias quàm ſcitè in mentem venerit.*
CH. *Vah, gloriare eueniſſe ex ſententia?*
SY. *Non hercle verò, verum dico.* CH. *dic, quid eſt?*
SY. *Tui Clitiphonis eſſe amicam hanc Bacchidem*
Menedemo dixit Clinia, & ea gratia
Secum adduxiſſe, ne tu id perſentiſceres.
CH. *Probé.* SY. *dic ſodes.* CH. *nimium inquam.* SY. *immò ſi*
ſcias.
Set porrò auſculta quod ſuperſt fallaciae.
Seſe ipſe dicet tuam vidiſſe filiam:
Eius ſibi complacitam formam, poſtquam aſpexerit,
Hanc cupere vxorem. CH. *modóne quae inuenta eſt?* SY. *eam.*
Et quidem iubebit poſci. CH. *quamobrem iſtuc Syre?*
Nam prorſum nihil intellego. SY. *hui, tardus es.*
CH. *Fortaſſe.* SY. *argentum dabitur ei ad nuptias,*

Aurum, atque veſtem, quî, tenéſne? CH. comparet?
SY. Idipſum. CH. at ego illi neque do, néue deſpondeo.
SY. Non? quamobrem? CH. quamobrem? me rogas? homini!
SY. vt lubet.
Non ego perpetuò dicebam vt illam illi dares,
Verum vt ſimulares. CH. non mea eſt ſimulatio:
Ita tu iſtaec tua miſceto, ne me admiſceas.
Ego cui daturus non ſim, vt ei deſpondeam?
SY. Credebam. CH. minimé. SY. ſcitè poterat fieri:
Et ego hoc, quia dudum tu tantopere iuſſeras,
Eò coepi. CH. credo. SY. ceterum equidem iſtuc Chreme
Aequi boníque facio. CH. atqui cùm maxumè
Volo te dare operam vt fiat, verùm alia via.
SY. Fiat: quaeratur aliud. ſet illud quod tibi
Dixi de argento, quod iſta debet Bacchidi,
Id nunc reddendumſt illi: neque tu ſcilicet
Eò nunc confugies, Quid mea? num mihi datum eſt?
Num iuſsi? num illa oppignerare filiam
Meam me inuito potuit? verùm illud Chreme
Dicunt, IVS SVMMVM ſaepe ſumma eſt malitia.
CH. Haut faciam. SY. immò, aliis ſi licet, tibi non licet:
Omnes te in lauta, & bene acta parte putant.
CH. Quin egomet iam ad eam deferam. SY. immò filium
Iube potius. CH. quamobrem? SY. quia enim in hunc ſuſpicio eſt
Tranſlata amoris. CH. quid tum? SY. quia videbitur
Magis veriſimile id eſſe, quum hic illi dabit:
Et ſimul conficiam facilius ego, quod volo.
Ipſe adeò adeſt, abi, effer argentum. CH. effero.

ACTVS QVARTI SCENA VI.

CLITIPHO. SYRVS.

NVLLA eſt tam facilis res, quin difficilis ſiet,
Quam inuitus facias: vel me haec deambulatio
Quàm non laborioſa, ad languorem dedit!
Nec quidquam magis nunc metuo, quàm ne denuo
Miſer aliquò extrudar hinc, ne accedam ad Bacchidem.
Vt te quidem omnes di, deaéque, quantum eſt Syre,

Cum iſtoc inuento, cúmque incepto perduint:
Huiuſmodi res ſemper conminiſcere,
Vbi me excarnifices. SY. i tu hinc quò dignus es:
Quàm penè tua me perdidit proteruitas!
CL. Vellem hercle factum. ita meritus. SY. meritus! quo modo?
Ne me iſtuc ex te prius audiuiſſe gaudeo,
Quàm argentum haberes, quod daturus iam fui.
CL. Quid igitur dicam tibi vis? abiſti, mihi
Amicam adduxti, quam non liceat tangere?
SY. Iam non ſum iratus: ſet ſcin' vbi nunc ſit tibi
Tua Bacchis? CL. aput nos. SY. non. CL. vbi ergo. S. aput Cliniam.
CL. Perii. S. bono animo es: iam argentum ad eam deferes,
Quod ei pollicitus. CL. garris: vnde? S. à tuo patre.
CL. Ludis fortaſſe me. S. ipſa re experibere.
CL. Ne ego fortunatus homo ſum: deamo te Syre.
S. Qua cauſa id fiat, obſecundato in loco.
Set pater egreditur. caue quidquam admiratus ſies.
Quod imperabit, facito: loquitor paucula.

ACTVS QVARTI SCENA VII.

CHREMES. CLITIPHO. SYRVS.

VBI Clitipho nunc eſt? S. eccum me, inque. CL. eccum hîc tibi.
CH. Quid rei eſſet, dixti huic? S. dixi pleraque omnia.
CH. Cape hoc argentum, ac defer. S. eî, quid ſtas lapis?
Quin accipis? CL. cedò ſané. S. ſequere hac me ocius.
Tu hîc nos, dum eximus, interea opperibere:
Nam nihil eſt illic quod moremur diutius.
CH. Minas quidem iam decem habet à me filia,
Quas pro alimentis eſſe nunc duco datas:
Haſce ornamentis conſequentur alterae.
Porrò haec talenta dotis adpoſcunt duo.
QVAM MVLTA INIVSTA *ac praua fiunt moribus!*
Mihi nunc relictis rebus inueniendus eſt
Aliquis, labore inuenta mea cui dem bona.

ACTVS QVARTI SCENA VIII.

MENEDEMVS. CHREMES.

MVLTO omnium nunc me fortunatiſſumum
Factum puto eſſe gnate, quum te intellego
Reſipiſſe. CH. *vt errat.* MEN. *teipſum quaerebam Chreme:*
Serua quod in te eſt, filium, & me, & familiam.
CH. *Cedò, quid vis faciam?* MEN. *inueniſti hodie filiam.*
CH. *Quid tum?* MEN. *hanc ſibi vxorem dari volt Clinia.*
CH. *Quaeſo quid hominis es?* MEN. *quid?* CH. *iámne oblitus es*
Inter nos quid ſit dictum de fallacia,
Vt ea via abs te argentum auferretur? MEN. *ſcio.*
CH. *Ea res nunc agitur ipſa.* MEN. *quid dixti Chreme?*
Erraui. res acta. quanta de ſpe decidi!
CH. *Immò haec, quae apud te eſt, Clitiphonis eſt*
Amica. MEN. *ita aiunt.* CH. *& tu credis?* MEN. *omnia.*
CH. *Et illum aiunt velle vxorem, vt quum deſponderim,*
Des qui aurum, ac veſtem, atque alia, quae opus ſunt, comparet.
MEN. *Id eſt profectò: id amicae dabitur.* CH. *ſcilicet*
Daturum. MEN. *vah, fruſtrà ſum igitur gauiſus miſer.*
Quiduis tamen iam malo, quàm hunc amittere.
Quid nunc renuntiem abs te reſponſum Chreme,
Ne ſentiat me ſenſiſſe, atque aegrè ferat?
CH. *Aegrè! nimium illi Menedeme indulges.* MEN. *ſine:*
Incoeptumſt: perfice hoc mihi perpetuò Chreme.
CH. *Dic conueniſſe; egiſſe te de nuptiis.*
MEN. *Dicam, quid deinde?* CH. *me facturum eſſe omnia:*
Generum placere: poſtremò etiam ſi voles,
Deſponſam quoque eſſe dicito. MEN. *em, iſtuc volueram.*
CH. *Tanto ocius te vt poſcat, & tu id quod cupis,*
Quàm ociſſume vt des. MEN. *cupio.* CH. *ne tu propediem,*
Vt iſtam rem video, iſtius obſaturabere.
Set vtuti iſthaec ſunt, cautim & paulatim dabis,
Si ſapies. MEN. *faciam.* CH. *abi intrò; vide, quid poſtulent.*
Ego domi ero, ſi quid me voles. MEN. *ſanè volo.*
Nam te ſcientem faciam quidquid egero.

ACTVS QVINTI SCENA PRIMA.

MENEDEMVS. CHREMES.

EGO me non tam aſtutum, neque ita perſpicacem eſſe, certo ſcio.
Set hic adiutor meus, & monitor, & praemonſtrator Chremes,
Hoc mihi praeſtat: In me quiduis harum rerum conuenit,
Quae ſunt dicta in ſtultum, caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.
In illum nihil poteſt: exſuperat eius ſtultitia haec omnia.
CH. Ohe, iam deſine deos vxor gratulando obtundere,
Tuam eſſe inuentam gnatam: niſi illos ex tuo ingenio iudicas,
Vt nihil credas intellegere, niſi idem dictum eſt centies.
Set interim quid illic iam dudum gnatus ceſſat cum Syro?
MEN. Quos ais homines Chremes ceſſare? CH. ehem Menedeme aduenis?
Dic mihi Cliniae, quae dixi, nuntiaſtine? MEN. omnia.
CH. Quid ait? MEN. gaudere adeò coepit, quaſi qui cupiunt nuptias.
CH. Ha, ha, he. MEN. quid riſiſti? CH. ſerui venere in mentem Syri
Calliditates. MEN. itáne? CH. voltus quoque hominum fingit ſcelus.
MEN. Gnatus quòd ſe adſimulat laetum, id dicis? CH. id. MEN. idem iſtuc mihi
Venit in mentem. CH. veterator. MEN. magis, ſi magis noris, putes
Ita rem eſſe. CH. ain' tu? MEN. quin tu auſculta. CH. mane. hoc prius ſcire expeto
Quid perdideris: nam vbi deſponſam nuntiaſti filio,
Continuò inieciſſe verba tibi Dromonem ſcilicet,
Sponſae veſtem, aurum, atque ancillas opus eſſe; argentum vt dares.
MEN. Non. CH. Quid non? MEN. non inquam. CH. neque ipſe gnatus? MEN. nihil prorſus Chreme.
Magis vnum etiam inſtare, vt hodie conficerentur nuptiae.
CH. Mira narras: quid Syrus meus? ne is quidem quidquã? MEN. nihil.

CH. Quamobrem? MEN. neſcio; equidem miror, qui alia tam plane ſcias.
Sed ille tuum quoque Syrus idem mire finxit filium,
Vt ne paululum quidem ſuboleat eſſe amicam hanc Cliniae.
CH. Quid ais? MEN. mitto iam oſculari atque amplexari: id nihil puto.
CH. Quid eſt, quod amplius ſimuletur? MEN. vah. CH. quid eſt? MEN. audi modo:
Eſt mihi in vltimis conclaue aedibus quoddam retro:
Huc eſt intrò latus lectus, veſtimentis ſtratus eſt.
CH. Quid poſtquam hoc eſt factum? MEN. dictum factum: huc abiit Clitipho.
CH. Solus? MEN. ſolus. CH. timeo. MEN. Bacchis conſecutaſt ilico.
CH. Sola? MEN. ſola. CH. perij. MEN. vbi abiere intrò, operuere oſtium. CH. hem,
Clinia haec fieri videbat? MEN. quidni? mecum vnà ſimul.
CH. Fili eſt amica Bacchis Menedeme. occidi.
MEN. Quamobrem? CH. decem dierum vix mihi eſt familia.
MEN. Quid? iſtuc times, quòd ille operam amico dat ſuo?
CH. Imò quòd amicae. MEN. ſi dat. CH an dubium id tibi eſt?
Quemquam ne animo tam communi eſſe, aut leni putas,
Qui ſe vidente amicam patiatur ſuam?
MEN. Quidni? quò verba facilius dentur mihi.
CH. Derides? meritò mihi nunc ego ſuccenſeo.
Quot res dedere, vbi poſſem perſentiſcere,
Niſi eſſem lapis, quae vidi! vae miſero mihi.
At ne illud haut inultum, ſi viuo, ferent:
Nam iam. MEN. non tu te cohibes? non te reſpicis?
Non tibi ego exempli ſatis ſum? CH. prae iracundia
Menedeme, non ſum aput me. MEN. téne iſtuc loqui?
NONNE ID FLAGITIVM EST, *te aliis conſilium dare,*
Foris ſapere, tibi non poſſe auxiliarier?
CH. Quid faciam? MEN. id quod me feciſſe aiebas parum,
Fac te patrem eſſe ſentiat: fac vt audeat
Tibi credere omnia, abs te petere & poſcere,
Ne quam aliam quaerat copiam, ac te deſerat.
CH. Immò abeat multò malo quouis gentium,
Quàm hic per flagitium ad inopiam redigat patrem.

Nam

Nam ſi illi pergo ſuppeditare ſumptibus
Menedeme, mihi illaec verè ad raſtros res redit.
M. Quot incommoditates in hac re accipies, niſi caues!
Difficilem oſtendes te eſſe, & ignoſces tamen
Pòſt; & id ingratum. C. ah, neſcis quàm doleam. M. vt lubet,
Quid hoc, quod volo, vt illa nubat noſtro? niſi quid eſt
Quod mauis. C. immò & gener, & adfines placent.
M. Quid dotis dicam te dixiſſe filio?
Quid obticuiſti? C. dotis! M. ita dico. C. ah. M. Chreme,
Ne quid vereare, ſi minus: nihil dos mouet.
C. Duo talenta pro re noſtra ego eſſe decreui ſatis,
Set ita dictu opus eſt, ſi me vis ſaluom eſſe, rem, & filium,
Me mea omnia bona doti dixiſſe illi. M. quam rem agis?
C. Id mirari te ſimulato, & illum hoc rogitato ſimul,
Quamobrem id faciam. M. quin ego verò quamobrem id facias, neſcio.
C. Egóne? vt eius animum, qui nunc luxuria & laſciuia
Diffluit, retundam, redigam, vt quò ſe vortat, neſciat.
M. Quid agis? C. mitte; ſine me in hac re gerere mihi morem. M. ſino:
Itáne vis? C. ita. M. fiat. C. age iam vt vxorem accerſat, paret.
Hic ita, vt liberos eſt aequom, dictis confutabitur.
Set Syrum. M. quid eum? C. egóne? ſi viuo, adeò exornatum dabo,
Adeò depexum, vt dum viuat, meminerit ſemper mei:
Qui ſibi me pro ridiculo ac delectamento putat.
Non, ita me di ament, auderet haec facere viduae mulieri,
Quae in me fecit.

ACTVS QVINTI SCENA II.

CLITIPHO. MENEDEMVS. CHREMES. SYRVS.

ITANE tandem quaeſo Menedeme, vt pater
Tam in breui ſpatio omnem de me eiecerit animum patris?
Quodnam ob facinus? quid ego tantum ſceleris admiſi miſer?
Volgò faciunt. M. ſcio tibi eſſe hoc grauius multò, ac durius
Cui fit: verùm ego haut minus aegre patior, id qui neſcio:
Nec rationem capio, niſi quòd tibi bene ex animo volo,

CL. Hîc patrem adſtare aiebas? M. eccum. CH. quid me incuſas Clitipho?
Quidquid ego huius feci, tibi proſpexi, & ſtultitiae tuae.
Vbi te vidi animo eſſe omiſſo, & ſuauia in praeſentia
Quae eſſent, prima habere, neque conſulere in longitudinem:
Coepi rationem, vt neque egeres, neque vt haec poſſes perdere.
Vbi, cui decuit primò, tibi non licuit per te mihi dare,
Abii ad proximos, tibi qui erant: eis commiſi, & credidi:
Ibi tuae ſtultitiae ſemper erit praeſidium Clitipho:
Victus, veſtitus, quò in tectum te receptes. CL. ei mihi.
CH. Satius eſt, quàm te ipſo herede haec poſſidere Bacchidem.
S. Diſperii, ſceleſtus quantas turbas conciui inſciens!
CL. Emori cupio. CH. prius quaeſo diſce quid ſit viuere:
Vbi ſcies, ſi diſpicebit vita, tum iſtoc vtitor.
S. Ere licétne? CH. loquere. S. at tutò. CH. loquere. S. quae iſtaſt prauitas,
Quaéve amentia eſt, quod peccaui ego, id obeſſe huic? CH. ilicet,
Ne te admiſce. nemo accuſat Syre te, nec tu aram tibi
Nec precatorem pararis. S. quid agis? CH. nihil ſuccenſeo
Nec tibi, nec tibi: nec vos eſt aequom, quod facio, mihi.
S. Abiit; vah rogaſſe vellem. CL. quid? S. vnde mihi peterem cibum:
Ita nos alienauit: tibi iam eſſe ad ſororem intellego.
CL. Adeóne rem rediiſſe, vt periculum etiam fame mihi ſit Syre?
S. Modo liceat viuere, eſt ſpes. CL. quae? S. nos eſurituros ſatis.
CL. Inrides in re tanta, neque me quidquam conſilio adiuuas?
S. Immò & ibi nunc ſum, vſque id egi dudum, dum loquitur pater:
Et, quantum ego intellegere poſſum. CL. quid? S. non aberit longius.
CL. Quid id ergo? S. ſic eſt, non eſſe horum te arbitror. CL. quid iſtuc Syre?
Satin' ſanus es? S. ego dicam quod mihi in mentem eſt: tu diiudica,
Dum iſtis fuiſti ſolus, dum nulla alia delectatio,
Quae propior eſſet, te indulgebant: tibi dabant. nunc filia
Poſtquam eſt inuenta vera, inuenta eſt cauſa, qua te expellerent.
CL. Eſt veriſimile. S. an tu ob peccatum hoc, eſſe illum iratum putas?
CL. Non arbitror. S. nunc aliud ſpecta: matres omnes filiis

In peccato adiutrices, auxilio in paterna iniuria
Solent eſſe: id non fit. CL. *verum dicis. quid ergo nunc faciam Syre?*
S. *Suſpicionem iſtanc ex illis quaere: rem profer palàm:*
Si non eſt verum, ad miſericordiam ambos adduces cito,
Aut ſcibis cuius ſis. CL. *rectè ſuades, faciam.* S. *ſat rectè hoc mihi*
In mentem venit. namque adoleſcens quàm minima in ſpe ſitus erit,
Tam facillime patris pacem in leges conficiet ſuas.
Et iam haud ſcio, an uxorem ducat: ac Syro nihil gratiae.
Quid autem? ſenex exit foras: ego fugio. adhuc quod factumſt.
Miror, continuo non iuſſiſſe abripi me. ad Menedemum hunc pergam.
Eum mihi precatorem paro: ſeni noſtro fidei nihil habeo.

ACTVS QVINTI SCENA III.

SOSTRATA. CHREMES.

PROFECTO niſi caues tu homo, aliquid gnato conficies mali:
Idque adeò miror, quomodo
Tam ineptum quidquam tibi in mentem venire, mi vir potuerit.
CH. *Pergin' mulier odioſa eſſe? nullámne ego rem vnquam in vita mea*
Volui, quin tu in ea re mihi fueris aduorſatrix Soſtrata?
At ſi rogitem iam, quid eſt quod peccem, aut quamobrem hoc faciam, neſcias:
In qua re nunc tam confidenter reſtas ſtulta? SO. *ego neſcio.*
CH. *Immò ſcis, potius quàm quidem redeat ad integrum haec eadem oratio.*
SO. *Oh iniquos es, qui me tacere de re tanta poſtules.*
CH. *Non poſtulo: iam loquere: nihilo minus ego hoc faciam tamen.*
SO. *Facies!* CH. *verum.* SO. *non vides quantum mali ex ea re excites?*
Subditum ſe ſuſpicatur. CH. *ſubditum, ain' tu?* SO. *certè inquam mi vir.*
CH. *Confitere tuum non eſſe.* SO. *au, obſecro te, iſtud inimicis ſiet.*
Egóne confitear meum non eſſe filium, qui ſit meus?
CH. *Quid? metuis ne non, quum velis, conuincas eſſe illum tuum?*

SO. Quòd filia eſt inuenta? CH. non: ſet quod magis credendum ſiet.
Id quòd eſt conſimilis moribus,
Conuinces facile ex te natum: nam tuî ſimilis eſt probè:
Nam illi nihil vitii eſt relictum, quin ſit & idem tibi.
Tum praeterea talem, niſi tu, nulla, páreret filium.
Set ipſe egreditur: quàm ſeuerus! rem cum videas, cenſeas.

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

CLITIPHO. SOSTRATA. CHREMES.

SI vnquam vllum fuit tempus mater, quum ego voluptati tibi
Fuerim, dictus filius tuus tua voluntate, obſecro
Eius vt memineris, atque inopis nunc te miſereſcat mei,
Quod peto & volo, parentes meos vt commonſtres mihi.
SO. Obſecro mi gnate, ne iſtuc in animum inducas tuum,
Alienum eſſe te. CL. ſum. SO. miſeram me. hocine quaeſiſti obſecro?
Ita mihi atque huic ſis ſuperſtes, vt ex me, atque hoc natus es.
Et caue poſthac, ſi me amas, vnquam iſtuc verbum ex te audiam.
CH. At ego, ſi me metuis, mores caue in te eſſe iſtos ſentiam.
CL. Quos. CH. ſi ſcire vis, ego dicam: gerro, iners, fraus, helluo,
Ganeo, damnoſus. crede, & noſtrum te eſſe credito.
CL. Non ſunt haec parentis dicta. CH. non ſi ex capite ſis meo
Natus, item vt aiunt Mineruam eſſe ex Ioue, ea cauſa magis
Patiar Clitipho flagitiis tuis me infamem fieri.
SO. Di iſtaec prohibeant. CH. Deos neſcio: ego quod potero, ſedulò.
Quaeris id quod habes, parentes: quod abeſt, non quaeris, patri
Quomodo obſequare: & vt ſerues quod labore inuenerit.
Non mihi per fallacias adducere ante oculos? pudet
Dicere hac praeſente verbum turpe: at te id nullo modo
Piguit facere. CL. eheu quàm ego nunc totus diſpliceo mihi!
Quàm pudet! neque quod principium inueniam ad placandum, ſcio.

ACTVS QVINTI SCENA V.

MENEDEMVS. CHREMES. CLITIPHO. SOSTRATA.

ENIMVERO Chremes nimis grauiter cruciat adulescentulum,
Nimiſque inhumanè. exeo ergo, vt pacem conciliem. optumè
Ipſos video. CH. *ehem, Menedeme cur non accerſi iubes*
Filiam, & quod dotis dixi, firmas? SO. *mi vir, te obſecro*
Ne facias. CL. *pater obſecro vt mihi ignoſcas.* MEN. *da veniam Chreme:*
Sine te exoret. CH. *egóne mea bona vt dem Bacchidi dono ſciens?*
Non faciam. M. *at id nos non ſinemus.* CL. *ſi me viuum vis pater,*
Ignoſce. SO. *age Chremes mi.* M. *age quaeſo, ne tam obfirmate Chreme.*
CH. *Quid iſtuc? video non licere, vt coeperam, hoc pertendere.*
M. *Facis vt te decet.* CH. *ea lege hoc adeò faciam, ſi facit*
Quod ego hunc aequom cenſeo. CL. *pater omnia faciam: impera.*
CH. *Vxorem vt ducas.* L. *pater.* CH. *nihil audio.* M. *ad me recipio,*
Faciet. CH. *nihil etiam audio ipſum.* CL. *perii.* SO. *an dubitas Clitipho?*
CH. *Imò, vtrum volt.* M. *faciet omnia.* S. *haec dum incipias, grauia ſunt,*
Dúmque ignores: vbi cognoris, facilia. CL. *faciam pater.*
SO. *Gnate mi, ego pol tibi dabo illam puellam lepidã, quam tu facilè ames,*
Filiam Phanocratae noſtri. CL. *rufámne illam virginem,*
Caeſiam, ſparſo ore, adunco naſo? non poſſum pater.
CH. *Eia, vt elegans eſt! credas animum ibi eſſe.* SO. *aliam dabo.*
CL. *Quid iſtic? quandoquidem ducenda eſt, egomet habeo propemodum*
Quam volo. SO. *nunc laudo gnate.* CL. *Archonidi huius filiam.*
SO. *Perplacet.* CL. *pater hoc nunc reſtat.* CH. *quid?* CL. *Syro ignoſcas volo,*
Quae mea cauſa fecit. CH. *fiat.* Ω. *Vos valete & plaudite.*

CALLIOPIVS RECENSVI.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. ADELPHOS.

DVos *cum haberet Demea adoleſcentulos,*
Dat Micioni fratri adoptandũ Aeſchinũ:
Set Cteſiphonem retinet. hunc cithariſtriae
Lepôre captum, ſub duro ac triſti patre
Frater celabat Aeſchinus famam rei,
Amorem in ſeſe transferebat: denique
Fidicinam lenoni eripuit. vitiauerat
Idem Aeſchinus ciuem Atticam pauperculam,
Fidémque dederat, hanc ſibi vxorem fore.
Demea iurgare, grauiter ferre. mox tamen
Vt veritas patefacta eſt, ducit Aeſchinus
Vitiatam, potitur Cteſipho cithariſtriam.

ÆLII DONATI, V. C. ORATORIS VRBIS Romæ, Præfatio in Adelphos Terentij.

HÆC fabula palliata, vt ipſum indicat nomen, è plurali numero, quum ſit vna: & maſculino genere, quum ſit comœdia: & Græca lingua, quum ſit Latina, cenſetur. Potuit eam Terentius Fratres dicere: ſed & Græci nominis *εὐφωνίαν* perderet, & præterea Togata videretur; ad ſummam, non ſtatim intelligeretur Menandri eſſe: quod Terentius in primis lectorem ſcire cupit: minus exiſtumans laudis proprias ſcribere, quàm Græcas transferre. Eſt igitur Menandri: & à fratrum facto, quibus argumentum nititur, nomen accipit. Huius tota actio quum ſit mixta ex vtroque genere, vt ferè Terentianæ omnes, præter Heautontimorumenon; tamen maiori ex parte motoria eſt. nam ſtatarios locos perpaucos habet. Prodeſt autem & delectat actu & ſtylo. In hac primæ partes ſunt, vt quidam putant, Demeæ: vt quidam, Syri. Quod ſi eſt vt primas Syrus habeat: ſecundæ Demeæ erunt, tertiæ Micionis, & ſic deinceps. Quanquam etiam ſunt qui putant primas Micioni dandas, ſecundas Syro, tertias Demeæ. Nam quod ait Terentius, *Senes qui primi venient*: non ad partes quas dicimus, ſed ad ordinem pertinet exeuntium perſonarum. Hæc etiam, vt cætera huiuſcemodi poema-

ta, quinque actus habeat neceſſe eſt, choris diuiſos à Græcis poetis. quos etſi retinendi cauſa iam inconditi ſpectatoris minime diſtinguunt Latini Comici, metuentes ſcilicet nequis faſtidioſus finito actu, velut admonitus abeundi, reliquæ comœdiæ fiat contemptor & ſurgat: tamen à doctis veteribus diſcreti atq. diſiuncti ſunt, vt mox aperiemus poſt argumenti narrationem. In hac prologus aliquanto lenior inducitur: qui magis etiam in ſe purgandō, quàm in aduerſariis lædendis eſt occupatus. Protaſis eſt turbulēta, Epitaſis clamoſa, Cataſtrophe lenis. quarum partium rationem diligentius in principio propoſuimus, quum de Comœdia quædam diceremus. Hæc ſanè acta eſt ludis ſcenicis funebribus L. Æmilii Pauli: agentibus, L. Ambiuio, & L. Turpione: qui cum ſuis gregibus etiam tum perſonati agebant. Modulata eſt autem tibiis dextris, id eſt Lydiis ob ſeriam grauitatem, qua ferè in omnibus comœdiis vtitur hic poeta. ſæpe tamen, mutatis per ſcenā modis, cantica mutauit: quod ſignificat titulus ſcenæ habens ſubiectas perſonis literas, M. M. C. Item Diuerbia ab hiſtrionibus crebrò pronuntiata ſunt, quæ ſignificantur D. & M. literis ſecundum perſonarum nomina præſcriptis in eo loco vbi incipit ſcena. Adnotandum ſanè quòd hæc fabula προτατικὸν πρόσωπον non habet, hoc eſt perſonam quæ ad argumentum nihil attineat, quæque ſit aſſumpta extrinſecus, vt eſt in Andria Soſia. Hanc dicunt ex Terentianis ſecundo loco actam, etiam tum rudi nomine poetæ. itaque ſic pronuntiatam, Adelphoe Terenti, non Terenti Adelphoe: quòd adhuc magis de fabulæ nomine poeta, quàm de poetæ nomine fabula commendabatur. In hac quidem ſpectatur quid interſit inter ruſticam, & vrbanam vitam: mitem, & aſperam: cœlibis, & mariti: veri patris, & per adoptionem facti. Quibus propoſitis ad exemplum vitanda perinde, fugiendáque Terentius monſtrans, artificis poetæ per totam fabulam obtinet laudem.

ARGVMENTVM.

EX duobus Atticis fratribus, alter quidem Demea nomine, rus coluit, vxorem duxit, filios ſuſcepit duos, Æſchinum & Cteſiphonem. at alter, Micio nomine, vxorem non duxit, & filios procreare noluit: ſed ſibi filium fratris Æſchinum adoptauit: atque ita indulgenter eduxit à paruulo, vt effuſe luxuriatus adoleſcens, ad poſtremum ciuem Atticam virginem vitiaret, captus amore eius. quo facto, & cum matre puellæ pepigit nuptias eiuſdem quam vitiauit. Quúmque rem geſtam ad patris, à quo adoptatus fuerat, conſcientiam, iam iamque perlaturus eſſet, precibus Cteſiphonis fratris ſui, qui apud durum patrem atque agreſtem Demeam parcius atque arctius haberetur, impulſus eſt, & vt eidem à lenone raperet meretricem: quo facto, multiplici errore completur fabula. Nam & Demea cum hoc ipſo, id eſt cum Micione litigabat, tanquam cum eo qui corruperit adoleſcentem adoptatum, in mores perditos, neſciens ſuum ſibi filium Cteſiphonem eſſe corruptum. eluditúrque à Syro & Micione per totam fabulam. Et mater puellę iam decimo menſe poſt raptum virginis, Æſchinum credit ſibiipſi rapuiſſe meretricem. quæ perturbatio, cito in tranquillum redacta eſt. Nam

re comperta de vitio virginis, Micio dat ciuem Æſchino quam concupiuerat: eiuſque matrem ipſe accipit. Deprehenſo verò Cteſiphone in amore meretricis, primò iraſcitur Demea: pòſt lenitur, atque habendæ eius meretricis licentiam præbet. Primus actus hæc continet, Micionis ſolius primò verba: & pòſt, eiuſdem & Demeæ iurgium. Secundus actus hæc continet, Lenonis alteram rixam aduerſus Æſchinum pro puella: eiuſdem apud Syrum querelas: lætitiam Cteſiphonis: obſeſſionem amicæ: & eiuſdem gratiarum actiones apud Æſchinum. Tertius actus hæc continet, Trepidationem matris Soſtratæ & Cantharæ nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æſchino: Getam nuntiantem dominæ ſuæ per errorem, quòd ſibi rapuerit Æſchinus meretricem, reditum in ſcenam Demeæ: eiuſdémque cum Syro ludificante ſermocinationem: interuentum Hegionis: cum querela apud eundem Demeam de facto Æſchini, de conſolatione Soſtratæ. Quartus actus hæc continet, Cteſiphonis cum Syro colloquiū: deluſionem Demeæ: eiuſdémque in ſcenam interuentum, atque ſecundam fruſtrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione ſermonem: querelam Æſchini de rebus ſuis, eiuſdémque cum Micione patre facetiſſimam decertationem: Demeæ reditum in ſcenam ex errore in quem eum coniecerat Syrus: & renouatum cum fratre eiuſdem iurgium: proceſſionem in ſcenam temulenti Syri. Quintus actus hæc continet, Deprehenſionem Cteſiphonis cum meretrice: tertium cum Micione iurgium Demeæ, eiuſdémque vitæ priſtinæ correptionem: & per eum multa in comœdia noua, hoc eſt blandimentum circa Æſchinum, & affabilitatem circa Getam: conciliationem Syri & vxoris eius: & veniam circa Cteſiphonem: permiſſionémque habendæ meretricis. Seruatur autem per totam fabulam mitis Micio, ſæuus Demea, Leno auarus, callidus Syrus, timidus Cteſipho, liberalis Æſchinus, pauidæ mulieres, grauis Hegio. In diuidendis actibus fabulæ identidem meminerimus, primò paginatum dinumerationem neq. Græcos, neque Latinos ſeruaſſe: quum eius diſtributio huiuſmodi rationem habeat, vt vbi attentior ſpectator eſſe potuerit, longior actus ſit: vbi faſtidioſior, breuior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum poſſe coniici, & tres & quatuor ſcenas introeuntium atque exeuntiū perſonarum. Facta autem hæc vna eſt de duabus fabulis, Adelphis Menandri, & Commorientibus Diphili.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

ÆSCHINVS *adoleſcens.*	HEGIO *ſenex.*
CANTHARA *nutrix.*	MICIO *ſenex.*
CTESIPHO *adoleſcens.*	PAMPHILA *nurus.*
DROMO *ſeruus.*	SANNIO *leno.*
DEMEA *ſenex.*	SOSTRATA *matrona.*
GETA *ſeruus.*	SYRVS *ſeruus.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
ADELPHI.

ACTA LVDIS FVNEBRIBVS AEMILI PAVLI. QVOS FECERE Q. FABIVS MAXIMVS. P. CORNELIVS AFRICANVS. EGERE L. ATILIVS PRAENESTINVS, MINVTIVS PROTHIMVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI, TIBIIS SERRANIS FACTA GRAECA MENANDRV L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

PROLOGVS.

POSTQVAM Poëta ſenſit ſcripturam ſuam
Ab iniquis obſeruari, & aduerſarios
Rapere in peiorem partem, quam acturi ſumus:
Indicio de ſe ipſe erit, vos eritis iudices,
Laudin an vitio duci id factum oporteat.
Synapothneſcontes Diphili comedia'ſt.
Eam Conmorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adoleſcens eſt, qui lenoni eripuit
Meretricem: in prima fabula eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum ſumpſit ſibi
In Adelphos, verbum de verbo expreſſum extulit.
Eam nos acturi ſumus nouam. pernoſcite,
Furtúmne factum exiſtimetis, an locum
Reprehenſum, qui praeteritus negligentia'ſt.
Nam quod iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, aſſiduéque vnà ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,

Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet
Qui vobis vniuerſis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore vſus eſt ſine ſuperbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi venient, ij partem aperient,
In agendo partem oſtendent. facite aequanimitas,
Poetae ad ſcribendum augeat induſtriam.

POSTQVAM POETA SENSIT SCRIPTVRAM. *Poſtquam*, pro *quoniam*. cuius reciprocum, *Quoniam* pro *Poſtquam*. Plautus in Aulularia, *Quoniam is moritur, ita auido ingenio fuit.* POSTQVAM POETA SENSIT SCRIPTVRAM SVAM. Indifferenter omnis qui aliquid ſcripſiſſet, *ſcriptor* à veteribus dicebatur.

AB INIQVIS. Inimicis: vt, *Fatis Iunonis iniquae.* OBSEVARI, *Obſeruatio*, ad honorem refertur: vt, *Praeterea regem non ſic AEgyptus & ingens*
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes
Obſeruant. Sed nunc *Obſeruari*, captari ſignificat. *Obſeruari* ergo & honorari, & captari, & audiri ſignificat. vt Plautus, *Obſeruatote, vt blande palpetur mulieri.*

RAPERE IN PEIOREM PARTEM. Varietas per genera verborum; & vtrique ſententiæ aptæ iungimus *Scripturam ſuam*. RAPERE IN PEIOREM PARTEM, Id eſt, vitio dare, vituperare.

INDICIO DE SE IPSE ERIT: Mire expreſſit ſimplicitatem, vera dicturi, quum iodicaturum de ſe dixit, non oarraturum. Et *Indicio erit*, pro *Index erit*. INDICIO DE SE. *Indicat* is qui de ſe volens aliquid, & de aliis etiam prodit: ſed *confitetur* qui de ſe tantum & qui ionitus.

VOS ERITIS IVDICES. Bene: quia apud iudices indicinm profiteotur qui accuſatorem adiuuaot. LAVDIN AN VITIO. Medium oon fecit: vt appareat, ſi crimen non ſit, laudi debere eſſe.

SINAPOTHNESCONTES DIPHILI COMOEDIA EST. Nec numeri, nec genera reſpicienda ſunt contra ſeotentiam rémque ipſam.

EAM CONMORIENTES PLAVTVS FECIT FABVLAM. Sicut apud Græcos δρᾶμα, ſic apud Latioos generaliter *fabula* dicitur: cuius ſpecies ſunt, *Tragœdia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Prætexta, Crepidata, Attellana, μικτὸς, Rhyntonica.*

IN GRECA ADOLESCENS EST. Diphili ſcilicet. quaſi diceret, Quidam adoleſcens eſt qui lenoni eripuit meretricem.

IN PRIMA FABVLA, Hoc eſt, in prima parte: vt dicimus, *In primis digitis*. oon enim aut ſecunda, aut tertia fabula eſt.

RELIQVIT INTEGRVM. Quum aliam transferret. SVMPSIT SIBI. Liberè tulit: hoc eſt, non furatus eſt: vt *Sume pater.*

IN ADELPHOS. Latiòe declinauit,

VERBVM DE VERBO EXPRESSVM EXTVLIT. Hæc approbatio eſt de Græco eſſe ſablatum, noo de Plauto, vt dicit aduerſarius. EXTVLIT. Mire non dixit *Tranſtulit*, ſed *Extulit*: vt oroaſſe Græca videatur Latioo ſtilo.

EAM. Adelphos ſcilicet. NOVAM. Veterem Græcam eſſe intelligimus.

FVRTVMNE FACTVM. Hoc eſt vitio duci. AN LOCVM REPREHENSVM. Hoc eſt laudi duci. NEGLIGENTIA EST. Plauti ſcilicet; cuius æmulari nunc exoptat oegligeotiam. REPREHENSVM. Retentum, reſumptum.

NAM QVOD ISTI DICVNT. *Nam*, incipiendi vim habet modo: vt, *Nam ego hanc macharam meam dico.* HOMINES NOBILES. Scipionem Africanum ſignificat &

Lælium ſapientem, & Furium Pium. EVM ADIVVARE. Legitur & *adiutare.* Pacuuius in Chriſe, *Adiuta mihi.* ASSIDVEQVE VNA SCRIBERE: Non ſic dicit aduerſarius: verum hîc oratoriè crimen non tangit.

QVI VOBIS VNIVERSIS, ET POPVLO PLACENT: *Vniuerſis,* qui in cauea ſunt, dicit. *Populo,* qui etiam præter theatrum, id eſt vniuerſam vrbem.

IN BELLO, Scipionis. IN OTIO, Furii Pii. IN NEGOTIO, Scilicet Lælii ſapientis.

IN AGENDO PARTEM OSTENDENT. χῆμα ἀποσιώπησις. Hic enim iam non ſenes accipiendi eſſent: imo potius cæteræ perſonæ. ſed ipſi ſenes in ſtatario charactere, partem aperient. in motorio, partem oſtendent. Nam duo agendi ſunt principales modi, Motorius & Statarius: ex quibus ille tertius naſcitur, qui dicitur μικτός.

AEQVANIMITAS, Fauor, & propitius animus. Et deeſt, *veſtra.*

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

MICIO.

STORAX. non rediit hac nocte à cœna AEſchinus,
Neque ſeruolorum quiſquam qui aduorſum ierant.
Profectò hoc verè dicunt, ſi abſis vſpiam,
Aut vbi ſi ceſſes, euenire ea ſatius eſt
Quae in te vxor dicit, & quae in animo cogitat
Irata, quam illa, quae parentes propitii.
Vxor, ſi ceſſes, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obſequi:
Et tibi bene eſſe ſoli, quum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito?
Et quibus nunc ſollicitor rebus, ne aut ille alſerit,
Aut vſpiam ceciderit aut perfregerit
Aliquid, vah! quemquámne hominem in animum inſtituere, aut
Parare quod ſit carius, quàm ipſe eſt ſibi?
Atqui ex me hic non natus eſt, ſet ex fratre. is adeò
Diſſimili ſtudio eſt iam inde ab adoleſcentia.
Ego hanc clementem vitam vrbanam, atque otium
Secutus ſum: &, quod fortunatum iſti putant,
Vxorem numquam habui. ille contrà, haec omnia:
Ruri agere vitam, ſemper parce ac duriter
Se habere: vxorem duxit: nati filij
Duo: inde ego hunc maiorem adoptaui mihi.
Eduxi à paruolo; habui, amaui pro meo.
In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi.
Ille vt item contrà me habeat, facio ſedulò.
Do, praetermitto: non neceſſe habeo omnia

Pro meo iure agere. poſtremò alij clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem,
Aut audebit: tantò magis audebit ceteros.
PVDORE *& liberalitate liberos*
Retinere ſatius eſſe credo, quàm metu.
Haec fratri mecum non conueniunt, neque placent.
Venit ad me ſaepe clamitans, Quid agis Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipſe eſt durus praeter aequúmque & bonum.
ET ERRAT *longe, mea quidem ſententia,*
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum:
Malo, coactus qui ſuum officium facit;
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clàm, rurſus ad ingenium redit,
Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre: praeſens abſénſque idem erit.
Hoc patrium eſt, potius conſuefacere filium
Sua ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur ſe neſcire imperare liberis.
Set éſtne hic ipſus, de quo agebam? & certè is eſt.
Neſcio quid triſtem video. credo iam, vt ſolet,
Iurgabit. ſaluum te aduenire Demea,
Gaudemus.

STORAX. Nomina perſonarum, in comœdiis duntaxat, habere debent rationem & etymologiam. etenim abſurdum eſt comicum aperte argumenta confingere: vel nomen perſonæ incongruum dare, vel officium quod ſit à nomine diuerſum. Hinc ſeruus fidelis *Parmeno*: infidelis vel *Syrus*, vel *Geta*: miles *Thraſo*, vel *Polemon*: iuuenis *Pamphilus*: matrona *Myrrhina*:: & puer ab odore *Storax*: vel à ludo, & à geſticulatione *Circus*: & item ſimilia, in quibus ſummum Poetæ vitium eſt, ſiquid è contrario repugnans contrarium diuerſúmque protulerit, niſi per ἀντίφρασιν nomen impoſuerit ioculariter, vt *Miſargyrides* in Plauto dicitur trapezita. & ferè hoc modo apud alios à poetis nomina cōponuntur deſcribenda per ἀντίφρασιν, quod deſignat *Storax*. Primæ partes, ſicut in pro-

ſe promiſit, à ſenibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita cum leni, & pater comis cum ſeueriſſimo comparatur. STORAX. Storacem vocaon Æſchinum: quo tacente, puerum, id eſt Æſchinum abſentem credit: quia ſeruoleſcentibus præſtolantur. vt in Andria, *Obſeruabam mane illorum ſeruulos venientes, euntes.* Sed quia fieri poterat, vt domino abſente adeſſet Storax: commodiſſimè it, *Neque ſeruulorum quiſquam qui aduerſum ierant.*

ORAX, NON REDIIT HAC NOCTE. Hoc alij interrogatiuè, alij pronuntiatiuè pront: ſed magis pronuntiatiuè dicendum.

IBQVE SERVOLORVM QVISQVAM. Propter Storacem, quem abeſſe non reſpondenintelleximus. QVI ADVERSVM. Propriè locutus eſt. nam *aduerſitores* dicuntur. IERANT. oductè i, pronuntiando: quod non addita, u, *Iuerant* dicimus. Tale eſt illud Virgilij, *Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.*

PROFECTO HOC VERE DICVNT. Abſolute non addidit *Qui.* SI ABSIS VSPIAM. Abundat *Vſpiam*, aut deeſt *Profectus*, aut quid tale. aut *tibi vſpiam*: ſignificat enim ſcilicet *vſpiam* & in loco, & ad locum. SI ABSIS VSPIAM AVT VBI SI CESSES. *Si abſis*, ad parentes propitios: *Si ceſſes*, ad vxorem iratam refert in deſertorem. VXOR. Subaudiendum eſt, *Dicit irata vxor.* QVAE IN ANIMO Omne quod ſentimus, aut cogitamus, aut dicimus: & vtrumque pro oratione eſt. Sed illa ἐνθυμηματικὸς quæ in cogitatione eſt: hæc προφορικὸς λόγος dicitur, quæ in verbis eſt conſtituta. Virgilius.

> *Et mihi iam multi crudele canebant*
> *Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.* Et ipſe alibi,
> *Nunc ſiquis eſt qui hoc dicat, aut ſic cogitet.*

QVAM ILLA QVAE PARENTES. Erudite, non addidit in quem dicat, quia ſcit nomina vxoris & parentum τῶν πρός τι eſſe.

VXOR, SI CESSES. Quare non, ſi abſis? an quia iuſtius ceſſanti quàm abſenti ſuccenſemus? an quia irata vxor, ſi ceſſes?

AVT TE AMARE COGITAT, ἐπεξήγησις cum ἐξεργασίᾳ, *Aut te amare cogitat*: aut minus peccati eſt amori proprio cedere, quàm alieno amori obſequi, nulla re impellente, ſiue vxore putare, aut velle delicias. Ergo αὔξησις eſt: niſi fortè τῷ ἰδιωτισμῷ hoc putamus dictum. AVT TE AMARE COGITAT, AVT TETE AMARI. Quum duo propoſuerit, alterum ſumpſit. Nam quum dixiſſet, *Quæ in te vxor dicit, & quæ in animo cogitat*: intulit, *Aut te amare cogitat.* AVT TE AMARE COGITAT, AVT TETE AMARI. Quia *Te amare*: ἀμφίβολον dixerat, cito intulit quod certum eſt, *Aut te te amari.* Et quia illud *te* dixerat hoc geminauit, & *Tete* dixit, tanquam ſignificantius. AVT ANIMO OBSEQVI: περίφρασις.

EGO, QVIA NON REDIIT FILIVS. Plus eſt quòd dixit *Ego*, quàm ſi diceret *Pater.* EGO QVIA NON REDIIT FILIVS. ἀνακόλουθον non enim *Pater* dixit. QVAE COGITO! & QVIBVS, &c. Hoc ſic pronuntiandum eſt, vt horrere videatur ipſe cogitationem ſuam.

QVIBVS NVNC SOLLICITOR REBVS. Hoc eſt quàm malis: non vt vxor, bonis.

NE AVT ILLE ALSERIT. Vide quàm teneri ſit amoris hic timor in iuuene præſertim.

AVT VSPIAM. *Vſpiam* & in loco, & ad locum ſignificat.

CECIDERIT, AC PERFREGERIT ALIQVID! Iungendum, vt non ſolum *Ceciderit*, ſed etiam *Perfregerit*: hæc ſunt quæ ſibi nemo euenire velit. NE AVT ILLE ALSERIT, AVT VSPIAM CECIDERIT. Nimium tenerè amat, qui hæc in iuuene pertimeſcit, quæ circa infantulos caueri ſolent.

QVEMQVAMNE HOMINEM. Sic dicimus de ea re quam miramur ferè ab omnibus fieri.

QVAM IPSE EST SIBI. Tanquam duo ſint. ſed hoc poetæ comico licet.

ATQVI EX ME HIC NON NATVS EST. Quaſi dicat, Ex me non eſt, & ſic afficior: quid paterer ſi genuiſſem? EX ME HIC NON NATVS EST. Quaſi dicat, Non eſt meus.

SED EX FRATRE. Hoc eſt, omnino non alienus eſt.

IS ADEÒ. Tranſitus ad argumentum ſubtiliſſimus. *Adeò* aut abundat, aut *nimium* ſignificat. Vt in Eunucho, *Adoleſcentem adeò nobilem,*

EGO HANC CLEMENTEM VITAM VRBANAM. ὀρθὴ ἐπεξήγησις, διατύπωσις. *Clementem vitam*, figura ipſa. *Vitam clementem* dicimus quæ clementes facit. *Clemens* autem eſt, qui

colit mentem. ATQVE OTIVM. Deeſt *Vrbanum*. SECVTVS SVM. Bene *Secutus*, quaſi magiſtram rectè beatéque viuendi.

ET QVOD FORTVNATVM ISTI PVTANT. Romani ſcilicet, qui *cælibem* quaſi *cælitem* dicunt. & item Græci, apud quos ſunt huiuſmodi ſententiæ.

ΕΙΤΑ ΦΙΛΟΣ ΕΧΟΙΝΙΩΝ ΤΩ ΔΟΥΜΕΝΟΝ. * & alibi,

ΓΑΜΕΙ ΠΑΜΦΙΛΟΣ ΓΑΜΕΙΤΩ ΚΑΓΑΡΙΔΗ ΑΙΚΗΣΕΝ ΜΕ. *

FORTVNATVM ISTI PVTANT. Me vtique vxorem non ducere. Dicit autem Romanis id videri: quos ſpectatores habet. Menander, *ὦ μακάριόν με γυναῖκα οὐ λαμβάνω*.

QVOD FORTVNATVM ISTI PVTANT. Quidam putant ſic pronuntiandum, Et quòd fortunatam iſti putant vxorem: & hæc bona, & concinna locutio eſt. Et *putant* bene dicit is, cui diſplicet aliena ſententia. ISTI PVTANT. Id eſt, hi qui à me diſſentiunt.

VXOREM NVNQVAM HABVI. Si *Non habeo* dixiſſet, poterat videri habuiſſe.

RVRI AGERE VITAM. Contra hæc omnia ſuffecerat breuitas: ſed ſubiunxit fratris deſcriptionem, vt verbis ipſis malam vitæ conditionem oſtendat.

SEMPER PARCE AC DVRITER. *Semper*, licet incertam diſtinctionem habeat, tamen recte additum eſt: quia vel ruri agere, voluptatis eſt: vel parcè ac duriter ſe habere, virtutis. Sed *Semper*, ad vitium: *Parce* autem, ad ſeruandum: *Duriter* verò, ad laborem referendum eſt. RVRI AGERE VITAM, SEMPER PARCE AC DVRITER SE HABERE: Variauit, vt in Andria.

VXOREM DVXIT: Recte *Duxit*, non *Ducere*. ſemel enim hoc fecit Demea. VXOREM DVXIT: Variè per modos diſcurrit. VXOREM DVXIT: Adiuuandum pronuntiatione eſt, ne ſingula vtrinque aſſecuti videantur. Nam ſic in fine fabulæ ait Demea, *Vxorem duxi: quam ibi miſeriam vidi! nati filij: alia cura.*

INDE EGO HVNC, &c. Mirè *inde* ſubiungit, quum perſonam prætulerit. Sic alibi, *E prædonibus vnde emerat, ſe audiuiſſe abreptam e Sunio*. INDE EGO, &c. *Inde*, pro *Ex quibus, & mihi* abundat. Et bene *Hunc* dixit: quia de ipſo loquebatur.

EDVXI A PARVVLO: Quos nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: vt, *Educet ſyluis regem regúmque parentem.* HABVI, AMAVI PRO MEO. Quæritur quid ſit *Habui*. & quum multa dicantur, hoc ſolum verum eſt, *Habui*, credidi, duxi, exiſtimaui. vt alibi, *Semper eius dicta eſt hac, atque habita ſoror*. &, *Sic itaque habeantur, itáque dicantur*. Ergo *Pro meo* ſubaudiendum eſt bis, & *Habui pro meo*, & *Amaui pro meo*.

IN EO ME OBLECTO: SOLVM ID EST CARVM MIHI: Abſolutè vtrumque. & *In eo*, & *Solum*. IN EO. Quaſi in ea te. IN EO ME OBLECTO: Nouè dixit, pro, *Eo me oblecto*. Plus autem ſignificat, quàm ſi diceret, *Solus is eſt carus mihi.*

FACIO SEDVLO. Secus à dolo, id eſt ſine dolo, & impenſe.

ILLE VT ITEM CONTRA ME HABEAT. *Item*, ſimiliter, *Contrà*, viciſſim. Plautus, *Vt illa illum contrà, qui eſt amoris cultor optimus.*

DO, PRAETERMITTO: *Do* ſumptum: *prætermitto* delicta.

NON NECESSE HABEO OMNIA PRO MEO IVRE AGERE. Etſi licet, non neceſſe eſt patrem ſæuire, quia pater eſt. Inter *Ius* & *Aequitatem* hoc intereſt: *Ius* eſt quod omnia recta & inflexibilia exigit. *Aequitas* eſt, quæ de iure multum remittit. Ergo hic ſenſus. Non neceſſe eſt, etiam ſi liceat, ſæuum eſſe patrem. Et mirè oſtendit ius ſuum, niſi neceſſitate, non eſſe ſeruandum.

POSTREMÒ ALII CLANCVLVM. Non, *alij* patres: ſed *alij* adoleſcentes, clanculum patres ſuos.

QVÆ FERT ADOLESCENTIA. Veniam addidit ſtatim, peccata ab adoleſcentibus ad ætatem remouendo. Et vide quàm breuiter, quàm pudicè, quàm ignoſcenter locutus eſt.

EA NE ME CELET, CONSVEFECI FILIVM. Tribus enim viuitur modis, natura, cõſuetudine, & ratione.

NAM QVI MENTIRI, AVT FALLERE INSVERIT PATREM. Separatim ſubaudiendum eſt, *inſuerit*, *πρὸς τὸ mentiri*. CÆTEROS. Qui iam deceperit patrem.

PVDORE ET LIBERALITATE. Argumentum à coniugatis. Liberalitate inquit regendi

ſunt: propter quod liberi dicuntur. *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit.

RETINERE SATIVS ESSE CREDO. Bene *Retinere*: à vitiis ſcilicet. nam vitia filios tenent: quos retinent patres, à vitiis ſcilicet. Nam *retinet*, qui aduerſum aliquem tenet.

HÆC FRATRI MECVM NON CONVENIVNT. Noua locutio. & *Non conueniunt*, pro Non congruunt: ac per hoc, *In his ego & frater diſſentimus*, id eſt, diſſimiles ſumus.

VENIT AD ME SÆPE CLAMITANS. Et importunitatem odioſam oſtendit, *Ad me* dicendo: & inconditam aſſiduitatem, addendo *Sæpe*. Et congrue, poſtquam. *Sæpe* dixit adiecit aptius verbum, non dicens *Clamans*, ſed *Clamitans*.

QVID AGIS MICIO? Reminiſcere lectionem, & inuenies interrogationem huiuſmodi vel inuectionis principio conuenire vel obiurgationis.

CVR PERDIS ADOLESCENTEM NOBIS? Recte *Nobis* additum eſt, & ἠθικῶς. vt alibi, *Pſaltriam nobis, ſi diis placet, parauit.*

CVR AMAT? CVR POTAT? Vide quemadmodum vt durum obiurgatorem oſtendat Demeam, quum ab eo ea dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis ſunt: vt, *Cur amat?* aut naturæ: vt, *Cur optat?* aut pietatis: vt, *Cur tu his rebus ſumptum ſuggeris?* & cætera.

CVR AMAT? CVR POTAT? *Cur amat?* ad illud refertur quod ait ſuprà, *Do, prætermitto*. nam *Prætermitto* delicta, intelligimus ex amore. *Cur potat?* reuocamus ad illud quod ait, *Do ſumptum.*

NIMIVM INEPTVS ES. Vtrumque durè, & *Nimium*, & *Ineptus es.*

PRAETER AEQVVMQVE ET BONVM. Potuit & non addi, præter *Aequum bonum.*

ET ERRAT LONGE. Melius eſt *longè* ſimpliciter accipiendum, vt locale ſit, quàm valdè.

MEA QVIDEM SENTENTIA. Modeſte addidit, *Mea quidem ſententia*: ne quis hoc pro præcepto dici exiſtimet.

QVI IMPERIVM CREDAT. Vtrum cuiuſlibet, an Demeæ tantum? GRAVIVS ESSE AVT STABILIVS. *Grauius*, ad vim: *Stabilius*, ad tempus refertur. VI QVOD FIT. Id eſt, metu ac malo. QVAM ILLVD QVOD AMICITIA ADIVNGITVR. Illud fit, quod vi: hoc adiungitur, quod amicitia.

MEA SIC EST RATIO, ET SIC ANIMVM INDVCO MEVM: *Mea ſic eſt ratio*, ad ſuperiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum*: ad ea pertinet quæ dicturus eſt.

MEA SIC EST RATIO. Iterum modeſte & ἰδιωτικῶς. ET SIC ANIMVM INDVCO MEVM: Senilis μακρολογία.

MALO COACTVS. Duo dicit, *malo*, & *coactus*. QVI OFFICIVM SVVM. ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, id eſt qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quaſi *efficium*: ab *efficiendo* quod vnique perſonæ congruit.

DVM ID RESCITVM IRI CREDIT. Quod facit ſcilicet. TANTISPER, *Tantiſper* quaſi *Tantùper*. & *Pauliſper*, quaſi *paulùper*: vnde *parùper* dictum eſt. TANTISPER CAVET. *Peccare*, ſubaudiendũ eſt. nam totum ἐλλειπτικῶς, & obſcure dictũ eſt. Et bene *Cauet*: quaſi malo.

SI SPERAT FORE CLAM. Iterum quod facit ſubaudiendum. RVRSVM AD INGENIVM REDIT. Mire, non intulit, *Cauet*: ſed, *Ad ingenium reddit.* & *Rurſum* eſt retro verſum vt *Prorſum*, prius verſum.

ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNGAS. Non dicit, *Beneficio adiunctus*, vt ſuprà, *Malo coactus*. ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNGAS. Κατ᾽ ἀντίθεσιν * ille malo, hic beneficio. Ille coactus, hic adiunctus. Ille dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet: hic, præſens abſénſque idem erit. Et τὸ *Præſens* & *Abſens*, non ad aliquem locum, ſed ad cuſtodem retulit & monitorem. ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNGAS. Contra illud ait, quod *Malo coactus.*

EX ANIMO FACIT: Officium ſcilicet STVDET PAR REFERRE: Id eſt benefacere.

PRAESENS, ABSENSQVE IDEM ERIT. Contra illud, *Si ſperat fore clàm, rurſus ad ingenium reddit.*

HOC PATRIVM EST. Superius à re tractum eſt: hoc iam à perſona ducitur argumentum. CONSVEFACERE. Non *Cogere*: ſed *Conſuefacere.*

QVAM ALIENO METV. Vide quemadmodum ſuum ad indulgentiam affectum reuocet optimæ diſciplinæ.

Hoc pater ac dominvs. A differentia perſonarum & officiorum. Interest. Differentia eſt.

Hoc qvi neqvit. Longe melius, *Nequit*: quàm ſi diceret, *Non vult*.

Fateatvr nescire imperare liberis. Hoc indicat. & ſe melius conſulere, & volentem hoc exercere. Nescire imperare liberis. Oratorie, quaſi artis ſit indulgentiſſime agere. *Imperare*, modo non ad ſuperbiam, ſed ad *Regendum* eſt referendum.

Fateatvr nescire. Deeſt *Se*.

Sed estne hic ipsivs, de qvo agebam? κατ' οἰκονομίαν ſuperuenit de quo ſermo eſt, vt factis dicta oſtendantur.

Et certe is est. Bene nunc confirmat ipſum eſſe eum, quum propior eſt, vtpote ſenili, nec in longum proſpiciente conſpectu.

Nescio qvid tristem video. Orationis apparatus ex vultu oſtenditur: vt,

——— *ſtetit acri fixa dolore,*
Tum quaſſans caput hanc effundit pectore vocem.

Nescio qvid. Deeſt *Propter*: vt ſit, *Neſcio propter quid*.

Vt solet. Cauſa cur illum æquo animo frater ferat, *Vt ſolet*, inquit.

Salvvm te advenire Demea gavdemvs. Vt aſperior oſtendatur Demea, etiam ſalutatur ab eo quem obiurgaturus eſt.

Actvs primi scena II.

Demea. Micio.

EHEM, opportunè: te ipſum quaerito.
M. Quid triſtis es? D. rogas me, vbi nobis AEſchinus
Siet, quid triſtis ego ſim? M. dixín hoc fore?
Quid fecit? D. quid ille fecerit? quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam; neque legem putat
Tenere ſe vllam. nam illa, quae antehac facta ſunt,
Omitto: modo quid deſignauit! M. quidnam id eſt?
D. Fores effregit, atque in aedis inruit
Alienas: ipſum dominum, atque omnem familiam
Mulcauit vſque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat: clamant omnes, indigniſſume
Factum eſſe: hoc aduenienti quot mihi Micio
Dixere? in oreſt omni populo. denique
Si conferendum exemplum eſt, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri eſſe parcum ac ſobrium?
Nullum huius ſimile factum. haec quum illi Micio
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi ſinis.
M. homine imperito *numquam quidquam iniuſtius,*
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.
D. Quorſum iſtuc? M. quia tu Demea haec male iudicas.
Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum

Scor-

Scortari, neque potare : non eſt : neque fores
Effringere. haec ſi neque ego, neque tu fecimus?
Non ſiuit egeſtas facere nos: tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Iniuriumſt. nam ſi eſſet vnde id fieret,
Faceremus : & tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quàm, vbi te expectatum eieciſſet foras,
Alieniore aetate pòſt faceret tamen.
D. Prò Iuppiter! tu homo adigis me ad inſaniam.
Non eſt flagitium facere haec adoleſcentulum! M. ah.
Auſculta : ne me obtundas de hac re ſaepius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi.
Is meus eſt factus : ſi quid peccat Demea,
Mihi peccat : ego illi maxumam partem feram.
Obſonat, potat, olet vnguenta de meo.
Amat? dabitur à me argentum, dum erit commodum:
Vbi non erit fortaſſe excludetur foras.
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, dis gratia,
Et vnde haec fiant, & adhuc non moleſta ſunt.
Poſtremò, aut deſine, aut cedò quemuis arbitrum:
Te plura in hac re peccare oſtendam. D. ei mihi,
Pater eſſe diſce ab aliis, qui verè ſciunt.
M. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
D. Tún conſulis quidquam? M. ah, ſi pergis, abiero.
D. Síccine agis? M. an ego toties de eadem re audiam?
D. Curae eſt mihi. M. & mihi curae eſt. verum Demea
Curemus aequam vterque partem : tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Repoſcere illum eſt quem dediſti. D. ah Micio.
M. Mihi ſic videtur. D. quid iſtic? tibi ſi iſtuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam ſi verbum vnum poſthac. M. rurſum Demea
Iraſcere? D. an non credis? repetón quem dedi?
AEgreſt: alienus non ſum. ſi obſto. em deſino.
Vnum vis curem, curo: & eſt dis gratia,
Quum ita vt volo eſt : iſte tuus ipſe ſentiet

Poſterius. nolo in illum grauius dicere.
M. Nec nihil, neque omnia haec ſunt, quae dicit; tamen
Nonnihil moleſta haec ſunt mihi. ſet oſtendere
Me aegre pati illi nolui. nam itaſt homo:
Quum placo, aduerſor ſedulo & deterreo:
Tamen vix humane patitur: verùm ſi augeam,
Aut etiam adiutor ſim eius iracundiae,
Inſaniam profectò cum illo. etſi AEſchinus
Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? poſtremo nuper, credo iam omnium
Taedebat, dixit velle vxorem ducere.
Sperabam iam deferuiſſe adoleſcentiam.
Gaudebam: ecce autem deintegro. niſi quidquid eſt,
Volo ſcire, atque hominem conuenire, ſi aput forum eſt.

HEM OPPORTVNE: TEIPSVM QVAERITO. In hoc actu diuerſi homines, diuerſi patres, & diuerſa ſtudia proponuntur. hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax & difficilis in delictis. HEM OPPORTVNE: TEIPSVM QVAERITO. Melius quàm Menander, quum hic illum ad iurgium promptiorem, quàm ad reſalutandum faciat. QVID TRISTIS ES? Bene interrogat. potuit enim non iratus frater quærere.

VBI NOBIS AESCHINVS SIET. Quaſi quædam cauſa ſit triſtitiæ.

DIXIN HOC FORE? Credo iam, vt ſolet, obiurgabit.

QVID ILLE FECERIT? Animaduertendum, vt interrogatus interroget more indignantium. quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, vt videatur minus reprehendere culpam Aeſchini.

QVEM NEQVE PVDET QVICQVAM, NEQVE METVIT QVEMQVAM. Varie per caſus diſcurrit, *Quem neque pudet quidquam*: contra illud quod alibi pater dicit, *Erubuit ſalua res eſt.*

QVEM NEQVE PVDET QVICQVAM. Magno ordine accuſauit. non (inquit) pudore mouetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim ἄυξησις oratoria proceſſit.

TENERE SE VLLAM. Bene *Tenere*: quia legem. & eſt ἀμφιβολία oratoria.

NAM ILLA QVAE ANTEHAC FACTA SVNT, OMITTO: Accuſatio duo tempora recipit. præteritum, ab antè geſtis. & præſens, ab iis quæ obiiciuntur. Ergo vtrumque mira breuitate perſtrinxit. OMITTO. παράλειψις.

MODO QVID DESIGNAVIT! *Deſignare*, eſt rem nouam facere, in vtramque partem & bonam & malam. Nam & *deſignatores* dicti, qui ludis funebribus præſunt: credo ob eam cauſam, quòd ipſis ludis multa fiant noua & ſpectanda: ſimul etiam turba retineatur. quæ fiunt aut in ſpectaculis, aut in litibus. MODO QVID DESIGNAVIT! Puto ego *deſignationem*, contractionem, aut conductionem populi in vnum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio populi in ſe oculos & ora conuertit, & ſpectaculo eſt vulgo: quemadmodum deſignatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent. DESIGNAVIT! Hoc verbum apud veteres duas res ſignificabat. etenim praue & recte facta, *deſignata* dicebantur.

QVIDNAM ID EST? Et hoc etiam contemnans interrogat Micio.

FORES EFFREGIT. Hæc ſingula magna cum vociferatione inferenda ſunt. ſtomachatur enim aduerſus malè interrogantem. FORES EFFREGIT, ATQVE IN AEDES

IRRVIT ALIENAS: Totum quidem vnum crimen eſt, Rapuit meretricem. Sed vide qua pompa, qua vociferatione dilatatur accuſatio Demeæ, de moribus Aeſchini, nihil niſi inania referentis. FORES EFFREGIT, ATQVE IN AEDES IRRVIT ALIENAS. Hæc ſingula conſideranda ſunt. Et bene dicit *Alienas*, quia ſi Lenonis diceret, parua res videretur.

IPSVM DOMINVM. Iterum ſuppreſſa eſt infamis perſona. ATQVE OMNEM FAMILIAM MVLTAVIT. Aut *Familiam* pro ſeruis lenonis dicit, aut pro meretricibus. MVLTAVIT, lacerauit, mutilauit, molliuit, atque diſſoluit. Vnde *Mulciber* à multando, quaſi *multiber* VSQVE AD MORTEM: Magna inuidia cædis & mortis mentione, quæ tamen nulli accidit.

ERIPVIT MVLIEREM QVAM AMABAT. Omnia magno colore & accuſatorio dicta ſunt, & ex hoc maxime, quod Lenonē & meretricem non dixit, cōtentus facti atrocitate, perſonarúmque vilitatem reticens. MVLIEREM ERIPVIT. Non, *Abduxit*: ſed, *Eripuit*.

CLAMANT. A præiudicato, & authoritate rumoris.

HOC ADVENIENTI QVOT MIHI MICIO DIXERE? Quaſi dicat, Diſplicet omnibus, & multi cum accuſant. nec tamen lenonis querelæ mentio fit. vide oratorem. *Hoc* autem, vel articulus, vel aduerbium loci eſt.

IN ORE EST OMNI POPVLO. Salluſtius, *In ore gentibus agens, populo, ciuitati.*

SI CONFERENDVM EXEMPLVM EST. Tanquam non ſit conferendum.

NON FRATREM VIDET REI DARE OPERAM. Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipſe eſt, quem laudat. REI DARE OPERAM. Non amori.

REI DARE OPERAM. Quàm facete poeta hæc omnia falſa, & è contrario facit Demeam credere.

RVRI ESSE. Non in vrbe. PARCVM. Non prodigum. SOBRIVM? Non inſanum.

PARCVM AC SOBRIVM? Contra illud, *Cur amat? Cur potat.*

NVLLVM HVIVS SIMILE FACTVM. Hoc cum admiratione. Micio tangitur, quaſi ipſius culpa ſit fratris natura. NVLLVM HVIVS SIMILE FACTVM. Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum eſt, & ardentibus in Micionem oculis. Et ſubaudiendum eſt, *Eſſe*, aut *Inueniri*.

HAEC QVVM ILLI MICIO DICO, TIBI DICO. *Illi*, pro *In illum*: & *Tibi*, pro *In te*. TV ILLVM CORRVMPI SINIS. Deeſt, *Nam*. ſed feruentius ἀσυνδέτως dicitur. & hoc *Tibi* & *Tu* pronuntiandum eſt intento digito, & infeſtis in Micionem oculis. nam hoc agi ſtomacho aduerſum diſſimulatores ſolet. TV ILLVM CORRVMPI SINIS. Mitius modo dixit, *Sinis corrumpi*: mox vehementius dicet, *An laudi putas fore, ſi perdideris gnatum?*

HOMINE IMPERITO NVMQVAM QVIDQVAM INIVSTIVS. Miro ſtomacho apud ipſum de ipſo tanquam apud alterum loquitur.

NISI QVOD IPSE FECIT. αὐθάδεια hoc enim proprium ruſticorum eſt, atque imperitorum. NIHIL RECTVM PVTAT. Proprie *putat*. nam hoc verbum imperitorum eſt. Ordo eſt, Qui nihil rectum putat, niſi quod ipſe fecit.

QVORSVM ISTVC? Deeſt *Pertinet*, aut *Dicis*.

QVIA TV DEMEA. Id eſt, homo imperitus. HAEC MALE IVDICAS. Pari virtute hæc leniter dicta ſunt, qua ſuperiora vehementer.

NON EST FLAGITIVM. Non peccatum negat eſſe: ſed flagitium non eſſe contendit. & ideo ſubindignanter pronuntiandum eſt: vt ſi dicat, Scortari quidem adoleſcentulum, delictum eſt: ſed non eſt flagitium. & veniæ locus non tam in facto, quàm in perſona eſt conſtitutus. NON EST FLAGITIVM, MIHI CREDE ADOLESCENTVLVM SCORTARI. Mire reſpondit, & oratorie, ad hæc quæ inuidioſe dicta ſunt. Nam quod ait ille, *Eripuit mulierem quam amabat*: hic *ſcortum* dicit. quod *irruit in ædes alienas* quaſi ex vino furens *potare*. quod cum aliis graue propoſitum eſt, hoc ſolùm dicendo, leue reddit: id eſt *fores effringere*. MIHI CREDE. Quaſi imperito dicit, *Mihi crede*. non enim, *Me intellige*. Quod imitatus Cicero ſic Cælium exagitat; *Magna ſunt mihi crede: noli hæc contemnere.* Hic enim & authoritas dicentis, & contemptus oſtenditur audientis.

HAEC SI NEQVE EGO, NEQVE TV, FECIMVS: Quia dixit, *Qui niſi quod ipſe fecit, nihil*

re comperta de vitio virginis, Micio dat eluem Æſchino quam concupiuerat: eiúſque matrem ipſe accipit. Deprehenſo verò Cteſiphone in amore meretricis, primò iraſcitur Demea: pòſt lenitur, atque habendæ eius meretricis licentiam præbet. Primus actus hæc continet, Micionis ſolius primò verba: & pòſt, eiuſdem & Demeæ iurgium. Secundus actus hæc continet, Lenonis alteram rixam aduerſus Æſchinum pro puella: eiuſdem apud Syrum querelas: lætitiam Cteſiphonis: obſeſſionem amicæ: & eiuſdem gratiarum actiones apud Æſchinum. Tertius actus hæc continet, Trepidationem matris Soſtratæ & Cantharæ nutricis ob parturientem Pamphilam vitiatam ab Æſchino: Getam nuntiantem dominæ ſuæ per errorem, quòd ſibi rapuerit Æſchinus meretricem, reditum in ſcenam Demeæ: eiuſdémque cum Syro ludificante ſermocinationem: interuentum Hegionis: cum querela apud eundem Demeam de facto Æſchini, de conſolatione Soſtratæ. Quartus actus hæc continet, Cteſiphonis cum Syro colloquiũ: deluſionem Demeæ: eiuſdémque in ſcenam interuentum, atque ſecundam fruſtrationem per Syrum factam: Micionis cum Hegione ſermonem: querelam Æſchini de rebus ſuis, eiuſdémque cum Micione patre facetiſſimam decertationem: Demeæ reditum in ſcenam ex errore in quem eum coniecerat Syrus: & rénouatum cum fratre eiuſdem iurgium: proceſſionem in ſcenam temulenti Syri. Quintus actus hæc continet, Deprehenſionem Cteſiphonis cum meretrice: tertium cum Micione iurgium Demeæ, eiuſdémque vitæ priſtinæ correptionem: & per eum multa in comœdia noua, hoc eſt blandimentum circa Æſchinum, & affabilitatem circa Geram: conciliationem Syri & vxoris eius: & veniam circa Cteſiphonem: permiſſionémque habendæ meretricis. Seruatur autem per totam fabulam mitis Micio, ſæuus Demea, Leno auarus, callidus Syrus, timidus Cteſipho, liberalis Æſchinus, pauidæ mulieres, grauis Hegio. In diuidendis actibus fabulæ identidem meminerimus, primò paginarum dinumerationem neq. Græcos, neque Latinos ſeruaſſe: quum eius diſtributio huiuſmodi rationem habeat, vt vbi attentior ſpectator eſſe potuerit, longior actus ſit: vbi faſtidioſior, breuior atque contractior. Deinde etiam illud, in eundem actum poſſe coniici, & tres & quatuor ſcenas introeuntium atque exeuntiũ perſonarum. Facta autem hæc vna eſt de duabus fabulis, Adelphis Menandri, & Commorientibus Diphili.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

ÆSCHINVS *adoleſcens.*	HEGIO *ſenex.*
CANTHARA *nutrix.*	MICIO *ſenex.*
CTESIPHO *adoleſcens.*	PAMPHILA *nurus.*
DROMO *ſeruus.*	SANNIO *leno.*
DEMEA *ſenex.*	SOSTRATA *matrona.*
GETA *ſeruus.*	SYRVS *ſeruus.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
ADELPHI.

ACTA LVDIS FVNEBRIBVS AEMILI PAVLI. QVOS FECERE Q. FABIVS MAXIMVS. P. CORNELIVS AFRICANVS. EGERE L. ATILIVS PRAENESTINVS, MINVTIVS PROTHIMVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI, TIBIIS SERRANIS FACTA GRAECA MENANDRV L. ANICIO M. CORNELIO COSS.

PROLOGVS.

POSTQVAM Poëta ſenſit ſcripturam ſuam
Abiniquis obſeruari, & aduerſarios
Rapere in peiorem partem, quam acturi ſumus:
Indicio de ſe ipſe erit, vos eritis iudices,
Laudin an vitio duci id factum oporteat.
Synapothneſcontes Diphili comediaſt.
Eam Conmorientes Plautus fecit fabulam.
In Graeca adoleſcens eſt, qui lenoni eripuit
Meretricem:inprima fabula eum Plautus locum
Reliquit integrum. eum hic locum ſumpſit ſibi
In Adelphos, verbum de verbo expreſſum extulit.
Eam nos acturi ſumus nouam. pernoſcite,
Furtúmne factum exiſtimetis, an locum
Reprehenſum, qui praeteritus neglìgentiaſt.
Nam quod iſti dicunt maleuoli, homines nobiles
Eum adiutare, aſsiduéque vnà ſcribere:
Quod illi maledictum vehemens eſſe exiſtimant,

Eam laudem hic ducit maximam, quum illis placet
Qui vobis vniuerſis & populo placent.
Quorum opera in bello, in otio, in negotio,
Suo quiſque tempore vſus eſt ſine ſuperbia.
Dehinc ne expectetis argumentum fabulae:
Senes qui primi venient, ij partem aperient,
In agendo partem oſtendent. facite aequanimitas,
Poetae ad ſcribendum augeat induſtriam.

POSTQVAM POETA SENSIT SCRIPTVRAM. *Poſtquam*, pro *quoniam*. cuius reciprocum, *Quoniam* pro *Poſtquam*. Plautus in Aulularia, *Quoniam u moritur, ita auido ingenio fuit.* POSTQVAM POETA SENSIT SCRIPTVRAM SVAM. Indifferenter omnis qui aliquid ſcripſiſſet, *ſcriptor* à veteribus dicebatur.

AB INIQVIS. Inimicis: vt, *Fatis Iunonis iniquae.* OBSEVARI, *Obſeruatio*, ad honorem refertur: vt, *Praeterea regem non ſic AEgyptus & ingens*
Lydia, nec populi Parthorum aut Medus Hydaſpes
Obſeruant. Sed nunc *Obſeruari*, captari ſignificat. *Obſeruari* ergo & honorari, & captari, & audiri ſignificat. vt Plautus, *Obſeruatote, vt blande palpetur mulieri.*

RAPERE IN PEIOREM PARTEM. Varietas per genera verborum; & vtrique ſententiæ aptæ iungimus *Scripturam ſuam.* RAPERE IN PEIOREM PARTEM, Id eſt, vitio dare, vituperare.

INDICIO DE SE IPSE ERIT: Mire expreſſit ſimplicitatem, vera dicturi, quum indicaturum de ſe dixit, non narraturum. Et *Indicio erit*, pro *Index erit.* INDICIO DE SE. *Indicat* is qui de ſe volens aliquid, & de aliis etiam prodit: ſed *confitetur* qui de ſe tantum & qui inuitus.

VOS ERITIS IVDICES. Bene: quia apud iudices indicium profitentur qui accuſatorem adiuuant. LAVDIN AN VITIO. Medium non fecit: vt appareat, ſi crimen non ſit, laudi debere eſſe.

SINAPOTHNESCONTES DIPHILI COMOEDIA EST. Nec numeri, nec genera reſpicienda ſunt contra ſententiam rémque ipſam.

EAM CONMORIENTES PLAVTVS FECIT FABVLAM. Sicut apud Græcos δρᾶμα, ſic apud Latinos generaliter *fabula* dicitur: cuius ſpecies ſunt, *Tragœdia, Comœdia, Togata, Tabernaria, Prætexta, Crepidata, Attellana,* μικτὸς, *Rhyntonica.*

IN GRECA ADOLESCENS EST. Diphili ſcilicet. quaſi diceret, Quidam adoleſcens eſt qui lenoni eripuit meretricem.

IN PRIMA FABVLA, Hoe eſt, in prima parte: vt dicimus, *In primis digitis.* non enim aut ſecunda, aut tertia fabula eſt.

RELIQVIT INTEGRVM. Quum aliam transferret. SVMPSIT SIBI. Liberè tulit: hoc eſt, non furatus eſt: vt *Sume pater.*

IN ADELPHOS. Latinè declinauit,

VERBVM DE VERBO EXPRESSVM EXTVLIT. Hæc approbatio eſt de Græco eſſe ſablatum, non de Plauto, vt dicit aduerſarius. EXTVLIT. Mire non dixit *Tranſtulit*, ſed *Extulit*: vt ornaſſe Greca videatur Latino ſtilo.

EAM. Adelphos ſcilicet. NOVAM. Veterem Græcam eſſe intelligimus.

FVRTVMNE FACTVM. Hoc eſt vitio duci. AN LOCVM REPREHENSVM. Hoc eſt laudi duci. NEGLIGENTIA EST. Plauti ſcilicet, cuius æmulari nunc exoptat negligentiam. REPREHENSVM. Retentum, reſumptum.

NAM QVOD ISTI DICVNT. *Nam*, incipiendi vim habet modo: vt, *Nam ego hanc macheram meam dico.* HOMINES NOBILES. Scipionem Africanum ſignificat &

Lælium ſapientem, & Furium Pium. EVM ADIVVARE. Legitur & *adiutare*. Pacuuius in Chriſe, *Adiuta mihi*. ASSIDVEQVE VNA SCRIBERE: Non ſic dicit aduerſarius: verum hîc oratoriè crimen non tangit.

QVI VOBIS VNIVERSIS, ET POPVLO PLACENT: *Vniuerſis*, qui in cauea ſunt, dicit. *Populo*, qui etiam præter theatrum, id eſt vniuerſam vrbem.

IN BELLO, Scipionis. IN OTIO, Furii Pii. IN NEGOTIO, Scilicet Lælii ſapientis.

IN AGENDO PARTEM OSTENDENT. χῦμα ἀπροσώπως. Hic enim iam non ſenes accipiendi eſſent: imo potius cæteræ perſonæ. ſed ipſi ſenes in ſtatario charactere, partem aperient. in motorio, partem oſtendent. Nam duo agendi ſunt principales modi, Motorius & Statarius: ex quibus ille tertius naſcitur, qui dicitur μικτός.

AEQVANIMITAS, Fauor, & propitius animus. Et deeſt, *veſtra*.

ACTVS PRIMI SCENA PRIMA.

MICIO.

STORAX. non rediit hac nocte à cœna AEſchinus,
Neque ſeruolorum quiſquam qui aduorſum ierant.
Profectò hoc verè dicunt, ſi abſis vſpiam,
Aut vbi ſi ceſſes, euenire ea ſatius eſt
Quae in te vxor dicit, & quae in animo cogitat
Irata, quam illa, quae parentes propitii.
Vxor, ſi ceſſes, aut te amare cogitat,
Aut tete amari, aut potare, aut animo obſequi:
Et tibi bene eſſe ſoli, quum ſibi ſit male.
Ego, quia non rediit filius, quae cogito!
Et quibus nunc ſollicitor rebus, ne aut ille alſerit,
Aut vſpiam ceciderit aut perfregerit
Aliquid, vah! quemquámne hominem in animum inſtituere, aut
Parare quod ſit carius, quàm ipſe eſt ſibi?
Atqui ex me hic non natus eſt, ſet ex fratre. is adeò
Diſsimili ſtudio eſt iam inde ab aduleſcentia.
Ego hanc clementem vitam vrbanam, atque otium
Secutus ſum: &, quod fortunatum iſti putant,
Vxorem numquam habui. ille contrà, haec omnia:
Ruri agere vitam, ſemper parce ac duriter
Se habere: vxorem duxit: nati filij
Duo: inde ego hunc maiorem adoptaui mihi.
Eduxi à paruolo; habui, amaui pro meo.
In eo me oblecto: ſolum id eſt carum mihi.
Ille vt item contrà me habeat, facio ſedulò.
Do, praetermitto: non neceſſe habeo omnia

Pro meo iure agere. poſtremò alij clanculum
Patres quae faciunt, quae fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium.
Nam qui mentiri, aut fallere inſuerit patrem,
Aut audebit: tantò magis audebit ceteros.
PVDORE *& liberalitate liberos*
Retinere ſatius eſſe credo, quàm metu.
Haec fratri mecum non conueniunt, neque placent.
Venit ad me ſaepe clamitans, Quid agis Micio?
Cur perdis adoleſcentem nobis? cur amat?
Cur potat? cur tu his rebus ſumptum ſuggeris?
Veſtitu nimio indulges: nimium ineptus es.
Nimium ipſe eſt durus praeter aequúmque & bonum.
ET ERRAT *longe, mea quidem ſententia,*
Qui imperium credat grauius eſſe, aut ſtabilius,
Vi quod fit, quàm illud, quod amicitia adiungitur.
Mea eſt ſic ratio, & ſic animum induco meum:
Malo, coactus qui ſuum officium facit;
Dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet:
Si ſperat fore clàm, rurſus ad ingenium redit,
Ille quem beneficio adiungas, ex animo facit,
Studet par referre: praeſens abſénſque idem erit.
Hoc patrium eſt, pòtius conſuefacere filium
Sua ſponte rectè facere, quàm alieno metu.
Hoc pater ac dominus intereſt. hoc qui nequit,
Fateatur ſe neſcire imperare liberis.
Set éſtne hic ipſus, de quo agebam? & certè is eſt.
Neſcio quid triſtem video. credo iam, vt ſolet,
Iurgabit. ſaluum te aduenire Demea,
Gaudemus.

STORAX. Nomina perſonarum, in comœdiis duntaxat, habere debent rationem & etymologiam. etenim abſurdum eſt comicum aperte argumenta confingere: vel nomen perſonæ incongruum dare, vel officium quod ſit à nomine diuerſum. Hinc ſeruus fidelis *Parmeno*: infidelis vel *Syrus*, vel *Geta*: miles *Thraſo*, vel *Polemon*: iuuenis *Pamphilus*: matrona *Myrrhina*: & puer ab odore *Storax*: vel à ludo, & à geſticulatione *Circus*: & item ſimilia, in quibus ſummum Poetæ vitium eſt, ſiquid è contrario repugnans contrarium diuerſúmque protulerit, niſi per ἀντίφρασιν nomen impoſuerit iocalariter, vt *Miſargyrides* in Plauto dicitur trapezita. & ferè hoc modo apud alios à poetis nomina cõponuntur deſcribenda per ἀντίφρασιν, quod deſignat *Storax*. Primæ partes, ſicut in pro-

logo ipſe promiſit, à ſenibus aguntur: quorum contentione ad argumentum relata, vita aſpera cum leni, & pater comis cum ſeueriſſimo comparatur. STORAX. Storacem vocauit, non Æſchinum: quo tacente, puerum, id eſt Æſchinum abſentem credit: quia ſeruuli adoleſcentibus præſtolantur. vt in Andria, *Obſeruabam mane illorum ſeruulos venientes, aut abeuntes.* ¡Sed quia fieri poterat, vt domino abſente adeſſet Storax: commodiſſimè adiecit, *Neque ſeruulorum quiſquam qui aduerſum ierant.*

STORAX, NON REDIIT HAC NOCTE. Hoc alij interrogatiuè, alij pronuntiatiuè proferunt: ſed magis pronuntiatiuè dicendum.

NEQVE SERVOLORVM QVISQVAM. Propter Storacem, quem abeſſe non reſpondendo intelleximus. QVI ADVERSVM. Propriè locutus eſt. nam *aduerſitores* dicuntur. IERANT. Productè i, pronuntiando: quod nos addita, u, *Iuerant* dicimus. Tale eſt illud Virgilij, *Nos abiiſſe rati, & vento petiiſſe Mycenas.*

PROFECTO HOC VERE DICVNT. Abſolute non addidit *Qui.* SI ABSIS VSPIAM. Abundat *Vſpiam*, aut deeſt *Profectus*, aut quid tale. aut *tibi vſpiam*: ſignificat enim ſcilicet *vſpiam* & in loco, & ad locum. SI ABSIS VSPIAM AVT VBI SI CESSES. *Si abſis*, ad parentes propitios: *Si ceſſes*, ad vxorem iratam refert in deſertorem. VXOR. Subaudiendum eſt, *Dicit irata vxor.* QVAE IN ANIMO Omne quod ſentimus, aut cogitamus, aut dicimus: & vtrumque pro oratione eſt. Sed illa ἐνθυμηματικὸς quæ in cogitatione eſt: hæc προφορικὸς λόγος dicitur, quæ in verbis eſt conſtituta. Virgilius.

> *Et mihi iam multi crudele canebant*
> *Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.* Et ipſe alibi,
> *Nunc ſiquis eſt qui hoc dicat, aut ſic cogitet.*

QVAM ILLA QVAE PARENTES. Erudite, non addidit in quem dicat, quia ſcit nomina vxoris & parentum τῶν πρός τι eſſe.

VXOR, SI CESSES. Quare non, ſi abſis? an quia iuſtius ceſſanti quàm abſenti ſuccenſemus? an quia irata vxor, ſi ceſſes?

AVT TE AMARE COGITAT, ἐπεξήγησις cum ἐξεργασίᾳ, *Aut te amare cogitat*: aut minus peccati eſt amori proprio cedere, quàm alieno amori obſequi, nulla te impellente, ſine vxore potare, aut velle delicias. Ergo αὔξησις eſt: niſi fortè τῷ ἰδιωτισμῷ hoc putamus dictum. AVT TE AMARE COGITAT, AVT TETE AMARI. Quum duo propoſuerit, alterum ſumpſit. Nam quum dixiſſet, *Quæ in te vxor dicat, & quæ in animo cogitat*: intulit, *Aut te amare cogitat.* AVT TE AMARE COGITAT, AVT TETE AMARI. Quia *Te amare*: ἀμφιβόλως dixerat, cito intulit quod certum eſt, *Aut te te amari.* Et quia illud *te* dixerat hoc geminauit, & *Tete* dixit, tanquam ſignificantius. AVT ANIMO OBSEQVI: ὑπερφορά.

EGO, QVIA NON REDIIT FILIVS. Plus eſt quòd dixit *Ego*, quàm ſi diceret *Pater*. EGO QVIA NON REDIIT FILIVS. ἀνακόλουθον non enim *Pater* dixit. QVAE COGITO! & QVIBVS. &c. Hoc ſic pronuntiandum eſt, vt horrere videatur ipſe cogitationem ſuam.

QVIBVS NVNC SOLLICITOR REBVS. Hoc eſt quàm malis: non vt vxor, bonis.

NE AVT ille ALSERIT. Vide quàm teneri ſit amoris hic timor in iuuene præſertim.

AVT VSPIAM. *Vſpiam* & in loco, & ad locum ſignificat.

CECIDERIT, AC PERFREGERIT ALIQVID! Iungendum, vt non ſolum *Ceciderit*, ſed etiam *Perfregerit*: hæc ſunt quæ ſibi nemo euenire velit. NE AVT ILLE ALSERIT, AVT VSPIAM CECIDERIT. Nimium tenerè amat, qui hæc in iuuene pertimeſcit, quæ circa infantulos caueri ſolent.

QVEMQVAMNE HOMINEM. Sic dicimus de ea re quam miramur ferè ab omnibus fieri.

QVAM IPSE EST SIBI. Tanquam duo ſint. ſed hoc poetæ comico licet.

ATQVI EX ME HIC NON NATVS EST. Quaſi dicat, Ex me non eſt, & ſic afficior: quid paterer ſi genuiſſem? EX ME HIC NON NATVS EST. Quaſi dicat, Non eſt meus.

SED EX FRATRE. Hoc eſt, omnino non alienus eſt.

IS ADEÒ. Tranſitus ad argumentum ſubtiliſſimus. *Adeò* aut abundat, aut *nimium* ſignificat. Vt in Eunucho, *Adoleſcentem adeò nobilem,*

EGO HANC CLEMENTEM VITAM VRBANAM. ὀρθὴ διήγησις, διατύπωσις. *Clementem vitam*, figura ipſa. *Vitam clementem* dicimus quæ clementes facit. *Clemens* autem eſt, qui

colit mentem. ATQVE OTIVM. Deeſt *Vrbanum*. SECVTVS SVM. Bene *Secutus*, quaſi magiſtram rectè beatéque viuendi.

ET QVOD FORTVNATVM ISTI PVTANT. Romani ſcilicet, qui *cœlibem* quaſi *cœlitem* dicunt. & item Græci, apud quos ſunt huiuſmodi ſententiæ.

ΕΙΤΑ ΦΙΛΟϹ ΕΧΟΙΝΙΩΝΤΩΔΟΥΜΕΝΟΝ. * & alibi,

ΓΑΜΕΙ ΠΑΜΦΙΛΟϹ ΓΑΜΕΙΤΩ ΚΑΓΑΡΙΔΗΑΙΚΗϹΕΝ ΜΕ. *

FORTVNATVM ISTI PVTANT. Me vtique vxorem non ducere. Dicit autem Romanis id videri: quos ſpectatores habet. Menander, *ὦ μακάριόν με γυναῖκα οὐ λαμβάνω*.

QVOD FORTVNATVM ISTI PVTANT. Quidam putant ſic pronuntiandum, Et quòd fortunatam iſti putant vxorem: & hæc bona, & concinna locutio eſt. Et *putant* bene dicitis, cui diſplicet aliena ſententia. ISTI PVTANT. Id eſt, hi qui à me diſſentiunt.

VXOREM NVNQVAM HABVI. Si *Non habeo* dixiſſet, poterat videri habuiſſe.

RVRI AGERE VITAM. Contra hæc omnia ſuffecerat breuitas: ſed ſubiunxit fratris deſcriptionem, vt verbis ipſis malam vitæ conditionem oſtendat.

SEMPER PARCE AC DVRITER. *Semper*, licet incertam diſtinctionem habeat, tamen rectè additum eſt: quia vel ruri agere, voluptatis eſt: vel parcè ac duriter ſe habere, virtutis. Sed *Semper*, ad vitium: *Parce* autem, ad ſeruandum: *Duriter* verò, ad laborem referendum eſt. RVRI AGERE VITAM, SEMPER PARCE AC DVRITER SE HABERE: Variauit, vt in Andria.

VXOREM DVXIT: Rectè *Duxit*, non *Ducere*. ſemel enim hoc fecit Demea. VXOREM DVXIT: Variè per modos diſcurrit. VXOREM DVXIT: Adiuuandum pronuntiatione eſt, ne ſingula vtrinque aſſecuti videantur. Nam ſic in fine fabulæ ait Demea, *Vxorem duxi: quam ibi miſeriam vidi! nati filij: alia cura*.

INDE EGO HVNC, &c. Mirè *inde* ſubiungit, quum perſonam prætulerit. Sic alibi, *E prædonibus vnde emerat, ſe audiuiſſe abreptam è Sunio*. INDE EGO, &c. *Inde*, pro *Ex quibus*, & *mihi* abundat. Et bene *Hunc* dixit: quia de ipſo loquebatur.

EDVXI A PARVVLO: Quos nos *educare* dicimus, *educere* veteres dicebant: vt,

Educet ſyluis regem regúmque parentem. HABVI, AMAVI PRO MEO. Quæritur quid ſit *Habui*. & quum multa dicantur, hoc ſolum verum eſt, *Habui*, credidi, duxi, exiſtimaui. vt alibi, *Semper eius dicta eſt hæc, atque habita ſoror*. &, *Sic itaque habeantur, itáque dicantur*. Ergò *Pro meo* ſubaudiendum eſt bis, & *Habui pro meo*, & *Amaui pro meo*.

IN EO ME OBLECTO: SOLVM ID EST CARVM MIHI: Abſoluiè vtrumque, & *In eo*, & *Solum*. IN EO. ¡Quaſi in ea te. IN EO ME OBLECTO: Nouè dixit, pro, *Eo me oblecto*. Plus autem ſignificat, quàm ſi diceret, *Solus is eſt carus mihi*.

FACIO SEDVLO. Secus à dolo, id eſt ſine dolo, & impenſe.

ILLE VT ITEM CONTRA ME HABEAT. *Item*, ſimiliter, *Contrà*, viciſſim. Plautus, *Vt illa illum contrà, qui eſt amoris cultor optimus*.

DO, PRAETERMITTO: *Do* ſumptum: *prætermitto* delicta.

NON NECESSE HABEO OMNIA PRO MEO IVRE AGERE. Etſi licet, non neceſſe eſt patrem ſæuire, quia pater eſt. Inter *Ius* & *Aequitatem* hoc intereſt: *Ius* eſt quod omnia recta & inflexibilia exigit. *Aequitas* eſt, quæ de iure multum remittit. Ergo hic ſenſus. Non neceſſe eſt, etiam ſi liceat, ſæuum eſſe patrem. Et mirè oſtendit ius ſuum, niſi neceſſitate, non eſſe ſeruandum.

POSTREMÒ ALII CLANCVLVM. Non, *alij* patres: ſed *alij* adoleſcentes, clanculum patres ſuos.

QVÆ FERT ADOLESCENTIA. Veniam addidit ſtatim, peccata ab adoleſcentibus ad ætatem remouendo. Et vide quàm breuiter, quàm pudicè, quàm ignoſcenter locutus eſt.

EA NE ME CELET, CONSVEFECI FILIVM. Tribus enim viuitur modis, natura, cõſuetudine, & ratione.

NAM QVI MENTIRI, AVT FALLERE INSVERIT PATREM. Separatim ſubaudiendum eſt, *inſuerit*, *πρὸς τὸ mentiri*. CÆTEROS. Quia iam deceperit patrem.

PVDORE ET LIBERALITATE. Argumentum à coniugatis. Liberalitate inquit regendi

ſunt : propter quod liberi dicuntur. *Liberalitatem* autem, bonitatem dicit.

RETINERE SATIVS ESSE CREDO. Bene *Retinere*: à vitiis ſcilicet. nam vitia filios tenent: quos retinent patres, à vitiis ſcilicet. Nam *retinet*, qui aduerſum aliquem tenet.

HÆC FRATRI MECVM NON CONVENIVNT. Noua locutio. & *Non conueniunt*, pro Non congruunt : ac per hoc, *In his ego & frater diſſentimus*, id eſt, diſſimiles ſumus.

VENIT AD ME SÆPE CLAMITANS. Et importunitatem odioſam oſtendit, *Ad me* dicendo : & inconditam aſſiduitatem, addendo *Sæpe*. Et congrue, poſtquam. *Sæpe* dixit adiecit aptius verbum, non dicens *Clamans*, ſed *Clamitans*.

QVID AGIS MICIO ? Reminiſcere lectionem, & inuenies interrogationem huiuſmodi vel inuectionis principio conuenire vel obiurgationis.

CVR PERDIS ADOLESCENTEM NOBIS ? Recte *Nobis* additum eſt, & ἠθικῶς. vt alibi, *Pſaltriam nobis, ſi diis placet, parauit*.

CVR AMAT ? CVR POTAT ? Vide quemadmodum vt durum obiurgatorem oſtendat Demeam, quum ab eo ea dicantur in crimen vocari, quæ aut ætatis ſunt : vt, *Cur amat?* aut naturæ : vt, *Cur optat ?* aut pietatis : vt, *Cur tu his rebus ſumptum ſuggeris ?* & cætera.

CVR AMAT ? CVR POTAT ? *Cur amat ?* ad illud refertur quod ait ſuprà, *Do, prætermitto*. nam *Prætermitto* delicta, intelligimus ex amore. *Cur potat ?* reuocamus ad illud quod ait, *Do ſumptum*.

NIMIVM INEPTVS ES. Vtrumque durè, & *Nimium*, & *Ineptus es*.

PRAETER AEQVVMQVE ET BONVM. Potuit & non addi, præter *Aequum bonum*.

ET ERRAT LONGE. Melius eſt *longè* ſimpliciter accipiendum, vt locale ſit, quàm valdè.

MEA QVIDEM SENTENTIA. Modeſte addidit, *Mea quidem ſententia* : ne quis hoc pro præcepto dici exiſtimet.

QVI IMPERIVM CREDAT. Vtrum cuiuſlibet, an Demeæ tantum ? GRAVIVS ESSE AVT STABILIVS. *Grauius*, ad vim : *Stabilius*, ad tempus refertur. VI QVOD FIT. Id eſt, metu ac malo. QVAM ILLVD QVOD AMICITIA ADIVNGITVR. Illud fit, quod vi: hoc adiungitur, quod amicitia.

MEA SIC EST RATIO, ET SIC ANIMVM INDVCO MEVM: *Mea ſic eſt ratio*, ad ſuperiora pertinet confirmanda. *Sic animum induco meum* : ad ea pertinet quæ dicturus eſt.

MEA SIC EST RATIO. Iterum modeſte & ἰδιωτικῶς. ET SIC ANIMVM INDVCO MEVM : Senilis μακρολογία.

MALO COACTVS. Duo dicit, *malo*, & *coactus*. QVI OFFICIVM SVVM. ὁ τὸ καθῆκον ποιῶν, id eſt qui recte facit. *Officium* autem dicitur, quaſi *efficium*: ab *efficiendo* quod vnique perſonæ congruit.

DVM ID RESCITVM IRI CREDIT. Quod facit ſcilicet. TANTISPER, *Tantiſper* quaſi *Tantùper*. & *Pauliſper*, quaſi *paulùper*: vnde *parùper* dictum eſt. TANTISPER CAVET. *Peccare*, ſubaudiendũ eſt. nam totum ἐλλειπτικῶς, & obſcure dictũ eſt. Et bene *Cauet* : quaſi malo.

SI SPERAT FORE CLAM. Iterum quod facit ſubaudiendum. RVRSVM AD INGENIVM REDIT. Mire, non intulit, *Cauet* : ſed, *Ad ingenium reddit*. & *Rurſum* eſt retro verſum vt *Prorſum*, prius verſum.

ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNGAS. Non dicit, *Beneficio adiunctus*, vt ſuprà, *Malo coactus*. ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNDAS. Κατὰ τὸ ἀντικείμενον * ille malo, hic beneficio. Ille coactus, hic adiunctus. Ille dum id reſcitum iri credit, tantiſper cauet : hic, præſens abſénſque idem erit. Et τὸ *Præſens* & *Abſens*, non ad aliquem locum, ſed ad cuſtodem retulit & monitorem. ILLE QVEM BENEFICIO ADIVNDAS. Contra illud ait, quod *Malo coactus*.

EX ANIMO FACIT : Officium ſcilicet STVDET PAR REFERRE : Id eſt benefacere.

PRAESENS, ABSENSQVE IDEM ERIT. Contra illud, *Si ſperat fore clàm, rurſus ad ingenium reddit*.

HOC PATRIVM EST. Superius à re tractum eſt : hoc iam à perſona ducitur argumentum. CONSVEFACERE. Non *Cogere* : ſed *Conſuefacere*.

QVAM ALIENO METV. Vide quemadmodum ſuum ad indulgentiam affectum reuocet optimæ diſciplinæ.

Hoc pater ac dominvs. A differentia perſonarum & officiorum. Interest. Differentia eſt.

Hoc qvi neqvit. Longe melius, *Nequit*: quàm ſi diceret, *Non vult*.

Fateatvr nescire imperare liberis. Hoc indicat, & ſe melius conſulere, & volentem hoc exercere. Nescire imperare liberis. Oratorie, quaſi artis ſit indulgentiſſime agere. *Imperare*, modo non ad ſuperbiam, ſed ad *Regendum* eſt referendum.

Fateatvr nescire. Deeſt *Se*.

Sed estne hic ipsivs, de qvo agebam? κατ' οἰκονομίαν ſuperuenit de quo ſermo eſt, vt factis dicta oſtendantur.

Et certe is est. Bene nunc confirmat ipſum eſſe eum, quum propior eſt, vtpote ſenili, nec in longum proſpiciente conſpectu.

Nescio qvid tristem video. Orationis apparatus ex vultu oſtenditur: vt,

——— ſtetit acri fixa dolore,
Tum quaſſans caput hanc effundit pectore vocem.

Nescio qvid. Deeſt *Propter*: vt ſit, *Neſcio propter quid*.

Vt solet. Cauſa cur illum æquo animo frater ferat, *Vt ſolet*, inquit.

Salvvm te advenire Demea gavdemvs. Vt aſperior oſtendatur Demea, etiam ſalutatur ab eo quem obiurgaturus eſt.

Actvs primi scena II.

Demea. Micio.

EHEM, opportunè: te ipſum quaerito.
M. Quid triſtis es? D. rogas me, vbi nobis AEſchinus
Siet, quid triſtis ego ſim? M. dixin hoc fore?
Quid fecit? D. quid ille fecerit? quem neque pudet
Quidquam, nec metuit quemquam; neque legem putat
Tenere ſe vllam. nam illa, quae antehac facta ſunt,
Omitto: modo quid deſignauit! M. quidnam id eſt?
D. Fores effregit, atque in aedis inruit
Alienas: ipſum dominum, atque omnem familiam
Mulcauit vſque ad mortem: eripuit mulierem
Quam amabat: clamant omnes, indigniſſume
Factum eſſe: hoc aduenienti quot mihi Micio
Dixere? in oreſt omni populo. denique
Si conferendum exemplum eſt, non fratrem videt
Rei dare operam, ruri eſſe parcum ac ſobrium?
Nullum huius ſimile factum. haec quum illi Micio
Dico, tibi dico: tu illum corrumpi ſinis.
M. homine imperito *numquam quidquam iniuſtius,*
Qui, niſi quod ipſe fecit, nihil rectum putat.
D. Quorſum iſtuc? M. quia tu Demea haec male iudicas.
Non eſt flagitium, mihi crede, adoleſcentulum

Scor-

Scortari, neque potare: non eſt: neque fores
Effringere. haec ſi neque ego, neque tu fecimus?
Non ſiuit egeſtas facere nos. tu nunc tibi
Id laudi ducis, quod tum feciſti inopia.
Iniuriumſt. nam ſi eſſet vnde id fieret,
Faceremus: & tu illum tuum, ſi eſſes homo,
Sineres nunc facere, dum per aetatem licet,
Potius quàm, vbi te expectatum eieciſſet foras,
Alieniore aetate pòſt faceret tamen.
D. Prò Iuppiter! tu homo adigis me ad inſaniam.
Non eſt flagitium facere haec adoleſcentulum: M. ah.
Auſculta: ne me obtundas de hac re ſaepius.
Tuum filium dediſti adoptandum mihi.
Is meus eſt factus: ſi quid peccat Demea,
Mihi peccat: ego illi maxumam partem feram.
Obſonat, potat, olet vnguenta de meo.
Amat? dabitur à me argentum, dum erit commodum:
Vbi non erit fortaſſe excludetur foras.
Fores effregit? reſtituentur. diſcidit
Veſtem? reſarcietur. eſt, dis gratia,
Et vnde haec fiant, & adhuc non moleſta ſunt.
Poſtremò, aut deſine, aut cedò quemuis arbitrum:
Te plura in hac re peccare oſtendam. D. ei mihi,
Pater eſſe diſce ab aliis, qui verè ſciunt.
M. Natura tu illi pater es, conſiliis ego.
D. Tún conſulis quidquam? M. ah, ſi pergis, abiero.
D. Siccine agis? M. an ego toties de eadem re audiam?
D. Curae eſt mihi. M. & mihi curae eſt. verum Demea
Curemus aequam vterque partem: tu alterum,
Ego item alterum. nam ambos curare, propemodum
Repoſcere illum eſt quem dediſti. D. ah Micio.
M. Mihi ſic videtur. D. quid iſtic? tibi ſi iſtuc placet,
Profundat, perdat, pereat; nihil ad me attinet.
Iam ſi verbum vnum poſthac. M. rurſum Demea
Iraſcere? D. an non credis? repetón quem dedi?
AEgreſt: alienus non ſum. ſi obſto. em deſino.
Vnum vis curem, curo: & eſt dis gratia,
Quum ita vt volo eſt: iſte tuus ipſe ſentiet

Poſterius. nolo in illum grauius dicere.
M. Nec nihil, neque omnia haec ſunt, quae dicit; tamen
Nonnihil moleſta haec ſunt mihi. ſet oſtendere
Me aegre pati illi nolui. nam itaſt homo:
Quum placo, aduerſor ſedulo & deterreo:
Tamen vix humane patitur: verùm ſi augeam,
Aut etiam adiutor ſim eius iracundiae,
Inſaniam profectò cum illo. etſi AEſchinus
Nonnullam in hac re nobis facit iniuriam.
Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit
Aliquid? poſtremo nuper, credo iam omnium
Taedebat, dixit velle vxorem ducere.
Sperabam iam deferuiſſe adoleſcentiam.
Gaudebam: ecce autem deintegro. niſi quidquid eſt,
Volo ſcire, atque hominem conuenire, ſi apud forum eſt.

HEM OPPORTVNE: TEIPSVM QVAERITO. In hoc actu diuerſi homines, diuerſi patres, & diuerſa ſtudia proponuntur. hic lenis, hic amarus: hic facetus, hic impolitus: hic facilis, hic pertinax & difficilis in delictis. HEM OPPORTVNE: TEIPSVM QVAERITO. Melius quàm Menander, quum hic illum ad iurgium promptiorem, quàm ad reſalutandum faciat. QVID TRISTIS ES? Bene interrogat. potuit enim non iratus frater quærere.

VBI NOBIS AESCHINVS SIET. Quaſi quædam cauſa ſit triſtitiæ.

DIXIN HOC FORE? Credo iam, vt ſolet, obiurgabit.

QVID ILLE FECERIT? Animaduertendum, vt interrogatus interroget more indignantium. quod ideo facit, quia videt Micionem eo vultu interrogare, vt videatur minus reprehendere culpam Aeſchini.

QVEM NEQVE PVDET QVIDQVAM, NEQVE METVIT QVEMQVAM. Varie per caſus diſcurrit, *Quem neque pudet quidquam:* contra illud quod alibi pater dicit, *Erubuit ſalua res eſt.*

QVEM NEQVE PVDET QVIDQVAM. Magno ordine accuſauit. non (inquit) pudore mouetur patrum, non metu parentum, non timore legum. Ergo gradatim αὔξησις oratoria proceſſit.

TENERE SE VLLAM. Bene *Tenere:* quia legem. & eſt ἀμφιβολία oratoria.

NAM ILLA QVAE ANTEHAC FACTA SVNT, OMITTO: Accuſatio duo tempora recipit. præteritum. ab antè geſtis. & præſens. ab iis quæ obiiciuntur. Ergo vtrumque mira breuitate perſtrinxit. OMITTO. παράλειψις.

MODO QVID DESIGNAVIT? *Deſignare*, eſt rem nouam facere, in vtramque partem & bonam & malam. Nam & *deſignatores* dicti. qui ludis funebribus præſunt: credo ob eam cauſam, quòd ipſis ludis multa fiant noua & ſpectanda: ſimul etiam turba retineatur. quæ fiunt aut in ſpectaculis, aut in litibus. MODO QVID DESIGNAVIT? Puto ego *deſignationem*, contractionem, aut conductionem populi in vnum intelligi. hoc enim contingit ei, qui aliquo flagitio populi in ſe oculos & ora conuertit, & ſpectaculo eſt vulgo: quemadmodum deſignatores, qui ludis funebribus multitudinem retinent. DESIGNAVIT? Hoc verbum apud veteres duas res ſignificabat. etenim praue & recte facta, *deſignata* dicebantur.

QVIDNAM ID EST? Et hoc etiam contemnans interrogat Micio.

FORES EFFREGIT. Hæc ſingula magna cum vociferatione inferenda ſunt. ſtomachatur enim aduerſus malè interrogantem. FORES EFFREGIT, ATQVE IN AEDES

IRRVIT ALIENAS: Totum quidem vnum crimen eſt, Rapuit meretricem. Sed vide qua pompa, qua vociferatione dilatatur accuſatio Demeæ, de motibus AEſchini, nihil niſi inania referentis. FORES EFFREGIT, ATQVE IN AEDES IRRVIT ALIENAS. Hæc ſingula conſideranda ſunt. Et bene dicit *Alienas*, quia ſi Lenonis diceret, parua res videretur.

IPSVM DOMINVM. Iterum ſuppreſſa eſt infamis perſona. ATQVE OMNEM FAMILIAM MVLTAVIT. Aut *Familiam* pro ſeruis lenonis dicit, aut pro meretricibus. MVLTAVIT, lacerauit, mutilauit, molliuit, atque diſſoluit. Vnde *Mulciber* à multando, quaſi *multiber* VSQVE AD MORTEM: Magna inuidia cædis & mortis mentione, quæ tamen nulli accidit.

ERIPVIT MVLIEREM QVAM AMABAT. Omnia magno colore & accuſatorio dicta ſunt, & ex hoc maxime, quod Lenonē & meretricem non dixit, cōtentus facti atrocitate, perſonarúmque vilitatem reticens. MVLIEREM ERIPVIT. Non, *Abduxit*: ſed, *Eripuit*.

CLAMANT. A præiudicato, & authoritate rumoris.

HOC ADVENIENTI QVOT MIHI MICIO DIXERE? Quaſi dicat, Diſplicet omnibus, & multi cum accuſant. nec tamen lenonis querelæ mentio fit. vide oratorem. *Hoc* autem, vel articulus, vel aduerbium loci eſt.

IN ORE EST OMNI POPVLO. Salluſtius, *In ore gentibus agens, populo, ciuitati.*

SI CONFERENDVM EXEMPLVM EST. Tanquam non ſit conferendum.

NON FRATREM VIDET REI DARE OPERAM. Satis comice hoc infertur legentibus argumentum: nam magis in culpa ille ipſe eſt, quem laudat. REI DARE OPERAM. Non amoti.

REI DARE OPERAM. Quàm facete poeta hæc omnia falſa, & è contrario facit Demeam credere.

RVRI ESSE. Non in vrbe. PARCVM. Non prodigum. SOBRIVM? Non inſanum.

PARCVM AC SOBRIVM? Contra illud, *Cur amat? Cur potat.*

NVLLVM HVIVS SIMILE FACTVM. Hoc cum admiratione. Micio tangitur, quaſi ipſius culpa ſit fratris natura. NVLLVM HVIVS SIMILE FACTVM. Hoc cum admiratione indignantis pronuntiandum eſt, & ardentibus in Micionem oculis. Et ſubaudiendum eſt, *Eſſe*, aut *Inuenire*.

HAEC QVVM ILLI MICIO DICO, TIBI DICO. *Illi*, pro *In illum*: & *Tibi*, pro *In te*. TV ILLVM CORRVMPI SINIS. Deeſt, *Nam*. ſed feruentius ἀσυνδέτως dicitur. & hoc *Tibi* & *Tu* pronuntiandum eſt intento digito, & infeſtis in Micionem oculis. nam hoc agi ſtomacho aduerſum diſſimulatores ſolet. TV ILLVM CORRVMPI SINIS. Mitius modo dixit, *Sinis corrumpi*: mox vehementius dicet, *An laudi putas fore, ſi perdideris gnatum?*

HOMINE IMPERITO NVMQVAM QVIDQVAM INIVSTIVS. Miro ſtomacho apud ipſum de ipſo tanquam apud alterum loquitur.

NISI QVOD IPSE FECIT. αὐθάδεια hoc enim proprium ruſticorum eſt, atque imperitorum. NIHIL RECTVM PVTAT. Proprie *putat*. nam hoc verbum imperitorum eſt. Ordo eſt, Qui nihil rectum putat, niſi quod ipſe fecit.

QVORSVM ISTVC? Deeſt *Pertinet*, aut *Dicis*.

QVIA TV DEMEA. Id eſt, homo imperitus. HAEC MALE IVDICAS. Pari virtute hæc leniter dicta ſunt, qua ſuperiora vehementer.

NON EST FLAGITIVM. Non peccatum negat eſſe: ſed flagitium non eſſe contendit. & ideo ſubindignanter pronuntiandum eſt: vt ſi dicat, Scortari quidem adoleſcentulum, delictum eſt: ſed non eſt flagitium. & veniæ locus non tam in facto, quàm in perſona eſt conſtitutus. NON EST FLAGITIVM, MIHI CREDE ADOLESCENTVLVM SCORTARI. Mire reſpondit, & oratorie, ad hæc quæ inuidioſe dicta ſunt. Nam quod ait ille, *Eripuit mulierem quam amabat*: hic *ſcortum* dicit. quod *irruit in ædes alienas* quaſi ex vino furens *potare*. quod cum aliis graue propoſitum eſt, hoc ſolùm dicendo, leue reddit: id eſt *fores effringere*. MIHI CREDE. Quaſi imperito dicit, *Mihi crede*. non enim, *Me intellige*. Quod imitatus Cicero ſic Cælium exagitat; *Magna ſunt mihi crede: noli hæc contemnere.* Hic enim & authoritas dicentis, & contemptus oſtenditur audientis.

HAEC SI NEQVE EGO, NEQVE TV, FECIMVS: Quia dixit, *Qui niſi quod ipſe fecit, nihil*

rectum putat. NON SIVIT EGESTAS. Non voluntas prohibuit, ſed neceſſitas. & ideo nulla laus.

QVOD TV FECISTI INOPIA. Nota *Feciſti*, in eo quod ſignificat *Non feciſti*.

INIVRIVM EST. Quia nihil quicquam iniuſtius homine imperito.

NAM SI ESSET VNDE ID FIERET. Non eſt neceſſario conſequens, ſed probabiliter admittitur apud oratores. non enim omnes qui habent vnde faciant, continuò etiam faciunt. VNDE ID FIERET. *Fieret*, producta prima ſyllaba. Ennius, *Memini me fieri pauum.*

ET TV ILLVM TVVM, SI ESSES HOMO. Multum progreſſus eſt accuſans accuſantem.

EXPECTATVM. Odioſum, & malæ vitæ. nam filiis parentes aut amabiles ſunt, aut expectati. amabiles, boni: expectati, mali: quorum mors in dies ſingulos expectanda & optanda ſit. nam *Expectamus* ante diem, *Speramus* ad diem. vnde auidior intelligitur qui expectat, quàm ille qui ſperat. QVAM VBI TE EXPECTATVM. Eo rem produxit, vt ipſe magis videatur conſulere diſciplinæ quàm Demea.

EIECISSET FORAS. Non dixit *Amiſiſſet*: ſed, vt quiddam abiiciendum, *Eieciſſet*.

ALIENIORE AETATE, POST FACERET TAMEN. ἀνακόλουθον. deeſt enim *Quamuis*. Et *faceret* vltimum, magnam vim habet. nihil enim prodeſſet, inſuper obeſſet, retinere ab iſtis filium iuuenem. *Alieniore*, pro *Aliena* dicens, cõparatiuum gradum pro poſitiuo poſuit.

PRO IVPPITER. Tragica exclamatio eſt. & bene, tanquam ipſe ſe reprehenderet Demea, adiecit. TV HOMO ADIGIS ME AD INSANIAM. Et *Tu homo*, dicens, negat illi familiaritatem.

NON EST FLAGITIVM FACERE HAEC. Moraliter indignatio expreſſa eſt, iiſdem verbis, quæ frater dixerat, repetitis.

NE ME OBTVNDAS. Ne me ſæpe & moleſte interpelles. Nam *Obtundere*, eſt aliquid ſæpe odioſe repetere.

TVVM FILIVM DEDISTI ADOPTANDVM MIHI. Mira argumentatio per ἐπαγωγὴν, quæ *Inductio* ab oratoribus dicitur, quum per interrogationem peruenimus ad id, quod volumus concludendum.

IS MEVS EST FACTVS. Sic progreditur, quaſi confeſſionis genus ſit, aduerſarium tacuiſſe.

SI QVID PECCAT DEMEA. Concluſio dubiæ rei à non dubiis ſumpta. SI QVID PECCAT DEMEA. τῷ ἰδιωτισμῷ interpoſuit *Demea*: & repetitum eſt, *peccat*.

EGO ILLI MAXIMAM PARTEM FERAM. Errant qui putant *illi* eſſe pronomen, quum ſit aduerbium loci. vt,

——— *illi mea triſtia fata,*

Degenerémque Neoptolemum narrare memento. *Illi* ergo ibi, vbi ille peccat. Quare quidam etiam *li* ſyllabam diſcretionis cauſa, vt locum ſignificet, corripiunt. Et *Maxumam partem*, optimè dicit. Non enim *Vniuerſam*, quia non ſolus pater AEſchini eſt: ſed *Maxumam*, quia eius magis eſt, cuius filius cœpit eſſe per adoptionem.

FERAM. ſuſtinebo, tolerabo.

OLET VNGVENTA. A ſummo ad imum propoſita ſoluuntur. & mira varietas eſt, *Olet vnguenta*: ne diceret, obſonat, potat, vnguitur: ne ſcilicet hæc exercitationis paleſtricæ, non luxuriæ dicerentur. AMAT? πρὸς τὸ, Cur amat?

DVM ERIT COMMODVM: Dare ſcilicet. VBI NON ERIT, Argentum ſcilicet. Sed *Commodum dare*, ſubaudiendum eſt.

FORTASSE EXCLVDETVR FORAS. Hoc ita protulit, quaſi dicat, nihil ſibi deperiſſe ſi gratis fortè fuerit ad amicam admiſſus. Et totum hoc τῷ ἐξουθενισμῷ legendum eſt. Et mire *Fortaſſe* dicit, vt pater indulgens, & credens adoleſcentem poſſe etiam amari ab amica. non enim affirmauit, vt diceret, *Excludetur foras.*

FORES EFFREGIT? RESTITVENTVR. Peruenit ad præſens crimen. illa enim antè acta fuerant. RESARCIETVR. *Re* abundat. ET VNDE HAEC FIANT. Iterum ſubaudiendum *eſt*. ET ADHVC NON MOLESTA SVNT. Quia non eſt flagitium adoleſcentem ſcortari.

AB ALIIS QVI VERE SCIVNT. Superbum fuiſſet, *A me dicere*. melius ergo *Ab aliis* dictum eſt.

NATVRA ILLI PATER ES, CONSILIIS EGO. Vrbanè Micio *Conſiliis* ſubiunxit. plus enim valet ad laudem conſilium, quàm natura. Et ſimul oſtendit poeta verbis Micionis, qui non natura, ſed affectu ſit pater, nullum patrem eſſe ſapientem: eum verò poſſe ſine perturbatione perfrui iis quos amat, quem patrem eſſe conſilium fecerit, non natura, hoc eſt qui filium adoptauerit. Et mire quum *Natura* ſingulariter dixerit, pluraliter intulit. *Conſiliis ego.*

TVN CONSVLIS QVIDQVAM. Apertior contumelia: & ideo ſequitur denuntiatio diſcendendi. TVN CONSVLIS QVIDQVAM? Quia dixit, *Conſiliis ego pater ſum*: à coniugatis argumentatus, reſpondit, *Tún conſulis quidquam*? quia à conſulendo *conſilia* dicuntur, & *conſultores*.

SI PERGIS, ABIERO. Vt, --- *donec me flumine viuo Abluero.* SI PERGIS, ABIERO. ἀρχαϊσμὸς, pro *Abibo*. & hoc geſtu abeuntis, vel abituri pronuntiatur.

SICINE AGIS? Recte, quia iam abibat: quaſi reuocantis correptio eſt.

AN EGO TOTIENS. Hoc conuerſum intelligas dicere. AVDIAM? Deeſt *te*: ſed exprimere durum fuit. Et hoc eſt obtundere.

CVRAE EST MIHI. AEſchinus ſcilicet.

CVREMVS AEQVAM VTERQVE PARTEM: Proprie *Vterque* & *Aequam*, quaſi particeps fratris.

PROPEMODVM. Niſi addidiſſet *Propemodum*, falſa videretur eſſe ſententia.

AH MICIO. Religioſe commotus eſt: ac veluti incuſatio eſt perfidiæ. & ideo exclamat dolens, & tranſit in iracundiam, conceſſionémque, quæ ἐπιτροπὴ dicitur.

MIHI SIC VIDETVR. Rationabiliter, non *Eſt ſic*, dixit: ſed, *ſic videtur*. non vult enim verum eſſe.

QVID ISTVC? Deeſt *Loquor* aut *Reſiſto* nam proprie ſignificatio eſt de ſententia ſua decendentis. PROFVNDAT, PERDAT. ἐπιτροπὴ figura. Virgilius, *Sequere Italiam ventis, pete regna per vndas*. PROFVNDAT, PERDAT, PEREAT. Hæc ſic pronuntianda ſunt, vt oſtendatur geſtu, nolle quod loquitur.

SI VERBVM VNVM POSTHAC. ἀποσιώπησις. Deeſt, *Tibi fecero*, aut tale huiuſmodi.

RVRSVM. Quaſi curans iraſceris? AN NON CREDIS? Iraſci ſcilicet.

REPETÓNE QVEM DEDI? Ruſticani ſtomachi eſt repetere ſemper verba, quæ inuitus alius audierit. REPETONE QVEM DEDI? Minus erat ſi AEſchinum diceret: ſed plus eſt, *Quem dedi*.

AEGRE EST: Quaſi dictum ſit, *Quid ergo loqueris*? quia ægre eſt. Cur ægre eſt? quia alienus non ſum.

ALIENVS NON SVM. Mire *Alienus non ſum*: quaſi timeat iam dicere, *Pater ſum*.

ALIENVS NON SVM. Satis cum ſtomacho: quaſi dicat, Si patrem me eſſe iam non licet, alienus non ſum.

ISTE TVVS. Memoriter *Iſte tuus*, ad illud quod dixerat, *Meus eſt factus*.

ISTE TVVS IPSE SENTIET POSTERIVS. Quantus ſis, quantúmque eum ames: hoc eſt, vt decipiatur per indulgentiam tuam. IPSE SENTIAT. *Sentire*, multi pro malo poſuere. vt ipſe alibi, *Sat rogas? ſenſi: nam vnam ei cœnam atque eius comitibus dedi.*

POSTERIVS. Etenim Demea ſatis hoc graue exiſtimat dictum in eum, qui non prouideat in futurum: & arctius, quia pater eſt.

NOLO IN ILLVM GRAVIVS. Scilicet quàm hoc.

NIHIL, & NONNIHIL. Nota figura eſt, conueniens placidiſſimo ſeni, qui in reprehendendo adoleſcente moderatus eſt. *Nec nihil*. Apparet Terentium fauere leniſſimis patribus: vnde ſubiecit etiam rationem facti Micioni.

NEQVE OMNIA HAEC SVNT QVAE DICIT. Bene à Micione hoc dicitur: quia indulgentioris eſt plura ſcire: & ſuprà dixit, *Ea ne me celet conſueſeci filium*. Et hic ſenſus eſt: Nec contemnenda ſunt quæ dicit, nec omnia dicit tamen. Hoc eſt, non ſola ſunt quæ dicit, ſed multa alia. Et ordo eſt, Neque tamen hæc quæ dicit, ſunt omnia.

NONNIHIL MOLESTA. Placidiſſimè *Nec nihil* dixit: & *Nonnihil* maluit repetere, quàm vehementer iracundiam demonſtrare. eſt enim altera λιτότης. NONNIHIL MOLESTA

HAEC SVNT MIHI. Optime poeta Micionem fecit cómmotum: ne ſi omnino immobilis eſſet, non indulgere adoptiuo filio, ſed omnino eum non curare videretur. Ergo ſic in eum ſeruat placidum animum, vt tamen retineat patris affectum.

ILLI. Demeæ ſcilicet. Aut *Illic*, id eſt ibi, vbi Demea litigabat.

SET OSTENDERE ME AEGRE. Conſtat ergo ægre pati. nam aliter non erat parens.

NAM ITA EST HOMO. *Homo* dixit moraliter: ſic enim de iis dicimus, quos parce reprehẽdimus. vt alibi, *Vt homo eſt, ita morem geras*. QVVM PLACO. Id eſt, quum volo placare.

VERVM SI AVGEAM. Argumentum à contrario. nam *Placare*, contrarium eſt irritantibus augentibúſque iracundiam. AVT ETIAM ADIVTOR SIM EIVS IRACVNDIAE. σύλληψις. Nam à genitiuo caſu accuſatiuus aſſumptus eſt.

ETSI AESCHINVS NONNVLLAM IN HAC RE. Rurſus λιτότης vt ſit mitis reprehenſio: & hoc ipſo grauis. nam *Etſi*, & *nonnullam nobis*, temperamento ſunt poſita.

QVAM HIC NON AMAVIT MERETRICEM? AVT CVI NON DEDIT ALIQVID? ἦθος ὑποβολῆς. *Quam non*, & *Cui non*. Ea tamen hæc ſunt, vt non graui ſono accuſationis proferantur, ſed ſolam reprehenſionem contineant. *Aliquid* verò, admirantis eſt. Quod addidit *Meretricem*, oſtendit Micionem hoc ſolùm adhuc ſcire: nihil autem de vitiata virgine. QVAM HIC NON AMAVIT MERETRICEM? Et hoc cum venia & defenſione. nam colere meretricem, non eſt flagitium. & ſimul etiam vitiatæ virginis adhuc ignarus oſtenditur Micio. AVT CVI NON DEDIT ALIQVID? *Aliquid* dicendo, prætermiſit vel meretricem vel numerum.

CREDO IAM OMNIVM TAEDEBAT. παρένθεσις πρῶτα. Etenim addimus ad ea quæ apud nos parum certa ſunt, aut *Credo*, aut *Puto*.

DIXIT VELLE VXOREM DVCERE. Mirum eſt apud Terentium, quum etiam per neſcias perſonas indicet argumenta. nam quum Micio neſciat amari ab AEſchino ciuem virginem: tamen dicit, *Credo iam omnium tædebat*, &, *Dixit ſe velle vxorem ducere*. Sic ex parte magna oſtendit neſcius argumentum: ideo quia veriſimile eſt amantiſſimum AEſchini Micionem omnes ſcire affectus adoleſcentis & conſuetudines. Et apparet præterea, conatum ex parte fateri vitiatum amore AEſchinum, & pudore impeditum: tantum hoc dixiſſe quod honeſte potuit, velle ſe vxorem ducere. quam autem vellet, tacuiſſe confuſum.

SPERABAM IAM DEFERVISSE ADOLESCENTIAM: Recte *Sperabam*, pro *Gaudebam*: ſic enim dicimus, quum erraſſe nos cernimus. Et mite: non dixit, *Sperabam illum iam corruptum*: ſed mitis ſenex totum ætati attribuit, nihil filio. DEFERVISSE ADOLESCENTIAM. Seruat propoſitum circa ætatis veniam. DEFERVISSE. Quaſi deorſum à feruore tenuiſſe. Legitur & *defeniſſe*.

ECCE AVTEM DE INTEGRO. NISI QVIDQVID EST. ἀποσιώπησις prima: quia non vult credere. NISI QVIDQVID EST. Deeſt, *quia*: vt ſit, *niſi quia*. Et eſt ſenſus, Niſi quia non temere credo, & volo ſcire quidquid eſt.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

SANIO. AESCHINVS. PARMENO.

OBSECRO populares, ferte miſero atque innocenti auxilium:
Subuenite inopi. AE. otioſe, nunc iam ilico hîc conſiſte.
Quid reſpectas? nihil pericli eſt: numquam, dum ego adero, hic te tanget.
SA. Ego iſtam inuitis omnibus.

AE. Quamquam eſt ſceleſtus, non committet hodie vmquam, iterum vt vapulet.
SA. AEſchine audi, ne te ignarum fuiſſe dicas meorum morum,
Leno ego ſum. AE. ſcio. SA. at ita, vt vſquam fuit fide quiſquam optuma.
Tu quod te poſterius purges, hanc iniuriam mihi nolle
Factam eſſe, huius non faciam. crede hoc, ego meum ius perſequar.
Neque tu verbis ſolues vmquam, quod mihi re malefeceris.
Noui ego veſtra haec; nollem factum: iusiurandum dabitur, te eſſe
Indignum iniuria hac; indignis quum egomet ſim acceptus modis.
AE. Abi praeſtrenuè, ac fores aperi. SA. ceterum hoc nihil facis.
AE. Intrò iam nunc. SA. at enim non ſinam. AE. accede illuc Parmeno.
Nimium iſtoc abiſti: hîc propter hunc adſiſte. em, ſic volo.
Caue nunc iam oculos à meis oculis quoquam demoueas tuos:
Ne mora ſit, ſi innuerim, quin pugnus continuò in mala haereat.
SA. Iſtuc volo ergo ipſum experiri. AE. em ſerua. PA. omitte mulierem
SA. O facinus indignum! AE. geminabit niſi caues. SA. ei miſero mihi!
AE. Non innueram: verum in iſtam partem potius peccato tamen.
I nunc iam. SA. quid hoc rei eſt: regnúmne AEſchine hîc tu poſsides?
AE. Si poſsiderem, ornatus eſſes ex tuis virtutibus.
SA. Quid tibi rei mecumſt? AE. nihil. SA. quid? noſtine qui ſim? AE. non deſidero.
SA. Tetigine tui quidquam? AE. ſi attigiſſes, ferres infortunium.
SA. Quî tibi magis licet meam habere, pro qua ego argentum dedi?
Reſponde. AE. ante aedeis non feciſſe erit melius hîc conuicium.
Nam ſi moleſtus pergis eſſe, iam intrò arripiere, atque ibi
Vſque ad necem operiêre loris. SA. loris liber! AE. ſic erit.
SA. O hominem inpurum! hicine libertatem aiunt aequam eſſe omnibus?
AE. Si ſatis debacchatus es leno, audi ſi vis nunc iam.
SA. Egón debacchatus ſum autem, an tu in me? AE. mitte iſta, atque ad rem redi.
SA Quam rem? quò redeam? AE. iámne me vis dicere, quod ad te adtinet?
SA. Cupio: aequi modo aliquid. AE. vah, leno iniqua me non volt loqui.
SA. Leno ſum, fateor, pernicies communis adoleſcentium,
Periurus, peſtis: tamen tibi à me nulla orta eſt iniuria.
AE. Nam hercle etiam hoc reſtat. SA. illuc quaeſo redi quò coepiſti
AEſchine

AE Minis viginti tu illam emiſti, quae res tibi vertat male.
Argenti tantum tibi dabitur. SA. quid ſi ego tibi illam nolo vendere,
Coges me? AE. minime. SA. namque id metui. AE. neque vendundam cenſeo,
Quae liberaſt. nam ego liberali illam aſſero cauſa manu.
Nunc vide, utrum vis argentum accipere, an cauſam meditari tuam.
Delibera hoc, dum ego redeo leno. SA. prò ſupreme Iuppiter!
Minime miror, qui inſanire occipiunt ex iniuria:
Domo me eripuit: verberauit: me inuito abduxit meam.
Ob malefecta haec tantidem emptam poſtulat ſibi tradier.
Homini miſero plus quingentos colaphos infregit mihi.
Verum enim quando bene promeruit, fiat: ſuum ius poſtulat.
Age iam cupio, ſi modo argentum reddat. ſet ego hoc ariolor:
Vbi me dixero dare tanti, teſtis faciet ilico
Vendidiſſe me. de argento ſomnium: mox cras redi.
Id quoque poſſum ferre, ſi modò reddat, quamquam iniuriumſt;
Verum cogito id quod res eſt: quando eum quaeſtum occeperis,
Accipiunda & muſſitanda iniuria adoleſcentiumſt.
Set nemo dabit: fruſtra egomet mecum has rationes deputo.

OBSECRO POPVLARES. *Popularitas* in omnis rei conſortium ſumitur. nunc autem *populares* ciues dicit. & hoc eſt quod veteres *Quiritari* dicebant, Quirites conclamare.

OBSECRO POPVLARES, FERTE MISERO, ATQVE INNOCENTI AVXILIVM: Hic exemplum eſt contumelioſi per potentiam diuitis, & in perniciem ſuam pauperis contumacis.

SVBVENITE INOPI. Vide quàm poſteriora vehementiora ſunt ad incendendum populum. primò, *miſerum*: pòſt, *innocentem*: ad vltimum, *inopem* poſuit. & primò, *ferte auxilium*: pòſt, *ſubuenite*. Et totum hoc principium à beneuolentia ſumitur: quæ comparatur ex inuidia potentiæ AEſchini. nam contraria in AEſchino eſſe vult intelligi.

MISERO ATQVE INNOCENTI AVXILIVM: SVBVENITE INOPI. Tria ſunt, *Miſer, Innocens, Inops.*

OTIOSE, NVNC IAM. *Otioſe*, ſecure ſignificat. nam niſi qui ſecurus eſt, otioſus non eſt.

OTIOSE, NVNC IAM ILICO HIC CONSISTE. Simul imperauit modum, tempus, locũ, factum. Modum, *otioſe*: Tempus, *nunc*: Locum, *hic*: Factum, *conſiſte*. Nam *Iam* & *Illico*, alterum tempori adiungitur, alterum loco. At *Conſiſtere*, eſt audacter & conſtanter ſtare: vt, *Conſtitit in digitos ex tēplo arrectus vterque.* ILLICO. Modò locum, non tempus ſignificat.

NVMQVAM. Pro *non*. Virgilius, *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

ISTAM INVITIS OMNIBVS. Deeſt *abducam*. EGO ISTAM INVITIS OMNIBVS. Bona ἔλλειψις nemo enim plene loquitur qui luctatur.

QVAMQVAM EST SCELESTVS, NON COMMITTET. ἀνανταπόδοτον primum: nam quum præpoſuiſſet, *Quamquam*, non ſubiecit *Tamen*.

COMMITTET. Perficiet: ſed hoc proprie de illicitis & puniendis facinoribus dicimus. Et ſimul hîc oſtendit Comicus adoleſcens cedere ſe lenoni, inuitum ſe noxam intulliſſe: & id quod fecerit, feciſſe lenonis culpa, non ſua.

ITERVM VT VAPVLET. Mirabiliter poeta priorem litem ſuſtulit, dicendo *Iterum*: vt non eadem lis eſſet, de qua ſuprà Demea queſtus eſt: ſed inſtaurata naſcatur.

LENO

LENO EGO SVM. *Leno*, terribiliter pronuntiandum eſt: quaſi dicat, cui ſupplex eris. Sed ex argumento eſt, quòd contemnit AEſchinus minas lenonis, vtpote qui iam vxorem decreuerat ducere.

SCIO. Hic ſic reſpondit, quaſi in lenone imminutio capitis tantùm conſiſteret.

FIDE QVISQVAM OPTVMA. *Fides* in concipiendis comminationibus: nam *denuntiatio*, comminantis eſt.

HVIVS NON FACIAM. Figurate ergo, *Quod te purget*, id eſt, purgationem tuam. *Huius* autem, δεικτικὸν eſt. Aut enim ſtipulam, aut floccum mouerat, aut ſummum digitum.

HVIVS NON FACIAM. Cicero, *Ne tantulum quidem commotus eſt.*

EGO MEVM IVS PERSEQVAR. Hoc eſt lenonium. MEVM IVS. Meam libertatem.

MEVM IVS. Meam vindictam. Nam vt illa *iniuria* eſt quæ fit innoxio: ita ius vindicta illa quæ redditur reo. PERSEQVAR. Vlciſcar. Cicero, *Tu dum tuas iniurias per te, id quod non poteſt, perſequi conaris.*

NEQVE TV VERBIS SOLVES VNQVAM, QVOD MIHI RE MALEFECERIS. νομικῶς. Et *Solues*, lues, perſolues, id eſt ſatisfacies, ac te purgabis. RE MALEFECERIS. Acuendum eſt *re*, & ſignificanter proferendum. ibi enim eſt ſententia Et plus dixit, *Re malefeceris*, quàm *Iniuriam feceris*.

NOVI EGO VESTRA HAEC: ἔλλειψις: deeſt enim *Verba*.

IVSIVRANDVM DABITVR. Hoc eſt, iurabimus te eſſe indignum cui iniuria fiat huiuſmodi. Aut ſeparatim *iuſiurandum dabitur*: & ſeparatim, *te eſſe indignum iniuria hac*. & ſic melius. verba enim ſatisfaciunt, quum res colligitur in generalibus cauſis. nam ſæpè iræ ac lites iureiurando ſunt terminatæ.

INDIGNVM INIVRIA HAC. Comice *Indignum* & *Indignis*.

ABI PRAE STRENVE. Aut *Abi præ*, id eſt prior: aut *Abi præ*, id eſt præi: vt, *I præ, ſequar*. Aut *præſtrenue*: vt, *Prædiuitis vrbe Latini*. ABI PRAE STRENVE. Magna contemptio minarum lenonis, non reſpondiſſe AEſchinum ad ea quæ dixerat.

CAETERVM HOC NIHIL FACIS. *Nihil* pro *non* legitur, & *nihili*.

AT ENIM NON SINAM. *Enim*, incœptiua particula apud veteres fuit: ſed & conuenit perturbationi.

NIMIVM ISTOC ABISTI. Quaſi ex contumacia lenonis appareat, quòd multũ abierit.

PROPTER HVNC. Iuxta hunc. vt Virgilius,

--- *templum de marmore ponam. Propter aquam.*

HEM, SIC VOLO. Mire comicus ex alterius verbis, quid faciat alter, oſtendit.

QVIN PVGNVS CONTINVO *Pugnus*, à pugna dictus: aut ab illo *pugna*. PVGNVS CONTINVO. Id eſt veſtigium litigantis.

ISTVC VOLO ERGO IPSVM EXPERIRI. Expreſſe oſtendit pauperioris loquacem contumaciam vſque ad pericula cædis. ISTVC VOLO ERGO IPSVM EXPERIRI. Hoc illo dicente, Seruus lenonem verberat.

HEM SERVA. Neſcias cui dicat hæc AEſchinus, an lenoni, an ſeruo: ſed ſeruo magis eſt veriſimile.

GEMINABIT NISI CAVES. Hoc comminantis eſt, non iubentis ferire. ſed quia longè ſtat Parmeno, gemina putauit dictum. Et *Geminabit*, ſubaudiendum eſt *plagam*. GEMINABIT NISI CAVES. Non ſingularem pugnum, & vnum dabit, ſed *geminabit*: quaſi dicat, geminato duplicatóque numero inferet.

HEI MISERO MIHI! Leno pulſatur.

NON INNVERAM. Conuenienter poeta auidiorem Parmenonem malefaciendi inducit, quum ſuprà, dominum inuitum oſtenderet cogi ad inferendam iniuriam.

IN ISTAM PARTEM POTIVS PECCATO. Vt verberes non iuſſus potius, quàm iuſſus non verberes.

NVNC IAM. Duæ partes iſtæ ſunt. Et bene *Iam*, quia ſero, & poſt plagas. Et vtrum hoc lenoni, vt abeat, an puellæ vt introeat, dicitur? ſed facetius eſt ſi lenoni intelligas dici: quaſi hoc factum ſit quod voluerit: & quaſi venerit vt vapulet. Et *Iam* etiam tarditatis incuſatio eſt. vt Virgilius, —— *Iam melior, iam diua precor.*

Regnumne aeschine. Inuidioſa moraliter exclamatio, & ardentior ad plagas.

Regnumne aeschine hic tu poſſides? Bene *hic*, id eſt Athenis, vbi grauius crimen eſt dominari velle. Nam tyranni ibi ſemper oppreſſi ſunt, & maxime proximi.

Si poſſiderem. ἠθικὴ εἰρωνεία contemnentis in inuidiam. Ornatus eſſes ex tuis virtutibus. Cito oſtendit quantum à ſe longe ſit regnum, qui dixerit ornari potuiſſe lenonem. Ex tuis virtutibus. Sic veteres per εἰρωνείαν *virtutes* pro flagitiis dicebant. Lucilius, *Animo ac virtutibus*.

Quid tibi rei mecum eſt. Hoc quia verberatus eſt, dicit. vt ſit, *Quid tibi debeo?* non quia nihil ſibi debeatur.

Nihil. Facete: quia ipſe abſtulit, & *Nihil* vult à ſe repeti.

Quid? noſtine qui ſim? Proprie: ſic enim dicit qui nihil quicquam debet, Non me nouit: non quòd ignoretur, ſed quòd in iure non cernatur.

Si attigeſſes. Plus dixit, *Attigiſſes*, quàm *Tetigiſſes*. eſt enim multo minus *attingere* quàm *tangere*.

Qui tibi magis licet. Hic non tam ratiocinatio eſt, quàm exclamatio per dolorem. Qui tibi magis. Si mihi, inquit, non licet attingere tuam: cur tibi licet meam, non tangere, ſed habere? Et *habere*, verum domi in conſuetudine: an corrumpere, id eſt ſtuprare intelligimus?

Meam habere, pro qua ego argentum dedi? Meam ſuffecerat: ſed magna moralitate additum, *Pro qua argentum dedi*, ad vociferationem. ſimul eſſe oſtendit leno quod repetat.

Ante aedes non feciſſe erit melius hic conuitium. Non erat quod ad hæc iuſte reſponderet. & ideo ſic reſpondet, vt conuitium dicat: quod verum eſt.

Loris liber. *Lora* apud veteres *laura* dicebantur, à lauro triumphorum: ſub qua mos erat captiuos vinciri, duciſque per pompam. ideo autem, vt conditionis reminiſcantur, loris cæduntur mancipia. Nam *mancipia* dicuntur, quòd manu capta ſunt: *Serui*, qui ſeruati ſunt, quum eos occidi oporteret iure belli. Vnde Virgilius ſic inducit captiuum rogantem,

Per patrios manes, per ſpes ſurgentis Iuli,
Te precor hanc animam ſerues natóque patríque.

Hicine libertatem. Scilicet Athenis.

O hominem impurum. Sic veteres *Impurum* generaliter pro improbo ponebant: vt in eadem hac fabula, *Perſuaſit ille impurus, ſat ſcio.*

Aequam eſſe omnibus? Quaſi diceret, Vbi non eſt, quando AEſchinus loquitur. Et bene *Omnibus*: vt ne lenones quidem videantur excepti.

Mitte iſta, atque ad rem redi. Superbe adoleſcens maleficium non putat lenonis eſſe purgandum. *Ad rem* autem, ad negotium de quo agitur, dicit.

Quam rem. Quam abduxiſti. *Res* enim, pecunia intelligitur: vel id pro quo pecunia danda eſt.

Quo redeam? Ad, quam euertiſti domum: quia, *Fores effregit, atque in ædes irruit alienas.*

Quod ad te attinet? Quod tibi prodeſt, & commodum eſt.

Cupio. Ille, *Vis*, dixit: hic *Cupio*. Modo atqui aliquid. Subaudiatur, dicas.

Vah, leno inique me non vult loqui. Nomen lac[illegible]egum, & iniuſtum *Leno*, iniquitatem agitat, iuſtitiæ patrocinat[illegible]r. H[illegible] totum εἰρωνικῶς pronuntiandum eſt.

Leno ſum. Figura συγχώρησις. Eſt orta iniuria. *Orta*, cœpta.

Illuc quaeſo redi quo coepiſti aeſchine. Figurate. rectum enim erat, *Vnde cœpiſti*, niſi fortè *Quo* pronomen eſt modo accipiendum: vt ſit, *à quo*. Et bene memor eſt dixiſſe AEſchinum, *Omitte iſta, atque ad rem redi.*

Quae res tibi vertat male. Adiicit contumeliam, quaſi & hoc multum ſit & inimicum. *Vertumnus* dicitur deus qui rebus ad opinata reuertentibus præeſt. ſæpe autem male ce[illegible] quod bonum putatur: & hoc eſt male vertiſſe. vt ille gladius qui muneri datus, adminiculum fu[illegible] egitæ pereunti. de quo Virgilius, *—enſemque recluſit*
Dardanium, non hos quæſitum munus in vſus.

Quid ſi ego tibi illam nolo vendere? Hæc maioris ſunt ſtomachi: & ideo

ſtultiora. nam quod iam amiſit, venditurum ſe negat. Et, *Quid ſi nolo,* noue dictum eſt, & τῷ ἰδιωτισμῷ. QVID SI EGO TIBI ILLAM NOLO VENDERE? COGES ME? Poteſt autem dici, *Quid ſi nolo, coges me?* MINIME. εἰρωνεία.

NAMQVE ID METVI. εἰρωνεία contumax & ridicula in eo, quòd iam amiſit id de quo dixit ſe cogi non poſſe.

NAM EGO ILLAM LIBERALI ASSERO CAVSA MANV. Ordo eſt, *Ego liberali cauſa manu aſſero.* Et ſunt iuris verba: à quibus etiam *Aſſertores* dicuntur vindices alienæ libertatis. Nam & cauſa ipſa, *liberalis* dicitur, quæ actionem in ſe continet libertatis.

PRÒ SVPREME IVPPITER. Hæc locutio ad hoc inducta eſt, vt ex verbis lenonis appareat quàm facile mitis fieri poſſit, & quiduis libenter accipere. PRÒ SVPREME IVPPITER. *Supremum* nunc dicit ſummum. ab eo quod eſt *ſuperum* & *ſuperius* fit *ſupremum.* Virgil. *--- rex ipſe Iouis de gente ſuprema,*

Troius Aeneas tua nos ad limina miſit. Et non abhorret à perſona & plebeii, & lenonis, & vim paſſi Iouem ipſum conuitio perſequi, vt quotidie videmus ab hominibus eius loci & ordinis fieri.

MINIME MIROR QVI INSANIRE OCCIPIVNT EX INIVRIA. Senſus hic eſt, Inſanos fieri per iniuriam pleróſque mirabar, ſed iam non miror, poſtquam ego ipſe per iniuriam quam ſum paſſus, inſanire compellor: adeò vt exclamem, *Prò Iuppiter!* Et ſimul aduerte vigilantem poetam, vt vbicunque in comœdia vocem tragicam extulerit, ſtatim perſonam inſanam dicere faciat: ſic & ſuprà, *Prò Iuppiter! tu homo nunc adiges me ad inſaniam.*

ME INVITO ABDVXIT MEAM. Honeſtiori perſonæ hæc quærela ſufficeret, *Abduxit meam.* Sed leno bene addidit, *Me inuito.* nam abducuntur meretrices abſque voluntate lenonum. Et decora locutio eſt per ἔλλειψις, *Me inuito abduxit.* non enim addidit, *puellam,* aut quid tale.

TANTIDEM EMPTAM POSTVLAT. *Tantidem emptam* legitur, & *Totidem emptam.*

HOMINI MISERO. Secundum illud Menandri. * ΑΙΓΟΣ ΤΗ ΠΟΙΩΝ ΤΟΙΓΟΣΡ-ΠΑΤΟ ΤΟΝ ΙΡΩΝΟΝ ΟΙΚΕΤΗΝ λαβων * HOMINI MISERO PLVS QVINGENTOS COLAPHOS INFREGIT MIHI. Contumelioſa cædes, *colaphus,* & digna lenone.

INFREGIT. Vt illudens hoc feciſſe Aeſchinus videatur, cum ſonitu ſe colaphizatum ſignificat. *Infregit* autem, illiſit, inflixit. vt ſit ſenſus, *Inflixit homini miſero plus quàm quingentos colaphos.* Et flebiliter pronunciandum eſt hoc enim exprimitur, vt tamen incuſet in alieno facto fortunam ſuam. Et vide quantum hoc diſtet ab illo quod ſuprà dicebat, *Ipſum iſtuc volo experiri.* hoc, quia ſolus eſt: illud, quia cum aduerſario.

BENE PROMERVIT. *Bene,* multum. *Promeruit,* adiuuit, profuit: cui contrarium eſt *commeruit.* Nam *mereri* & *promereri,* eſt præſtare beneficium. Virgilius, *Quique ſui memores alios fecere merendo.* Et ——— *nunquam regina negabo Promeritam.*

VBI ME DIXERO DARE TANTI. Recte dixit. vbi enim pactio interceſſerit pretij, iam ereptionis actio ſublata erit, & pretium debebitur. Mox, CRAS REDI. Mire tranſit ad μιμητικόν. ID QVOQVE POSSVM FERRE. Id, *Mox, cras redi,* id eſt moram.

QVAMQVAM INIVRIVM. Vendere quod nolis. *eſt* ſcilicet.

ID QVOD RES EST: Pro, *id quod verum eſt*: bona locutio. QVANDO EVM QVAESTVM OCCOEPERIS. Vt in Andria, *Deinde quæſtum occipit.*

MVSSITANDA. Patienda, conſideranda cum ſilentio, & vt in amatore putanda, atque per hoc perferenda. *Muſſitare* enim proprie eſt diſſimulandi cauſa tacere. dictum vel à *muto,* vel ab *M*: quæ litera eſt nimium preſſæ vocis ac penè nullius: adeò vt ſola omnium quum inter vocales inciderit, atteratur, atque ſubſidat. Hinc Virgilius, *Muſſat rex ipſe Latinus.*

FRVSTRA EGOMET MECVM. Præparationis genus, ad accipiendas viginti minas totius ſummæ deſperatio.

Actvs secvndi scena II.

SYRVS. SANNIO.

Ace, egomet conueniam iam ipſum: cupidè accipiat faxo, atque etiam
Bene dicat ſecum eſſe actum. quid iſtuc Sannioſt, quod te audio
Neſcio quid concertaſſe cum ero? SA. numquam vidi iniquius
Certationem comparatam, quàm haec hodie inter nos fuit.
Ego vapulando, ille verberando vſque, ambo defeßi ſumus.
ST. Tua culpa. SA. quid agerem? ST. adoleſcenti morem geſtum oportuit.
SA. Quid potui melius, qui hodie vſque os praebui? ST. age, ſcis quid loquar?
Pecvniam in loco neglegere *maximum interdumſt lucrum. hui.*
Metuiſti: ſi nunc de tuo iure conceßiſſes paululum, atque
Adoleſcenti eſſes morigeratus, hominum homo ſtultißime,
Ne non tibi iſtuc foeneraret. SA. ego spem *pretio non emo.*
ST. Numquam rem facies: abi, neſcis ineſcare homines Sannio.
SA. Credo iſtuc melius eſſe: verum ego numquam adeò aſtutus fui,
Quín quidquid poſſem, mallem auferre potius in praeſentia.
ST. Age, noui tuum animum, quaſi iam vſquam tibi ſint viginti minae,
Dum huic obſequare. praeterea autem te aiunt proficiſci Cyprum. SA. hem.
ST. Coemiſſe hinc quae illuc veheres multa: nauem conductam: hoc ſcio,
Animus tibi pendet: vbi illinc ſpero redieris, tamen hoc ages.
SA. Nuſquam pedem: perij hercle, hac illi ſpe hoc incceperunt. ST. timet:
Inieci ſcrupulum homini. SA. ô ſcelera! illud vide
Vt in ipſo articulo oppreßit. emptae mulieres
Complures, & item hinc alia, quae porto Cyprum.
Niſi eò ad mercatum venio, damnum maxumumſt.
Nunc ſi hoc omitto, actum agam: vbi illinc rediero,
Nihil eſt, refrixerit res. Nunc demum venis?
Cur paſſus? vbi eras? vt ſit ſatius perdere,

Quàm aut nunc manere tam diu, aut tum perſequi.
SY. Iámne enumeraſti, quod ad te rediturum putes?
SA. Hocine illo dignumſt? hocine incipere AEſchinum?
Per oppreßionem vt hanc mihi eripere poſtulet?
SY. Labaſcit. vnum hoc habeo: vide, ſi ſatis placet,
Potius, quàm venias in periculum Sannio:
Seruéſne, an perdas totum, diuiduum face:
Minas decem conradet alicunde. SA. ei mihi,
Etiam de ſorte nunc venio in dubium miſer.
Pudet nihil: omnes dentes labefecit mihi.
Praeterea colaphis tuber eſt totum caput.
Etiam inſuper defrudat? nuſquam abeo. SY. vt lubet.
Numquid vis, quin abeam? SA. imò hercle hoc quaeſo Syre,
Vtut haec ſunt facta, potius quàm lites ſequar,
Meum mihi reddatur: ſaltem quanti emptaſt, Syre.
Scio te non vſum antehac amicitia mea:
Memorem me dices eſſe, & gratum. SY. ſedulo
Faciam. ſed Cteſiphonem video. laetus eſt
De amica. SA. quid, quod te oro? SY. pauliſper mane.

TACE, EGOMET CONVENIAM IAM IPSVM. In hac ſcena actus, eſt exemplum continens vitæ auarorum, qui ſæpe in damnum ipſius auaritiæ rationibus ruunt: ſimul etiam duorum inter ſe nequam hominum ſpectanda quædam vicißim, & doloſa captio eſt. TACE, EGOMET CONVENIAM IAM IPSVM. *Tace* ſi pro aduerbio eſt, omnibus dicitur. ſi pro verbo tardationis, dicitur Cteſiphoni maxime ſolicito & ſupplicanti omnibus ob metum patris. *Iam* autem, non tardiitatis eſt, ſed properationis ſignificatio.

BENE DICAT SECVM ESSE ACTVM. *Actum*, rectè additum eſt nam multa etiam cupide accipimus, ita tamen vt male nobiſcum eſſe dicamus actum.

QVID ISTVC SANNIO EST. Illud ſup. à poſt ſcenam, hoc iam in proſcenio dicitur. Et vide quàm ingenioſe Terentius, qui ſuprà ab AEſchino lenonis nomine facit Sannionem vocari, vtpote ab homine arroganti & feroci ob ætatem & negotium: at hunc blande circumuenientem honorificentius inducit cum lenone loqui, & Sannionem eum vocare. Sane qui in ſordidis profeßionibus agunt vitam, honorifice nomine proprio appellas. ſed qui in ſplendidis artibus ſunt conſtituti, gaudent artis nomine nuncupari, vt Imperator, Orator, Philoſophus. Sic & in Eunucho, *Audire vocem viſus ſum modò militis*, apud ſe loquens meretrix: & poſtquam illum cominus videt, *Salue mi Thraſo* inquit; non, *Salue miles*: quod erat duriſſimum. Et mox irata perſonat, *Miles nunc adeò edico tibi.*

NESCIO QVID CONCERTASSE CVM HERO. Argute poſitum *Neſcio quid* vult enim ex illo audire, vt nanciſcatur initium quod persuadendum ſuſcepit. CONCERTASSE. ὀνομα μία honorifice nomen tractat, vt & placidum ſibi reddat, & vt eum faciat ad contemnendam pecuniam liberalem. nam honeſtas adimit auaritiam.

CONCERTATIONEM COMPARATAM. *dicaiós*, quia ille cõcertaſſe dixit, nõ cæſum eſſe.

COMPARATAM. Propriè: alias *conſtitutam*. Et *comparatam* ad dictum Syri refert, qui ait concertationem fuiſſe, pares faciens AEſchinum & Lenonem. nam Sannio vult ſibi deberi pro eo quod vapulauit: quod abſtulit illi Syrus, dicendo eum non verberatum eſſe,

ſed potius concertaſſe. Et proprie dixit *Concertationem*, ipſum actum. nam *certamen*, eſt res ipſa de qua certatur, vter columbam ſagitta feriat, vter prior decurrat ad metas. Nam ſic Virgil. in Bucolicis, *Velocis iaculi certamina ponit in vlmo*. At verò *certatio*, ipſe actus contentióque certantium eſt.

ILLE VERBERANDO VSQVE, AMBO DEFESSI SVMVS. Incerta eſt diſtinctio, vel *verberando vſque*, vel *vſque defeſsi*. & eſt *vſque* aduerbium, ſignificans aut *diu*, aut *multum*.

TVA CVLPA. Poteſt & nominatiuus & ſeptimus caſus eſſe. ſi nominatiuus eſt, deeſt *eſt*: ſi ſeptimus, deeſt *Factum eſt*.

ADOLESCENTI MOREM GESTVM OPORTVIT. Ab ætate adiuuatur ſentẽtia. ideo *Adoleſcenti* dixit, non *Aeſchino*. Et *morem gerere*, proprie lenonis & meretricis eſt: vnde & ipſe ſic reſpondet, vt non fugiens κακόφατον dicat, *Vſque præbui*. ADOLESCENTI MOREM GESTVM OPORTVIT. Cum ἐμφάσει *Adoleſcenti* pronuntiandum eſt, ſcilicet qui facilius aſſentatione caperetur.

QVID POTVI MELIVS, QVI HODIE VSQVE OS PRAEBVI. Subauditur, *morem gerere*. Et hoc ſubtiliter leno, quum morem gerendum fuiſſe in meretricis pretio dixerit Syrus. *Hodie* autem, non tempus ſignificat, ſed iracundam eloquentiam ac ſtomachũ. Vt Virgil. *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

AGE. Modo *Age* corripientis eſt aduerbium. SCIS QVID LOQVAR. Argute: quia ſimulauerat leno non intellexiſſe quid dixerat ſeruus. SCIS QVID LOQVAR. Legitur & ſic: *ſed ſcis quod loquar*.

IN LOCO NEGLIGERE, MAXIMVM INTERDVM EST LVCRVM. Bene additum eſt *In loco*, & *Interdum*: non enim ſemper.

SI NVNC DE TVO IVRE CONCESSISSES. Bene *Tuo iure*: ne diceret, Non erat res mea quam venalem habui. Aut *De tuo iure*, de lenonina duritia: vt alibi, *Meo iure vtar, vt potior ſit qui prior ad dandum ſit*.

NE NON TIBI ISTVC FOENERARET. *Fœneratum*, eſt cum lucro redditum & multiplicatum. *Fœneraret* ergo, non AEſchinus, ſed ipſa res in qua fœneratio.

EGO SPEM PRETIO NON EMO. ἀντιστοιχία. contrà, *Pecuniam in loco negligere, maximum interdum eſt lucrum*.

NVMQVAM REM FACIES. Leno quidquid agit, ad lucrum refert: & ſic lucri genus dicit eſſe Syrus à lenone, quemadmodum perſuadet. Et nota *Rem*, & litem, & negotium meretricis, & patrimonium, & omnem pecuniam nominari. NVMQVAM REM FACIES. Secundum perſonam ſerui lenonem Syrus hortatur, hominem ad lucrum excitans, non ad honeſtatem.

NESCIS INESCARE HOMINES SANNIO. μεταφορὰ ab aucupibus, qui auibus capiendis effundunt cibum.

CREDO ISTVC MELIVS ESSE: Vide comicum errorem vtriuſque perſonæ, & callidi lenonis, & captioſiſſimi Syri ſerui.

AGE. *Age*, nunc verbum eſt ſignificans *dic*. quia iam propè eſt vt conſentiat perſuadenti. TVVM ANIMVM. Deeſt, *liberalem*.

QVASI IAM VSQVAM TIBI SINT VIGINTI MINAE. Senſus, Quaſi numero in aliquo ducas, & in aliqua æſtimatione conſtituas: & non ſi velis, penitus contemnas viginti minas, dummodo huic obſequaris.

PRAETEREA AVTEM. ἀρχαϊσμὸς eſt figura. Nam veteres libenter coniunctiones multiplicabant. TE AIVNT PROFICISCI CYPRVM. Et enim non profecturum dixit, ſed iam *Proficiſci*: & non ab vno dicit ſe audiuiſſe, ne negaret: ſed *Aiunt* inquit.

COEMISSE HINC QVAE ILLVC VEHERES MVLTA. Nuſquam hoc oſtendit aliàs Terentius: ſed apparet ex confeſſione lenonis vera hæc omnia eſſe. Et mira varietas eſt, *Proficiſci*, *Coemiſſe*, *Conductam nauem*: ne diceret, *Proficiſci*, *Emere*, & *Conducere nauem*. Et *Conductam nauim* addidit, vt dilationem res habere non poſſit.

HOC SCIO, ANIMVS TIBI PENDET. *Hoc* & correpte legi poteſt, vt articulus demonſtratiuus ſit: & producte vt ſignificet aut hanc rem, aut hunc locum, id eſt Cyprum

VBI ILLINC SPERO REDIERIS. Ex ſpe ſua vult Syrus oſtendere, quid leno debeat ſpe-

rare, id eſt non ſe accepturum modo.

TAMEN HOC AGES. Hoc eſt, exiges debitum. nam *hoc agere* dicimus eum, qui inſtat negotio ſuo.

NVSQVAM PEDEM. Quia exclamatio eſt, per ἀποσιώπησιν non completur.

INIECI SCRVPVLVM HOMINI. Hoc leno non audit. ſimul enim dicitur, quum ille clamat. & ideo ſimul legi non poteſt. Et hic oſtendit Syrus quo hæc conſilio locutus ſit.

ILLVC VIDE. *Vide*, τῷ ἰδιωτισμῷ dicit. VT IN IPSO ARTICVLO OPPRESSIT μεταφορά perſeuerans à ſcrupulo, id eſt lapillo qui nos in calceo latens plerumque lædit. Et *Oppreſſit*, vel AEſchinus, vel res ipſa quam ſubiicit, id eſt quod ait, *Emptæ mulieres complures*, &c.

EMPTAE MVLIERES COMPLVRES. *Mulier veſtes* & eſt. σύλληψις. *Emptæ*, & *empta*.

ITEM HINC ALIA. In lenonis mercibus ἐξοχή. QVAE PORTO CYPRVM. Hanc inſulam poſuit poeta, vel quòd Veneri ſacrata ſit. vt Horatius, *Sic te diua potens Cypri*. Vel quòd mercatus in ea ſit. vt idem.

Nunquam dimoueas, vt trabe Cypria
Myrtoum pauidus nauta ſecet mare.

NISI EO AD MERCATVM VENIO. *Eo*, nunc aduerbium eſt loci, id eſt Cyprum. *Mercatus* autem, locum tempúſque ſignificat.

DAMNVM MAXIMVM EST. Quia & hoc damnum in pretio mulieris eſt.

NVNC SI HOC OMITTO. Quod damnum eſt ſcilicet. Hoc autem dicit negotium cum AEſchino.

ACTVM AGAM. Prouerbium, id eſt nihil agam. quod enim in iure ſemel iudicatum fuerit, reſcindi, & iterum agi non poteſt. Sic in Phormione, *Actum aiunt ne agas.*

NIHIL EST. Noue *Nihil eſt*: pro, nulla ſpes eſt. REFRIXERIT. Pro *refrigeſcet.*

VT SIT SATIVS PERDERE. Per ὑπερβολὴν hoc accipe. nam non conuenit perſonæ lenonicæ damna contemnere.

AVT NVNC MANERE. Dum non nauigo. TVM PERSEQVI. Quum rediero.

IAMNE ENVMERASTI. Finxit Syrus ſe non intellexiſſe quid apud ſe ipſum leno locutus ſit. ideò illi aliud ait, quàm ille ſecum diſputauerit.

QVOD AD TE REDITVRVM PVTES. Hoc dicto, tantum illum accepturum ſignificat, quantum dederat in puella. Nam ad nos redit, quod à nobis abierit. Et dicendo *Rediturum*, oſtendit ſuper viginti minas nihil illum ſperare oportere: ſic enim ſuprà, *Minis viginti tu illam emiſti, quæ res tibi vertat malè.*

HOCINE ILLO DIGNVM EST. Huiuſmodi comploratio ſummam deſperationem lenonis oſtendit. HOCINE INCIPERE AESCHINVM. Quaſi de magno facinore dixit. Vt in Heautontimorumeno, *Vide quod inceptet facinus. AEſchinum* autem cum laudatione dixit: quaſi quem non deceat malefacere. Et vide quàm omnia experiatur impotens & miſer ob recuperandam rem ſuam.

VT HANC MIHI ERIPERE POSTVLET. Non dicit de qua: quia de illa ſermo eſt. *Poſtulet*, velit, aut ſperet. Cicero. *Vt temporibus reipub. cedat, non eſt poſtulandum.* id eſt cupiendum, aut expectandum. ERIPERE POSTVLET. ἐν τῷ ἤθει dixit, non eripuerit: tanquam adhuc non fecerit. & ſic loquuntur qui nolunt circa ſe perſeuerare iniuriam.

LABASCIT. Hoc preſſe dicitur. & propriè dicit *Labaſcit*, vt & ſuam inſtauriam, & cunctationem tardè incipientis conſentire monſtraret. nam inchoatiuum verbum eſt. Et eſt metaphora ab arbore facta: quæ multis ſucciſa ictibus, ferri tandem incipit in caſum ponderis, ruinámque minitari.

VNVM HOC HABEO. Hoc clare: & ſubaudiendum eſt, *Quod dicam*, vel *Dicere*.

VIDE, SI SATIS PLACET. Non *Placet* dixit: ſed *Satis placet*, veluti magnum conſilium præbiturus.

POTIVS, QVAM VENIAS IN PERICVLVM. Oratorie: comparatione peiorum, dicit hoc eſſe quod ſuggerit eligendum.

DIVIDVVM FACE. Hoc eſt, diuide: figura μακρολογία. *Diuiduum*, à diuiſione: *Dimidium*, à dimenſione dicimus.

MINAS DECEM. Scit illum viginti poſſe accipere: ſed idcirco agit, vt optet leno

quod paulò ante nolebat.

CONRADET ALICVNDE. *Alicunde* dictum eſt quaſi non habentis: nam nec ipſa in promptu ſunt.

HEI MIHI, ETIAM DE SORTE NVNC VENIO IN DVBIVM MISER. *Sors* eſt ſumma, cui extrinſecus acquiritur fœnus. Ergo *ſortem* dicit de pretio quo empta eſt, id eſt viginti minis. Et vide illum damno potius exclamare quàm iniuria. NVNC VENIO IN DVBIVM. Id eſt, in periculum.

OMNES DENTES LABEFECIT MIHI. Iniuria lenoni tunc dolet, quum adiuncta damno eſt: vt ſuprà.

--- quando eum quæſtum occœperis,
Accipienda & muſſitanda iniuria adoleſcentium eſt.

Vel idcirco enumeratis contumeliis adiecit, *Etiam inſuper defrudet?* Et vide vt eadem quæ dixit ſuprà, repetat: ſed ardentius tamen, & cum αὐξήσει. Sic Virgilius in maius repetit, quod non ſemel dicit.

COLAPHIS TVBER EST TOTVM CAPVT. *Tuber*, eſt genus cibi collectum ex tumentibus, & quaſi prægnantibus arenis. Plus autem hìc, quàm ſuprà, dixit. Suprà enim dixit, *Plus quingentos colaphos infregit mihi.* hìc verò, *Colaphis tuber eſt totum caput.*

ETIAM INSVPER DEFRVDAT. αὔξησις apta lenoni auaro, nam honeſtior perſona non hunc ordinem faceret. DEFRVDET. Fraude decipiat.

NVSQVAM ABEO. Hoc dictum vim habet comminantis: niſi illud cum contemptu ſuſceperit Syrus.

VT LVBET. Negligenter ſeruus reſpondet, vt rogetur à lenone.

NVMQVID VIS QVIN ABEAM. Hæc eſt plena locutio. *Numquid vis*, deſiderat ſupplementum. & hoc vti dicto diſcendentes ſolent. *Quin*, nunc, *quare non*, ſignificat.

IMÒ HERCLE HOC QVAESO SVRE, VTVT HAEC SVNT FACTA. Ipſe ſibi ſatisfacit. *Vtut* enim, quoquo modo ſignificat, diuerticulum ad preces faciens.

POTIVS, QVAM LITES SEQVAR. Quia dixerat AEſchinus, *Nunc vide vtrum vis, argentum accipere, an cauſam meditari tuam.*

MEVM MIHI REDDATVR. Sortem, quam ſolam ſuprà recuſabat. Et oratorie: non enim *Quanti emi* dixit: ſed inuidioſe *Meum mihi reddat.*

SALTEM. τὸ ἔσχατον. natum eſt autem à captiuis *Saltem*, qui nihil aliud præter ſalutem à victore petant.

SCIO NON TE VSVM ANTEHAC AMICITIA MEA. Figura ἀξιοπιστία, per quam oſtendit ſe fideliter promittere quod promittit. Virgilius.

--- ſcio me Danais è claſſibus vnum,
Et bello Iliacos Fateor petiiſſe penates.

MEMOREM ME DICES. Figurate eſt inducta promiſſio præmiorum. Et bene vtrunque narrat. nam non continuò qui memor eſt, etiam gratus eſt. *Memor* enim eſt, qui apud ſe meminit. *Gratus* qui meruit hoc nomine vocari, dum vicem reddit. Nam multi ſunt memores, ingrati tamen.

SEDVLO FACIAM. Sic promittit, vt nihil ſua intereſſe credatur. SEDVLO. De induſtria, ſine dolo.

SED CTESIPHONEM VIDEO. Aduentus in proſcenium perſonarum, quum conſulto conſilio fingantur à poeta, tanquam ſuperuenirent aliis rebus in medio poſitis, quæ ipſarum interuentu finiantur. mire tamen, quòd quaſi ex argumento ſit, vt futuri actus ſui, antè quàm loqui incipiant, deſcribantur.

LAETVS EST DE AMICA. Hoc lentius, & ſummiſſe.

QVID QVOD TE ORO. Deeſt *age*, & deeſt *ego*. QVOD TE ORO. Aut *ſi quid*, aut *propter quod*, ſubintelligimus: vt ſit, Quid mihi non reſpondes de eo propter quod te oro: aut ſiquid te oro? Et quàm bene tardioſum lenonem facit Syrus, vt optans ille reſpectando viginti minas accipiat. nam & ſuprà non intendenti dicit totiens in vno ſenſu hoc idem Syrus de amica. Poteſt hoc & interrogatiue pronuntiari.

ACTVS

Actvs secvndi scena III.

CTESIPHO. SYRVS.

ABS quiuis homine, cùm eſt opus, beneficium accipere gaudeas.
Verum enim vero id demum iuuat, ſi, quem aequomſt benefacere, is benefacit.
O frater frater, quid ego nunc te laudem: ſatis certò ſcio,
Numquam ita magnificè quidquam dicam, id virtus quin ſuperet tua.
Itaque vnam hanc rem me habere praeter alios praecipuam arbitror,
Fratrem homini nemini eſſe primarum artium magis principem.
ST. O Cteſipho. CT. ô Syre. AEſchiuus vbi eſt? ST. ellum, te expectat domi. CT. hem.
ST. Quid eſt? CT. quid ſit? illius opera Syre nunc viuo. feſtiuum caput,
Qui omnia ſibi poſtputauit eſſe prae meo commodo:
Maledicta, famam, meum amorem, & peccatum in ſe tranſtulit:
Nihil ſupra pote. ſet quidnam? foris crepuit. ST. mane, mane, ipſe exit foras.

ABs qviυis homine, qvvm est opvs, beneficivm accipere gavdeas. In hac ſcena, gratiarum actio eſt ex perſona eius qui præſtitit, & eius cui præſtitum eſt, & ex ipſius pretij quantitate. Nam omne quod geritur, aut in rebus eſt, aut in perſonis, aut in attributis eorum. Abs qvivis homine. Bene ſic cœpit, dicturus, *O frater, frater.* Et *Qui* ſecundum regulam dixit: quia dicimus *Quibus*. cæterum à *Quo*, *Qui* facit, non *Quibus*. Et incerta diſtinctio eſt: *quum eſt opus accipere beneficium*, vel *quum beneficium eſt opus*. Hoc vetus eſt, illud communiter.

Id demvm ivvat. Oſtendit plus eſſe quod iuuat, quàm gaudium.

Is facit. *Bene*, ſubaudiendum eſt bis numero.

O frater frater. Virgilius, *Et fratrem ne deſere frater.* Vnum, relatum eſt ad appellationem: alterum, ad laudem. & ſubſtinguendum, vt videatur quæſiuiſſe quid vltrà diceret, & plus inuenire ſe non potuiſſe quàm frater.

Qvid ego nvnc te lavdem. *Quid*, propter quid. &, *Nunc te* τῷ ἰδιωτισμῷ additum eſt de ſuperfluo. Vt, --*tu nunc Carthaginis altæ Fundamenta locas?*

Qvid ego nvnc te lavdem. Quia laus, genus cauſæ eſt: quod non a dubitur niſi dubiæ rei. qvid ego nvnc te lavdem. Diſtinguendum. *Quid* autem, pro *vt quid*

Nvmqvam ita magnifice. Deeſt *quòd*: vt ſit, quòd numquam ita magnificè. Duplex cauſa eſt omittendæ laudis, ſi res aut nimium mala eſt, aut nimium bona.

Id virtvs qvin svperet tva. Bona περίφρασις, *virtus tua* potius, quàm *tu*.

Itaqve vnam hanc rem me habere. *Itaque* & ſubiunctiuum poteſt eſſe media ſyllaba correpta: & præpoſitiuum, producta eadem ſyllaba, vt ſit, *itáque*.

Fratrem. Noue dixit vnam rem *Fratrem*: ſed ego puto *Fratrem* non ſubdiſtinguendum, ſed legendum contexte vſque ad *Principem*. nam ſi diſtinxeris *Patrem*, erit bis, vt arbitror, ſubaudiendum, & ſuprà & infrà. quod ſi *Fratrem* inferioribus iunxeris, & cum

admiratione pronuntiabitur, & ſubaudietur *Quam mihi.* Hanc ſanè locutionem ſcire debemus, propter perſonam elaboratam. nam nimium gaudet, & ruſticus adoleſcens eſt qui laudare conatur AEſchinum, quaſi titubans, & penè balbutiens.

HOMINI NEMINI. Noue auribus noſtris, ſed veterum conſuetudine locutus eſt. nam quum *nemini*, hominem ſignificet: quid opus fuit dicere, *homini nemini*? Sed vt diximus, figura eſt ἀρχαϊσμός.

O CTESIPHO. Mire cœpit, gaudium ſignificans, O *Cteſipho*.

O SYRE. Ille vt gaudens: hic, vt qui non præuiderit, ô dicit. O SYRE AESCHINVS VBI EST. Bene ſtatim de illo, cui agebat gratias, loqui cœpit.

ELLVM. Ecce illum, vel pronomen eſt, vel aduerbium demonſtrantis. Alij interrogatiue legunt: vt ſit *ellum dicu?* te expectat domi. Vt ſit *ellum* pronomen, id eſt *illum*. nam & *illum* & *ellum* & *ollum* veteres dixerunt. DOMI. Aduerbium eſt in loco.

HEM. Interiectio eſt lætantis. QVID SIT! Deeſt, *quæris*? ſed eſt admirantis magis, quàm interrogantis.

ILLIVS OPERA. Dicendo *Opera*, & corporeum laborem AEſchini oſtendit & religionem. vt, --- *hunc mihi da proprium ſata nocte laborem, Hanc operam.* Hanc religionem ait: vt --- *annua magnæ Sacra refer Cereri lætis operatus in herbis.*

ILLIVS OPERA SYRE NVNC VIVO. O miram amplificationem beneficij. non dixit, *Illius* opera amicam habeo: ſed quod ſatis graue, & ſatis amatorium, *Illius opera nunc* viuo, inquit.

FESTIVVM CAPVT. Huic contrarius ſenſus eſt, *Ridiculum caput.* Alij putant, *feſtiuum caput*, non AEſchini intelligendum, ſed orationis, quam habet Cteſipho, agens gratias fratri. Ita in Eunucho, *Quam venuſte, quod dedit principium aduenieus.* Quod ſi eſt, nihil poteſt ſupra hanc laudationem: nam ſupra hoc factum erit accipiendum. ſed male: nam *caput Aeſchini*, id eſt ipſum AEſchinum, vt in toto pars ſit per συνεκδοχὴν: in qua figura & pars pro toto ponenda eſt, quæ aut eminet ex toto, aut maioris pretij eſt ad id quod agitur. Quod ipſum ſic eſſe obſeruatum à bonis authoribus, ſi exempla συνεκδοχῆς penitus conſiderare ſtudes inuenies.

QVIN OMNIA. Admiratiue *Quin*: & ſic pronuntiandum *Quin*, τὸ παράλληλον vſque ad *maledicta famam*.

PRAE MEO COMMODO. Id eſt, mei commodi comparatione: vt in Eunucho, *Hic ego illum contempſi præ me*, id eſt mei comparatione.

MALEDICTA, FAMAM. *Maledicta*, aut lenonis, aut Demeæ: *Famam* autem, populi. nam ſi aliter acceperis, idem maledictum videbitur & mala fama.

MEVM AMOREM, ET PECCATVM. De rapienda meretrice, & amanda.

MEVM AMOREM, ET PECCATVM. Quum dixiſſet OMNIA: duo tantum intulit, *Maledicta & Famam*: vt, *Omnia Mercurio ſimilis, vocémque colorémque.* Et hoc, vt ſit defectus quidam intelligendus ex affectu gratias agentis.

IN SE TRANSTVLIT. Pulchra παρασκευή, qua erratura eſt Soſtrata circa AEſchinum; quemadmodum iam errauit Demea, eò quòd ab illo credidit amari meretricem.

NIHIL POTE SVPRA. ἔλλειψις per admirationem eſt: ſubaudiendum eſt enim vel *Eſſe* vel *Dici*. Vt *Pote* pro *potis*, & *mage* pro *magis*. τῷ ἀρχαϊσμῷ.

SED QVISNAM FORIS CREPVIT. Reſonuit: vt *decrepiti* dicti ſunt clamoſi ſenes. *Foris*, ſingularis numeri, nominatiui caſus.

MANE. *Mane*, gaudentis eſt hoc dictum, non operiri iubentis.

ACTVS SECVNDI SCENA IIII.

AESCHINVS. SANNIO. CTESIPHO. SYRVS.

VBi ille eſt ſacrilegus? SA. méne quaerit? num quidnam effert? óccidi:
Nihil video. AE. ehem, opportunè: te ipſum quaero: quid fit Cteſipho?
In tuto eſt omnis res: omitte verò triſtitiam tuam.
CT. Ego illam hercle verò omitto, qui quidem te habeam fratrem: ô mi AEſchine,
O mi germane: ah vereor coràm in os te laudare amplius,
Ne id aſſentandi magis, quam quod habeam gratum, facere exiſtimes.
AE. Age inepte, quaſi nunc non norimus nos inter nos Cteſipho.
Hoc mihi dolet, nos paenè ſerò ſciſſe, & paenè in eum locum
Rediſſe, vt ſi omnes cuperent, nihil tibi poſſent auxiliarier.
CT. Pudebat. AE. ah, ſtultitia eſt iſtaec, non pudor, tam ob paruolam
Rem, paenè ex patria. turpe dictu: deos quaeſo vt iſtaec prohibeant.
CT. Peccaui. AE quid ait tandem nobis Sannio? SY. iam mitis eſt.
AE. Ego ad forum ibo, vt hunc abſoluam, tu intrò ad illam Cteſipho.
SA. Syre inſta. SY. eamus: namque hic properat in Cyprum. SA. ne tam quidem:
Quamuis etiam maneo otioſus hîc. SY. reddetur, ne time.
SA. At vt omne reddat. SY. omne reddet, tace modo, ac ſequere hàc. SA. ſequor.
CT. Heus heus Syre. SY. hem, quid eſt? CT. obſecro hercle hominem iſtum inpuriſsimum
Quamprimum abſoluito te: ne ſi magis inritatus ſiet,
Aliquà ad patrem hoc permânet, atque ego tum perpetuò perierim.
SY. Non fiet: bono animo eſto: tu cum illa te intus oblecta interim,
Et lectulos iube ſterni nobis, & parari cetera:
Ego iam tranſacta re conuortam me domum cum obſonio.
CT. Ita quaeſo: quando hoc bene ſucceſsit, hilarem hunc ſumamus diem.

VBI ILLE EST SACRILEGVS. Mire AEſchinus ſeruat aduerſus lenonem ſuperbiã, qua oſtenditur tanto eſſe alienior ab amoribus meretricis, quanto audacior in lenonem.
ME NE QVAERIT? NVM QVIDNAM EFFERT. Sperat nunc leno ſe aliquid accepturum propter conuitium. vt alibi, *Minas viginti in illam emiſti, quae res tibi vertat male. Argenti tantum tibi dabitur* Et vide quanti faciat leno prae lucro iniuriam, qui ſe ſacrilegi nomine ſignificari non ſolum non dolet, ſed etiam cupit. Oportet autem *Méne quaerit,* cum quadam geſticulatione & ſubſultatione ſperantis lenonis ad hoc ſe quaeri vt accipiat, pronuntiare.

OCCIDI: NIHIL VIDEO. *Occidi*, non quia ſacrilegus dictus eſt, ſed quia nihil accipit: & ſimul geſtum conſidera loquentis ex verbis. OCCIDI: NIHIL VIDEO. Mire hoc verbo apparet in vultu lenonis & ſpem mortuam, & extinctum gaudium. nam & apta eſt, ἔλλειψις hæc dicentis, *Occidi: nihil video.* neque enim addidit *Proferri*, aut quid tale.

EHEM. Interiectio repentinæ te. OPPORTVNE, TEIPSVM QVAERITO. ἀντίδοτον deeſt *Veniſſe*: non enim ſequenti nectitur.

QVID FIT CTESIPHO. *Quid fit*, blandum initium eſt. non enim nunc interrogat, quum ipſe dicat, *In tuto eſt omnis res*, ſic ipſe mox inſubditis, *iam nunc hæc tua*, addidit præter naturam quæſtionis. QVID FIT. Quid agitur.

IN TVTO EST OMNIS RES. Quaſi amatori, omne dixit negotium de amica. An *omnis res*, & lenonis iurgium, & ſuſpicio patris Demeæ.

OMITTE VERO. *Verò*, abundat: aut correptiuum eſt, iamdudum non omittentis.

TRISTITIAM TVAM. Sic dixit, quaſi nimium.

EGO ILLAM HERCLE VERO OMITTO. Apparet non nunc primùm dici Cteſiphoni ab AEſchino, *Omitte verò triſtitiam tuam*: nec nunc primum reſponſum, *Omitto*: & ideo additum eſt, *Hercle verò*. quia nunc demum data eſt plena ſecuritas QVI QVIDEM TE HABEAM FRATREM. Acuendum *Te*.

O MI GERMANE. *Mi, meus*: ſed vocatiuo dixit caſu.

CORAM IN OS TE LAVDARE AMPLIVS. *Coràm*, ad ipſum pertinet quem laudat, & ad eos qui audiunt: *in os*, ad ipſum qui laudatur. Nam *coràm laudat*, qui non tacet apud alios, & hoc agit non per epiſtolam, ſed ipſe præſens. *In os*, qui apud ipſum loquitur quem collaudat. LAVDARE AMPLIVS. Quia laudauit.

NE ID ASSENTANDI. Antiqua ἔλλειψις, deeſt enim *Cauſa*.

ASSENTANDI. Adulandi. Et vtrum deeſt *Cauſa*, an Ad ipſam litem ſic dicitur. NE ID ASSENTANDI. Specta ſi non ruſticus adoleſcens eſt, & puriſſimæ ſimplicitatis, adeò vt etiam velle laudare fratrem nimio pudore non poſſit, hoc ſolo quia præſens eſt, quum illum nimium laudarit abſentem

QVAM QVOD HABEAM GRATVM. Varie: non enim intulit, quas gratias agenti. QVOD. Quia. AGE INEPTE. Non eſt iniuria quia & maior frater eſt, & blanda dicturus.

HOC MIHI DOLET. τῷ ἰδιωτισμῷ *Mihi dolet*, pro *Doleo*. & *Dolet* bis ſubaudiendum eſt.

ET PENE IN EVM LOCVM REDISSE. Inſinuatio beneficij ex periculo & difficultate temporis. VT SI OMNES CVPERENT. Non ſi ego tantummodo aliis aduerſantibus.

PVDEBAT. Deeſt *Fateri*.

STVLTITIA EST ISTAEC. Hoc ſcilicet fateri ei, qui ipſe patri numquam quidquam celauerit.

TAM OB PARVOLAM REM. Ergo diminutiuis adiungitur *Tam* particula, & deeſt *Perire*: ſed τῷ εὐφημισμῷ tacetur. TAM OB PARVOLAM REM. Id eſt meretricem. Et bene hîc dicit AEſchinus, quaſi qui maiora expertus ſit, id eſt vitium virginis.

PENE EX PATRIA. Deeſt *Fugere*: quia amatores comici cito comminantur patriam ſe deſerturos, vt amicas ſequantur. PENE EX PATRIA. ἀποσιώπησις εὐφημισμοῦ χάριν. Menander, mori illum voluiſſe fingit: Terentius, fugere.

TVRPE DICTV. Te fugere ſcilicet: & deeſt *eſt*.

VT ISTAEC PROHIBERANT. Id eſt, exilium, fugámque patriæ.

PECCAVI. Approbauit ex periculo magnitudinem beneficij.

QVID AIT TANDEM NOBIS SANNIO. *Nobis*, τῷ ἰδιωτισμῷ additum eſt. non enim *Nobis* intelligendum eſt.

IAM MITIS EST. Quia debacchatus eſt ſuprà leno, *Iam mitis eſt*, dixit.

EGO AD FORVM IBO. Tunc enim, in foro & de menſæ ſcriptura magis, quàm ex arca domóque, vel ciſta pecunia numerabatur.

VT HVNC ABSOLVAM. Id eſt, vt hunc, reddito illi pretio dimittam. Nam velut ligati ſunt, quibus debetur aliquid. Dicuntur etiam *ſerui* illi *ſolui*, qui quum debitores potiorum fuerint, pecuniam reddunt debitam. Eſt ergo *Abſoluam*, à me ſoluam. An ioca-

tur in triſtitia lenonis, qui illum cum barba lenonia, & mœſto vultu ſequitur tanquam reus.

TV INTRO AD ILLAM CTESIPHO. Bona ἴλαψις, ſignificans lætitiam potiundæ meretricis.

SYRE INSTA. Iam Syrus, non vt adiuuet, ſed vt inſtanter adiuuet, rogatur.

EAMVS, NAMQVE HIC PROPERAT. Hoc clamat Syrus, vt beneficium oſtendat: ſanè ita vt rurſus lenonem de profectione abſterreat.

NE TAM QVIDEM. A lenone inconſtanter dicitur, vt perturbatio metuentis, magnum damnum poſſit oſtendere. NE TAM QVIDEM. *Tam*, pro *Tantum*. an *Tam* pro *Tamen*? & deeſt, *Dicas me properare*, aut *propero*: vt ſit etiam aduerbium hortantis, vel conſentientis.

QVAMVIS ETIAM. Pro *In quantum vis*. *Etiam* particula, verum conſentientis aduerbium, an coniunctio, qua ſignificat & properare ſe, & non in tantum vt negligat quod ſibi debetur.

MANEO OTIOSVS HIC. Hoc ſeparatim inferendum eſt, quaſi pertinaciter aſſerentem lenonem inſtaturum ſe exclamationem * facere deuoretur. MANEO OTIOSVS HIC. Dixerat enim *Propero*: & rurſum conſenſerat in Syri verba, *Properaſſe ſe* dicentis.

REDDETVR, NE TIME. Quod deſperauerat leno, Syri oſtendit ſermo.

VT OMNE REDDAT. Propter illud quod Syrus dixerat, *Dimidium face*. Et probatum eſt, completúmque quod ait, *Cupide accipias faxo*. Et hoc ipſum, cum trepida & vultuoſa ſupplicatione pronuntiandum eſt.

TACE MODO AC SEQVERE HAC. Sic ait Syrus, quaſi nunc lenonem doceat, quæ ſit ars non perdendi. Et totum cum ſupercilio præſtantis magnum beneficium dicit.

SEQVOR. Hoc verbo leno ſatis commitigatus oſtenditur.

HEVS HEVS SYRE. Ex argumento eſt oſtendere quantum timeat Cteſipho ſæuum patrem. HEVS HEVS. Vox eſt de longinquo reuocantis.

OBSECRO HERCLE HOMINEM ISTVM INPVRISSIMVM. Satis manſuete, quaſi lenonem aut non poſſit ruſticus, aut non audeat dicere, *Hominem* dixit.

ISTVM INPVRISSIMVM. Auariſſimum. & totum cum execratione lenonis.

NE SI MAGIS IRRITATVS SIET. Velut clamet ſcilicet: & proprie de lenone, quem irritati dicit vt canem. Nam *irritari*, propriè canes dicuntur. Lucilius de litera R, *Irritata canis quod homo quàm planius dictat*. Lenonem autem timet Cteſipho vt ruſticus, vt ſub patre duro, vt amator.

ALIQVA AD PATREM HOC PERMANET. Non dicit quid: ſed nos intelligimus raptum puellæ ſignificari. ALIQVA AD PATREM HOC PERMANET. Proprie ſecretum latens latici comparatur, intra vas clauſum exiſtenti: quod, quum effunditur, manat. Sic & alibi committendis ſecretis loquens, *Plenus*, inquit, *rimarum ſum. hac atque illàc perfluo*.

ATQVE EGO TVNC PERPETVO PERIERIM. Quaſi & nunc ſe periiſſe ſentiat, ſed non perpetuò.

NON FIET, BONO ANIMO ESTO. Vt illi liberalis timor eſt: ita Syro ſeruilis confidentia.

TV CVM ILLA TE INTVS OBLECTA. Moraliter *Illa* dictum eſt. vt, *Daturne illa hodie Pamphilo?* &c. *Illa quidem mea erit*. TV CVM ILLA TE INTVS OBLECTA. Honeſte explicauit turpe dictu.

ET LECTVLOS IVBE STERNI NOBIS. Seruus. nihil tam comicum. Et vide vt totum ſuperbe ac magnifice loquatur Syrus.

CONVERTAM ME DOMVM. *Conuertam*, magnifice dictum. verbum eſt enim magni molim inis & agminis ingentis. Non *Conuertere* ſe, dicitur quem pompa præcedit: vt imperator proprie conuertit exercitum. Et hoc ſpectatur, vt moribus arrogantes ſerui ſint quum lætantur.

ITA QVÆSO, &c. Volunt quidam & hunc verſum, Syri perſonæ adiungendum: ſed Cteſiphonis verba eſſe, ex ſubditis planum eſt, quum dicit, *Hunc diem mi ſi re nimis cupio, vt cœpi, perpetuum in lætitia degere*.

ACTVS TERTII SCENA I.

SOSTRATA CANTHARA.

OBSECRO mea nutrix, quid nunc fiet? C. quid fiet rogas?
Recte aedepol ſpero. SO. modo dolores mea tu occipiunt primulum.
CA. Iam nunc times, quaſi numquam adfueris, numquam tute pepereris?
SO. Miſeram me, neminem habeo: ſolae ſumus: Geta autem hîc non adeſt:
Nec quem ad obſtetricem mittam, nec qui accerſat AEſchinum.
CA. Pol is quidem iam hîc aderit: nam numquam vnum intermittit diem,
Quin ſemper veniat. SO. ſolus mearum miſeriarum eſt remedium.
CA. E re nata melius fieri haut potuit, quàm factum eſt era:
Quando vitium oblatum eſt, quòd ad illum adtinet potiſsimum,
Talem, tali genere atque animo, natum ex tanta familia.
SO. Ita pol eſt, vt dicis: ſaluos nobis, deos quaeſo, vt ſiet.

OBSECRO MEA NVTRIX. Hæc ſcena, Tragœdiæ ordinem ſeruat. Nam Tragœdia in tria diuiditur, Expectationem, Geſta, & Exitum. Hîc ergo expectatio eſt in Getæ nuntio: Geſta, in planctu Soſtratæ: Exitus, * OBSECRO MEA TV NVTRIX. Hinc demonſtratur qui ſit maternus affectus, quàm grata in dominos ſeruorum fides ſit: eundémque laborem & dolorem eſſe ex falſis & veris malis. OBSECRO MEA TV NVTRIX. Perſonæ aut ſuis verbis, aut aliorum inſinuantur. Ex ſuis: vt nunc perſona Soſtratæ. Ex alienis: vt AEſchini perſona ex Micionis oratione ac Demeæ.

OBSECRO MEA TV NVTRIX. *Mea* nunc pro blandimento ponitur.

QVID NVNC FIET. Imploratio eſt magis trepidantis, quàm ignoratio & interrogatio. namque illius nutrix eſt, quippe anicula eſt: ſed non ſapientior nutrix eſt, quàm domina ſua. Ipſum etiam quod dicit, *Nutrix*, honorificum eſt. Vt, *Annam chara mihi nutrix huc ſiſte ſororem* Sunt enim nomina ad aliquid, quibus nos tamen velimus ab omnibus appellari, vt *Magiſter, Medicus, Orator.*

MODO DOLORES MEA TV OCCIPIVNT PRIMVLVM. Euidenter hîc *Modò* temporis præſentis aduerbium eſt. Et rurſus *Mea tu*, blandimentum eſt: ſine quo non progreditur colloquium fœminarum, & maxime trepidantium. PRIMVLVM. Initium, & ipſa origo dolorum, diminutiue demonſtrata eſt. Non enim *Primum*, ſed *Primulum*, dicit.

IAM NVNC TIMES, QVASI NVMQVAM ADFVERIS, NVMQVAM TVTE PEPERERIS. Doctè duo propoſuit, quibus experientes ſcientéſque rerum ſumus, videre & pati. Virgilius ſic,

——— *quaeque ipſe miſerrima vidi:*
Et quorum pars magna fui.

Tute autem pro *tu*: παρέλκον eſt quod * recitatu. & facit *tute*, & *tutemet*, & *tute metipſe*. NVNQVAM TVTE PEPERERIS. Vide προπαρασκευὴν doloris: nihil mali adhuc ſecutum eſt, & iam ſic turbatur Soſtrata

MISERAM ME. Proprium eſt mulierum quum loquuntur, aut aliis blandiri: vt, *Annam.*

chara mihi nutrix huc ſiſte ſororem. Aut ſe commiſerari. vt,

——— *miſera hoc tamen vnum*

Exequere Anna mihi.

Nam hæc omnia muliebria ſunt, quibus pro malis ingentibus quaſi in aceruum rediguntur, & enumerantur nullius momenti querelæ.

NEMINEM HABEO. Quid enim opus eſt? aut cur nunc quæreris? NEMINEM HABEO: SOLAE SVMVS. Maliciociter queritur, & ex perturbatione ſua æſtimans, metu multa facit ea quæ pauca ſunt. SOLAE SVMVS. Numquam pluraliter *Sola*. SOLAE SVMVS. Quum hoc nomen ſingularitatis ſit, mire *Sola* pluraliter dixit.

GETA AVTEM HIC NON ADEST. Hic apparatio eſt, vt oſtendatur abſens qui superuenturus eſt.

NEC QVEM AD OBSTETRICEM MITTAM. Deeſt *Habeo*. Sed in conſuetudine eſt ſic loqui, quum vtrumque nobis, non alterutrum deeſſe conquerimur. NEC QVEM AD OBSTETRICEM MITTAM, NEC QVI ACCERSAT AESCHINVM. *Habeo*, ſubauditur, & magis à trepidante quàm rationabiliter dicitur: nam refellit hoc totum nutrix Canthara.

NVMQVAM VNVM INTERMITTIT DIEM QVIN SEMPER VENIAT. *Numquam*, pro *Non*. Et *Semper* non ad omne tempus retulit: nam qui poteſt? ſed ad omnes dies, ſecundum quod ait, *Nam numquam vnum intermittit diem.*

SOLVS MEARVM MISERIARVM. Bona locutio.

E RE NATA. Sic proprie dicimus de iis quæ contra voluntatem noſtram acciderunt: vt nunc vitium virginis. Ergo *E re nata*, ex vitio virginis. Sic Lucilius, p. i. i. *Hic e re nata Sicetus dedit haud malus eſt.* Et ſic maluit dicere, quàm non e AEſchino culpam, ſed potius caſui attributam vellet. Eſt autem ordo, Nihil potuit melius è re nata fieri, quàm id quod factum eſt hera. vt quandoquidem vitianda erat virgo: ab eo vitiaretur, qui erat expetendus ad matrimonium. Senſus enim hic eſt. Malum vim fieri virgini: ſed ex conditione eius quæ vitiata ſit, nihil potuit melius euenire quàm contigit, vt ab eo vitiaretur cuius nos non pœniteret. Intelligere autem debemus, *Fieri*, & *Factum eſſe*: pro *Euenit*, & *Contigit* dici.

MELIVS FIERI HAVD POTVIT. Si *Fieri* pro *Euenit* acceperis: erit conſequutio locutionis. ſin minus: deerit, quantum intelligo. vt ſit, *E re nata, quantum intelligo.*

QVANDO VITIVM OBLATVM EST. Hoc eſt, è re nata. OBLATVM EST. *Oblatum* dicitur quod offertur inuito.

QVOD AD ILLVM ATTINET POTISSIMVM. Quaſi vitium oblatum ſit potiſſimum, hoc eſt bonum: ſed ex perſona eius qui obtulit vitium, factum eſt bonum, quod per ſeipſum malum eſt. Et hoc eſt quod melius haud fieri potuit, quàm factum eſt. *Illum* autem dicit, AEſchinum ſcilicet. *Potiſſimum* autem ſuperlatiuum eſt ab eo quod eſt *Potis*, & *Potius*. Sic enim facit, *Potis, potius, potiſſimum*. Et *Quòd*, modo exceptionem ſignificat: vt ſit, *Quantum ad illum attinet*, id eſt AEſchinum.

TALEM. Scilicet à corpore, à forma, à pulchritudine.

TALI GENERE. Laus, ante illum talem & tali animo. In illo, & *Genus* iam ad viuos pertinet. *Familia* etiam ad defunctos. Alij, *Genus* ad nobilitatem referunt: *Familiam*, ad copias. Vnde & *paterfamilias* dicitur: vt ſit, *Ex tanta familia*, ex tam diuite domo. Hæc omnis παρέκτασις tragica eſt gaudiorum introductio, ante funeſtiſſimum nuntium.

TALI GENERE. Id eſt, ab his quæ extrinſecus ſunt, id eſt honeſtate generis.

ATQVE ANIMO. Id eſt ſapientia, modeſtia. Hoc modo igitur nihil prætermiſit in laude.

SALVVS NOBIS, DEOS QVAESO, VT SIET. Quàm bonus eſt, quum nihil ad vota præter ſalutem, opus eſt.

ACTVS TERTII SCENA II.

GETA. SOSTRATA. CANTHARA.

NVNC illud eſt, quòd ſi omnia omnes ſua conſilia conferant,
Atque huic malo ſalutem quaerant, auxilii nihil afferant,
Quod mihíque eraeque, filiaeque erili eſt: vae miſero mihi,
Tot res repentè circumuallant, vnde emergi non poteſt:
Vis, egeſtas, iniuſtitia, ſolitudo, infamia.
Hocine ſeculum? ô ſcelera! ô genera ſacrilega! ô hominem inpium!
SO. *Me miſeram, quidnamſt, quòd ſic video timidum, & properantem Getam?*
GE. *Quem neque fides, neque iuſiurandum, neque illum miſericordia*
Repreſſit, neque reflexit: neque quòd partus inſtabat propè:
Cui miſerae indignè per vim vitium obtulerat. SO. *non intellego*
Satis quae loquatur. CA. *propius obſecro accedamus Soſtrata.* GE. *ah,*
Me miſerum, vix ſum compos animi, ita ardeo iracundia.
Nihil eſt quod malim, quàm illam totam familiam dari mihi obuiam,
Vt ego iram hanc in eos euomam omnem, dum aegritudo haec eſt recens.
Satis mihi id habeam ſupplicii, dum illos vlciſcar modo.
Seni animam primùm extinguerem ipſi, qui illud produxit ſcelus:
Tum autem Syrum impulſorem, vah, quibus illum lacerarem modis!
Sublimem medium primum arriperem, & capite in terram ſtatuerem,
Vt cerebro diſpergat viam:
Adoleſcenti ipſi eriperem oculos: poſt haec praecipitem darem:
Caeteros ruerem, agerem, raperem, tunderem, & proſternerem.
Set ceſſo eram hoc malo inpertire propere? SO. *reuocemus. Geta.*
GE. *Hem, quiſquis es, ſine me.* SO. *ego ſum Soſtrata.* GE. *vbi ea ſt? teipſam quaerito,*
Te exſpecto: oppidò opportunè te obtuliſti mihi obuiam
Era. SO. *quid eſt? quid trepidas?* GE. *ei mihi.* SO. *quid feſtinas mi Geta?*
Animum recipe. GE. *Prorſus.* SO. *quid iſtuc prorſus ergo ſt?* GE. *perimus,*
Actumſt. SO. *Eloquere ergo, obſecro te, quid ſit.* GE. *iam.* SO. *quid iam Geta?*
GE. *AEſchinus.* SO. *quid is ergo?* GE. *alienus eſt à noſtra familia.* SO. *hem,*
Perij: quare? GE. *amare occoepit aliam.* SO. *vae miſerae mihi.*
GE. *Neque id occultè fert: ab lenone ipſus eripuit palàm.*

SO. *Satin'*

SO. Satin' hoc certúmſt? GE. certe, hiſce oculis egomet vidi Soſtrata
SO. ah,
Me miſeram: quid credas iam? aut cui credas? noſtrúmne AEſchinum,
Noſtram vitam omnium, in quo noſtrae ſpes, omnéſque opes ſitae
Erant: qui ſine hac iurabat ſe vnum numquam victurum diem,
Qui ſe in ſui gremio poſiturum puerum dicebat patris;
Ita obſecraturum, vt liceret ſibi hanc vxorem ducere.
GE. Era, lacrumas mitte; ac potius quod ad hanc rem opus eſt, porrò conſule
Patiamúrne, an narremus cuipiam? CA. au mi homo, ſanúſne es?
An hoc proferendum tibi videtur vſquam eſſe? GE. mihi quidem non placeat.
Iam primùm illum alieno animo à nobis eſſe, res ipſa indicat.
Nunc ſi hoc palàm próferimus, ille infitias ibit, ſat ſcio.
Tua fama, & gnatae vita in dubium veniet. tum ſi maximè
Fateatur, quum amet aliam: non eſt vtile hanc illi dari.
Quapropter quoquo pacto tacitoſt opus. SO. ah, minime gentium:
Non faciam. GE. quid agis? SO. proferam. GE. hem, mea Soſtrata,
vide quam rem agas.
SO. Peiore res loco non poteſt eſſe, quàm in quo nunc ſita eſt.
Primùm indotata eſt: tum praeterea quae ſecunda ei dos erat,
Periit: pro virgine dari nuptum non poteſt. hoc relliquom eſt,
Si infitias ibi, teſtis mecum eſt annulus, quem amiſerat.
Poſtremò quando ego conſcia mihi ſum, à me culpam eſſe hanc procul:
Neque pretium, neque rem vllam intercesſiſſe illa aut me indignam Geta.
Experiar. GE. Quid iſtic? accedo vt melius dicas. SO. tu quantum potes
Abi, atque Hegioni cognato huius rem omnem narrato ordine.
Nam is noſtro Simulo fuit ſummus, & nos coluit maxumè.
CA. Nam hercle alius nemo reſpicit nos. SO. propera tu mea Canthara,
Curre: obſtetricem arceſſe, vt quum opus ſit, ne in mora nobis ſiet.

NVNC ILLVD EST. Hic locus, ſecundum artem comicam ſeruum currentem exprimit, & nuntiantem mala. Maxima itaque pars ſcenæ, motoria eſt ſignificat autem, nunc tale negotium eſt, nunc tale periculum eſt. aut verò conſignificationem temporis habet, vt ſi diceret, quando aut quo tempore. NVNC ILLVD EST. Vtrum periculum, an tempus? Eſt enim ἔλλειψις.

QVOD SI OMNES OMNIA SVA CONSILIA CONFERANT. ὑπερβολὴ cum παρωνομασίᾳ. *omnes omnia.* Hinc Cicero, *Omnes in hoc iudicio conferant omnia.*

SALVTEM QVAERANT. Non, *Remedium*, vt ægro: ſed vt pereuntis *Salutem.* Et noue dixit *Malo ſalutem*, pro, *contra malum.*

AVXILII NIHIL ADFERANT. Mire de proximo repetitum eſt παρόμοιον; id eſt *Conſo-*

rant & *Afferant*. Hoc conuenit præſertim ſtomacho minus verba curantis. Sic ſuprà, *Omnes omnia.*

QVOD MIHIQVE, HERAEQVE, FILIAEQVE. Mira in ſeruo fides, quum primum ſe ponat in herili malo: & poſt ſe, matrem: in vltimo, puellam. QVOD MIHIQVE, HERAEQVE, FILIAEQVE HERILI EST. πολυσύνδετον ſecundum. vt,

——— Omnia ſecum
Armentarius Afer agit tectúmque, larémque,
Armáque, Amyclæúmque canem, Creſſámque pharetram.

VAE MISERO MIHI. ἔμφαιθος χετλιάζει.

CIRCVMVALLANT. *Circumuallant* ſe circa nos, & ſtipant ſe inuicem. nam *circumuallamus* nos & alios. tamen rara locutio eſt. Et *Circumuallant* dixit, velut inimica acies contra nos: & ideo addidit.

VNDE EMERGI NON POTEST. Quum impreſſio eſt hoſtium, ſic dicitur. vt Salluſtius, *Preſſi vndique multitudine.* Cicero, *Qui ſemper premuntur, & numquam emergunt.* Et *Emergi*, noue. nam *emergo* dicitur non *emergor.* ſed ideo eſt vſus, quia extra cōpoſitionem & *mergo* & *mergor* facit.

VNDE EMERGI NON POTEST. *Vnde*, abſolute. an deeſt *Illud*? an *Vnde*, pro *ex quibus*?

VIS, EGESTAS, INIVSTITIA, SOLITVDO, INFAMIA. Hæ res ſunt quæ circumuallant: Vis illata: Egeſtas ipſius puellæ: Iniuſtitia iudicum illius temporis: Solitudo à defenſoribus: infamia ab iis qui credunt pretio vitiatam. Nam & in ſubditis ſic habes, *Quando ego conſcia mihi ſum, neque pretium, neque rem vllam interceſſiſſe.*

HOCINE SECVLVM. ὢ ἤθη. Queſturus de homine, ſeculum accuſat prius: vt *ô tempora, ô mores.* & è contrario, Secula in omnibus rebus laudantur: vt,

——— quæ te tam læta tulerunt Secula.

O SCELERA! Ô GENERA SACRILEGA! Ô HOMINEM IMPVRVM! Moris eſt nimis dolentibus incuſare alia ex aliis. Virgilius,

——— Quum complexa ſui corpus miſerabile nati,
Atque deos, atque aſtra vocat crudelia mater.

Et: *Quem non incuſaui amens hominúmque deorúmque?*

O HOMINEM IMPVRVM. AEſchinum ſcilicet. & hoc ἠθικῶς. nam ſemper vltimum ponimus eum, cui maxime iraſcimur. vt in Andria, poſt accuſatum ſocerum, & vituperatam ſponſam, *Nam quid ego dicam de patre?* Et in Phormione, *Itáne tandem vxorem duxit Antipho iniuſſu meo?* Et poſt multa, *O facinus audax! O Geta monitor!* Vnde ille, *Vix tandem* inquit.

VIDEO TIMIDVM ET PROPERANTEM GETAM. *Timidum*, perturbatum. non enim timet, ſed dolet. Sic Plautus in Bacchidibus, *Nam vt ex naui vecta es, credo timida es.*

QVEM NEQVE FIDES, NEQVE IVSIVRANDVM. Ordo eſt, Hominem impurum, quem neque fides, neque iuſiurandum. & ſæpe repetitum *neque* exaggerat crimen admiſſum.

QVEM NEQVE FIDES. Quia promiſit. NEQVE IVSIVRANDVM. Quia iurauit.

NEQVE ILLVM MISERICORDIA. Quia vim intulit. NEQVE ILLVM. Secundum παρέλκον; nam abundat *Illum*: vt, *Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille ſiniſtra.* Et eius videlicet miſericordia quam amauit, neque *Repreſſit*, ne auderet: *Neque reflexit*, ne faceret. & ſic hoc dictum eſt, vt à Virgilio,

Num fletu ingemuit noſtro, num lumina flexit,
Num lachrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt? & cætera.

vt ſi non potuit reprimi ne faceret: ſaltem vt in peccando eſſet mitior, debuit commoueri. ſed melius quod ſuprà.

NEQVE QVOD PARTVS INSTABAT PROPE. αὐξητικῶς addidit non tantum mariti, ſed etiam patris ſcelus. CVI MISERAE. Deeſt, *ei*. INDIGNE. Impie, crudeliter. vt Virg.

——— quæ cauſa indigna ſerenos Fœdauit vultus?

NON INTELLIGO SATIS QVAE LOQVATVR. Ad hoc Soſtrata ignorans inducitur, vt malo nuntio repentè feriatur. & quia oportuit ipſam priorem loqui, præſens eſt. Quia autem non eſt perdenda tam ſuauis ἠθοποιία dolentis ad iraſcentem: idcirco non audit, ne ob illam Geta conſeruus loqui deſinat. SATIS QVAE LOQVATVR. Adhuc non au-

diente Geta loquitur. idcirco nec audit eum ſatis, nec videtur ab eo Soſtrata.

VIX SVM COMPOS ANIMI. Aut *Vix*, Tandem: aut *Vix*, Non. vt Lucilius, *Carcer vix carcere dignus*. COMPOS ANIMI. Id eſt, competentis animi, vel ſani animi. cui contrarium eſt, *Impos animi*. Salluſtius, *Neque animo, neque lingua ſatis compotem*. quum de amente Septimio loqueretur. Alij, *Compotem animi*, compoſitum animo intelligunt.

QVAM ILLAM TOTAM FAMILIAM. Hîc nunc tam culpa familiæ, quàm ſcelus AEſchini oſtenditur, propter quem omnes cruciandi ſunt.

IRAM HANC. *Hanc* interdum pro qualitate, interdum pro quantitate accipimus, interdum pro vtroque. vt, *Tuáque animam hanc effundere dextra?* Et, *Hunc ego te Euryale aſpicio?* Sed nunc pro vtroque, *Hanc* dixit. vt Salluſtius de ſcriptione Celtiberi ait, *Hunc igitur redarguit Tarquinius*.

SATIS MIHI ID HABEAM SVPPLICII. Moraliter loquitur: nam ferè quando quiſquam iraſcitur, ſibi videtur fortis, tanquam qui plus audet.

DVM ILLOS VLCISCAR MODO. Verum eſt hanc eſſe vindictam quæ ex recentiſſimis flagitiis properata ſit. Sic Virgilius ——— *te Turne ſuperbum. Cade noua quærens.*

SENI ANIMAM PRIMVM EXTINGVEREM IPSI. Bene *Extinguerem*: quia ignis eſt. Virgil.

Igneus eſt illis vigor, & cæleſtis origo *Seminibus* ———

Et *Primum* addidit, quod ordinem ſignificat. tunc enim adiicitur, quum multa ſubiicienda monſtrantur: vt cui fracta prius crura brachiáque, * & cætera vitia, in AEſchinum totum promouens oſtenditur, etiam per aliena ſupplicia.

SYRVM IMPVLSOREM. Cauſæ pœnæ. VAH, QVIBVS ILLVM LACERAREM MODIS! Hîc voluntas immodica oſtenditur, pœnam pro merito repoſcentis. Et nota, quum Syrum dixerit, addidiſſe nutus de ſupercilio.

SVBLIMEM. Iſta pœna. STATVEREM, VT CEREBRO DISPERGAT VIAM. Et cerebrum & via diſpergi poteſt: ideo videtur ambiguum. vt apud Virgilium,

——— *enſémque cruore*
Spumantem, ſparſáſque manus. ——— Aliter enim dicitur,
Spargite humum folijs. ——— Aliter,
Sparſerat & latices ſimulatos fontis auerni.

ADOLESCENTI IPSI ERIPEREM OCVLOS. Bene *Oculos*, amoris indices, adiutoréſque flagitij.

POST HAEC PRAECIPITEM DAREM. Grauior pœna cæcitatis, non prouidere quò cadas.

CAETEROS RVEREM. *Ruere*, actiuam vim habet. Salluſtius in ſecundo, *Ictu eorum qui in flumine ruebant, necabantur.*. *Ruere* enim, eſt toto corpore vti ad impellendum: quod faciunt qui ipſi præcipites alios proſternunt. Vnde proprie *ſues ruere* dicuntur. Virgilius,

Ipſe ruit, dentéſque Sabellicus exacuit ſus. Et Horatius.
Hanc rabioſa fugit canis, ac lutulenta ruit ſus,

AGEREM. Proſequerer, premerem. Virgilius, *Illa fretus agit ventos.* Id eſt, nimia celeritate perſequitur, & penè occupat, præuenítque.

TVNDEREM, ET PROSTERNEREM. Vide quàm fortis ſibi videatur qui dolet & iraſcitur.

EGO SVM SOSTRATA. Hæc ideo inducitur, vt veriſimile ſit ſupra non viſam Soſtratam: quando etiam vix nunc agnoſcitur ab irato.

TE IPSAM QVAERITO, TE EXPECTO: OPPIDO OPPORTVNE. Incerta diſtinctio, vtrum Te expecto oppidò opportunè, ſit dicendum: An *Expectare*, ſit impatienter cupere, & ſine præſcriptione temporis ſperare, iuxta certum tempus. Vnde apparet ad *Te expecto*, quia per ſe nimium eſt, non eſſe iungendum *Oppido*.

QVID FESTINAS MI GETA. Probus aſſignat hoc Soſtratæ. Aſper non vult ad omnia ſeruum reſpondere: ſed nutricem putat hoc loqui. QVID FESTINAS. Perturbatis. Et commotus dicit *Prorſus*, actu commoto, feſſo & anhelanti, ob perturbationem & contentum curſum.

ANIMVM RECIPE. Quod in lectione geſtu oſtendi minimè potuit, id ex verbis Soſtratæ oſtenditur in Geta. Nam ideo dicitur, *Animum recipe*: quia ille præ anhelitu crebriora verba continuare non poſſit.

PERIMVS. ACTVM EST. Iam bina verba iunguntur. PERIMVS, ACTVM EST. Verba ſunt deſperationis. Nam *Actum eſt*, dicitur in ea re de qua iam lata ſit ſententia.

ELOQVERE OBSECRO QVID SIT. Bene *Eloquere*. nam conatur tantum quod nec explicatur, nec intelligitur. cui vitio contraria virtus eſt eloquentia. Iam plus hic geſtu, quàm dictu agitur: quia vt ſuprà diximus, & laſſus eſt qui nuntiat: & integratur dolor nuntij, quum apud illam loquitur, ad quam maxime calamitas pertinet: quo dolore, vox plerumque ſubtrahitur atque ſingultit: & ſimul dat ſignum perditarum rerum.

ALIENVS EST A NOSTRA FAMILIA. Bene *alienus*. Geta enim ipſi iam dominus Soſtratæ gener, Pamphilæ maritus vocabatur.

AMARE OCCOEPIT ALIAM. Peius eſt *Amare occœpit*, quàm *Amat*. Nam in eo quod dixit, *Occœpit*, augmenta mali metuenda ſignificat: vt in principiis quæ actum reſpiciunt, non ſtatim imminutionem inſpectant. Et *Occœpit*, magnum facinus dixit.

VAE MISERAE MIHI. Mire interponitur mulieris affectus nouo nuntio.

A LENONE IPSVS ERIPVIT PALAM. Sic nuntiat, vt vltima peiora ſint. Et his argumentis vult probare, quòd immodicè amet AEſchinus. Et penè plus quam amauit virginem, pudori qui non conſuluit. Quis autem magis potuit impudens eſſe, quàm qui poſt honeſtum amorem, ab lenone amet? Hoc etenim ſignificat meretricem. Ergo non honeſtum, ſed ab lenone: non per alium, ſed ipſus: nec emit, aut abduxit, ſed ob impatientiam valde amantis eripuit. neque id occultè, vt qui celaret factum, tanquam ſatisfacturus vxori videretur: ſed palàm.

AB LENONE IPSVS ERIPVIT. Sic nuntiat vt vltima priora ſint.

SATIN HOC CERTO. Magnis malis non ſtatim creditur. Hoc ergo ex dolore dixit quod ſtupet audiens: non quia non habet fidem.

HISCE OCVLIS. ἰδιωτισμὸς aſſeuerantis.

AH. Interiectio eſt flentis. ME MISERAM. Mira affectio. nam lachrymæ non ſinunt finire ſenſum.

QVID CREDAS? IAM AVT CVI CREDAS. Fides, aut perſonæ qualitate ſeruatur, ſi grauis perſona eſt cui creditur: aut ipſius rei qualitate, ſi ea res creditur, in qua fallere cui creditur, aut non poteſt, aut non debet. Hic ergo mire in vtroque iam fidem dixit nullam eſſe, & in perſona, & in re. quod Virgilius tranſtulit, breuiúſque dixit, ———

Nuſquam tuta fides Hoc eſt, nec in re, nec in perſona. Et hic ipſe in Heautont.

Prò Iuppiter, vbinam eſt fides.

NOSTRVMNE AESCHINVM, NOSTRAM VITAM OMNIVM. ἐλλειπτικῶς omnia: quia fletus impedit verba. deeſt autem, *Hoc feciſſe*, vel quid tale.

SITAE ERANT. *Sitæ*, poſitæ. nam *ſitum eſt* quidquid in loco ſuo poſitum non euertitur.

POSITVRVM PVERVM. *Puerum* dixit, ſi puer naſceretur: non quia diuinabat. Ad votum ergo cupientis retulit *Puerum*: non quia neceſſe eſſet marem naſci. Et hæc omnia, magno ſtupore dicuntur ad exaggerandam perfidiam illius cui creditur, & dolorem eorum qui crediderunt.

ERA, LACHRVMAS MITTE: AC POTIVS QVOD AD HANC REM OPVS EST. Hinc Virgilius, *Non lachrymis hoc tempus, ait Saturnia Iuno.*

Sentit autem non lachrymis agendum, vbi conſilio opus eſt.

PORRÒ CONSVLE. *Porro*, in reliquum, deinde, vel in futurum. *Porro* enim, ordinis & temporis aduerbium eſt, non coniunctio.

AV MI HOMO, SANVSNE ES. Hoc ex perſona nutricis legendum eſt. illa enim diſſimulandam rem putat. *Mi*, pro *meus*.

TVA FAMA, ET GNATAE VITA. Tibi enim crimini erit vitiatam eſſe filiam: illi etiam oberit. Et verum *Vitam*, ſalutem dicit. IN DVBIVM. In periculum.

FATEATVR. Vitiaſſe filiam. Et complexio eſt δίπλευρος oratoria, in qua verum ſenſeris, contrarium tollis: cogitúrque quod ex altera parte fit, hoc eſt tacere.

QVAPROPTER QVOQVO PACTO. Congrue & pro perſona, & pro muliere hoc dictum eſt: eámque in malis inconſtantem eſſe demonſtrat.

NON FACIAM. *Non faciam*, dixit, pro *Non tacebo*: quaſi *Tacere*, aliquam actionem

habeat. ſed moralis ſignificatio eſt, & communis omnibus : ſicut *aduocatum* dicimus *male feciſſe*, quum tacuerit.

PEIORE RES LOCO NON POTEST ESSE. Satis argute inter Getam & Soſtratam ſententias ex perturbatione facit mutare.

QVAM IN QVO NVNC SITA EST. Cauſa nihil timendi.

PRIMVM INDOTATA EST. Ratio ſubiecta eſt cauſæ : & *indotatam*, pauperem modò dicit.

TVM PRAETEREA QVAE SECVNDA EI DOS ERAT. Videlicet, dari pro virgine nuptum. Et incerta diſtinctio eſt. etenim erat bis ſubaudiendum, *Pro virgine dari nuptum*.

NON POTEST. Iungendum, *Dari nuptum*. Et *pro virgine* : id eſt virgo : vt, *Nunc planè eſt pro noua*, id eſt noua. Aut nec virgo, nec pro virgine nubere poteſt. non virgo : quia vitiata eſt. nec pro virgine : quia res diffamata eſt.

SI INFITIAS IBIT. Si negabit. TESTIS MECVM EST ANNVLVS. Locutio hæc ſic capienda eſt : hoc eſt, annulus pro me teſtis. Vel ſic, Annulus & ego teſtes ſumus. Sed melius quod ſuprà.

POSTREMO QVANDO EGO CONSCIA MIHI SVM. *Quando*, pro quoniam : vel *Quando*, pro quidem.

NEQVE REM VLLAM. Hoc eſt internuntium, pactum clàm, aut promiſſum. Et bene totum execratiue dixit : vt alij facinora abhorreant. ILLA. Filia ſcilicet.

EXPERIAR. Apud iudices agam. QVID ISTVC. Verbum eſt ægrè conſentientis: quaſi qui dicat, *Quid hic reſiſtam*. ACCEDO VT MELIVS DICAS. Id eſt, vt conſentiam, velut qui melius poſſim dicere.

QVANTVM POTES ABI. Deeſt *Cito* : vt ſit, Quantum potes, cito abi.

ATQVE HEGIONI. Apud Menandrum, Soſtratæ frater inducitur.

HVIVS. Filiæ ſuæ ſcilicet.

SIMVLO. Nomen patris puellæ : diminutiuum à Simo, vel Simone. Et nota nomen in Palliata fabula Latine diminutiuum. SIMVLO FVIT SVMMVS. *Summus*, an ad cognatum, an ad amicum refertur? an abſolute ponitur vt in Eunucho, *Plurima ſalute ſummum ſuum impertit Gnato*.

ET NOS COLVIT MAXIME. Et miſerabilius *Coluit* dictum eſt, quàm ſi diceret, *Colit*. Virgilius, *Per caput hoc iuro, per quod pater antè ſolebat*. *Colere* enim, & maioribus & minoribus conuenit. Vt, *Poſthabita coluiſſe Samo*.

NOS. Monoſyllabo finit, vultuoſam exprimens pronuntiationem.

TV MEA CANTHARA. Triſtis ac ſeriæ fœminæ blandimentum eſt *Mea* potius, quàm pronomen poſſeſſiuum. Deeſt enim *Chara*, vel quid tale : quo addito, pronomen ſtaret *Mea*.

CVRRE. Mire dictum eſt ancillæ, *Curre*. VT QVVM OPVS SIT. Id eſt, quum adeſſe cœperit partus. NE IN MORA NOBIS SIET. Locutio qualis ſuprà.

ACTVS TERTII SCENA III.

DEMEA. SYRVS.

DISPERII : Cteſiphonem audiui filium
Vnà adfuiſſe in raptione cum AEſchino.
Id miſero reſtat mihi mali, ſi illum poteſt,
Qui alicui rei eſt, etiam ad nequitiam abducere.
Vbi ego illum quaeram? credo abductum in ganeum
Aliquò : perſuaſit ille inpurus, ſat ſcio.
Set eccum Syrum ire video : hinc ſcibo iam, vbi ſiet :

Atque hercle hic de grege illo eſt. ſi me ſenſerit
Eum quaeritare, numquam dicet carnufex:
Non oſtendam me id velle. ST. omnem rem modò ſeni,
Quo pacto ſe haberet, enarramus ordine:
Nihil vidi quidquam laetius. D. prò Iuppiter
Hominis ſtultitiam. ST. conlaudauit filium:
Mihi, qui id dediſſem conſilium, egit gratias.
D. Diſrumpor. ST. argentum adnumerauit ilico:
Dedit praeterea in ſumptum dimidium minae:
Id diſtributum ſanè eſt ex ſententia. D. hem,
Huic mandes, ſi quid rectè curatum velis.
ST. Ehem Demea, haut aſpexeram te: quid agitur?
D. Quid agatur! voſtram nequeo mirari ſatis
Rationem. ST. eſt hercle inepta, ne dicam dolo,
Atque abſurda. piſcis ceteros purga Dromo:
Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere
Pauliſper: vbi ego venero, exoſſabitur.
Prius nolo. D. haecine flagitia? ST. mihi quidem non placent.
Et clamo ſaepe, Salſamenta haec Stephanio
Fac macerentur pulchrè. D. di voſtram fidem,
Vtrum ſtudióne id ſibi habet, an laudi putat
Fore, ſi perdiderit gnatum? vae miſero mihi,
Videre videor iam diem illum, quum hinc egens
Profugiet aliquò militatum. ST. ô Demea
ISTVC eſt ſapere, non quod ante pedes modò'ſt
Videre: ſet etiam illa, quae futura ſunt,
Proſpicere. D. quid? iſtaec iam penes vos pſaltria eſt?
ST. Ellam intus. D. eho, an domi eſt habiturus? ST. credo, vt eſt
Dementia. D. haecine fieri. ST. inepta lenitas
Patris, & facilitas praua. D. fratris me quidem
Pudet pigétque. ST. nimium inter vos Demea, ac
Non quia ades praeſens dico hoc, pernimium intereſt:
Tu, quantus quantus, nihil niſi ſapientia es:
Ille, ſomnium: ſineres verò illum tuum
Facere haec? D. ſinerem illum! aut non ſex totis menſibus
Prius olfeciſſem, quàm ille quidquam coeperit?
ST. Vigilantiam tuam tu mihi narras? D. ſic ſiet
Modo, vt nunc eſt, quaeſo. ST. vt quiſque ſuum volt eſſe, itaſt.

D. Quid eum, vidiſtíne hodie? S. tuúmne filium?
Abigam hunc rus. iam dudum aliquid ruri agere arbitror.
D. Satin ſcis ibi eſſe? S. oh, qui egomet produxi. D. optuméſt.
Metui ne haereret hîc. S. atque iratum admodum.
D. Quid autem? S. adortus iurgio fratrem aput forum
De pſaltria iſtac. D. ain' veró? S. vah, nihil reticuit:
Nam vt numerabatur fortè argentum, interuenit
Homo de inprouiſo: cepit clamare, ô AEſchine
Haecine flagitia facere te? haec te admittere
Indigna genere noſtro? D. oh, lacrumo gaudio.
S. Non tu hoc argentum perdis, ſet vitam tuam.
D. Saluos ſit: ſpero, eſt ſimilis maiorum ſuûm. S. hui.
D. Syre praeceptorum plenus iſtorum ille. S. Phy.
Domi habuit unde diſceret. D. fit ſedulo.
Nihil praetermitto, conſuefacio: denique
INSPICERE, TANQVAM IN SPECVLVM, *in vitas omnium*
Iubeo, atque ex aliis ſumere exemplum ſibi:
Hoc facito. S. rectè ſanè. D. hoc fugito. S. callidè.
D. Hoc laudi eſt. S. iſtaec res eſt. D. hoc vitio datur.
S. Probiſſimè. D. porrò autem. S. non hercle otiumſt
Nunc mihi auſcultandi: piſcis ex ſententia
Nactus ſum: hi mihi ne corrumpantur, cautioſt.
Nam id nobis tam flagitiumſt, quàm illa Demea
Non facere vobis, quae modò dixti: & quòd queo,
Conſeruis ad eundem iſtunc praecipio modum:
Hoc ſalſumſt, hoc aduſtumſt, hoc lautumſt parum,
Illud rectè: iterum ſic memento: ſedulò
Moneo, quae poſſum pro mea ſapientia.
Poſtremò tanquam in ſpeculum, in patinas Demea
Inſpicere iubeo: & moneo quid facto vſus ſit.
Inepta haec eſſe: nos quae facimus, ſentio:
Verùm quid facias? vt homoſt, ita morem geras:
Numquid vis? D. mentem vobis meliorem dari.
S. Tu rus hinc ibis? D. rectè. S. nam quid tu hîc agas,
Vbi, ſi quid bene praecipias, nemo obtemperat?
D. Ego verò hinc abeo, quando is, quamobrem huc veneram,
Rus abiit: illum curo vnum: ille ad me adtinet:
Quando ita volt frater, de iſtoc ipſe viderit.

Set quis illic eſt, procul quem video? eſtne Hegio
Tribulis noſter? ſi ſatis cerno, is herclest. vah,
Homo amicus nobis iam inde à puero: di boni,
Ne illiuſmodi iam nobis magna ciuium
Penuriaſt, homo antiqua virtute ac fide:
Haut cito mali quid ortum ex hoc ſit publicè.
Quàm gaudeo, vbi etiam huius generis reliquias
Reſtare video: vah; viuere etiam nunc libet.
Opperiar hominem hîc, vt ſalutem & conloquar.

DISPERII: CTESIPHONEM AVDIVI FILIVM. Hîc oſtenditur quòd ſeueri homines, ac recti & honeſti tenaces, vel ridiculi ſunt, vel odio habentur quoquò acceſſerint. Magno autem affectu, & quaſi exclamantis addidit *Filium*: quaſi cauſam redderet cur dixerat, *Diſperij*.

VNA ADFVISSE IN RAPTIONE CVM AESCHINO. διχοτομία in qua oſtenditur quantum commouebitur Demea ipſa re comperta, quum ex parua rei ſuſpicione tantum ſe afficiat. *Raptio* autem, ad perſonam refertur: *Rapina* ad rem: *Raptus* ad ſtuprum, ſi volumus propriè loqui.

ID MISERO RESTAT. Bene *Reſtat*: tanquam iam ſummum malum ſit AEſchinum eſſe corruptum. Et, *Miſero mihi*: quaſi qui nihil neſciat, nihil curante Micione.

SI ILLVM POTEST. Non dubitat velle: & ideo dicit *Poteſt*.

QVI ALICVI REI EST. Rectè. de hoc enim ſuprà dixit, *Non fratrem rei dare operam videt? ruri eſſe, parcum ac ſobrium.*

ETIAM AD NEQVITIAM ABDVCERE. Quaſi inuitum dixit, non *Vocare*, ſed *Abducere*. *Ducimus* enim volentes: ſed *abducimus* inuitos. *Nequitia* autem propriè libidinoſa inertia dicta eſt: quod nihil queat, nulliſque rei apta ſit. Vnde & *nugæ* quòd nihil agant, vel à non agendo.

CREDO ABDVCTVM. Non iiſſe, ſed abductum eſſe: quaſi adhuc culpa non ſit illius.

IN GANEVM ALIQVO. Veteres *ganeum*, meritoriam tabernam dixerunt, ἀπὸ τῆς γῆς, τοῦτ᾽ ἐστι τῆς γῆς. quòd ipſa ſit in terra, non vt cœnacula ſuperius. Vnde & *taberna*, quaſi *trabena*, à validioribus dicta trabibus, quibus ſuperiora ſuſpenſa ſunt.

PERSVASIT ILLE IMPVRVS. *Suademus* facilia: *Perſuademus* difficilia. Et *ſuadere* facientis eſt: *Perſuadere* perficientis. *Impurus* autem pro improbo ponitur apud Terentium. Et hîc quoque excuſata voluntas eſt Cteſiphonis, cui à maiore fratre & improbo ingeſta ſit perſuaſione nequitia.

SED ECCVM SYRVM IRE VIDEO. *Ire*, & *abire* & *venire* ſignificat. IRE VIDEO. *Ire*, pro venire: vt, *Nec verò AEacidem me ſum lætatus euntem Accepiſſe lacu.*

ATQVE HERCLE HIC DE GREGE ILLO EST. Figura ἐπανάληψις, *de grege illo eſt*. *Ordo* vel bonorum, vel malorum dicitur & grauium, vt *Equeſter ordo*, *ſenatorius ordo*. *Grex* vel bonorum vel malorum eſt, & leuium. vt Cicero, *In his bonis gregibus omnes aleatores, omnes impuri impudicíque verſantur.* QVAERITARE. Inſtanter quærere.

CARNVFEX. Pro ganeo poſitum eſt.

NON OSTENDAM ME ID VELLE. Scilicet ſcire vbi ſit.

QVO PACTO SE HABERET, ENARRAMVS ORDINE. Hoc rectè: quia dixerat Micioni, *Si quidquid eſt, volo ſcire, atque hominem conuenire, ſi apud forum eſt*. Et *Enarramus*, pro enarrauimus. vt, *Omnis humo fumat Neptunia Troia.* Et *Ordine* bene: quia ſimpliciter fatetur. Fallax autem & captioſa narratio eſt, quod timemus fateri.

NIHIL QVICQVAM VIDI LAETIVS. Quartum παρέλκον.

HOMINIS STVLTITIAM. Scilicet quia lætatur, ignorans vbi AEſchinus ſit.

COLLAVDAVIT

CONLAVDAVIT FILIVM. Plus additum eſt. non enim ſolum non *Accuſauit*, ſed & *Collaudauit*.

DISRVMPOR. Mire: his enim verbis commouetur, *Collaudauit* & *Egit gratias*. Et vide αὔξησιν ſtomachi reſeruatam.

ARGENTVM ADNVMERAVIT ILLICO. Contra illud eſt, *Cur tu his rebus ſumptum ſuggeris*? Et non ſolum inquit, *Adnumerauit*: ſed quod peius eſt, *Ilico*.

ID DISTRIBVTVM. *Diſtributum*, in diuerſa tributum: id eſt diſpartitum per pulmentaria.

HVIC MANDES, SIQVID RECTE CVRATVM VELIS. εἰρωνεία eſt maioris ſtomachi: quia ille dixit, Ex ſententia diſtributum: id eſt, vt indicat Demea, dilapidatum. Sic alibi *Columen familiæ noſtræ, bone cuſtos ſalue*.

EHEM DEMEA. *Ehem*, interiectio eſt commoti, & quaſi perculſi re ſubita & noua.

QVID AGITVR. Blandientis eſt, non interrogantis. vt alibi, *O noſter quid fit? quid agitur*.

NEQVEO MIRARI SATIS RATIONEM. Mira ſunt etiam illa quæ vehementer praua ſunt. Et ideo *Mirari*, pro horrere & reprehendere poſitum eſt. Et *Rationem* ἰδιωτικῶς dixit malam: quum non ſit ratio niſi bona. ſed ſic loquitur populus.

EST HERCLE INEPTA. Hoc ad ſenem. NE DICAM DOLO. Ne mentiar, id eſt, ex contrario dicere videar: ſed vt ſedulo dicam. ATQVE ABSVRDA. *Ineptum*, eſt ſtultum tantum: *Abſurdum*, quod & ſtultum eſt, & in ipſa ſtultitia diuerſum, & quaſi repugnans ſibi. Sic ergo locutus eſt, vt videatur ineptam rationem ad Aeſchinum referre: abſurdum, ad Micionem, quem iam fieri ſtultum, contrarium ſenecturi eſt.

CONGRVM ISTVM MAXIMVM. διασολὴ quia erant alij, non maximi. vt è contrario, *Argitiſque minor*. quia eſt & maior. Nam *Iſtum* quod ait, δεικτικόν eſt. videtur enim oſtendere digito quem dicat.

IN AQVA SINITO LVDERE PAVLISPER: Sic oſtenditur bene obſonaſſe, qui viuos adtulit piſces. nam non ludit piſcis, niſi viuus.

PRIVS NOLO. Superbè, & pro authoritate: non dixit *Non oportet*, ſed *Nolo*. ſubauditur, purgari eum. Et nihil ex mora corruptelæ acceſſurum piſci ex eo oſtendit, quòd ait *Ludere*, hoc eſt viuere, & non læſum viuere. non enim dixit, *Natare*: quod etiam poſſunt languidi piſces. Ipſe inſuper planum fecit quid ſit *Purga*, dicendo *Exoſſabitur*. *Purga* igitur, exoſſa ſignificat: non, vt quidam putant, *exoſſabitur*, comedetur.

MIHI QVIDEM NON PLACENT. Plus hoc ad ſenem: & vide quàm totum ſuperbè, & confidenter dixerit ob amicitiam omnium dominorum, excepto vno Demea, quem tantum præ illis contemnit.

SALSAMENTA. Hoc ad diſcipulum. *Salſamenta*, aut ſalſi piſces ſunt, aut laridum.

SALSAMENTA HAEC STEPHANIO. In tota comœdia opera danda eſt, vt ſtomachetur Demea: excepto quòd ſe ipſe in fine commutat. Hæc ergo cauſa eſt, quare Syrus quoque illi obiicitur, magnificè inferens ſe vt luxurioſum, licentémque ſeruum: præſertim qui adoleſcentum pædagogus fuerit.

VTRVM STVDIONE. Aut ordo eſt, *Vtrúmne*. aut eſt παρέλκον tertium. aut verò per ἔλλειψιν accipitur: quaſi dicat, vtrum eſt? aut, vtrum verum eſt? quod qui accipit, *vtrum* ſubdiſtinguat, & ſeparet à ſequentibus neceſſe eſt. VTRVM STVDIONE. Aut *Vtrum* ſuperuacuum eſt, aut *Ne*: aut certè τμῆσις figura eſt, pro, Vtrúmne ſtudióne id ſibi habet, ſi ſciens lædit filium?

LAVDI PVTAT. Quia decipit. SI PERDIDERIT GNATVM. Et magno affectu non dixit Aeſchinum: & mire, non addidit cuius gnatum.

VAE MISERO MIHI. Hoc eſt, quod ſuprà dixit, *Aegre eſt alienus non ſum*.

VIDERE VIDEOR IAM ILLVM DIEM. *Illum* dixit, quaſi quendam triſtem ac funeſtum.

QVOD ANTE PEDES MODO EST VIDERE. Hoc ſumpſit poeta de illo in phyſicum peruulgato ancillæ dicto, *Quod ante pedes eſt, non vides: cœli ſcrutatur plagas*. SED ETIAM ILLA QVAE FVTVRA SVNT. Magis ridicula eſt aſſentatio, ſiquis maximè laudetur, quibus maximè caret.

ISTAEC IAM PENES VOS PSALTRIA EST. Dicendo *Iſtæc*, oſtendit iamdudùm ſe hac indignari.

ELLAM INTVS. Vt, *Ellum confident, catus.*

AN DOMI EST HABITVRVS. Propriè: quia *haberi vxor* dicitur, & *haberi mulier* quũ coit.

CREDO, VT EST DEMENTIA. Sic & in Eunucho, *Eam ſe intendit eſſe, vt eſt dementia.* Et nominatiuus caſus eſſe poteſt, & ſeptimus. Si ſeptimus, *Perditus*, aut quid alio ſubaudimus. Sed melius nominatiuum accipimus caſum.

INEPTA LENITAS PATRIS, ET FACILITAS PRAVA. *Lenitas*, ad permittendum: *Facilitas*, ad ignoſcendum. ſic quidam. Sed ego lenitatem ad Micionem refero, qui hæc leniter patitur: *Facilitatem*, ad AEſchinum, cui hæc per licentiam facilitas datur. *Prauum* autem eſt. quod & ipſum lædit facientem: *Malum*, quod alios tantum.

FRATRIS ME QVIDEM PVDET, PIGETQVE. *Pudet*, in his quæ turpiter facit: *Piget*, in his quæ cum damno ac malo. *Pudere*, etiam ad decus: *Pigere*, ad dolorem refertur. *Pudet*, quod turpe eſt: *Piget*, quod dolet.

NIMIVM INTER VOS DEMEA. Μεταδιόρθωσις. nunc enim redditum eſt, quod ſuprà dicebatur. & prætetea repetendo *Nimium* confirmauit ſuperius dictum, & τὸ CIEMANIE* non ſoluit.

TV QVANTVS QVANTVS. Id eſt, quantuſcunque. NIHIL NISI SAPIENTIA ES. Ridiculè prius additum *Nihil*, quàm quicquam, laudis nomine. Deinde ſi *Sapiens* dixiſſet, non tanta eſſet irriſio. ſed hyperbolicῶs accipitur, id eſt ſtultus.

NIHIL NISI SAPIENTIA ES: ILLE SOMNIVM. Nec tu ſapiens, ſed ſapientia: nec ille ſomniculoſus, ſed ſomnium. ὑπερβολή.

SINERES VERO ILLVM TVVM. Ab argumento fabulæ repetit *Sinerem*: & ἐρωτηματικῶς interrogat.

TOTIS SEX MENSIBVS. *Totis*, quaſi longi ſint: id eſt integris, vt ne vnum quidem diem minus à ſex menſibus ſciat quid cœptutus ſit filius. Nimis comica & motalis aſſeueratio.

NON OLFECISSEM. Totum ridicule. Nam quid olfeciſſet, qui nondum quicquam ſcire cœpiſſet, cuiúſque naribus nihil obiectum fuiſſet? Nam ideo *nares* à *nuritate* dictæ ſunt, quòd nos odoratu doceant præſto & propè eſſe, quod adhuc oculi nõ vident.

QVAM ILLE QVICQVAM COEPERIT. Multum dixit, & *Ante ſex menſes*, & *Olfeciſſem*, & *Prius quàm cœperit.*

VIGILANTIAM TVAM TV MIHI NARRAS. Id eſt, quam maximè ſcio.

SIC SIET MODO, VT NVNC EST. Non dicit *Qui*, ſed reſpice ad argumentum, & videbis hæc optantem Demeam.

VT QVISQVE SVVM VOLT ESSE, ITA EST. Hæ ſunt ſententiæ & ſemper probabiles, & pro perſonis ridiculæ. Plautus in Milite glorioſo, *Nimia eſt miſeria, nimis pulchrum eſſe hominem.*

QVID EVM, VENISTINE HODIE. *Quid eum*, initium interrogationis futuræ de perſona alicuius. Sic in Heautontim. *Sed Syrum quid eum.*

TVVMNE FILIVM. Hoc clare. TVVMNE FILIVM. Moris eſt vt qui cogitat quid reſpondeat, interrogatione remoretur.

ABIGAM HVNC RVS. Vt pecudem, dixit *Abigam*. non vt hominem, *Mittam*. ABIGAM. Hoc lenius. & *Abigam* quaſi pecudem dixit: vnde & *Abactores* dicti ſunt. Cicero in Verrinis, *Equarum greges iſtum abigendos curaſſe.*

IAMDVDVM ALIQVID RVRI AGERE ARBITROR. Hoc clare. ALIQVID RVRI AGERE ARBITROR. Hoc plus eſt, quàm illic eſſe. vult enim cum laude eius loqui. vt ſuprà. *Rei dare operam, ruri eſſe, parcum ac ſobrium?* Et *Agere*, propriè dixit. nam ab agendo, ager dictus eſt. quòd in eo multa agenda ſunt.

QVI EGOMET PRODVXI. Mutata præpoſitione. non *Deduxi*, ſed *Produxi* dixit: id eſt porrò duxi.

METVI NE HAERET. Hæc tranſitio vt ſubleuat Cteſiphonem, ita AEſchino inuidioſa eſt nam hæret auis, non animo, nec voluntate: ſed viſco decipientis aucupis.

QVID AVTEM. *Quid* pro quare, vel ob quam cauſam. Virgilius,
Quæ fortuna viros, claſſem quo littore linquant,
Quid veniant. Cui contrarium in ſignificatione id quod te oro.

NIHIL RETICVIT. Mirum enim, minorem fratrem non pepercisse maiori: nec reticuiſſe quidquid erat opus.

AD ORTVS IVRGIO EST. *Aggredimur,* de longinquo: *Adorimur,* ex inſidiis & ex proximo. nam *adoriri,* eſt quaſi aliquem oriri, id eſt exurgere.

DE PSALTRIA ISTAC. Hic mire ſenem imitatus eſt: & memoriter, quia ille dixerat *Quid iſtæc tam penes vos pſaltria eſt?*

INTERVENIT HOMO DE IMPROVISO. *Interuenire,* eſt in medio negotio, quaſi ex inſidiis ſuperuenire, & opprimere in ipſo actu eos, qui rem cælatam vellent. Et vide quàm oratoriè narret geſtionem rei, quæ nunquam facta ſit: his enim fides fit.

COEPIT CLAMARE. ἠθικῶς totum, & *Cœpit,* & *Clamare*: & quod ſequitur.

AESCHINE HAECINE FLAGITIA FACERE TE. Et accuſatio à perſona: & vide pondus in nomine AEſchini.

HAEC TE ADMITTERE. αὔξησις nam plus eſt *Admittere,* quàm *Facere.* HAEC TE ADMITTERE INDIGNA. Pronum eſt hæc ſtatim credere Demeam, de eo quem ſuperius laudauerit, ——— *non fratrem videt Rei dare operam, ruri eſſe, parcum ac ſobrium?* Vnde mira poetæ arte & initia, & media, & poſtrema ſibi congruunt atque reſpondent.

LACHRVMO GAVDIO. Immoderata lætitia, maxime parentum, lachrymas habet. Rectè ergo additum eſt, *Gaudio*: quia lachrymæ ſolum mœrorem ſignificant.

NON TV HOC ARGENTVM PERDIS, SED VITAM TVAM. Hæc figura oratoria ἀντίθεσις dicitur. qua oſtenditur non eſſe mediocre quod factum eſt.

HVI. Quaſi admiretur ipſe quæ narrat.

SYRE PRAECEPTORVM PLENVS ISTORVM ILLE. Vide Demeam non deſinere culpam AEſchini in Micionem conferre: quum è contrario præceptorum ſuorum vult eſſe quòd ſapit Cteſipho. ISTORVM. Quæ dicis ſcilicet. *Non tu hoc argentum perdis, ſed vitam tuam.*

PHY. Interiectio mirantis eſt.

DOMI HABVIT VNDE DISCERET. *Vnde,* id eſt de quo.

FIT SEDVLO. ἠθικῶς dictum eſt *Fit.* Et *ſedulo,* ſine dolo, id eſt inſtanter: quia negligentes doloſi dicuntur.

INSPICERE, TANQVAM IN SPECVLVM, IN VITAS OMNIVM IVBEO. Videodum, an rectè ſpeculum induxerit, quum alienas vitas dicit inſpiciendas eſſe. niſi fortè hoc ad cauſam admouendi ſpeculi, non ad effectum referamus. nam cauſa inſpiciendi ſpeculi, emendatio eſt vultus: effectus, formæ per imaginem reſultatio.

CALLIDE. *Callidus* dictus eſt etiam qui exercet dolos. *Callidus* dicitur, qui callum ſibi vſu artis induxerit.

HOC LAVDI EST. HOC VITIO DATVR. Non philoſophicè, ſed ciuiliter monet. non enim dixit, *hoc bonum*: ſed, *hoc laudi eſt.* Nec *hoc malum*: ſed, *vitio datur.* Ergo vt idiota & comicus pater, non vt ſapiens & præceptor.

ISTAEC RES EST. Non quam rem gerit Micio: non vt ille agit. Et ſignificat, *Hoc verum eſt, hoc vtile eſt.*

PORRO AVTEM. Propè delinitus erat Demea contra inſtitutum argumenti. Artificioſè igitur poeta ſubiecit ex perſona ſerui, vnde illum ad amaritudinem prouocet. PORRO AVTEM. At verò, & huiuſmodi principia narrationum ſunt, quibus ſuperiora ſequentibus connectuntur.

NAM ID NOBIS TAM FLAGITIVM EST. Non dixit, *Peccatum,* irridens ſenem: ſed *Flagitium.* Et quidem flagitium, corrumpi piſces, vel talia.

QVOD QVEO. Quod poſſum. ſed ſic maluit dicere, vt alluſionem de ſua arte faceret Syrus: & hac re oſtenderet nihil ab illo dici ſerio. QVOD QVEO. A coquendo ſumpſit παρόμοιον. Sic & infrà, *Sedulo moneo quæ poſſum pro mea ſapientia.* Et Ciceronis dictum refertur in eum, qui coqui filius ſecum cauſas agebat: *Tu quoque aderas huic cauſæ.* Nam apud

veteres *coquus* non per c literam, ſed per q ſcribebatur.

AD EVNDEM ISTVNC PRAESCIPIO MODVM. Arguta imitatio ad deridendum Demeam, omnium quæ ſerio ille ſuprà dixerat.

HOC SALSVM EST, HOC ADVSTVM EST. Hæc contextè & coniunctè dicuntur: quia non viciſſim Syro aſſentatur ſenex.

PRO MEA SAPIENTIA. *διασυρτικῶς Sapientia* dixit: quia condimentum guſtu ac ſapore temperant coci.

TANQVAM IN SPECVLVM. Et hîc *Speculum* non ad imaginem vultus, ſed ad contuitum contrapoſitæ rei retulit.

NOS QVAE FACIMVS. Non coci, ſed Micio, AEſchinus, & familia. An *Nos* pro *Domini* poſuit? An *Nos*, pro *Ego*? & hoc melius.

SENTIO. Cum dilatione & vultuoſe dicendum *Sentio*.

VERVM QVID FACIAS. *Quid facias*, pro quid faciat, vnuſquiſque ſcilicet.

VT HOMO EST, ITA MOREM GERAS. Verum aptum prouerbium ſit ſeruis, an etiam amicis? Vt eſt, *Obſequium amicos, veritas odium parit*. Et hæc ſententia modo velut querela, demiſſa voce proferenda eſt.

MENTEM VOBIS MELIOREM DARI. *πρὸς τὸ Vis*. reſpondit agreſti feritate. nam reſpondendum erat, *Recte*, aut *Valeas*. ſed hic, ne vel abiens blandus eſſet, pro ſalutationibus ipſis amaras ſupponit. Et memento etiam hunc eundem inſalutatum relinquere, qui adueniens paulò antè, nec ſalutauerat reſalutauerat fratrem. *Meliorem* autem, pro bona ac tolerabili poſuit. non enim bonam credit, vt meliorem optet. ſic Virgilius,

Dÿ meliora piis, erroremque hoſtibus illum.

TV RVS HINC ABIS. Vult Syrus noſſe an eat. TV RVS HINC ABIS. Qui conſuetudinis memor eſt, animaduertit has interrogationes non inquirendi cauſa poni, ſed admonitionis loco eſſe apud eos, quos velimus abſcedere. Sic igitur interrogat vt hortetur: & ſic pronuntiat, vt & ſciat, & approbet quod rogat.

NAM QVID TV HIC AGAS. Addidit hortatum, vt quamprimum abeat.

QVANDO IS, QVAM OB REM. Noua locutio, *Is quam ob rem*: pro, *Is propter quem*. ſic & alibi, *In eo me oblecto: ſolum id eſt charum mihi*.

ILLVM CVRO VNVM. *Vnum* cum exceptione. & tamen ſic loquitur, vt appareat illum non poſſe ſibi imperare obliuionem AEſchini. nam idcirco addidit, *Quando ita vult frater, de iſtoc ipſe viderit*. *Amare cœpit*. & ideo tenet, *Nam ambos curare, propemodum repoſcere eſt illum quem dediſti*.

QVIS ILLIC EST QVEM PROCVL VIDEO? ESTNE HEGIO. Inuenta cauſa eſt cur non abeat Demea, propter reliquam fabulæ partem: & ſimul aliud additur quo indignetur. Bene autem dubitat, & familiam inueniat * ciuem, & multum abſens à conſpectu ciuium.

NE ILLIVSMODI IAM NOBIS MAGNA CIVIVM PENVRIA EST. *Ne* , valde. ILLIVSMODI. Cuiuſmodi eſt Hegio, id eſt qualis. Et magna *οἰκονομίᾳ* ſenex laudatur, vt poſtulationi eius ſtatim adſit fides.

HAVT CITO MALI QVID ORTVM EX HOC SIT PVBLICE. Vtrum hoc optantis eſt ne moriatur? an eſt teſtimonium vitæ hominis numquam obfuturi reipublicæ?

VBI ETIAM HVIVS GENERIS RELIQVIAS RESTARE VIDEO! Paucos ac raros bonos. nam *reliquias*, pro relictis pauciſque dixit ideo *Reſtare* etiam dictum eſt.

VIVERE ETIAM NVNC LVBET. Ex hac delectatione oſtenditur, Demea & quàm peccantibus ſit amarus ac ſæuus: & quàm facilè huius incuſatione tanquam graui teſtimonio crediturus ſit: & quantum doliturus ſuper AEſchino, qui diſpliceat talibus viris.

ACTVS TERTII SCENA IIII.

HEGIO. GETA. DEMEA. PAMPHILA.

PRO di inmortales, facinus indignum Geta:
Quid narras! GE. ſic eſt factum. HEG. ex illán' familia
Tam inliberale facinus eſſe ortum? ô AEſchine,
Pol haut paternum iſtuc dediſti. D. videlicet
De pſaltria hac audiuit: id illi nunc dolet
Alieno: pater is nihili pendit: ei mihi
Vtinam hic propè adeſſet alicubi, atque audiret haec.
HEG. Ni facient quae illos aequom eſt, haut ſic auferent.
GE. In te ſpes omnis Hegio nobis ſita eſt.
Te ſolum habemus: tu es patronus, tu parens:
Ille tibi moriens nos commendauit ſenex,
Si deſeris tu, perimus. HEG. caue dixeris,
Neque faciam: neque me ſatis piè poſſe arbitror.
D. Adibo. ſaluere Hegionem plurimum
Iubeo. HEG. te quaerebam ipſum, ſalue Demea.
D. Quid autem? HEG. maior filius tuus AEſchinus,
Quem fratri adoptandum dediſti, neque boni,
Neque liberalis functus officium eſt viri.
D. Quid iſtuc eſt? HEG. noſtrum amicum noras Simulum,
Atque aequalem? D. quidni? HEG. filiam eius virginem
Vitiauit. D. hem. HEG. mane, nondum audiſti Demea
Quod eſt grauiſſimum. D. an quidquam eſt etiam amplius?
HEG. Verò amplius. nam hoc quidem ferundum aliquo modoſt:
Perſuaſit nox, amor, vinum, adoleſcentia!
Humanumſt. vbi ſcit factum, ad matrem virginis
Venit ipſus vltrò lacrumans, orans, obſecrans,
Fidem dans, iurans ſe illam ducturum domum.
Ignotumſt, tacitumſt, creditumſt. virgo ex eo
Compreſſu grauida facta eſt, menſis hic decimus eſt.
Ille bonus vir nobis pſaltriam, ſi dis placet,
Parauit, qui cum viuat: illam deſerat.
D. Pro certóne tu iſtaec dicis? HEG. mater virginis
In medioſt, ipſa virgo, res ipſa: hic Geta
Praeterea, vt captus eſt ſeruorum, non malus,

Neque iners, alit illas: ſolus omnem familiam
Suſtentat: hunc abduce: vinci, quaere rem.
GE. Imò hercle extorque, niſi ita factum eſt Demea:
Poſtremò non negabit: coram ipſum cedò.
D. Pudet: nec quid agam, neque quid huic reſpondeam
Scio. PAM. miſeram me, differor doloribus.
Iuno Lucina fer opem: ſerua me obſecro. HEG. hem,
Númnam illa quaeſo parturit? GE. certè Hegio. HEG. hem,
Illaec fidem nunc veſtram implorat Demea.
Quod vos vis cogit, id voluntate impetret.
Haec primùm vt fiant, deos quaeſo, vt vobis decet.
Sin aliter animus veſter eſt, ego Demea
Summa vi defendam hanc, atque illum mortuum.
Cognatus mihi erat: vnà à pueris paruolis
Sumus educati: vnà ſemper militiae, & domi
Fuimus: paupertatem vnà pertulimus grauem,
Quapropter nitar, faciam, experiar: denique
Animam relinquam potius, quàm illas deſeram.
Quid mihi reſpondes? D. fratrem conueniam Hegio:
Is quod mihi de hac re dederit conſilium, id ſequar.
HEG. Sed Demea hoc tu facito cum animo cogites:
Quàm vos facillimè agitis: quàm eſtis maxumè
Potentes, dites, fortunati, nobiles:
Tam maxume vos aequo animo aequa noſcere
Oportet, ſi vos vultis perhiberi probos.
D. Redito: fient, quae fieri aequumſt, omnia.
HEG. Decet te facere. Geta duc me intrò ad Soſtratam.
D. Non me indicente haec fiunt: vtinam hoc ſit modo
Defunctum. verùm nimia illaec licentia
Profectò euadet in aliquod magnum malum.
Ibo, ac requiram fratrem, vt in eum haec euomam.

PRO DI IMMORTALES. Haec ſcena fidem amici erga defunctum, maturitatem ſenilis orationis, & accuſationem eius, quem lędere noliт ipſe accuſator, continet.

FACINVS INDIGNVM. Iam narrauit Geta: & recte. non enim apud ſpectatores iterum fuerunt dicenda quæ dicta ſunt. Illud ſanè admirandum, eiuſmodi Hegionis verba induci, qualia eſſe debuerunt tantopere laudati viri, & eiuſdem Hegionis ac Demeæ.

QVID NARRAS. Mirantis eſt, non interrogantis.

TAM INLIBERALE FACINVS. Id eſt, non odiſſe cui ſuccenſeas, laudare homines, factum reprehendere.

O AESCHINE, POL HAVT PATERNVM. Mira maturitas: in qua neſcias vtrum magis iniuriam illatam orbæ virgini, an AEſchinum peccaſſe plus doleat. ſeruatur enim in Hegione quòd vir bonus ſit & amicus.

HAVT PATERNVM ISTVC DEDISTI. Deeſt, *facinus*. & *Dediſti*, pro feciſti. Sed ſic dicitur in re magna: vt, ——— *dabit ille ruinas Arboribus, ſtrageſque ſatis.*

VIDELICET DE PSALTRIA HAC AVDIVIT. *Videlicet*, confirmatiuum eſt. vt *videlicet*, videre licet: ſic *ſcilicet*, ſcire licet: *ilicet*, ire licet. DE PSALTRIA HAC AVDIVIT. Sic errat Demea, vt intelligatur quantum debeat iraſci in iis quæ inopinata audiet.

IS NIHIL PENDIT. *Is*, abundat. vt in Heauton. *Perii: is mihi, vbi adbibit plus paulò, ſua quæ narrat facinora!* Aut *is*, pro *ipſe*: ſubiunctiuum pronomen minus quàm finitum.

VTINAM HIC PROPE ADESSET. Quaſi ſibi non crediderit dicenti, *In ore eſt omni populo*.

NE. Si non, ſignificat.

QVÆ ILLOS AEQVVM EST. Subauditur, *Facere*, à ſuperiori per σύλληψις intellectum.

HAVT SIC ἀυξητικὸν eſt. HAVT SIC AVFERENT. Quomodo accipimus, *Haut ſic auferent*? an factum tuum auferent ſic? An, ſi contexerint culpam, non ſilentio tranſituros ipſos, vel ipſum quod factum eſt. HAVT SIC AVFERENT. Id eſt leniter abibunt, vel ſubtrahent culpam. HAVD SIC AVFERENT. Senilis & matura comminatio, & eſt *Sic* demonſtratio, geſtum continens leuiſſimæ ac paruæ ſignificationis.

IN TE SPES OMNIS HEGIO. Vt narratio non fuerit neceſſaria: ita preces interponendæ ſunt.

TV ES PATRONVS. TV PARENS. *Patronus* aut temporale nomen eſt defenſoris: aut certe appellatio eſt, per quam oſtenditur quid illi cultus & obſequij debeatur. eſt enim nomen ad aliquid. *Parens* autem, veri amoris nomen eſt: & æquali loco continet interpretationem. Et vide quàm vigilanter poeta, quum ſimpliciter matronam de abſente Hegione loquentem induceret, *Coluit nos*, dixit: quum ſeruus & ſupplex ad præſentem loquitur, *Tu es patronus*, inquit.

ILLE TIBI MORIENS NOS COMMENDAVIT SENEX. Seruus magnum veritatis indicium addidit, dicendo *Moriens*, nemo enim moriens non vera loquitur & vrgentia. vnde in iure vltima iudicia, certiora ſunt. Sic alibi, *Hanc mihi in manum dat; mors continuò ipſam occupat.*

SI DESERIS TV, PERIIMVS. Proprie: quaſi patrono. nam Socius deficit, Parens prodit, Patronus deſerit. Sic Salluſtius, *Poſt defectionem ſociorum & Latij*. Et, ——— *vnius ob iram Prodimur*. Et, *Prodidiſti & te, & illam miſeram & gnatum: quod quidem in te fuit* Plaut. *Qui libertos habent, eos deſerunt*: Hinc & milites, qui defenſores patriæ deberent eſſe, *deſertores* eſſe dicuntur. Hæc autem omnia magnam vim habent, ſi per ſingulas partes orationis conſiderentur, ad commouendum precibus Hegionem. Et, *Tu es patronus*, ab honeſto: *Tu es parens*, à iuſto. SI DESERIS TV, PERIIMVS. Et huic rei maxime reſpondet oratoriè, quæ illum maxime commouit. Vt, *En ego victa ſum*. Et, *Pulſus ego?* Alij πρὸς τὸ *periimus*, τῷ ἰνϛημιομῷ reſponſum putant.

SATIS PIE POSSE. Deeſt, *facere*. NI QVE NE SATIS PIE POSSE ARBITROR. Honeſta locutio, qua ſignificat quicquid fecerit pro pietatis debito illis meritò parum eſſe. Senſus autem hic eſt, Neque faciam quod nefas eſt, vt vos deſeram: nec hoc ipſum quod facio, ſatis pium eſt pro tanta neceſſitudine. Et bene addidit *Satis*. vt *Et ſapiens, non tamen ſatis*.

SALVERE HEGIONEM PLVRIMVM IVBEO. Ideo prouidit Demea non prouiſus eſt quia oportuit illum audire quæ loqueretur Hegio: & ex illius iam verbis in indignationem moueri. *Iubeo* autem, volo ſignificat: ab eo quod ſequitur, id quod præcedit. Non iubemus enim, niſi quod voluerimus. & eſt Homericum Κέλευε με πάντ' κατ' ἀεικέα ἐλιδς μῶν ... IN CVNENNIAIENA.

MAIOR FILIVS TVVM AESCHINVS. Artificioſa poſtulatio: in qua, ne ſtatim Demea diceret, nihil ad ſe hæc que res clam pertineret, quippe qui Cteſiphonem curare debeat. infertur cauſa cur non diſſimulet pater quia filius: quia maior eſt: quia AEſchinus, ſiquid eſt in ipſo nomine charitatis: quia fratris adoptiuus: quia bonus & liberalis: & contra hæc, quibus laudatus eſt, fecit.

NEQVE BONI. Quaſi id quod eſt, velit quod eſſe debet. NEQVE LIBERALIS FVNCTVS EST OFFICIVM VIRI. Quærendum inter bonum & liberalem quid interſit. An *bonus* eſt, qui non nocet? *Liberalis*, qui etiam prodeſt? An *bonus*, qui non peccat in facto? *liberalis*, qui nec verbo quidem?

AEQVALEM? ὁμήλικα.

QVIDNI. Plus eſt *Quidni*, quàm *Noueram*. nam quaſi corripit dubitantem. dicendo, *Quidni*: vt ſubaudiatur, *Noueram*.

FILIAM EIVS VIRGINEM VITIAVIT. Vides quantum valeat iniuria, vel dignitas perſonarum. Non contentus facinore, perſonas credidit antè proponendas.

HEM. Interiectio nunc eſt irati, & eſt irati vehementer: quippe qui aliud nouum audiebat, præter crimina quæ ſciebat.

QVOD EST GRAVISSIMVM. Quia illud graue.

AN QVICQVAM EST ETIAM AMPLIVS. *Amplius*, quantitatis eſt. nam ideo, Nondum etiam audis quod eſt grauiſſimum. AMPLIVS. Id eſt maius.

PERSVASIT NOX, AMOR, VINVM, ADOLESCENTIA. Plautus in Bacchidibus.

Quia iſtoc illecebroſius fieri nihil poteſt.
Nox, mulier, vinum, homini adoleſcentulo.

Et hæc omnia ab impulſionis parte dicuntur, non à ratiocinationis. ideò & *Perſuaſit* dixit. nam inſtans perſuaſio, *impulſio* dicitur: vt ipſe *Dum in dubio eſt animus, paulo momento huc illuc impellitur.* PERSVASIT NOX, AMOR, VINVM, ADOLESCENTIA. Hæc inferuntur ἀσυνδέτως, vt multa videantur. VINVM. Plus dixit, quàm ſi *vinolentiam* diceret. vt, *Tu nihil ſapientia es, ille ſomnium.* Proximum huic, & ſimile eſt in Hecyra,

——cum virgine vnà adoleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa abſtinere vt potuerit.
Non veriſimile dicis, nec verum arbitror.

Virgilius, *Bacchus & ad culpam cauſas dedit.*

HVMANVM EST. Nihil tandem ex ea ſumptum conſuedine eſt, quod non humanum. & hoc dicere ſolemus vbi peccatum quidem non negamus, ſed tolerabile eſſe dicimus.

VBI SCIT FACTVM. Id eſt intelligit & ſentit: quia ſuprà futuræ * peccauerit: & quia qui impulſione peccat, nō peccat ratiocinatione. Hic locus illi rei occurrit, *Cur ergo tacuiſti?*

VENIT IPSVS VLTRO LACRVMANS. Mire: & ad matrem venit vltrò lacrumans, ne quòd leniter, aut mollius mulier tuliſſet, propè pactionem iniiſſe videretur.

ORANS, OBSECRANS. *Orare*, eſt placidos petere: *Obſecrare*, iratos rogare. Vnde plus facit obſecrans, quàm orans: plus verò orans, quàm rogans. Cicero, *Orare & rogare.*

IGNOTVM EST, TACITVM EST, CREDITVM EST. ἀσυνδέτως per συντομίαν vt ſolet, hîc loquitur: vt, *Imus, venimus, videmus.* *Ignotum* eſt autem, quòd vltrò venerat & lacrumans: *tacitum* eſt, quòd orabat & obſecrabat: *creditum* eſt, quòd fidem dabat & iurabat. Et honeſtius imperſonaliter, quàm *ignouimus, tacuimus, credidimus.*

VIRGO EX EO COMPRESSV GRAVIDA FACTA EST. Hæc addidit, ne ex viliore vſu & inhoneſta patientia virginis ad conceptum libido peruenerit. & præterea quia & hoc potuit dici, Ille quidem vitiauit virginem: ſed quid ſi ex alio concepit poſtea, quæ nunc grauida facta eſt? idcirco & à vitio virginis tēpus oſtendit: vt cum facto ratio conueniret.

ILLE BONVS VIR, NOBIS PSALTRIAM (SI DIS PLACET) PARAVIT. Concluſio accuſationis. &, *Bonus vir*, εἰρωνεία quidem eſt, ſed ab eo poſita, qui indignetur virum bonum eſſe debuiſſe qui non ſit: vt ſuprà, *Neque boni, neque liberalis eſt functus officium viri.* Et ſimul conſidera quo nomine AEſchinum vocet, virum appellans ſcilicet, qui vult eius certa eſſe promiſſa, & qui illum iampridem videri maritum velit: *Nobis* autem, ex abundanti τῷ ἰδιωτισμῷ ad indignationem relatum eſt. SI DIS PLACET. Bene interpoſitum ad inuidiam, *Si dis placet*: ſcilicet per quos iuratum eſt. ILLE BONVS VIR. εἰρωνεία indignantis in loco addita eſt verbis ardentibus. PSALTRIAM NOBIS. τῷ ἰδιωτισμῷ ſic enim dicimus: & eſt conſuetudinis peruulgatæ.

ILLAM DESERAT. Id eſt, cui econtrario, dum viuat, obſtrictus eſt. Et *Deſerat*, virginem ſcilicet.

PRO

PRO CERTONE TV ISTAEC DICIS. Hoc ideo non dicit, quia fidem non habeat narranti: ſed quia miratur ſcelera.

MATER VIRGINIS IN MEDIO EST. Terribiliter ſatis, *In medio eſt*: quaſi retineri non poſſit, nec cohiberi quin rem probet. Et præterea, quum argumentorum genera duo ſint, ἔντεχνον & ἄτεχνον: fient in rebus manifeſtis ἀτέχνῳ vtitur. Hoc ergo, ſublatis ſuperciliis dicendum eſt, *In medio eſt*. nam lentius erat, ſi diceret, *Præſto eſt*.

IPSA VIRGO. Scilicet qui in AEſchinum reum & teſtis & crimen eſt. Et ideo addit, *Res ipſa*: Id eſt pondus vteri, exactis ad pariendum menſibus.

PRAETEREA, VT CAPTVS EST SERVORVM NON MALVS. Ad hæc, intelligamus aliter dici *non inertem Socratem*: aliter *non inertem ſeruum*: aliter *non malum Scipionem* eſſe: aliter *non malum ſeruum* eſſe. PRAETEREA, VT CAPTVS. An, quantum capit animus ſeruilis, tantum non malus neque iners Geta? An *vt captus eſt ſeruorum*, quemadmodum ſæpe aucupium in ſeruis habendis bonum euenit? Vt in captu auium, vel piſcium, vel ferarum plurimum fortuna dominatur. Et hoc ideo, quia ſeruum euenire bonum, non ratio eſt aut natura, ſed caſus eſt, vtpote in re rariſſima: vt ſit, *vt captus eſt ſeruorum*, id eſt euentus eſt in ſeruis. VT CAPTVS EST SERVORVM. Id eſt, vt ſe habet conditio ſeruorum. Afranius in Simulante, *Is vt ſeruorum captus eſt, facillime domo atque noſtra familia prouenditur*. Ergo *captus* ſortem intelligo.

NON MALVS. Id eſt fidelis. NEQVE INERS. Id eſt artem habens. Oratoriè futurum teſtem & iudicem laudat: ſed ne improbe facere videatur parcius id facit. non enim dixit, *bonus & ſolers*: ſed, quod in ſeruo ſufficit, *non malus, neque iners*. Et proferendi Getæ hæc maxime cauſa eſt: ne quod permittere videatur in ſeruo pauperis, atrocius fiat. & ſimul vt hæc προθεράπευσις non contriſtet Getam: quem prius laudat dicturus, *Hunc abduc, vinci, quære rem*.

ALIT ILLAS: SOLVS OMNEM FAMILIAM SVSTENTAT. Duas hîc res docet: & vnde hæ viuant: quod teſtimonium pudicitiæ eſt. & grauem teſtem poſſe eſſe Getam. SOLVS. Incerta diſtinctio eſt, *ſolus*. ſed melius, *Solus omnem familiam ſuſtentat*. Hoc verbo tenuis victus oſtenditur, quod bene frugi eſſe monſtratur in fœminis.

HVNC ABDVCE: VINCI, QVAERE REM. Non multum permittit, vtpote de alieno ſeruo. ideò Geta plus de ſe largietur. ipſe tamen ἀσυνδέτως tria poſuit, vt multa videretur dicere. HVNC ABDVCE. vt, --*Tu Voluſe armari Volſcorum edice manipli* Nam poſtea, e litera, huiuſmodi verbis aucta eſt. HVNC ABDVCE: VINCI. Bono ordine. & *Abduce*: ab hoc illuc vbi nemo poſſit intercedere. & *Vinci*: ne ſolutus, vt ſciat ſi verum ſeruus accuſet. QVAERE REM. Latenter præter vincula, etiam tormenta ſignificauit: nam hoc, *Quære rem*, pete rei veritatem, ſignificat

IMO HERCLE EXTORQVE. ἔντεχνος πίστις. Et bene ipſe de ſe plus & apertius, quàm Hegio, largitur. EXTORQVE. Multum dixit: non *Torque*, ſed *Extorque*. *Torquemus* enim hominem: *Extorquemus* veritatem.

PVDET. Aduerſus hoc dicit, & perturbatus Demea. Maioris erit ponderis *Pudet* dictum, ſi *Me* nec addas, nec ſubaudias.

DIFFEROR DOLORIBVS. Diuellor, diſcrucior, dilaceror. Et proprie hoc genus querelæ conuenit parturienti, & cui viſcera diſtenduntur: & ei quæ inexpertum dolorem nunc primùm ſentiat.

IVNO LVCINA FER OPEM. Bona procuratio poetæ: vt & vox parturientis, pro teſtimonio ſuccedat ad inflammandum Demeam. Et nota, puellarum, quæ in comœdiis honeſtæ ſunt, & ex amore dicuntur, aut nullam in ſcena eſſe, aut rariſſimam vocem.

FER OPEM. Partui. SERVA ME OBSECRO. Parturientem. Duas enim res poſcit hæc precatio: & naſcentis & parturientis ſalutem.

NVM NAM ILLA QVAESO PARTVRIT. Illa ſcilicet de qua ſermo eſt. quid enim opus fuerat nomine.

ILLAEC FIDEM NVNC VESTRAM IMPLORAT. Hæc oratoria πλάνη eſt. non enim verè rogat: ſed videtur hoc facere. Et *implorare*, eſt in malis poſitos cum ploratu aliquem rogare.

Qvod vos vis cogit id volvntate impetret. Artificioſe: ne totum ſimpliciter agendo, diffidere cauſæ videatur. *Vis* igitur legum intelligitur.

Deos qvaeso vt vobis decet. Hoc eſt, non voluntate aduerſarium fore. Vt vobis decet. παραστατικῶς dixit, non vt puellæ vtile eſt, ſed vt vobis decet. Vobis decet. Græce dixit, ὑμῖν πρέπει & deeſt, *facere*.

Sin aliter animvs vester est. Officium amici exequitur in reddenda cauſa cur aduerſarius futurus ſit.

Ego Demea svmma vi hanc defendam. Non dixit id quod eſt, *Vos vlciſcar*: ſed, *Hanc defendam*.

Atqve illvm mortvvm. Idonea cauſa eſt, aduerſus viuos querimoniam faciendo pro mortuo ſcilicet, qua in re, & de officio ſuo locutus eſt, & exaggerauit culpam in AEſchinum, qui videbatur in vno & eodem facinore viuos mortuòſque læſiſſe.

Cognatvs mihi erat. Cauſa expoſita, iam agit Hegio de perſona ſua, vtrum recte faciat: vt quam perſonam inducit * oſtendat habiturus. Quum amicitiarum duo genera ſint, vnum neceſſarium, id eſt propinquitas ſanguinis: alterum voluntarium, quo nobis etiam alieniſſimi coniunguntur. Micionem dicit ac Demeam, & viuos, & voluntarios tantùm ſibi amicos eſſe. Simulum verò, & mortuum, & non ſolùm voluntate, ſed & neceſſitudine amicum fuiſſe coniunctum. In qua re & illi non deerit, & his purgatur. Sed &, *Cognatus mihi erat*. vultu adiuuat: quia non à coniunctione incœptiua ſumpſit exordium. Cognatvs mihi erat. Officia multa contra officium vnum Demeæ amicitiæ ac Micionis.

Pavpertatem vna pertvlimvs gravem. ἐπιταφορὰ eſt. quia magis coniungit malorum conſortium, quàm bonorum.

Nitar, faciam, experiar. Sic dicit, ne dicat *Vindicabo*: quod vult magis ſignificatum eſſe, quàm dictum. Et ne ei diceretur, nihil potens: quod ad incipiendum ſufficit, dixit, *Experiar*.

Animam relinqvam potivs. Modeſta comminatio: prius quid ſibi poſſit euenire dixit, quàm quid paſſurus ſit AEſchinus.

Fratrem conveniam Hegio. Vultuoſe pronuntiandum, hoc quod addidit, *Hegio*, quaſi dicat; Res in manu fratris eſt conſtituta, non mea.

Qvid mihi respondes. *Reſpondere* proprie dicitur quum lis intenditur. *Reſpondere* enim, eſt priorem alloqui, quaſi reſpondere, verba fundere. vt, *Funditque has ore querelas*. *Reſpondere*, Poſteriore loco dicere.

Sed Demea hoc tv facito. ἐπεξήγησις ſuprà habitæ comminationis.

Qvam vos facillime agetis. Vt & ſuprà *facilem victum pares*. Et vide quàm oratoriè laudes ſumpſerit argumenta ſuadendi.

Aeqvo animo aeqva noscere oportet. Bene dixit, *æquo animo*: quia potentiori & fortiori contra naturam eſt æquitas.

Redito. Proſequebatur eum, quemadmodum apparet ex verbis.

Decet te facere. Solicita obſequela Hegionis, vltima in loquendo, oſtendit impotentiorem perſonam contra AEſchinum, quo magis gaudium creſcit comœdiæ: quando tali ac tanto, pauperior puella, ſed tamen cupita, iungetur.

Non me indicente. Quia dixerat, *Ipſe ſentiet poſterius*. Et nimis dura compoſitio eſt: ſed apta iraſcenti.

Vtinam hoc sit modo defvnctvm. *Vtinam*, deſperandi vim habet. *Hoc*, id eſt negotium, id eſt raptus virginis. *Defunctum*, finitum, id eſt vt non peiora committat. *Defunctum*, finitum, id eſt ne vlterius peccet AEſchinus.

Nimia illaec licentia. Quam illi dat Micio. Profecto evadet. Per ardua & prærupta veniet.

Haec evomam. Non *Effundam*, ſed *Euomam*: vtpote quæ me ægrum faciunt, quibus me releuabo, cùm languor ille egeſtus ſit. nam *Euomam*, hoc tranſlatione ſignificat.

ACTVS TERTII SCENA V.

HEGIO.

BONO animo fac ſis Soſtrata, & iſtam, quòd potes,
Fac conſolere. ego Micionem, ſi aput forumſt,
Conueniam: atque vt res geſtaſt, narrabo ordine,
Si eſt facturus, vt ſit officium ſuum,
Faciat: ſin aliter de hac re eſt eius ſententia,
Reſpondeat mihi, vt quid agam quam primum ſciam.

BONO ANIMO FAC SIS SOSTRATA. Hi ſex verſus in quibuſdam non feruntur. In hac ſcena videtur iam locutæ Soſtratæ Hegio reſpondere. Poteſt tamen & ipſe incipere, tanquam qui & rem nouerit, & mœrore eius moueatur. BONO ANIMO FAC SIS SOSTRATA. Meminiſſe debemus, quòd dixit, *Duc me intro ad Soſtratam*. & quia hoc *intro*, in proſcenio eſt ΠΑΤΕΡΑΠΔΙΤΝΝΙΝ * non poſt ſcenam. nam aliud ſignificat, *Eamus intro*, vbi dicitur, *Intus deſpondebitur, intus tranſigetur, ſiquid eſt quod reſtet*. illud enim *interius* agitur extra omne proſcenium. FAC SIS SOSTRATA. Sis honorifice additur verbo, ne quod imperatiuo modo pronuntiatur, ſuperbum ſit. Deductum eſt autem à ſenatuſconſulti formula: vbi enim aliquid ſenatus conſulibus iniungit, addit. SI BIS VIDEATVR.

ET ISTAM QVOD POTES. Quia vox ipſa triſtis, & circa triſtem filiam, *Quod potes* dixit.

FAC CONSOLERE. Duas res dixit, quas & ordine locutus eſt, Et tu bonum habe animum, inquit: & filiam fac habere.

EGO MICIONEM. Quia Demeam iam vidit.

SI EST FACTVRVS OFFICIVM. Hoc dicendo, promittit eum eſſe facturum. nam facile eſt vnumquemque ſuo officio fungi.

VT QVID AGAM QVAMPRIMVM SCIAM. Maturè: neque comminatur, neque ſegnem oſtendit ſe fore.

ACTVS QVARTI SCENA PRIMA.

CTESIPHO. SYRVS.

AIN patrem hinc abiſſe rus? · SY. iam dudum.
CT. dic ſodes. SY. aput villamſt.
Nunc cum maxume operis aliquid facere credo.
CT. vtinam quidem,
Quod cum ſalute eius fiat. ita ſe defetigarit velim,
Vt triduo hoc perpetuo prorſum è lecto nequeat
ſurgere.
SY. Ita fiat, & iſtoc ſi quid potis eſt rectius. CT. ita. nam hunc diem
Miſerè nimis cupio, vt cœpi, perpetuum in laetitia degere.
Et illud rus nulla alia cauſa tam malè odi, niſi quia propeſt:

Quod ſi abeſſet longius,
Prius nox oppreſſiſſet illic, quàm huc reuorti poſſet iterum.
Nunc vbi me illic non videbit, iam huc recurret, ſat ſcio.
Rogitabit me, vbi fuerim, quem ego hodie toto non vidi die.
Quid dicam? SY. nihilne in mentem eſt? CT. numquum quidquam. SY. tantò nequior,
Cliens, amicus, hoſpes nemoſt vobis? CT. ſunt: quid poſtea?
SY. Hiſce opera vt data ſit. CT. quae non data ſit? non poteſt fieri. SY. poteſt.
CT. Interdiu: ſet ſi hîc pernocto, cauſae quid dicam Syre?
SY. Vah, quàm vellem etiam noctu amicis operam mos eſſet dari!
Quin tu otioſus es: ego illius ſenſum pulchrè calleo.
Cum feruit maxume, tam placidum, quàm ouem reddo. CT. quo modo?
SY. Laudarier te audit libenter: facio te apud illum deum:
Virtutes narro. CT. meas? SY. tuas: homini illico lacrumae cadunt,
Quaſi puero, gaudio. em tibi autem. CT. quidnam eſt? SY. LVPVS IN FABVLA.
CT. Pater eſt? SY. ipſus eſt. CT. Syre quid agimus? SY. fuge modo intrò: ego videro.
CT. Si quid rogabit, nuſquam tu me. audiſtin'? SY. potin vt deſinas?

AIN' PATREM HINC ABISSE RVS. Hic oſtenditur timiditas boni adoleſcentuli, & verti * ſe ad peccandum ex delicti conſcientia, & reuerentia parentis apparet. Item mos veterum patrum circa filios, Syro Demeam deſcribente. AIN' PATREM HINC ABISSE RVS. Compendio oſtenditur, quid ſit iam locuturus Syrus.

NVNC CVM MAXVME OPERIS ALIQVID FACERE CREDO. Vide quaſi *idiωμα* verborum Syri eſſe, de opere loqui. ſic enim dicit & Demeæ: ſed illud, fallò: hoc, ſerio.

VTINAM QVIDEM. Apud villam ſit, ſubaudiendum: & diſtinguendum antè quàm inferatur quod ſequitur.

QVOD CVM SALVTE EIVS FIAT. Hoc non eſt odiſſe patrem: ſed tantùm timere ex proprio delicto. ſeruatur enim in eo & amor filij, & amoris effectus.

VT TRIDVO HOC PERPETVO. Quantum ſufficiat amatori. etenim non opus erat *Perpetuo* dicere, ſi *Triduum* dixiſſet.

ET ISTOC SIQVID POTIS EST RECTIVS. Deeſt *addi*. nam ſi mortem ſignificaret, non conuenitet adoleſcentem ita dicere. videtur enim plus temporis optaſſe languori.

NAM HVNC DIEM MISERE NIMIS CVPIO. Moriatur ſcilicet. & hoc aduerſus ſeruum debet dicere, ne indecorum adoleſcentis perſonæ ſit hæc ita dixiſſe: quamuis eiuſmodi adoleſcentes inducant comici, vt Neuius in Tribaſelo, *Deos quæſo vt adimant & patrem & matrem meos.* MISERE NIMIS CVPIO. *Nimis* abundat, more comicorum, qui hoc dicto aſſeuerationem inculcabant.

CVPIO VT COEPI, PERPETVVM IN LAETITIA DEGERE. Qui & ſuprà dixit, *Ita quæſo: quando hoc bene ſucceſſit, hilarem hunc ſumamus diem.*

ET ILLVD RVS NVLLA ALIA CAVSA TAM MALE ODI. Mire oſtendit omnia ex delictis in prauum verti: adeò vt miſeram putet adoleſcens ſuburbanam villam: qua re cæteri delectantur. Illud ergo tanquam cum deteſtatione dixit: & *Male*, & *nimis*, & *Miſere*.

nam *nimium*, & malum miſerúmque eſt; ſecundum illam ſententiam, *Ne quid nimis.*

QVOD SI ABESSET LONGIVS. Amori magis, quàm rei, conſulit adoleſcens.

IAM HVC RECVRRET SAT SCIO. Mire de ſene, *Recurret* dixit, vt eius inſtantiam demonſtraret.

NIHILNE IN MENTEM EST? Sic hoc accipiendum eſt, vt adoleſcenti libero malitiam putemus, non ſapientiam deeſſe: adeò in hac re magiſter eſt ſeruus.

NVMQVAM QVICQVAM. παρέλκον, pro *numquam*: id eſt non.

TANTO NEQVIOR. Sic hoc dictum eſt, vt è contrario dicimus, *Tanto melior.*

CLIENS, AMICVS, HOSPES NEMO EST VOBIS. Vide magiſtrum ad nequitiam, vt ſimplici adoleſcenti mentiendi viam demonſtret, & honeſtum tentet afferre argumentum ad mendacium, propter clientem, amicum, aut hoſpitem in vrbe ceſſare viſum. quod tamen nec ſic intelligit rudis ac ruſticus adoleſcens. CLIENS, AMICVS, HOSPES NEMO EST VOBIS. Mire ſic interrogauit, vt qui agreſtes inhumanóſque reprehendat, & inſociabiles aliis, propter aſperitatem ruſtici ſenis.

HISCE OPERA VT DATA SIT. A ſuperiore ſubauditur, *Veniat in mentem:* id eſt cogitata dari potuiſſe: & datam dicito.

QVAE NON DATA SIT. Hic de facto quæſtio eſt, in qua quidem diſputant quædam tunc poſſibilia intelligi, quando facta ſint. quum autem non fiunt, non modo non fieri, ſed ne poſſibilia quidem eſſe dicenda. qui locus περὶ δυνατῶν dicitur.

POTEST. Iterum ſubauditur, *Fieri*, Vt data ſit: vel Vt credatur data.

INTERDIV. Bene: quia amatori maxime nocte opus eſt.

VAH, QVAM VELLEM ETIAM NOCTV. Hoc vtriuſque perſonæ conuenit, ſed melius & Syro, & facetius dicitur. & quidam totum Cteſiphoni aſſignant abuſque *Interdiu.* Et *Quàm vellem*, proprie dicimus in his quæ non videmus fieri. Bene igitur deficiente argumento, cum aliud non inueniret, in vota conuerſus eſt. vnde videntur magis hæc verba Cteſiphonis eſſe.

CALLEO. Callide ſcio. CVM FERVIT MAXVMA. Tertia coniugatione dixit, vnde *feruere* dicitur, correpta media ſyllaba.

QVO MODO. Miratur, quia timet eum quem iſte contemnit.

LAVDARIER TE AVDIT LIBENTER. Quod à Demea dicitur. in omnes parentes dici puta. nam nemo tam aſper eſt pater, vt non ſtatim miteſcat laudato filio.

VIRTVTES NARRO. Non dicit elegantem indolem: ſed *virtutes.* *Virtutes* autem ſunt perfecti ſapientis, vel diui alicuius. Et bene cum ſtupore reſpondet *Meas?* oſtendens quòd nullæ eſſent.

MEAS TVAS: Cum geſtu pronuntiare debemus, vt intelligatur irriſio.

QVASI PVERO, GAVDIO. Deeſt, *præ*: vt ſit, *Præ gaudio.*

LVPVS IN FABVLA. Silentij indictio eſt in hoc prouerbio: atque eiuſmodi ſilentio vel in ipſo verbo, vt ipſa fabula conticeſcat. Quia lupum vidiſſe homines dicimus, qui repente obmutuerint. quod ferè iis euenit, quos prior viderit lupus: vt cum cogitatione in qua fuerint, etiam voce & verbis careant. Sic Theocritus, οὐ φθέγξῃ, λύκον εἶδες. Et Virg.

——— *vox quoque Mœrin*
Iam fugit ipſa, lupi Mœrin videre priores.

Alij putant ex nutricum fabulis natum, pueros ludificantium terrore lupi, paulatim Capua venientis vſque ad limen cubiculi. Nam falſum eſt quod dicitur, interueniſſe lupum Neuianæ fabulæ alimoniæ Remi & Romuli, dum in theatro ageretur.

FVGA MODO INTRO. Non dixit I, vel *abi*, vel *vade*: ſed *fuge*, tanta celeritate opus eſt.

SEQVVTO ROGABIT, NVSQVAM TV ME. Magna virtute Terentius eundem, ſimplicem, timidúmque inducit Cteſiphonem ab initio: vt is ſit qui mox opprimeretur cum meretrice accumbens, interuentu patris, ob imprudentiam ac ruſticitatem ſuam. NVSQVAM TV ME. Familiaris ἔλλειψις & apta properanti. quare hæc omnia preſſa voce cum celeritate pronuntianda ſunt.

ACTVS QVARTI SCENA II.

DEMEA. CTESIPHO. SYRVS.

NE EGO homo ſum infelix ! primum fratrem nuſquam
inuenio gentium:
Praeterea autem dum illum quaero, à villa mercenarium
Vidi: is filium negat eſſe ruri : nec quid agam ſcio.
CT. Syre. SY. quid eſt. CT. me quaerit? SY. verùm.
CT. perij. SY. quin tu animo bono es.
D. Quid hoc, malùm, infelicitatis? nequeo ſatis decernere:
Niſi me credo huic eſſe natum rei, ferundis miſeriis.
Primus ſentio mala noſtra: primus reſciſco omnia:
Primus porrò obnuntio: aegrè ſolus, ſi quid fit, fero.
SY. Rideo hunc: primùm ait ſe ſcire, is ſolus neſcit omnia.
D. Nunc redeo: ſi fortè frater redierit, viſo. CT. Syre
Obſecro, vide ne ille huc prorſus ſe inruat. S. etiam taces?
Ego cauebo. CT. numquam hercle hodie ego iſtuc committam tibi:
Nam me iam in cellam aliquam cum illa concludam: id tutiſsimum eſt.
SY. Age, tamen ego hunc amouebo. D. ſet eccum ſceleratum Syrum.
SY. Non hercle hîc quidem durare quiſquam, ſi ſic fit, poteſt.
Scire equidem volo, quot mihi ſint domini: quae haec eſt miſeria?
D. Quid ille gannit? quid volt? quid ais bone vir? eſt frater domi?
SY. Quid, malùm, bone vir mihi narras? equidem perij. D. quid tibi eſt?
SY. Rogitas? Cteſipho me pugnis miſerum, & iſtam pſaltriam
Vſque occîdit. D. em, quid narras? SY. em, vide vt diſcîdit labrum.
D. Quamobrem? SY. me inpulſore hanc emptam eſſe ait. D. non tu
eum rus hinc modò
Produxe aiebas! SY. factum: verùm venit pòſt inſaniens.
Nihil pepercit: non puduiſſe verberare hominem ſenem,
Quem ego modò puerum tantillum in manibus geſtaui meis?
D. Laudo Cteſipho, patriſſas: abi, virum te iudico.
SY. Laudas? ne ille continebit poſthac, ſi ſapiet, manus.
D. Fortiter. SY. perquàm: quia miſeram mulierem & me ſeruolum,
Qui referire non audebam, vicit, hui perfortiter.
D. Non potuit melius: idem quod ego ſentit, te eſſe huic rei caput.
Set éſtne frater intus? SY. non eſt. D. vbi illum quaeram, cogito.
SY. Scio vbi ſit, verùm hodie numquam monſtrabo. D. hem, quid ais?

ST. Ita. D. diminuetur tibi quidem iam cerebrum. ST. at nomen neſcio
Illius hominis, ſet locum noui vbi ſit. D. dic ergo locum.
ST. Noſtin' porticum, apud macellum, hanc deorſum? D. quidni nouerim?
ST. Praeterito hac rectà platea ſurſum: vbi eò veneris,
Cliuos deorſum vorſus eſt: hac te praecipitato. poſtea
Eſt ad hanc manum ſacellum: ibi angiportum propter eſt.
D. Quonam? ST. illic vbi etiam caprificus magna eſt. noſtin'? D. noui.
ST. hac pergito.
D. Id quidem angiportum non eſt peruium. ST. verum hercle: vah,
Cenſen' hominem me eſſe? erraui. in porticum rurſum redi:
Sanè hac multo propius ibis, & minor eſt erratio.
Scin' Cratini huius ditis aedes? D. ſcio. ST. vbi eas praeterieris,
Ad ſiniſtram hac rectà platea: vbi ad Dianae veneris,
Ito ad dextram prius, quàm ad portam venias: apud ipſum lacum
Eſt piſtrilla, & ex aduorſum eſt fabrica: ibi eſt. D. quid ibi facit?
ST. Lectulos in ſole ilignis pedibus faciundos dedit,
D. Vbi potetis vos: bene ſanè. ſet ceſſó ad eum pergere?
ST. I ſanè, ego te exercebo hodie, vt dignus es ſilicernium.
AEſchinus odioſe ceſſat: prandium corrumpitur.
Cteſipho autem in amore eſt totus. ego iam proſpiciam mihi.
Nam iam adibo, atque vnum quidquid, quod quidem erit belliſſimum,
Carpam: & cyathos ſorbillans paulatim hunc producam diem.

NE EGO HOMO SVM INFELIX. In hoc actu exemplum eſt, neminem facilius, quàm optimum quemque falli atque deludi, vt Virgilius ait. Et *Ne* valde ſignificat. vt. *Ne illi vehementer errant*, Cicero in Catilinam. NE EGO HOMO SVM INFELIX. Vide initium conueniens perpetuo mœrori Demeæ: per totam fabulam, aut *diſperij* dicit, aut *Defeſſus ſum*, aut aliquid tale ſemper eſt quod quæratur: ita tamen, vt cum augmento ſit miſeria, quotieſcunque proceſſerit. nam plus eſt quod nunc dixit, *Ne ego infelix homo ſum*: quàm *Diſperij*.

NVSQVAM INVENIO GENTIVM Abundat *Gentium*.

A VILLA MERCENARIVM VIDI. Sapientiſſime Terentius, etſi proxima villa eſt, neceſſariò ſenem ad reliquos actus fabulæ noluit ab vrbe diſcedere perſonæ ſenilis memor. nam & arduum fuerat, dum redit, & cruciabile, ne fatigatio eius in tragœdiam tranſiret. Recte igitur inuenit à mercenario illi in vrbe narratum, ruri non eſſe Cteſiphonem. aut vbi perſona eſt adoleſcentis, & proficiſcitur ad villam: & continuò redit. vt in Eunucho Phædria Et *A villa*: vtrum *A* pro *de* poſitum eſt: vt ſit, *De villa?* an deeſt *Veniſſe*. vt ſit, A villa vidi veniſſe mercenarium?

NEC QVID AGAM, SCIO. Vtrum fratrem an filium magis quæram. nam ſenex querulus tria dicit eſſe incommoda ſibi: quòd fratrem non inueniat: quòd Cteſipho ruri non ſit: quòd vtrum in vrbe maneat, an ad villam abeat, ipſe neſciat.

VERVM. Modò *verùm*, nomen eſt: an aduerbium confirmantis, id eſt verè?

PERII. Hæc Cteſiphonis perturbatio huc tendit poetæ arte, vt deprehendatur cum amica filius, repentè ingreſſo ſene.

QVIN TV ANIMO BONO ES. Nunc *Quin*, pro *Quinimo* poſitum eſt.

QVID HOC (MALVM) INFELICITATIS. Abundat *Malùm*. QVID HOC (MALVM) INFELICITATIS. Deeſt, *Deos teſtor*. QVID HOC (MALVM) INFELICITATIS. Hic autem *Malum*, pro interiectione poſitum: quaſi dicat, *O malum*: & eſt dictum anxij hominis, & perturbati nimis.

NISI ME CREDO. Pro, Niſi quia iam ſupereſt, vt me credam. hic enim ſenſus eſt in huiuſmodi locutione, *Niſi me credo huic eſſe natum rei*. NISI ME CREDO HVIC ESSE NATVM REI. Noua locutio, pro, Niſi quia credo. Et *Huic rei*, poteſt ſubtrahi, incolumi ſenſu: vt, *Niſi me credo natum eſſe ferundu miſeriis*. Ergo *Huic rei*, ſubdiſtinguendum: & ſic inferendum, *Ferundu miſeriis*. Ergo *Huic rei*, pro, Ad hanc rem.

PRIMVS SENTIO MALA NOSTRA: PRIMVS RESCISCO OMNIA. ἐπαναφορὰ. PRIMVS SENTIO MALA. Ridiculus error Demeæ. Et *Primus*, ad ordinem: *Solus*, ad numerum dicitur.

PRIMVS PORRO OBNVNTIO. Qui malam rem nuntiat, *obnuntiat*: qui bonam, *annuntiat*. nam proprie *obnuntiare* dicuntur augures, qui aliquid mali ominis ſæuúmque viderint. Ergo, *Obnuntio* malum imminens, quaſi omen nuntio. inde enim ἐτυμολογία huiuſce verbi eſt. AEGRE SOLVS, SIQVID FIT, FERO. Prauè ſcilicet.

IS SOLVS NESCIT OMNIA. Et bene *Solus*, vtpote de multis: quia quum ſciat Micio, Syrus AEſchinus, Cteſipho, populus, hic ſolus fallitur.

SI FORTE FRATER REDIERIT, VISO. Pro, Si rediit.

HVC PRORSVS SE IRRVAT. Neutrum verbum, quaſi actiuum, *Se irruat*, poſuit.

VIDE NE ILLE HVC. Iam metuitur quod futurum eſt. Et quum neutrum ſit *Irruat*, noue intulit *Se*. Præterea ſic dixit *Irruat*, tanquam de eo qui pugnaturus ſit. vt in Eunucho, *Quàm mox irruimus*? Aut tanquam de ſue. vt Horatius, *Hac lutulenta ruit ſus*. Et Virgilius, *Ipſe ruit, dentéſque Sabellicus exacuit ſus*.

ETIAM TACES. Antiquè pro *Tace*. Sic in Andria, *Etiam tu hoc reſpondes*? pro *Reſponde*. Eſt ergo correptionis ſignificatio.

HODIE EGO ISTVC COMMITTAM TIBI. Quod ago iam, id eſt complexum mulieris.

NAM ME IAM IN CELLAM ALIQVAM CVM ILLA CONCLVDAM. Id egit ſtulte adoleſcens, vt ibi deprehendatur, vbi concluſus eſt. ſed ſic ipſe egit, vt poſſit ſubterfugere non deprehenſus, conſpectum patris. IN CELLAM ALIQVAM CVM ILLA. Αὐτὸ τῆς figura; dicimus *In locum*, pro *In loco*. *In cellam concludam*: non *In cella* ait. Et mire, vt recluſum totúmque locum ſubiret, cellam ſcilicet, quam ob ea quæ in ipſa celantur, clauſam eſſe conueniat. nam & *Cella*, & *Cellarium*, à reponendis celandíſque rebus eſculentis & poculentis dicitur.

AGE, TAMEN EGO HVNC AMOVEBO. Mire *Amouebo* dixit: non *Deterrebo*. nam proprie amouetur ſaxum de loco. in quo verbo ſignificat, imminere ſibi magnum laborem in hoc opere. Et vide ἔμφασιν. Suprà, *Vt pecudem abigam hunc rus*, dixit: modò, *Vt ſaxum amouebo*, inquit.

NON HERCLE HIC QVIDEM DVRARE QVISQVAM, SI SIC FIT, POTEST. Nimis moraliter expreſſa verba ſunt Syri verberatum ſe indicantis. quis non ex verbis, ſeruum verberatum intelligat? & ſeruum recens verberatum? & ſeruum fugam comminantem? Mire autem *Non ego*, ſed *Quiſquam* dixit. nec *Permanere*, ſed *durare*: nam hoc verbum, perferendis malis conuenit. vt Virgilius, *Durate, & voſmet rebus ſeruate ſecundis*. Hæc autem omnia ſic dixit, quaſi non videat Demeam.

QVOT MIHI SINT DOMINI. Et hic apparet non à legitimo domino verberatum eſſe.

QVAE HAEC EST MISERIA. Deeſt *Quam patior*. & quaſi comploratio quædam eſt flebilis poſt querelas.

QVID ILLE GANNIT. *Gannitus* eſt proprie veluti ploratus vapulantium.

QVID, MALVM. Et hic *Malum*, pro interiectione abundat.

CTESIPHO ME PVGNIS MISERVM, ET ISTAM PSALTRIAM VSQVE OCCIDIT. Mire interiecit *Miſerum*: & neceſſariò *Vſque* addidit: vt oſtenderet *Occidit* nimiæ cædis verbum, non occiſionis intelligi oportere. *Vſque occidit*. Propè *Occidit*: aut *Vſque*, pro *valde*

eſt : *Occidit*, pro *Vehementer cecidit*. Nam *Occidere* & *Peroccidere*, ad cædem referebantur apud veteres. VSQVE OCCIDIT. ἰδιωτικῶς· non enim occiſus loquitur.

HEM, VIDE VT DISCIDIT LABRVM, Non oſtendit, ſed videtur oſtendere ſeni parum iam videnti, & irato. HEM, VIDE VT DISCIDIT LABRVM. Aſper mediam longam à cædendo accipit : ego mediam breuem à ſcindendo.

NON TV EVM RVS HINC MODO PRODVXE AIEBAS. Mire Terentius eos ipſos, qui falluntur, ex aliqua parte cautos facit : vt eo delectabilius ſpectatoribus procedant doli. nam quæ gratia eſt aut delectatio non ſtultiſſimum falli? NON TV EVM RVS HINC MODO PRODVXE AIEBAS. Memoriter ſenex non ſolum quid ſibi dixerit Syrus paulò ante, ſed quibus verbis dixerit, refert. nam ſic dixerat. *Quem egomet produxi.*

VERVM VENIT POST INSANIENS. Suprà, *Produxi iratum admodum*. nunc αὐξητικῶς non iratum prædicat, ſed inſanum.

NIHIL PEPERCIT. Vt ſuprà, *Nihil reticuit*. ſic dicimus in his quæ præter expectationem geſta ſunt. VERBERARE HOMINEM SENEM. Miſerum fit de ætate, id quod de conditione non poterat.

QVEM EGO MODO PVERVM TANTILLVM, IN MANIBVS GESTAVI MEIS. Addidit ætati inuidiam & meritum recens. hoc eſt enim quod dicit *Modò*. Et *Tantillum*, δεικτικὸν eſt. videtur enim manu fingere, quàm paruulum.

LAVDO CTESIPHO : PATRISSAS. Facile inductus eſt ſenex varietate fraudis & doli. nam Syrus & ſuprà, vt laudans, non vt vituperans Cteſiphonem : & nunc, vt accuſans, idem perficit atque perſuadet. PATRISSAS. αὔξησις. nam vt ſuprà dixerat, *Spero eſt ſimilis maiorum ſuorum* : hic confirmat quod ſperare ſe dixerat. PATRISSAS. Attende quàm bene inuentum ſit inanem ſe dicere. nónne videtur ibi ſtultiſſimus, cum huiuſmodi laude non modo ſe non laudare velle, quod odioſum eſt : ſed etiam filium apud intelligentes vituperare videatur? ſiquidem non ſolum hic ſtultus, ſed etiam ille, quia *Patriſſas*, inquit. PATRISSAS. Tam ſecurus eſt, vt ſe laudet. Et *Abi* addidit : quaſi dicat, Non eſt quod iam demorer, perfectus es. LAVDO CTESIPHO. Hic totus verſus mire deluſum oſtendit ſenem.

ABI VIRVM TE IVDICO. Inquit, non, adoleſcentulum. hoc enim ad ætatem & probitatem, non ad ſexum, refertur.

NE ILLE CONTINEBIT POSTHAC, SI SAPIET, MANVS. Comminatio eſt ſubtilis: & parcior, velut ſerui.

PERQVAM. Nimis, ἀγαν.

ET ME SERVVLVM. Oratorie. non *Seruum*, ſed *Seruulum*, quum ſit ſenex.

NON AVDEBAM. Non poteram.

HVI, PERFORTITER. Hoc, geſtu ſeruili, & nimis leuiori perſonæ congrue dictum eſt.

NON POTVIT MELIVS. Id eſt, laudo te Cteſipho : & deeſt *Fieri*.

IDEM SENSIT QVOD EGO. Id eſt patriſſas, virum te iudico.

SED ESTNE FRATER INTVS. Deeſt *Reſponde* : vt ſit, reſponde.

VERVM HODIE NVMQVAM MONSTRABO. Volens ſenem auidius quærere, quòd hic ardor ſemper paratiſſimus credentes etiam fallit, et fingit ſe nolle dicere. *Hodie* autem aut abundat. vt, *Numquam omnes hodie moriemur inulti*. aut, *Numquam hodie*, pro, nullo tempore huius diei. quia *Numquam*, per ſe generale eſt.

DIMINVETVR TIBI QVIDEM IAM CEREBRVM. Comminationis genus verba ipſa indicant : vt appareat ſenem baculum ſuſtuliſſe.

AT NOMEN NESCIO ILLIVS HOMINIS, SED LOCVM NOVI VBI SIT. Recte : quia ſi *Hominem* diceret, non erat errandum agnita perſona hominis : & vbi habitet cogito. ſi notus eſſet, nulla cauſa quærendi ſupereſſet.

DIC ERGO LOCVM. *Dic ergo*, quaſi inuitum coegerit. *Ergo* ſemper addimus, vt hortemur tarde quid facientes. vt Virgilius,

Ergo age, chare pater ceruici imponere noſtræ.

NOSTIN PORTICVM APVD MACELLVM. Conuenit ruſtico & parciſſimo ſeni macellum in vrbe neſcire. & ideo ſic interrogatur à ſeruo.

HANC DEORSVM. Bene *Hanc deorſum* : quia non eſt vna.

QVIDNI NORIM. Correptiue, *Quidni*? pro *Quid niſi*? Etenim quamuis ruſticus, tamen eſt ciuis Demea.

HAC RECTA. Proprie, hac parte : vt manu viam oſtendere videatur.

VBI EO VENERIS, CLIVOS DEORSVM VORSVS EST : HAC TE PRAECIPITATO. Hoc lenius. quidam clarius legunt : vt ſit *Præcipitato*, cito deſcende.

AD HANC MANVM. τῶν πρός τι προσθήκην dicitur, in quo non permanet certum dextrum, nec certum ſiniſtrum : & ideo proficit in errorem. vult enim ſeruus hæc ſigna eſſe perplexa.

EST SACELLVM. vt Varro ait, *Sacra cella eſt*.

PROPTER. Prope. vt Virgilius,

——— *templum de marmore ponam Propter aquam.*

Et Lucretius, *Propter aquæ riuum ſub ramis arboris altæ.*

VBI ETIAM CAPRIFICVS MAGNA EST. In hoc Homerum imitatus eſt, qui dicit caprificum prope Troiana mœnia conſtitutam.

HAC PERGITO. Non *Ito* : ſed quia longum eſt, *Pergito*.

ID QVIDEM ANGIPORTVM. Id eſt anguſta & curua via : quaſi *anguiportus* : vt *angitia*, aut *anguitia*. Alij, quòd inter portus ſit locus anguſtus, hoc eſt inter domos. Nam *domos*, vel *portus*, vel *inſulas* veteres dixerunt. Et obſerua Terentianam conſuetudinem, in qua inducit nihil ſapere eos qui falluntur.

CENSEN' HOMINEM ME ESSE? ERRAVI. Calliditas eſt maxima, deprehenſum mendacium non defendere, ſed fateri : vt opinionem ſimplicitatis acquirat. Vides igitur vt ipſe ſibi ſuccenſeat, tanquam imprudens errauerit, non doloſus impulerit interrogantem. Et mire ſe negat hominem : tanquam homo corde ſit, non corpore.

SANE HAC MVLTO PROPIVS IBIS. Quaſi erraſſe profuerit illa via. & *Sanè*, pro *Satis* ac *Valde* : quia qui ſanus eſt, idem & validus.

MINOR EST ERRATIO. *Erratiô*, *eſt* pecudum : *Error*, animi eſt, & loci in quo erratur.

CRATINI HVIVS DITIS AEDES. Congrue nomen inuenit diuiti Cratinus, ἀπὸ τοῦ κράτους id eſt à potentia.

AD SINISTRAM HAC. Deeſt *Ito* : figura ἔλλειψις.

VBI AD DIANAE VENERIS. Sic abſolute dicebant, non addito *Templo*. Salluſtius, *Ad Iouis mandem noſtra*.

PRIVS, QVAM AD PORTAM VENIAS. *Portam* dicendo, oſtendit vſque ad muros finémque ciuitatis erraturum Demeam. *Porta* autem dicta eſt, quòd in eo loco coloniæ deductor & conditor, ſubiunctis vacca & tauro, aratrum, quo vrbem deſignat, ſuſpendit manu : ne imprimat ſulcos, vbi ciuitatis aditus relinquendi ſunt.

APVD IPSVM LACVM. Credibiliter addidit *Lacum*. nam Varro docet, ſemper lacum portis additum : ſcilicet ob vſum iumentorum exeuntium & introeuntium : & præterea vt aduerſum hoſtilem ignem portis de proximo ſubueniretur.

EST PISTRILLA. Veteres abſolute dicebant *piſtrinam*, vt *ſutrinam*. & *medecinam*, ad tabernam referentes. nam piſtrino piſtrilla non conuenit. Et ſimulata diminutiua diuerſa ſunt à genere nominum primæ poſitionis : vt *Rana*, *ranunculus* *ſcutum*, *ſcutella*: *canis*, *canicula*.

LECTVLOS IN SOLE ILIGNEIS PEDIBVS FACIVNDOS DEDIT. In vrbe conuiuium, aut in ſole, aut in vmbra, pro conditione temporis inſtruebatur. Repente igitur interrogatus, quòd minime opinabatur quæſiturum ſenem, arripuit ſtatim lectulos. Et quia potuit ſenex dicere, *Mentiris* : nam habet lectulos : addidit ex tempore, *In ſole*. Et ne eos quoque habere diceret, addidit, *Iligneis pedibus faciundos*. ſed hoc geſtu actoris adiutum eſt; quaſi eodem tempore ſeruus & quærat quid dicat, & reſpondeat.

VBI POTETIS VOS. Incerta perſona eſt : nam Syro vel Demeæ hoc dictum iungi poteſt.

BENE SANE. Hic εἰρωνεία eſt, non approbatio. ISANE. Aut abundat *Sanè* : aut inferioribus iungitur.

SILICERNIVM. Cœna quæ infertur diis manibus, quòd eam ſilentes cernant, id eſt

vmbræ poſſi leant: vel quòd qui hæc inferant, cernant tantum neque degnſtent. Nam de his quæ libantur inferis quiſquis comederit, aut biberit, funeſtatur. Aut erit *ſilicernium* ſenex, qui iam iámque ſilentibus vmbriſque cernendus ſit: & ſic eſt melius, quàm vt quidam Xenophonta interpretantes putant, ſic nos Silicernium intelligere, hoc eſt Silicem cernentem ſenem, dum incuruus eſt, vel ſtratæ ſaxo viæ intentus, vel ſarcophagi iamiam appropinquantis ſibi.

Aeschinvs odiose cessat: prandivm corrvmpitvr. ἀσύνδετον. deeſt &.

Prandivm corrvmpitvr. Vt coquus dixit: qui ſciat conditionem quandam magis feruentem placere.

Ego iam prospiciam mihi. *Iam*, interdum ſignificat feſtinationem, vt nunc. Interdum ad deſcribendum ponitur, & increpandam moram: vt,

——— *Iam melior, iam diua precor,* Et,
Vos quoque Pergameæ iam fas eſt parcere genti,
Dique deæque omnes. ———

Et *Proſpiciam mihi*, dixit, tanquam hoc ſentiat, illi ſua agunt negotia: & ego illorum exemplo conſulam mihi. Et bene *Proſpiciam*: quaſi non pranſurus, niſi prouidero mihi.

Ctesipho avtem in amore est totvs. Non potuit plus dici de incondita ac nimia voluptate.

Bellissimvm. Proprie *Belliſſimum* dixit. vnde & huiuſmodi ad irritandam gulam cibi, *bellaria* dicuntur.

Carpam. Modo eligam. Aliàs lædam ſignificat: vt,
Carpit enim vires paulatim, vritque videndo Fœmina. Aliàs Fruar: vt, *Carpamus dum mane nouum, dum flumina creſcunt.* Et Perſius, *Genio carpamus dulcia* ———. id eſt fruamur rebus dulcibus.

Pavlatim hvnc prodvcam diem. Bono verbo vſus eſt ad metaphoram, tanquam morientis diei. Vt eſt,

——— *Nec te tua funera mater*
Produxi, preſſiue oculos.

Actvs qvarti Scena III.

Micio. Hegio.

EGO in hac re nihil reperio, quamobrem lauder tantopere Hegio:
Meum officium facio: quod peccatū à nobis ortumſt, corrigo:
Niſi ſi me in illo credidiſti eſſe hominum numero, qui ita putant,
Sibi fieri iniuriam, vltrò ſi quam fecêre ipſi expoſtulant,
Et vltrò accuſant: id quia non eſt à me factum, agis gratias.
HEG. Ah minimè: numquam te aliter, atque es, in animum induxi meum.
Sed quaeſo, vt vnà mecum ad matrem virginis eas Micio;
Atque iſtaec eadem, quae mihi dixti, tute dicas mulieri:
Suſpicionem hanc propter fratrem eius eſſe, & illam pſaltriam.
MIC. Si ita aequum cenſes, aut ſi ita opus eſt facto, eamus.

HEC. bene facis:

Nam & illi animum iam releuabis. quae dolore ac miſeria
Tabeſcit, & tuo officio fueris functus: ſet ſi aliter putas,
Egomet narrabo quae mihi dixti. MIC. immò ego ibo. HEG. bene facis:
OMNES quibus res ſunt minus ſecundae, magis ſunt neſcio quo modo
Suſpicioſi: ad contumeliam omnia accipiunt magis.
Propter ſuam impotentiam ſe ſemper credunt neglegi.
Quapropter te ipſum purgare ipſi coràm placabilius eſt.
MIC. Et rectè, & verum dicis. HEG. ſequere me ergo hac intrò.
MIC. maximè.

EGO IN HAC RE NIHIL REPERIO QVAMOBREM LAVDER. Hæc ſcena eſt plena ſententiarum ſenilium ad officia demonſtranda. Et *Tantopere*, vitam aduerbialem in ſe continet. nam ſignificat nimis.

QVOD PECCATVM A NOBIS ORTVM EST, CORRIGO. Si diceret, *Peccatum eſt à nobis*, participium fuiſſet. nunc quia *Ortum* addidit, nomen eſt. Nunquam enim eadem pars orationis iungi, niſi per ἀσύνδετον poteſt.

SI, QVAM FECERE, IPSI EXPOSTVLANT. Hic diſtingue: & ſeparatim infer. *Ipſi expoſtulant.* SI, QVAM FECERE IPSI EXPOSTVLANT. Senſus eſt manifeſtus: ſed obſcura ſunt verba, & eorum collocatio & diſtinctio. nam incertum, verum, *Si expoſtulant*, intelligendum ſit: an, *Siquam*, pro vna parte orationis accipi oporteat.

VLTRO ACCVSANT. *Vltrò*, nunc prauè & peruerſè.

ID QVIA NON EST A ME FACTVM. Hæc interrogatio, quaſi ſubtriſti vultu eſt proferenda.

AH, MINIME. Non *minime ego*: ſed, *Minimè ex credo eſſe illorum in numero*.

QVAESO, VT VNA MECVM. Seruauit τὸ πρέπον, adiiciendo *Vna mecum eas*: quippe ad incognitam matrem familiàs.

TVTE DICAS MVLIERI. In nomine oſtendit cur hæc ipſe dicat. Mulieri enim, inquit nimis pauidæ ac diffidenti.

SVSPICIONEM HANC PROPTER FRATREM EIVS ESSE. Nimis breuiter ac ſuccinctè, & vt oportuit inter ſcientes.

ET ILLAM PSALTRIAM. Propter fratrem eius eſſe, ſubaudiendum eſt.

SI ITA AEQVVM CENSES. A iuſto & vtili eſt tota ſententia. Et ſanè hi verſus deſunt quos multa exemplaria non habent.

NAM ET ILLI ANIMVM IAM RELEVABIS. Et deinceps *illi* maluit dicere, quàm *nouus*, adhuc diuitem ſeueritas.

DOLORE AC MISERIA. *Dolore*, parturientis: *Miſeria*, iniuria ab AEſchino accepta.

SED SI ALITER PVTAS. Artificioſe, remittendo quod petebat, extorſit magis.

IMO EGO IBO. Hoc aduerbio quod ait *Imo*, oſtendit ſe prompte agere, & inſtanter quod promiſit.

MINVS SECVNDAE. Dicere ſic maluit, ne *Miſera* diceret.

NESCIO QVO MODO. Hoc eſt, vehementius, nulla palàm ratione.

ACCIPIVNT MAGIS. Mire additum *Magis*: quum poſſit ſenſus & ſine hoc eſſe integer.

PROPTER SVAM IMPOTENTIAM. Infirmitatem. Et rurſus noluit humilitatem aut miſeriam dicere. NEGLEGI. Legitur & *claudicae* & *claudicare*.

QVAPROPTER TE IPSVM PVRGARE. Vtrum *Teipſum*, vna pars orationis ſit? an di-

niſe accipiendum? vt ſit, Te Micionem, ipſum AEſchinum purgare.

CORAM PLACABILIVS EST. *Coram*, id eſt præſentem, & coram præſentibus. & *Coram* indiget adiectione, *Palam* non indiget. Et *coram*, ad cæteras perſonas refertur: *Palam*, generaliter dicitur.

ET RECTE, ET VERVM DICIS. *Recte*, ad verba retulit: *Verum*, ad rem atque ſententiam. Poteſt enim recte & falſum dici, dummodo nullo vitio verborum nominúmque dicatur, quanquam & ipſum fallere in tépore, quidam de officiis ſcribétes, rectum putent.

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

AESCHINVS.

DISCRVCIOR animi: hocine de inprouiſo mali mihi obiici
Tantum, vt neque quid me faciam, neque quid agam, certum ſiet?
Membra metu debilia ſunt: animus timore obſtipuit.
Pectore conſiſtere nihil conſilij quit. vah,
Quomodo me ex hac expediam turba
Tanta? nunc ſuſpicio de me incidit; neque ea immerito.
Soſtrata credit, mihi me pſalteriam hanc emiſse: id anus
Mihi indicium fecit.
Nam vt hinc forte ea ad obſtetricem erat miſſa: vbi eam vidi, ilico
Accedo; rogito; Pamphila quid agat: iam partus adſiet:
Eóne obſtetricem accerſat. illa exclamat, Abi abi iam AEſchine:
Satis diu dediſti verba: ſat adhuc tua nos fruſtrata'ſt fides?
Hem, quid iſtuc obſecro inquam'ſt! valeas, habeas illam, quae placet.
Senſi illico ad illas ſuſpicari, ſed me reprehendi tamen,
Ne quid de fratre garrulae illi dicerem, ac fieret palàm.
Nunc quid faciam? dicam fratris eſſe? id quidem minime eſt opus
Vſque efferri. ac mitto; fieri potis eſt, vt ne quà exeat.
Ipſum id metuo vt credant: tot concurrunt veriſimilia.
Egomet rapui: ipſe egomet ſolui argentum: ad me abducta eſt domum:
Haec adeò mea culpa fateor fieri, non me hanc rem patri,
Vtut erat geſta, indicaſſe? exoraſſem vt eam ducerem.
Ceſſatum vſque adhuc eſt. nunc porrò Aeſchine expergiſcere.
Nunc hoc primum'ſt: ad illas ibo, vt purgem me: accedam ad fores.
Perii, horreſco ſemper, vbi pultare haſce occipio miſer.
Heus, heus: AEſchinus ego ſum, aperite aliquis actutum oſtium.
Prodit neſcio quis: concedam huc.

DISCRVCIOR ANIMI. Hoc loco χαρακτῆρα amantis modice iuuenis, & ſenis facit indulgentis, ac lepiſſimi patris. DISCRVCIOR ANIMI. ἀνταπόδοσις figura: vt, *O præſtans animi.*

HOCINE DEINPROVISO MALI. Hæc verba repentiuo nuntio perculſum indicant AEſchinum propter diuortium ſtare: & iram circa ſe Soſtratæ, & eius filiæ ob raptum meretricis.

OBIICI. Proprie, quia inopinanti. nam *Obiici* dicitur in vtramque partem: vt ſiquos antè quis videt quàm expectauerit. quo verbo magnitudo doloris oſtenditur ex improuiſo incommodo.

VT NEQVE QVID ME FACIAM. Plus eſt, *Quid me faciam*: quàm, *Quid faciam*. illud enim de rebus: hoc, de ipſo homine intelligitur. NEQVE QVID AGAM, CERTVM EST. *Certum eſt*, pro *Certum ſit*. niſi fortè vt, *Quàm* ſignificet.

MEMBRA METV DEBILIA SVNT ANIMVS TIMORE OBSTIPVIT. Metu patris: Timore diuortij.

NVNC SVSPICIO. Modò oſtenditur cauſa trepidationis AEſchini.

IO ANVS MIHI INDICIVM FECIT. Illa anus cui Soſtrata dixerat, *Curre, obſtetricem accerſe.*

NAM VT HINC FORTE EA AD OBSTETRICEM ERAT MISSA. Apparet inter cætera anum dixiſſe ad obſtetricem ſe miſſam: an vltro hæc ſuſpicatus eſt AEſchinus? *Hinc* autem addendo, oſtendit ſe ante fores Soſtratæ ſtare. vt alibi, *Ex Andro commigrauit huc viciniæ.*

VBI EAM VIDI. Sunt qui addant ſuperuacuè *Hanc*: & legunt, *Hanc vbi vidi.*

PAMPHILA QVID AGAT: IAM PARTVS ADEST. Amatoria interrogatio, qua monſtrat AEſchinus curæ ſibi eſſe res omnes.

ILLA EXCLAMAT. Non *Reſpondet*, ſed, *Exclamat*. Et bene vim addidit ad exclamationem fuiſſe. Ergo à vocis ſono exclamat, non à verbis.

ABI, ABI IAM AESCHINE: SATIS DIV VERBA DEDISTI NOBIS. Vſque dum intelligeremus.

SAT ADHVC TVA NOS FRVSTRATA EST FIDES. Vſque dum deciperetur.

HEM, QVID ISTVC OBSECRO INQVAM EST? *Hem*, interiectio eſt nouas res & inopinatas audientis.

VALEAS: HABEAS ILLAM. Quaſi recedat & longe abſit. vt in Andria, *Valeant qui inter nos diſsidium volunt.*

GARRVLAE. Vtpote anus.

AC FIERET PALAM. Demeæ ſcilicet, cui minime opus fuit.

NVNC QVID FACIAM. Figura διαπόρησις.

VT NE QVA EXEAT. Erumpat: vt,

——— *quam ſpumeus amnis*
Exiit, oppoſitaſque euicit gurgite moles.

IPSVM ID METVO VT CREDANT. *Ipſum*, quòd fratri rapui. & *vt*, pro *Ne non* poſuit.

TOT CONCVRRVNT VERISIMILIA. Vt mea eſſe credatur.

AD ME ABDVCTA EST DOMVM. Proprie, non dixit *Adducta*, ſed *Abducta*: *Abducitur* enim alienum; vt in Heautontimorumeno, *Abducimus tuam Bacchidem.* *Ad me* autem domum, moraliter dixit, pro *Ad domum meam.* an ideo *Ad me*, quia & illic luctatus leno eſt in retinenda contra AEſchinum puella?

VTVT ERAT GESTA, INDICASSE. Id eſt, ſiue male, ſiue bene geſta erat: *vt* enim, certam qualitatem ſignificat: *vt vt* incertam. quaſi dicat, Quoquo modo, male bene.

EXORASSEM VT EAM DVCEREM. Sic enim promiſerat Soſtratæ ſe fuiſſe facturum.

NVNC PORRO AESCHINE EXPERGISCERE. Sic & alibi, *Enimuero Daue, nihil loci eſt ſegnitiæ neque ſocordiæ.* Legitur & *Etiam*: quod eſt correptiuum interdum.

NVNC HOC PRIMVM. *Primum*, ab eo quod rogandus eſt pater.

ACCEDAM AD FORES. Soſtratæ ſcilicet.

HORRESCO SEMPER. Satis amatorie: nam nimium ſempeꝛ eſt calor, & frigus rece-

dit à corpore. vt, *Totus Parmeno tremo horreóque, poſtquam aſpexi hanc.*

APERITE ALIQVIS ACTVTVM OSTIVM. Vim pluralem habet *Aliquis*, quamuis ſingulariter dicatur: non eſt enim *Aliquis* niſi de multis. recté ego *Aperite aliquis* & noué. nam non placet illud, vbi duæ diſtinctiones ſunt: vnde *Aperite* eſt vna, altera *Aliquis*.

ACTVTVM OSTIVM. Vt aſſumatur rurſus, *Aperiat*. propriè enim veteres & *Quis*, & *Aliquis*, & *Quiſquam*, non obſeruabant quo genere aut quo numero declinarent. eſt ergo figura ἀρχαϊσμός.

ACTVS QVARTI SCENA V.

MICIO. AESCHINVS.

ITA vt dixi, Soſtrata,
Facite: ego Aeſchinum conueniam, vt quomodo acta haec ſint ſciat.
Set quis oſtium hoc pultauit? AE. pater hercle eſt: perij. MIC. AEſchine.
AE. Quid huic hîc negotiſt? MIC. túne has pepuliſti fores? tacet.
Cur non ludo hunc aliquantiſper? melius eſt.
Quandoquidem hoc nunquam mihi ipſe voluit credere.
Nihil mihi reſpondes? AE. non equidem iſtis, quod ſciam.
MIC. Itá? nam mirabar quid hic negoti eſſet tibi.
Erubuit: ſalua res eſt. AE. dic ſodes pater,
Tibi verò quid iſtic eſt rei? MIC. nihil mihi quidem:
Amicus quidam me à foro abduxit modò
Huc aduocatum ſibi. AE. quid? MIC. ego dicam tibi.
Habitant hîc quædam mulieres pauperculae,
Vt opinor, has non noſſe te, & certò ſcio:
Neque enim diu huc commigrarunt. AE. quid tum poſtea?
MIC. Virgo eſt cum matre. AE. perge. MIC: haec virgo orba eſt patre.
Hic meus amicus illi genere eſt proxumus:
Huic leges cogunt nubere hanc. AE. perij. MIC. quid eſt?
AE. Nihil: rectè: perge. MIC. is venit, vt ſecum auehat:
Nam habitat Mileti. AE. hem virginem vt ſecum auehat!
MIC. Sic eſt. AE. Miletum vſque obſecro? MIC. ita. AE. animo malè eſt:
Quid ipſae? quid aiunt? MIC. quid iſtas cenſes? nihil. enim
Commenta mater eſt, eſſe ex alio viro,
Neſcio quo, puerum natum; neque eum nominat:
Priorem eſſe illum, non oportere huic dari.

AE. Eho, nónne haec iuſta tibi videntur poſtea?
MIC. Non. AE. obſecro non? an illam hinc abducet, pater?
MIC. Quid illam ni abducat? AE. factum à vobis duriter,
Inmiſericorditerque: atque etiam, ſi eſt pater
Dicendum magis apertè, inliberaliter.
MIC. Quamobrem? AE. rogas me? quid illi tandem creditis
Fore animi miſero qui cum illa conſueuit prius,
Qui infelix haut ſcio an illam miſerè nunc amat,
Quum hanc ſibi videbit praeſens praeſenti eripi,
Abduci ab oculis? facinus indignum pater.
MIC. Qua ratione iſtuc? quis deſpondit? quis dedit?
Cui, quando nupſit? auctor his rebus quis eſt?
Cur duxit alienam? AE. an ſedere oportuit
Domi virginem tam grandem, dum cognatus huc
Illinc veniret, expectantem? haec mi pater
Te dicere aequum fuit, & id defendere.
MIC. Ridiculum: aduorſúmne illum cauſam dicerem,
Cui veneram aduocatus? ſet quid iſta AEſchine
Noſtra? aut quid nobis cum illis? abeamus. quid eſt?
Quid lacrumas? AE. pater obſecro, auſculta. MIC. AEſchine, audiui omnia,
Et ſcio: nam te amo: quò magis quae agis curae ſunt mihi.
AE. Ita velim me promerentem ames, dum viuas mi pater,
Vt me hoc delictum admiſiſſe in me, id mihi vehementer dolet,
Et me tui pudet. MIC. credo hercle: nam ingenium noui tuum
Liberale: ſet vereor ne indiligens nimium ſies.
In qua ciuitate tandem te arbitrare viuere?
Virginem vitiaſti, quam te ius non fuerat tangere:
Iam id peccatum primùm magnum, at humanum tamen:
Fecere alij ſaepe, item boni. at poſtquam id euênit, cedò,
Numquid circumſpexti? aut numquid tute proſpexti tibi
Quid fieret? quà fieret? ſi te ipſum mihi puduit dicere,
Quà reſciſcerem? haec dum dubitas, menſes abierunt decem.
Prodidiſti & te, & illam miſeram, & gnatum, quòd quidem in te fuit.
Quid credebas? dormienti haec tibi confecturos deos?
Et illam ſine tua opera in cubiculum iri deductum domum?
Nolim ceterarum rerum te ſocordem, eodem modo
Bono animo es, duces vxorem hanc. AE. hem. MIC. bono animo es, inquam.

inquam. AE. pater
Obſecro, non ludis tu nunc me? MIC. ego te? quamobrem? AE. neſcio;
Quia tam miſere hoc eſſe cupio verum, eò vereor magis.
MIC. Abi domum, ac deos comprecare, vt vxorem arceſſas: abi.
AE. Quid? iam vxorem? MIC. iam. AE. iam! MIC. iam quantum potes. AE. di me pater
Omnes oderint, ni magis te, quàm oculos nunc amo meos.
MIC. Quid? quàm illam? AE. aequè. MIC. perbenignè. AE. quid? ille vbi eſt Mileſius?
MIC. Abiit: periit: nauem aſcendit. ſet cur ceſſas? AE. abi pater.
Tu potius deos comprecare: nam tibi eos certè ſcio,
Quò vir melior multò es, quàm ego, obtemperaturos magis.
MIC. Ego eo intrò, vt quae opus ſunt, parentur: tu fac vt dixi, ſi ſapis.
AE. Quid hoc eſt negoti? hoc eſt patrem eſſe? aut hoc eſt filium eſſe?
Si frater aut ſodalis eſſet, quî magis morem gereret?
Hic non amandus? hicine non geſtandus in ſinu eſt? hem.
Itaque adeò magnam mihi iniecit ſua commoditate curam,
Ne fortè inprudens faciam, quod nolit: ſciens cauebo.
Set ceſſo ire intrò, ne mora meis nuptiis egomet ſiem?

ITA VTI DIXI SOSTRATA, FACITE. Hic apparet Micionem iam multa dixiſſe.
FACITE. Iubet vt vel ſecuræ ſint, vel adornent nuptias.

EGO AESCHINVM CONVENIAM. Mire occurſurus AEſchino, AEſchinum quærit.

PATER HERCLE EST. Quid eſt hoc quod Micio timetur? an quia illi non eſt confeſſus? Oſtendit autem poeta tantundem pudorem poſſe, aut amplius, quàm timorem.

QVID HVIC HIC NEGOTI EST. Alius timor, quòd hinc egreditur pater.

TVNE HAS PEPVLISTI FORES. Sic cœpit interrogare, vt negationi locum præbeat. Et nota *Pepuliſti*, elatum verbum: & tragico cothurno magis quàm loquelæ comicæ accommodatur.

TACET. Hoc apud ſe loquitur Micio.

MELIVS EST. Et non, *Ludere bonum eſt*: ſed *Melius*. & hoc meliore affectu dixit, quàm ſi diceret, *Dignum eſt*.

HOC NVMQVAM MIHI IPSE VOLVIT CREDERE. Contra illud, quod ait,

——— Poſtremo alij clanculum
Patres quæ faciunt, quæ fert adoleſcentia,
Ea ne me celet, conſueſeci filium.

Credere autem magno affectu dixit. non enim confiteretur vt patri: ſed crederet, vt parenti, aut ſodali ſuo.

NON EQVIDEM ISTAS. Deeſt, *Pulſaui*. QVOD SCIAM. Quantum ſcio.

ITA? NAM MIRABAR QVID HIC NEGOTI ESSET TIBI. Accepit negationem Micio, vt ludere AEſchinum poſſit.

ERVBVIT: SALVA RES EST. Nimis paterna ſententia. & è contrario Simo in Andria, *Vide num eius color, pudoris ſignum vſquam indicat*. Et quanti affectus eſt, non dixiſſe, *Erubuit, ſaluus eſt*: ſed, *Salua res eſt*. Nónne videtur tibi res eius omnis in AEſchino conſtituta? eodem animo & ſuprà dixit, *In eo me oblecto, ſolum id eſt charum mihi*. Non enim ſolum retulit

quod expectabatur: ſed abſolute, quaſi ex omnibus ſolum id eſt, inquit.

NIHIL MIHI QVIDEM: *Mihi*, id eſt meæ propriæ rei. & callida negatione cœpit: vt & illi adimat confitendi locum ac fiduciam: ſimúlque fiat ei deſperatio ducendæ eius, cuius mentio tam contemptim ab ipſo tractetur.

AMICVS QVIDAM ME A FORO ABDVXIT MODO HVC ADVOCATVM SIBI. Hinc incipit mendacium, mixtum vero nam *Amicus quidam me à foro huc*, verum eſt: *Aduocatum*, falſum. Sed *Huc* & *Quidam*, modo ἔμφασιν habeat leuis negotij, & in quo nec magnæ perſonæ, nec res difficilis operæ aut longæ occupationis habentur. Et *Aduocatum* dicendo, alienum negotium demonſtrauit: nam & *Sibi* non vacat. ſi enim mulieribus addidiſſet, potuit aliud ſperari.

QVID? Deeſt *Ait*: vt ſit, *Quid ait?*

EGO DICAM TIBI. Senile eſt. nam id iam dicendum fuit. & hoc ἔμφασιν habet vilis rei, quæ vel facile dici poſſit, vel non celanda ſit.

MVLIERES PAVPERCVLAE. Non potuit magis celare dignitatem formæ & ætatis puellæ, quæ amatur ab AEſchino, quàm vt eam primo eodem nomine cum matre nominaret: deinde communiter diceret de ambabus vniuerſa quibus contemni debeant.

QVAEDAM MVLIERES PAVPERCVLAE. *Paupercula* addidit, vt magis deſperet AEſchinus impetrare poſſe has nuptias à patre. Et item. *Quædam*: vt ignobiles demonſtrarentur. Et totum hoc cum abiectione pronuntiandum eſt. *Quædam*. & *Paupercula* dicendo, adimit omnem ſpem nuptiarum: nam *Quædam*, ignobilem indicat: *Pauper*, indotatam. quid ergo remanet quod ſperet AEſchinus? PAVPERCVLAE. Nec pauperes ſaltem. ET CERTO ECTO. ὑποκόρισμα: parum dixit inquit.

OPINOR. Vel adeò obſcuræ ſunt, & nullius pretij, *vt opiner has non noſſe te*. Potuit rectè dicere & hoc, *Vt opinor, has non noſti*: ſed illud vetuſtius. VT OPINOR HAS NON NOSSE TE. Aut abundat *vt*: aut deeſt *Scilicet*. Magnum autem crimen eſt in forma vicinæ puellæ, incognitam eſſe adoleſcenti de proximo. Et quia ſcit hunc eſſe de quo dixerit, *Quam hic non amauit meretricem? aut cui non dedit aliquid?* ſubdidit cauſam ne dignitatis pudoriſque eſſet, quòd eam incognitam AEſchino eſſe dixiſſet: Neque enim diu huc, inquit, commigrauerunt. Et *vt opinor*, mire ipſe ſibi ſumit atque confirmat, quod nondum ille confeſſus eſt.

QVID TVM POSTEA. Gratiſſime proditur AEſchinus amator, quum ſedulò diſſimulet.

VIRGO EST CVM MATRE. Vult Micio ſic audire AEſchinum tanquam alieniſſimum: & ideo velut inſcius facti, diligentius narrat. *Virginem* autem ἀρχαϊσμῷ, pro *muliere* dixit.

HIC MEVS AMICVS. Qui me aduocatum abduxit de foro.

HVIC LEGES COGVNT NVBERE. Non *Permittunt*, dixit: nec *Iubent*: ſed *Cogunt*, ad perturbandum AEſchinum, & rectè. alia enim ſinunt leges, alia cogunt fieri. Et ne eſſet quo reſiſteretur illi, vult vt mulieres à lege cogantur.

PERII. Hoc audit Micio, ſed diſſimulat.

NIHIL RECTE. Id eſt, rectè quòd perij. & nihil magis comicum. Et vide triſyllabum artificioſe eſſe ſubiectum: vt qui *Perij* dixit, vix hoc locutus fuiſſe videatur.

PERGE. Vide inſtantius interrogantem, quàm extraneum decuit.

IS VENIT VT SECVM AVEHAT. Aliud peius in amatam, vt nec Athenis ſaltem alteri nuberet.

NAM HABITAT MILETI. Πιθανῶς *Mileti*. & eſt aduerbium locale.

HEM, VT VIRGINEM SECVM AVEHAT. Hic acrius commoueri proditur adoleſcens, vt affectu fateatur quod verbis negat.

SIC EST. MILETVM VSQVE OBSECRO? ITA. ANIMO MALE EST. Ille oblitus ſui, ſic indignatur, vt in re propria. hic rurſus callide vultu vtitur, tanquam aliena narrantis. MILETVM VSQVE OBSECRO. Bene *Vſque*. nam *Miletos*, colonia eſt Athenienſium in Ponto. ANIMO MALE EST. *Animo male fieri* dicitur, quum ictu alicuius mœroris perculſus animus, non ſuſtinet corpus: ſequitúrque ruina membrorum.

QVID IPSAE, QVID AIVNT Non ſtatim credit AEſchinus pudicam matrem familiâs

ſtatim conſentire in nuptias nouas viri ignoti.

QVID ISTAS CENSES. *Poſſe dicere*, ſubaudiendum.

NIHIL ENIM, *Dicunt*, ſubaudiendum. & ſic intelligendum *Nihil*, non quòd taceant, ſed quòd nihil confirmationis habeat id quod dicunt.

COMMENTA MATER EST. Nunc dicit quid dicat. etiam *Commenta* dixit, id eſt fallaciam confinxiſſe, veriſimile comminiſci.

EX ALIO VERO. Iam de proximo tangit AEſchinum.

PRIOREM ESSE ILLVM. Mire tractat etiam partes AEſchini.

NONNE HAEC IVSTA TIBI VIDENTVR POSTEA? Scilicet illa quæ amicus tuus dixerat prius, quàm hæc audires. IVSTA TIBI. *Iuſta* quæ poſtea audiſti, quàm illa quæ pro Lemnio dicebas prius. Aut ſi hoc non eſt: quære quid ſit *Poſtea*. videtur enim *Poſtea* ſic abundare, quomodo interdum *Hodie* de ſtomacho adiicitur loquentis. vt Virgilius dicit. *Numquam omnes hodie moriemur inulti.*

NON. Vultuoſe pronuntiandum eſt *Non*.

AN ILLAM HINC ABDVCET PATER. *Hinc*, tanquam ſingultus ploraturi eſt. nam ſic eſt pronuntiandum. PATER. Quaſi hoc ad ſupplicandum dicatur.

FACTVM A VOBIS DVRITER. Non *Dure & Crudeliter*: ſed quaſi dura mente, id eſt inflexibili, & quod Greci dicunt ἀπηνής.

IMMISERICORDITERQVE. Nota octo ſyllabarum aduerbium, atque inſuper compoſitum, & cum coniunctione prolatum.

ILLIBERALITER. ἀγεννῶς: nam multa duriter, etiam ſi opus ſit, immiſericorditer quoque, & facienda ſunt, & patienda, ſi ita ratio & cauſa cogat: & non ſit illiberale, id eſt non malum atque inhoneſtum. ILLIBERALITER. Iniuſte, inclementer, non bene. quia *liberalis*, bonus dicitur.

SI EST PATER DICENDVM MAGIS APERTE. Id eſt apertius: quia iam apertum fuerat, duriter, & immiſericorditer. Et bene præfatus eſt, ne contumax aduerſus matrem videretur.

QVAMOBREM. Delectari magis cupiens Micio, AEſchinum vult protrahere ad defenſionem ſui.

FORE ANIMI MISERO. Quid de ſe plus diceret, ſi factum fateretur?

QVI CVM ILLA CONSVEVIT. Legitur & *Illam*: & dicebant veteres, *Hanc rem conſueui*. & ἀσχημόνως vt Plautus, *Et clandeſtina vt celetur conſuetudo*. Et maiore affectu non amorem allegauit, ſed quod eſt commune cum bonis, & multo iuſtius, conſuetudinem.

QVI INFELIX. Non *Qui*: ſed, *Qui infelix*: & non *Amat*, ſed *Miſere* dixit. & ita affectu proditur, qui vt alienus vult loqui.

PRAESENS PRAESENTI ERIPI. Adiuuant ſignificationem hæc ex abundanti addita: vt

Illam abſens abſentem auditque videtque.

Et, --- *Fratrem ne deſere frater.* Sic Cæcilius in Eratoſthene, *Hac caterua plena gladiatoria, quum ſuum ſibi alius ſauciat: ſocius ſocium.* Et totus hic locus eſt tranſlatus à Virgilio, in IIII. AEneid.

Quis tibi nunc Dido cernenti talia ſenſus,
Quóſue dabas gemitus, quum littora feruere late
Proſpiceres arce ex ſumma, totúmque videres
Miſceri ante oculos tantis clamoribus æquor?

ISTVC. Deeſt, *Dicis*.

QVIS DESPONDIT. Latenter obiurgat AEſchinum, rem ſine patre geſſiſſe. & dicitur figura ἐπιτροχασμὸς. QVIS DESPONDIT. Quia non interfuit pater.

QVIS DEDIT. Quia rapuit ante quàm peteret.

QVANDO NVPSIT. Quia nuptiæ non factæ ſunt. Et *Nupſit* moleſte additum, quaſi aliena ſit, quæ non legibus ducta ſit.

AVCTOR HIS REBVS QVIS EST. Datiuo caſu, non *Harum rerum*. Et Salluſtius, *Qui tunc Romanis imperator erat.* AVCTOR HIS REBVS QVIS EST. Iterum obiurgat, quia non interfuit pater. & agit ſic dolens, velut ſibi minus amoris præbitum fuerit, Micio: vt

ſe his, quantum amor patitur, videatur vlciſci, quódque ſibi negotium non confiteatur AEſchinus.

AN SEDERE OPORTVIT. *Sedere* proprie ignauæ ceſſationis eſt. vt, *Sedeant ſpectentque Latini.* Et, *Quid ſedes Verres? quid ſpectas?*

CVR DVXIT ALIENAM. Vtrum filiam? an quæ poſſit alienа eſſe? nam omnes alienas filias ducunt.

TAM GRANDEM. *Grandem*, ad ætatem veteres retulerunt, non ad corpus. & in parte ætatis dicitur grandis, non in tota vita, niſi ſi addatur *Natu* vt, *Grandis natu parens adductus ad ſupplicium.* Et *Grandis infans.* & *grandis puer*, & *grandis ephebus*, & *grandis virgo* recte dicitur. Et vnde ſcit AEſchinus? an grandem hic fingit ignotam? an quia dixit Pater, Commenta mater eſt eſſe ex alio viro neſcio quo puerum natum. Ergo & illa grandis: & ſeruus Mileſius, qui tunc virginem petit quum iam alteri data ſit. vel rapta ſit alteri.

DVM COGNATVS HINC ILLINC VENIRET. Prouerbialiter *Hinc illinc.*

ET TU DEFENDERE. Non potuit magis amatorie, & magis pueriliter loqui, quàm vt non contentus quod ait, *Hæc dicere te æquum fuit*: etiam adderet, *Et id defendere.* Patet autem qualis affectus eſt, quum etiam patri ob alienam cauſam blanditur, vt ipſe nunc ſimulat.

RIDICVLE. Vocatiuus eſt caſus, ab eo quod eſt *ridiculus.*

QVID ISTA AESCHINE NOSTRA. Hic iam vltima deſperatio, & AEſchinum in confeſſionem protrahet, & in finem fallaciæ ſenem deducet. Et bene quidem *Noſtra* dixit. memor eſt enim ſe reſpondiſſe AEſchino interroganti, Tibi verò quid iſtic rei eſt? Nihil mihi quidem. Totum autem hoc ſenex ad id redegit, non tam vt torqueret AEſchinum, quàm vt maius faceret beneficium ſuum, exponendo id quod penè periculum amor eius incideret.

QVID EST? QVID LACRVMAS. Quaſi repentè animaduerterit flentem, & quaſi cauſam omnem neſciat, ſic inquirit.

AESCHINE. Non exhibuiſſet perſonam patris, niſi pietate victus, pati filium nollet confeſſione torqueri. Virgilius,

——— *nec plura querentem Paſſa Venus, medio ſic interfata dolore eſt.*

Bene ergo intelligunt qui ſic accipiunt, perrecturum adhuc fuiſſe Micionem, niſi victus affectu fallaciam proieciſſet.

NAM TE AMO. Bene addit, *Nam te amo*, & cætera. nam & inuidis, & inimicis moris eſt ſcire quid agamus.

ITA VELIM ME PROMERENTEM AMES. Quàm pie additum eſt *Promerentem*: tanquam illic ſit votum AEſchini, quum poſſit pater etiam immeritum amare. Et animaduertendum eſt, *vt* ſemper ſequi, vel ſtatim, vel ex interuallo, maxime in huiuſmodi confirmationibus. ſic Cicero, *Ita velim mihi deos propitios, vt quum illius temporis mihi venit in mentem*, & cætera. *Velim* autem, pro *Volo* antiquè dicitur.

VT ME HOC DELICTVM ADMISSE IN ME. *Me in me*, ἀνξητικῶς adiectum eſt.

ET ME TVI PVDET. Ambiguum quidam hoc dictum putant: ſed apparet adoleſcentem propter ſuum peccatum dicere, non quòd quicquam turpe fecerit patri.

NE INDILIGENS NIMIVM SIES. Non ergo ingratus, ſed negligens AEſchinus: nec negligens, ſed *indiligens*, nec in alterum, ſed in ſe deliquit. Mitiæ clementiæ genus eſt aut omnino ignoſcere, aut crimen in leuius commutare nam tota obiurgatio ita amica eſt, vt non multum à blandimento diſcrepet: magiſque proficiat apud audientem, vt vult Terentius: quàm illa aſpera atque præfracta.

IN QVA CIVITATE TANDEM TE ARBITRARE VIVERE. Communem locum inducit à loco, à perſona, à facto, à tempore. IN QVA CIVITATE. Aliter pronuntiandum eſt, id eſt preſſe ac leniter: ne faciat illud Tullianum, *Pro di immortales, vbinam gentium ſumus? quam rempublicam habemus? in qua vrbe viuimus?* Et *Tandem* pro *Tamen.* IN QVA CIVITATE. Hoc eſt, oblitus es Athenis te eſſe, vbi viuitur legibus? Vide omnes ſententias poni accuſatorias, & nihil amoris. iſti ſunt orationum colores difficillimi: ſed elaborauit Terentius Micionem facere leniter accuſantem, & inducere Demeam duriſſimè blan-

dientem. IN QVA CIVITATE. Quod obiurgat Micio, magni amoris eſt, & neceſſaria pro perſona aſſentatio. non enim conuenit patrem nimium diligentem filium, eius præterire peccata.

VIRGINEM VITIASTI. Vide & rem dici, & abeſſe tragicam inclamationem, & oſtendi delictum: & ad veniam feſtinari. nam ſtatim dicet, *Iam id* peccatum primùm eſt magnum, at humanum tamen. Et tota pronuntiatio huiuſmodi verbis ſummiſſa debetur.

FECERE ALII SAEPE, ITEM BONI. Moris eſt exemplo lenire, quod purgare non poſſis. FECERE ALII SAEPE, ITEM BONI. Conſolatio ab exemplo. Et *Boni*, non quum hoc facerent, ſed aliàs boni.

AT POSTQVAM ID EVENIT. *Euenit*, inquit, non *Commiſſum eſt*. nihil innocentius dici potuit.

NVMQVID CIRCVMSPEXTI. σύγκοπὴ ΗΑΑΗΤΑΝΑΣΜΟΣ * pro *circumſpexiſti*. *Circumſpicimus* præſentia. *Proſpicimus* futura.

QVA FIERET. Id eſt qua ratione, quo modo fieret? & *qua ratione*, id eſt quibus adminiculis. vel per quas perſonas?

SI TE IPSVM MIHI PVDVIT DICERE. Optime hoc additum eſt: quaſi non debuerit AEſchinum apud Micionem pudere.

QVA RESCISCEREM. *Qua*, id eſt per quos. & ad omnia ſubauditur: numquid circumſpexti? QVA RESCISCEREM. Deeſt *Re*, vel *Ratione*.

MENSES ABIERVNT DECEM. Mire *abierunt*, Quaſi dicat, Te ceſſante, menſes ceſſere: & locus eſt inculſationis à tempore. Et *abire* dicitur quod paulatim nos deſerit: hoc autem ex partu intelligit.

PRODIDISTI ET TE, ET ILLAM MISERAM. Vide feſtiuum ſenem, quantum ſe adoleſcenti accommodet: non enim illum, quem cauſa depoſcit, ſed amatorium ordinem fecit, prius dicendo *Prodidiſti te*, quàm illam, tum etiam gnatum. vt ex animo amare videatur id quod natum eſt. PRODIDISTI. Decepiſti vel deſeruiſti. vt Virgilius,

——— *vnius ob iram Prodimur.*

QVOD QVIDEM IN TE FVIT. Salluſtius, *Quod in familia noſtra fuit, præſtitit, vt in omnibus bellis adeſſet vobis.* Et Cicero, *Senator P. R. quod in vobis fuit, iacuit & perrecſtauit in publico.* QVOD QVIDEM IN TE FVIT. Pro, id quod in te erat: id eſt quantum in officio tuo ſpei & auxilij partium tuarum fuit: vel, quantum ad te ſpectabat. Et hîc eſt illud quod obſequentiſſimus pater vult omnia per ſe eſſe correcta.

DORMIENTI HAEC TIBI CONFECTVROS DEOS. Quàm mitis, quàm faceta obiurgatio. Videtur ſatis Micio ille eſſe qui antè eſt deſcriptus? QVID CREDEBAS? DORMIENTI HAEC, &c. Incerta diſtinctio: nam & per ſe *quid*, & *quia credebas*, legi poteſt: & velut hic ſubaccuſatur AEſchinus, *Dormienti hæc tibi confecturos deos?* ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου Et quæ ſint quæ à diis, ceſſantibus præſtari non poſſint, ſequenti verſu docet, ne videatur de diis, male ſenſiſſe. DORMIENTI. Multo melius quàm ſi diceret ceſſanti. & non, *Facturos*: ſed quod plenum eſt, *Confecturos*. Et mire Deos ponit in eo negotio quod ipſe præſtat: tanquam hîc & ſe & deos excuſet, quòd non fecerint AEſchino, quæ volebat, etiam dormienti.

ET ILLAM SINE TVA OPERA IN CVBICVLVM IRE DEDVCTVM DOMVM. ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου Ordo, deductum iri domum.

NOLIM CETERARVM RERVM TE SOCORDEM. Quàm nihil imperioſe ac pro authoritate patria fit. *nolim*, inquit, *te ſocordem ceterarum rerum eſſe*. non dixit, *ne ſis ſocors*.

BONO ANIMO ES. Apparet flenti hæc dicta omnia eſſe. & hoc decuit verecundum adoleſcentem & ex vitantæ orationis, & metu amittendæ puellæ. Et *es*, modo imperatiui modi eſt, temporis præſentis. nam *eſto*, futuri eſt.

DVCES VXOREM. Datur in vltima obiurgatione, & breuiter & plena ſecuritas.

HEM. Singultientis fletu & gaudio dixit *Hem*.

OBSECRO NON LVDIS TV NVNC ME. Mœſtus amatoris animus ludentem ſerio loqui credidit: vera dicentem, quia optata ſunt, putat ludere nunc. Poteſt & ob hanc cauſam dicere, *Ludis tu me nunc*: quòd numquam eum antea luſerit.

Ego te! qvamobrem. Magna vis pronominum cur non ludat. quibus & acceſſit conſideratio rei. nam primo *ego*: deinde *te*: deinde cauſæ propoſitio. Et recte *Ludu*. Eſt enim amantis in falſum metum coniicere imminente lætitia, qualibet ſententia. inimici verò in falſum gaudium quemquam impellere ſub alicuius mœroris aduentum. & ideo negat ſe Micio in hac parte luſurum AEſchinum, qui in aliis luſerit.

Nescio. Religioſe dixit *Neſcio*: quaſi non ſit ratio quare non credat patri, quamuis ſubiecerit cauſam.

Qvia tam misere hoc cvpio esse verum. Pro nimis: quia nimia miſeria: vt, *Ne quid nimis.* hoc enim putant, qui virtutes mediocritates eſſe dixerunt.

Abi domvm, ac deos comprecare. Magnus inſtitor ſui beneficij eſt, qui à diis petendum eſſe dixit, quod ipſe præſtabit. an ideò quia ordinis fuerat, prius rem diuinam facere, & ſic vxorem accerſere? Et bene repetitum eſt *Abi*: quaſi hærenti moranti que: vt, *Vos iſtac intrò auferte: abite.*

Qvid? iam vxorem. Acceſſit ad beneficium tempus. & ideò *Iam* quaſi geſtiens repetit adoleſcens.

Qvantvm potes. Aut deeſt *cito*: aut *quantum poteſt eſſe.*

Qvid? qvam illam. Commendat ſe Micio, & familiariorem amatori facit, mentionem faciendo ſæpius de amica in vxorem ducenda.

Ni magis te, qvam ocvlos nvnc amo meos. Mire *Nunc* addidit. & eleganter inuentum eſt quod in ſe amator multum diligat, id eſt oculos, vt è contrario in Eunucho, *Adoleſcenti ipſi eriperem oculos.* id eſt, ipſos de quibus amat.

Aeqve. Sic infert hoc quaſi dubitando inuenerit.

Perbenigne. Multum putat, quia amator hoc dixit: ergo *benignè*, largè, abundéque.

Qvid, ille vbi est milesivs. Non amat, ſi ſtatim timere deſinit. vnde Virgilius,

Omnia tuta timens, eadem impia fama furenti
Detulit, armari claſſem, curſúmque parari.

Abiit: periit: navem ascendit. Facete, *Abiit*: ne diceret, mentitus ſum. atque ita dixit, vt infantibus nutrices de terriculis dicere ſolent: quas quum ipſæ confinxerint, abolitas volunt, poſtquam illos vident nimium pauere. Et mihi videtur ridens hæc dixiſſe: vt intelligat AEſchinus, Micionem ioco fuiſſe mentitum.

Tibi obtemparatvros magis. Mira ſententia, deos obſequi bonis, quaſi bonis hominibus multum debeant. & in excuſationem precandi deos vide quæ facultas nata ſit patrem ſine aſſentatione laudandi. non eſt autem iniurioſum, ad patrem referre deprecationem deorum: ſed magis honorabile. nam tale eſt apud Virgilium,

Tu genitor cape ſacra manu, patriόſque penates.

vt ipſe patrem portet, hic deos.

Ego eo intro, vt qvae opvs svnt, parentvr: tv fac, vt dixi, si sapis. Hic verſus in quibuſdam non inuenitur.

Qvid hoc est negotii. Et mirantis hæc, & laudantis oratio eſt. & penè videtur huiuſmodi patrem Terentius probare.

Qvi magis morem gereret. *Qui* quo modo, quare, qua ratione.

Hic non amandvs. Omnia perfecit hic pater, vt & ametur, & laudetur, & foueatur.

Magnam mihi iniecit sva commoditate cvram. Mira ſententia; mala etiam de bonis nobis naſci. an bonus parens magnæ curæ eſt filio.

Sciens cavebo. Facere quod nolit ſcilicet.

Sed cesso ire intro, ne mora meis nvptiis egomet siem. Bene hoc, vtpote obiurgatus.

ACTVS QVARTI SCENA VI.

DEMEA.

DEFESSVS ſum ambulando : vt Syre te cum tua
Monſtratione magnus perdat Iuppiter.
Perreptaui vſque omne oppidum : ad portam, ad lacum;
Quò non ? neque illic fabrica vlla erat, neque fratrem homo
Vidiſſe ſe aiebat quiſquam : nunc verò domi
Certum obſidere eſt, vſque donec redierit.

DEFESSVS SVM AMBVLANDO. Hîc exemplum inducitur ſæui patris ex affectu vero, & ob hoc inuiſi omnibus. non autem tantum amare vultu, quàm ipſa re inducitur. nam neque ſibi, neque cuiquam alij, ſed filio tantum conſultum cupit. *De* autem, *valde* ſignificat.

VT SYRE TE CVM TVA MONSTRATIONE. *Vt*, pro *vtinam*. & hæc omnia anhelans dixit. TE CVM TVA. Adhuc non credit in errorem ſe miſſum fuiſſe. TE CVM TVA MONSTRATIONE. ἰδιωτικῶς *Te cum tua monſtratione.*

PERREPTAVI VSQVE OMNE OPPIDVM. Tardus inceſſus, non perambulatio, ſed *perreptatio* dicitur.

AD PORTAM, AD LACVM. QVO NON. Mire propinquiora omiſit, vtpote *porticum, macellum, Cratini ædes, templum Dianæ*: & vltima poſuit, vt quantum peragrauerit, demonſtraret. AD LACVM. Facete poeta memorem inducit ſenem, quorum minime opus fuit inemir iſſe. QVO NON. Duobus dictis, *Quo non* addidit: quaſi & ad dicendum laſſus appareat.

CERTVM OBSIDERE EST, VSQVE DONEC REDIERIT. Proprie *obſidere* dixit. conuenit enim & irato, & repente aggreſſuro. & ab eo quod eſt *obſideo*, *obſidere* facit, producta media ſyllaba. ab eo quod eſt *obſidio*, *obſidere* facit, eadem ſyllaba correpta.

ACTVS QVARTI SCENA VII.

MICIO. DEMEA.

IBO, illis dicam nullam eſſe in nobis moram.
D. Sed eccum ipſum. te iamdudum quaero Micio.
MIC. Quidnam? D. fero alia flagitia ad te ingentia
Boni illius adoleſcentis. MIC. ecce autem. D. noua,
Capitalia. M. ohè, iam. D. ah neſcis qui vir ſit. M. ſcio.
D. O ſtulte, tu de pſaltria me ſomnias
Agere, hoc peccatum in virginem eſt ciuem. MIC. ſcio.
D. Oho, ſcis & patere? MIC. quidni patiar? D. dic mihi,

Non clamas? non inſanis? MIC. non. D. malim quidem.
Puer natus eſt. MIC. di bene vortant. D. virgo nihil habet.
MIC. Audiui. D. & ducenda indotata eſt? MIC. ſcilicet.
D. Quid nunc futurum eſt? MIC. id enim quod res ipſa fert:
Illinc huc transferetur virgo. D. ô Iuppiter,
Iſtocine pacto oportet? MIC. quid faciam amplius?
D. Quid facias? ſi non ipſa re tibi iſtuc dolet,
Simulare certè eſt hominis. MIC. quin iam virginem
Deſpondi: res compoſita eſt: fiunt nuptiae:
Demſi metum omnem, haec magis ſunt hominis. D. ceterum,
Placet tibi factum Micio? MIC. non, ſi queam
Mutare: nunc quum non queo, aequo animo fero.
ITA VITA EST HOMINUM, quaſi quum ludas teſſeris:
Si illud, quod maximè opus eſt iactu, non cadit:
Illud quod cecidit forte, id arte vt corrigas.
D. Corrector: nempe tua arte viginti minae
Pro pſaltria periere, quae quantum poteſt,
Aliquò abicienda eſt, ſi non pretio, gratiis.
MIC. Neque eſt, neque illam ſanè ſtudeo vendere.
D. Quid igitur facies? MIC. domi erit. D. pro diuûm fidem!
Meretrix & mater familiâs vnà in domo?
MIC. Cur non? D. ſanúmne te credis eſſe? MIC. equidem arbitror.
D. Ita me di ament, vt video ego tuam ineptiam,
Facturum credo, vt habeas quicum cantites.
MIC. Cur non? D. & noua nupta eadem haec diſcet? MIC. ſcilicet.
D. Tu inter eas reſtim ductans ſaltabis. MIC. probè:
D. Probè? MIC. Et tu nobiſcum vnà, ſi opus ſit. D. ei mihi,
Non te haec pudent? MIC. iam verò omitte Demea
Tuam iſtanc iracundiam: atque ita vti decet,
Hilarum ac lubentem fac te gnati in nuptiis.
Ego hos conueniam: poſt huc redeo. D. ô Iuppiter,
Hancine vitam! hoſcine mores! hanc dementiam!
Vxor ſine dote veniet: intus pſaltria eſt:
Domus ſumptuoſa: adoleſcens luxu perditus:
Senex delirans: ipſa ſi cupiat Salus
Seruare prorſus hanc familiam non poteſt.

IBo, ILLIS DICAM. In hac ſcena eſt exemplum intempeſtiuæ obiurgationis, ac per hoc ridiculæ. IBO, ILLIS DICAM. Moris eſt ſecum loqui vel ſenes, vel maxime aliquid ex animo agentes. ILLIS DICAM. Soſtratæ & filiæ.

FERO ALIA FLAGITIA AD TE INGENTIA BONI ILLIVS ADOLESCENTIS. Magno ſonitu, ac ingenti oſtentatione futuræ accuſationis exorſus eſt. magna ſunt enim omnia, & *Fero*, &, *Alia flagitia*, &, *Ingentia*, & quòd εἰρωνικῶς, *Boni illius adoleſcentis*, dicit. BONI ILLIVS ADOLESCENTIS. εἰρωνεία, quæ ſemper amarius ponitur, quàm criminatio manifeſta.

ECCE AVTEM. *Ecce* dicitur, quum repente triſte aliquid rebus interuenit lætis, aut certe quum aliud agitur, aliud emergit nouum. vt Virgilius,

> *Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta,*
> *Horreſco referens, immenſis orbibus angues.* Et,
> *Ecce trahebatur paſſis Priameia virgo*
> *Crinibus.* ———

Et Cicero, *Ecce autem repente ebrio Cleomene, eſurientibus cæteris, &c.*

NOVA. Recentia. an mira & magna? vt, *Pollio & ipſe facit noua carmina.*

NESCIS QVI VIR SIT. εἰρωνεία. nam *vir*, ad laudem ſumi ſolet. vt alibi, *Virum te iudico.*

SCIO. Satis ridicule, nec quod ille cupit, abnegat Micio: vt conſentiendo, iracundiam Demeæ acriorem fieri * poſſibilem ſibi, mitigare queat. nam *Scio* ad negotij totius geſtionem retulit: non ad illud quod ait, *Neſcis qui vir ſit.*

EHO, SCIS, ET PATERE. Iam & illi iraſcitur, non AEſchino.

NON. MALIM QVIDEM. Alij volunt Micionem dicere, *Malim quidem*: alij Demeam.

PVER NATVS EST. DI BENE VORTANT. Hîc bono exemplo inducitur Micio iraſcentem iuſte Demeam leniter ferre: quia exanimato ob mœrorem non conuenit inclementer ire obuiam, quum poſſit in tempore obiurgari, poſtquam deſtomachatus fuerit. Et vide quàm facete: quum ille, *Puer natus eſt*, ad argumentum mali attulerit: hic ita reſpondit, quemadmodum ſolent illi, quibus puellam naſci metuentibus, nuntiatur puerum natum eſſe. nam in omnibus quæ cupitè venerint, *Dij bene vertant*, dici ſolet: quia ſæpe homines ea optauerunt, quæ aliis aliter atque expectauerunt, contigiſſent. quam poteſtatem rerum vertentium ſemet in vtramque partem, Vertumno deo ſuper eſſe veteres exiſtimauerunt.

VIRGO NIHIL HABET. Vult rem ſine remedio videri: quia ſcit poſſe nuptiis finiri ſollicitudinem. Et vide amaritudinem Demeæ contra omnes, vt nec virgini ipſi parcat.

AVDIVI. ἀφελῶς & cum ἐξουθενισμῷ reſpondendum, quaſi leue ſit quod admiſſum ſit.

ET DVCENDA INDOTATA EST. Ducenda ſcilicet, niſi damnandus ſit AE[illegible]inus. & hoc verbum, neceſſitatis vim habet: vt, *Pacem Troiano ab rege petendum.*

QVID NVNC FVTVRVM EST. More iraſcentium, quum ipſe ſciuerit quid futurum ſit, Micionem interrogat. & huiuſmodi interrogatio, ſecundum figuram ſuam non habet reſponſionem: ſed Micio ſic reſpondit, quaſi ſimpliciter inquirenti.

ILLINC HVC TRANSFERETVR VIRGO. *Virginem* quæ etiam cum viro fuit, vocat. Virg.

> *Ah virgo infelix.* ———

O IVPPITER, ISTOCINE PACTO OPORTET. *O Iuppiter*, tragice adiecit à Micione verſus. *Iſtocine pacto*, ad ipſum Micionem reſpiciens dixit.

SI NON RE IPSA TIBI ISTVC DOLET. Nunc *Rem* pro *Veritate* poſuit.

SIMVLARE CERTE EST HOMINIS. Non hoc dixit, quia hominis eſt mentiri: ſed quia ſæpe iracundiæ ſimulatio, cuſtodia diſciplinæ eſt.

IAM VIRGINEM DESPONDI. RES COMPOSITA EST: FIVNT NVPTIAE: Ne diceret, *deſpondi compoſitus facio.* Et *deſpondet puellam* qui petit: *Spondet* à quo petitur. Rectè ergo ſocer futurus, *Deſpondi*, dixit.

HAEC MAGIS SVNT HOMINIS. Bene repetit *Hominis*: ille enim dixerat, *Simulare certe eſt hominis.*

CETERVM, PLACET TIBI FACTVM MICIO. Nihil aliud volebat Demea niſi vt ſæ-

uirei Micio. quod imperrare non potuit, etiam ab eadem ſentiente, de prauitate & peccato AEſchini.

QVASI QVVM LVDAS TESSERIS. Rectum erat ſi diceret, *Ita vita eſt hominum quemadmodum teſſerul ludere*, aut, quemadmodum ludus eſt teſſerarum. Nota ergo genus locutionis. SI ILLVD, QVOD MAXIME OPVS EST IACTV, NON CADIT. Vtium, quod opus eſt, iactu non cadit: incerta diſtinctio. ILLVD QVOD CECIDIT FORTE, ID ARTE VT CORRIGAS. Ars adhibenda pro fortuna. non enim ſi male iactus ceciderit, deſerendus eſt ludus. Et *Forte* nunc pro *Fortuna* intelligendum.

CORRECTOR. Quia dixit, *Arte vt corrigas*. ſed motis eſt iratis ab vltimo verbo contradicentis incipere.

NEQVE EST, NEQVE ILLAM SANE STVDEO VENDERE. In ſcopulo verſatur Micio, in quo eligit ineptus potius videri, quàm prodat Cteſiphonem patri.

CVR NON. Poſſet dicere, non eſt AEſchini amica: ſed celanda eſt culpa Cteſiphonis.

ITA ME DI AMENT, VT VIDEO EGO TVAM INEPTIAM. Ordo eſt, Ita, me di ament, te facturum credo, vt habeas quicum cantites. Ipſe ſe fallit, non inquirendo vlteriorem cauſam retentæ in domo meretricis. Mire autem *Cantites*: quaſi turpius ſit cantare ſecum cum pſaltria, quàm coite.

ET NOVA NVPTA EADEM HAEC DISCET. Alius ſubaudiet *Dicere*. ſed ô magna in verbis elegantia. vide enim quam vim ſignificet *Dicet*. & ideo non *Vxor*, ſed *Noua nupta*, quam ad omnia docilem eſſe, ipſum indicat nomen.

TV INTER EAS RESTIM DVCTANS, SALTABIS. Luſus eſt natus ab eo fune quo introductus equus Durius in Troiam eſt. Cum nexis manibus fune, chorum ducunt ſaltantes. Hoc à quibuſdam dicitur. ſed ego puto manu conſertos choros puellorum puellarúmque cantantes, reſtim ducere exiſtimari: & id maxime conuenire ad exagitandam importunitatem ſenis, veluti pueros imitantis. Simul etiam quia iſte connexus manuum laſciuus ac petulans adimit diſcretionem conditionis, dignitatis, ætatis, inter meretricem, nouam nuptam, & ſenem. Et hoc, quemadmodum dictum eſt: & quanto ſtomacho iam ab AEſchino receſſum eſt, & tranſitum ad Micionis luxuriam deſcribendam.

IAM VERO OMITTE DEMEA. Mire vrbanitatem expreſſit vltro obiurgantis qui obiurgatus eſt.

TVAM ISTANC IRACVNDIAM. *Tuam iſtanc* dicendo & ridiculam & ſuper vacuam ſignificat. Et bene *iracundiam*: nam *Ira*, de cauſa eſt: *Iracundia*, de vitio multum iraſcentis.

ATQVE VTI DECET, HILARVM AC LVBENTEM. Bene addidit *Lubentem*. multi enim hilares ſe ſimulantes, non lubentes ſunt. HILARVM. Vetuſte: non, *Hilarem*.

FAC TE. Non dicit *Eſto*: ſed, elabora vt eſſe poſſis.

HANCINE VITAM? HOSCINE MORES? HANC DEMENTIAM. ἐλλειπτικῶς omnia, vt pote ſtomacho ſe ſecum loquens. deeſt enim *Eſſe*, aut quid tale.

DOMVS SVMPTVOSA. *Domus*, id eſt homines.

IPSA SI CVPIAT SALVS, SERVARE PRORSVS NON POTEST HANC FAMILIAM. Σωματοποιΐα. Plautus, *Lubentiorem te faciam, quàm ipſa lubentia eſt*. Etenim ὑπερβολὴ eſt, *Ipſa Salus ſi cupiat ſeruare, prorſus non poteſt hanc familiam*. Hinc licet æſtimare quantum & caloris & grauitatis apud Terentium ſit ad imitationem Cecilianam. Vide quantum creuerit à ſuperioribus, vt ſic finiat.

ACTVS QVINTI SCENA PRIMA.

SYRVS. DEMEA.

AEDEPOL Syriſce te curaſti molliter,
Lautéque munus adminiſtraſti tuum.
Abi: ſet poſtquam intus ſum omnium rerum ſatur,
Prodeambulare huc libitum eſt. D. illud ſis vide
Exemplum diſciplinae. ST. ecce autem hic adeſt
Senex noſter. quid fit? quid tu es triſtis? D. oh ſcelus.
ST. Ohe, iam tu verba fundis hîc, ſapientia?
D. Tun' ſi meus eſſes? ST. dis quidem eſſes Demea, 2
Ac tuam rem conſtabiliſſes. D. exemplum omnibus
Curarem vt eſſes. ST. quamobrem? quid feci? D. rogas?
In ipſa turba, atque in peccato maxumo, 1
Quod vix ſedatum ſatis eſt, potaſtis ſcelus,
Quaſi re bene geſta. ST. ſane nollem huc exitum.

AEDEPOL SYRISCE. Hic exemplum inducitur licentiæ ſeruorum ſub miti domino. AEDEPOL SYRISCE TE CVRASTI. MOLLITER. Quia detexit Cteſiphonem, iam oportet vt ebrius inducatur Syrus: per cuius fallacias tegatur adeò. Et *Syriſcum* ſe dicit, non *Syrum*, τῷ ὑποκοριζομένῳ. MOLLITER. Delicate.

LAVTEQVE MVNVS ADMINISTRASTI TVVM. Vt quicquid eſſet belliſſimum, carperes: cyathóſque ſorbillares. Aut mugus ſeruile, eſſe & bibere.

ABI. Verbum vel ſibi vel alteri eum laudatione blandientis. nam ſic dicunt, qui iam compotes ſunt votorum omnium, perfectique in rebus vniuerſis.

PRODEAMBVLARE. Nota duas præpoſitiones vni dictioni adiunctas. Vt, *Pede profubigit terram.* & ἀμφιπεριπλεκήνειν, & optime ad delicias exprimendas hoc verbum conuenit. nam procedere ſegnem *deambulare* ſignificat. nam deambulare etiam intus potuit.

EXEMPLVM DISCIPLINAE. Quia vnus ex multis reliquis. An quia ſenior, & nuper etiam pædagogus, vt ipſe ait, *Quem ego puerum tantillum in manibus geſtaui meis.*

QVID FIT? QVID TV ES TRISTIS. Mire ſecuritatem ebrij hic expreſſit. numquid enim pertimeſcit interuentum ſenis, vt ſolebat, Syrus? aut quicquàm præcauet? Sublanditur tantum, & ita rerum oblitus eſt, vt quum eum ſæuum ſciat, cauſam triſtitiæ eius inquirat.

TV VERBA FVNDIS HIC, SAPIENTIA. Vtrum *ſapientis verba*? an tu ſapientia? quia dixit ſuprà, *Tu quantus quantus es, nihil niſi ſapientia es.* FVNDIS. Vtrum ſine vlla ceſſatione profers? An *Perdis*? ſecundum illud, *Nam quid tu hic agas, vbi ſiquid boni præcipias nemo obtemperat?*

DIS QVIDEM ESSES DEMEA. Ab eo quod eſt *Dis ditis, dites* facit: ab eo quod eſt *Diues diuitis, diuites.*

QVAMOBREM? QVID FECI. Nihil nunc in Syro niſi ſimplex & purum ob ebrietatem. Et vide, *Quamobrem, quid feci,* dicere, non eſſe ſobrij Syri.

IN IPSA TVRBA. Non minus ridicula importunitas Demeæ eſt, quàm ebrietas Syri.

qui aduerſum temulentum tantæ grauitatis oratione perſonat, vt ex dicentis vultu & verbis, & ex audientis habitu & ſtupore magnam voluptatem percipiant ſpectatores. vides enim quanto pondere verborum eum ebrio liuget.

POTASTIS SCELVS. Non quòd plus videt ſenex quàm obiicitur oculis: ſed oratoriè *potaſtis*, dixit, quum vnum ebrium cernat: propter illud quod ait, *Exemplum diſciplinæ*. quaſi in omnibus ſit, quod in vno nunc aſpicitur. Virgilius,

——— *& crimine ab vno Diſce omnes.*

SANE NOLLEM HVC EXITVM. Et hoc dictum argumento eſt, Syrum oblitum omnium rerum nihil reſpondiſſe Demeæ per fallaciam: ſed tantummodo pœnitere quòd exierit.

ACTVS QVINTI SCENA II.

DROMO. SYRVS. DEMEA.

HEVS Syre, rogat te Cteſipho vt redeas. SY. abi.
DEM. Quid Cteſiphonem hic narrat? SY. nihil.
DEM. ehò carnufex,
Eſt Cteſipho intus? SY. non eſt. DEM. cur hic nominat?
SY. Eſt alius quidam, paraſitaſter paruolus:
Noſtine? DEM. iam ſcibo. SY. quid agis? quò abis? DEM. mitte me.
SY. Noli inquam. DEM. non manum abſtines maſtigia?
An tibi iam mauis cerebrum diſpergam hic? SY. abiit.
Aedepol comiſſatorem haut ſanè commodum,
Praeſertim Cteſiphoni: quid ego nunc agam?
Niſi dum hae ſileſcunt turbae, interea in angulum
Aliquò abeam, atque edormiſcam hoc villi. ſic agam.

HEVS SYRE. Quàm clarè dicat, oſtenditur ex eo quod præmiſit *Heus*, antequàm loqueretur.

CTESIPHO. Mire additum nomen eſt: quum aut ſine hoc, aut per pronomen intelligi poſſit Cteſipho.

VT REDEAS. *Redeas* dicendo, oſtendit & illum inter pocula, à quo egreſſus eſt ebrius.

EST ALIVS QVIDAM PARASITASTER PARVOLVS. Non alius paraſitater, ſed alius Cteſipho, qui eſt paraſitaſter. & bene *non alter*, ſed *alius*: quaſi non duo, ſed multi ſint Cteſiphones. Et hoc ſic pronuntiandum eſt, vt ſimul & quærat & dicat *Noſtin* Quaſi ſycophanta, nunc addidit, *noſtin'*. nam veteratoris eſt, etiam mentientem confidere.

QVID AGIS? QVO ABIS. Hoc iam ebrio conuenit, non illi quem cognouimus Syrum. nam quòd retinet ſenem, confeſſionis genus eſt.

NON MANVM ABSTINES MASTIGIA. Etiam inieciſſe manum, vt teneret Demeam, ex ipſius verbis cernitur.

AN TIBI IAM MAVIS CEREBRVM DISPERGAM HIC. Vt apparet, baculo minatur.

ABIIT. Quia prohibere non potuit, demiſſo & deſperanti vultu: quid factum ſit, dicit, & abiiſſe pronuntiat.

AEDEPOL COMISSATOREM HAVT SANE COMMODVM τῷ χλευασμῷ, tantum inopinatus ſuperuenit, vt omnia ſic offendat, quemadmodum qui comiſſatum ingreditur: quia comiſſatoris eſt ſuperuenire ad ſcortum, & vociferari aliquid in iocularem ſtrepitum. quare totum falsè, totum ad Demeam contulit.

PRAESERTIM CTESIPHONI. Bona exceptio, vt appareat omnibus incommodum, & in his AEſchino, ſed præcipue Cteſiphoni.

NISI DVM HAE SILESCVNT TVRBAE. Non quæ iam ſunt, ſed quæ erunt.

HOC VILLI. ὑποκόρισμα eſt vini: vt *vnus vllus, aſinus aſellus, vannus vallus, vinum villum.*

ACTVS QVINTI SCENA III.

MICIO. DEMEA.

PARATA à nobis ſunt, vt dixi, Soſtrata
Vbi vis: quiſnam à me pepulit tam grauiter fores?
D. Ei mihi, quid faciam? quid agam? quid clamem, aut querar?
O caelum, ô terra, ô maria Neptuni! MIC. hem tibi,
Reſciuit omnem rem: id nunc clamat. ſcilicet.
Paratae lites: ſuccurrendumſt. D. eccum adeſt
Communis corruptela noſtrûm liberûm.
MIC. Tandem reprime iracundiam, atque ad te redi.
D. Repreſsi, redij: mitto maledicta omnia:
Rem ipſam putemus: dictum inter nos hoc fuit,
Ex te adeò eſt ortum, ne tu curares meum,
Néve ego tuum: reſponde. MIC. factumſt, non nego.
D. Cur nunc apud te potat? cur recipis meum?
Cur emis amicam Micio? num qui minus
Mihi idem ius equumſt eſſe, quod mecumſt tibi?
Quando ego tuum non curo, ne cura meum.
MIC. Non aequum dicis D. non? MIC. nam vetus verbum hoc quidemſt,
COMMVNIA eſſe amicorum inter ſe omnia.
D. Facetè. nunc demum iſtaec nata oratio eſt.
MIC. Auſculta paucis, niſi moleſtum eſt Demea:
Principiò, ſi id te mordet, ſumptum filij
Quem faciunt, quaeſo facito haec tecum cogites:
Tu illos duos olim pro re tollebas tua,
Quòd ſatis putabas tua bona ambobus fore,
Et me tum vxorem credidiſti ſcilicet
Ducturum: eandem illam rationem antiquam obtine:
Conſerua, quaere, parce: fac quamplurimum
Illis relinquas: gloriam tu iſtam obtine.
Mea, quae praeter ſpem euenêre, vtantur ſine:

De ſumma nihil decedet: quod hinc acceſſerit,
Id ne lucro putato eſſe omne. haec ſi voles
Id animo verè cogitare Demea,
Et mihi, & tibi, & illis dempſeris moleſtiam.
D. Mitto rem: conſuetudinem ipſorum. MIC. mane
Scio: iſtuc ibam. multa in homine Demea
Signa inſunt, ex quibus coniectura facile fit,
Duo quum idem faciunt ſaepe, vt poſſis dicere,
Hoc licet inpune facere huic, illi non licet:
Non quòd diſſimilis res ſit, ſed quòd is qui facit.
Quae ego illis ineſſe video, vt confidam fore,
Ita vt volumus: video ſapere, intellegere, in loco
Vereri, inter ſe amare: ſcire eſt liberum
Ingenium, atque animum: quo vis illos tu die
Reducas. at enim metuas, ne ab re ſint tamen
Omiſſiores paulò. ô noſter Demea,
Ad omnia alia aetate ſapimus rectius:
SOLVM VNVM *hoc vitium ſenectus adfert hominibus,*
Adtentiores ſumus ad rem omnes, quàm ſat eſt:
Quod illos ſat aetas acuet. D. ne nimium modò
Bonae tuae iſtae nos rationes Micio,
Et tuus iſte animus aequus ſubuortit. MIC. tace.
Non fiet: mitte iam iſtaec: da te hodie mihi:
Exporge frontem. D. ſcilicet, ita tempus fert,
Faciundumſt: ceterum rus cras cum filio
Cum primo lucu ibo hinc. MIC. imò de nocte cenſeo.
Hodie modò hilarum fac te. D. & iſtam pſaltriam
Vnà illuc mecum hinc abſtraham. MIC. pugnaueris.
Eo pacto prorſum illic alligaris filium.
Modò facito, vt illam ſerues. D. ego iſtuc videro:
Atque illi fauillae plaena, fumi, ac pollinis
Coquendo ſit faxo & molendo: praeter haec
Meridie ipſo faciam vt ſtipulam colligat:
Tam excoctam reddam, atquae atram, quam carboſt. MIC. placet.
Nunc mihi videre ſapere. D. atque equidem filium
Tum etiam ſi nolit, cogam vt cum illa vnà cubet.
MIC. Derides. fortunatus qui iſtoc animo ſies.
D. Ego ſentio. MIC. ah. pergíſne? D. iamiam deſino.
MIC. I ergo intrò: & cui rei opus eſt ei, hilarem hunc ſumamus diem.

PARATA A NOBIS SVNT, ITA VT DIXI, SOSTRATA VBI VIS. In hac ſcena collatio eſt perſonarum mitis parentis ac ſæui. PARATA A NOBIS SVNT. De verbis abeuntis vult oſtendere poeta, quam orationem cum Soſtrata habuerit ingreſſus Micio. & vides quas ἐλλείψεις interpoſuerit. primo, *Parata à nobis ſunt*: quæ, non dixit: ſed, *Ita vt dixi* dicendo, ſignificat ſe dixiſſe omnia. Deinde, *vbi vis*, Fiant nuptiæ, vel quid tale, aut omiſit: aut dicturus hoc ipſum, audit vehementius fores eſſe pulſatas: & quod agebat abiecit.

QVISNAM A ME PEPVLIT. *A me*, modo id eſt *Meas*.

TAM GRAVITER. Quia irati omnia concitè faciunt, quum pulſandæ fores eſſent exituro foras Demeæ, ſic eas pulſauit, vt & his ipſis iraſci videretur.

HEI MIHI, QVID FACIAM? QVID AGAM? QVID CLAMEM, AVT QVERAR? Ô CAELVM, Ô TERRA, Ô MARIA NEPTVNI. Multũ laborauit Terentius vt ἀναλογίαν ſeruaret in dolore Demeæ: quo maior debet in Cteſiphone reprehenſio eſſe, quàm in delictis Aeſchini. Et nota, quòd vbi non inuenit quod dignũ loqueretur, ab interiectione cœpit. *Hei mihi*. Et adhuc quum pro rei magnitudine oratio parua eſſet, *Quid faciam*, inquit. In alieno indignatus eſt: in ſuo, *Quid faciam?* inquit. In alieno litigauit: hîc ait, *Quid agam?* In alieno clamauit, & queſtus eſt: hîc in ſuo reloquitur. & præter διαπόρησιν in Aeſchini peccato Micionem accuſauit: in Cteſiphonis, elementa cum diis omnibus ac toto mundo. mira αὔξησις, & quam imitatur Virgilius in Orpheo, poſt amiſſam rurſus Eurydicen, *Quid faceret?* inquit. omnia enim conſumpſerat primus dolor. *Quò ſe rapta bis coniuge ferret?* Nam quid præter omnes terras atque inferos loci remanebat? *Quo fletu manes*. Per quem fletum manes, quaſi omnes primis luctibus impleuerat lachrymis. *Quæ numina voce moueret?* Cui nec ira quidem inexperta remanſerat. Et vide hîc gradus doloris & iracundiæ: in tantum autem vt iam creſcere non poſſint. quippe in initio fabulæ tantum triſtis eſt Demea. nam ſic audit à Micione, *Quid triſtis es?* & ipſe, *Rogas me (vbi nobis Aeſchinus ſiet) quid triſtis ego ſim?* Inde mox procedit in peius: adeò vt ſic incipiat, *Diſperii: Cteſiphonem audiui filium vnà fuiſſe in raptione cum Aeſchino*. Inde poſtea dicit, *Ne ego homo ſum infelix*. Ad poſtremum, *Hei mihi quid faciam? quid agam?* Et naturali quodammodo, poſtquam ſummus furor ad extrema peruenit, repente ſenex mutatur, & mitis eſt.

O CAELVM, Ô TERRA, Ô MARIA NEPTVNI. Neptunus, quia medius ſit inter cælum & inferos, dum vtriuſque regni particeps habetur, elementorum omnium potior. nam ideò tridentem habet, pro numero trium elementorum: vt apud Virgilium idcirco dicit: *Iam cælum terrámque meo ſine numine venti Miſcere*. Et apud Homerum ſic idem,

ὣς εἰπὼν, σύναγεν νεφέλας, ἐτάραξε δὲ πόντον,
Χερσὶ τρίαιναν ἑλὼν, πάσας δ' ὀρόθυνεν ἀέλλας
παντοίων ἀνέμων, σὺν δὲ νεφέεσσι κάλυψε
γαῖαν ὁμοῦ καὶ πόντον.

Et hoc eſt quod ait Horatius in arte poetica, *Interdum tamen & vocem comœdia tollit.* In hæc enim tria rerum natura diuiditur. Vt Virgilius,

Principio maria ac terras, cælumque profundum.

Et per hoc totum mundum accuſauit. O CAELVM, Ô TERRA, Ô MARIA NEPTVNI. Vtrum deos elementa vocauit, quòd diis quoque iraſcitur, qui in iis commorantur, vt dolentes ſolent? An quia deos eſſe non putat, ideo hæc omnia Neptuni dicit: quaſi dicturus eſſet, *Neptunia fiant*, niſi intercederet perſona Micionis: quem videns, ad aliud conuerſus, deſiit diluuium & interitum rebus optare obiecto fratre, cui maximè iraſcitur, & propter quem deteſtabatur omnia. Tale eſt apud Virgilium,

Omnia vel medium fiant mare. An omnia accuſat, vt indignantes ſolent? Vt,

Quem non incuſaui amens hominúmque, deorúmque?

Et vt, ——— *atque deos atque aſtra vocat crudelia mater.*

HEM TIBI, τῷ ἰδιωτισμῷ *Tibi*, Nulli enim Micio loquitur. ID NVNC CLAMAT? *Id*, ob id.

SCILICET. PARATAE LITES. Videtur & ipſe pertimuiſſe, dicendo *Scilicet*, & *Paratæ lites*. Sed vt rurſus confirmet ſeipſum, quia *Succurrendum eſt*, ait. SVCCVRRENDVM EST. Cteſiphoni ſcilicet.

COMMVNIS CORRVPTELA NOSTRVM. Qui commonitet ambos corruperit. COMMVNIS CORRVPTELA NOSTRVM LIBERVM. Maior accuſatio eſt iſta, quàm prior: quippe quum iam modo de ambobus accuſetur Micio, non de vno.

TANDEM REPRIME IRACVNDIAM. Mire. Quia reprehendere nequit iraſcentem, nimietatem reprehendit irati. Et *ira*, de cauſa eſt: *Iracundia*, de moribus.

ATQVE AD TE REDI. Quia ira, ab eo quod eſt *Ire* dicitur, quòd à ſe eat, qui iraſcitur & furit. Et, *Ad te redi*, proprie dixit. Virgil. *Verum vbi nulla fugam reperit fallacia, victus In ſeſe redit.* Et Cicero, *Redit ad ſe atque ad mores ſuos.*

REPRESSI, REDII. Non quid dicatur, ſed quod geſtu dicatur, ſpecta: & videbis neque adhuc repreſſiſſe iracundiam, neque ad ſe rediſſe Demeam. ſed quàm mira eſt atque perſpicua moralitas, in huiuſmodi rebus apparet.

REM IPSAM PVTEMVS. Videtur paulo citius deſtomachatus, quàm res etiam incertæ poſcebant. Sed & hoc morale: nam iuſtè irati, omiſſa ſæuitia, ad ratiocinationes ſæpe feſtinant. & præterea illud accedit, quòd non inuenit iam quod condigne dicat. ſimul; etiam quia increpitus eſt à fratre, quòd apud ſe iam non ſit per iracundiam vehementem.

REM IPSAM PVTEMVS. Tractemus, purgemus. nam & hinc *putamina*, purgamenta dicta ſunt, vt Plautus in Captiuis ait, *Nucleum amiſi, reliqui pigneri putamina.* Et Virgilius, *Multa putans* inquit. *Putare* proprie, eſt falſa & caſſa, à veris & vtilibus reſecare. vnde arborum purgatores, *putatores* dicuntur. Et *rem*, cauſam ipſam litis oſtendit: vt, *Mitte iſta, atque ad rem redi.*

NE TV CVRARES MEVM. Nam ambos curare, propemodum repoſcere illum eſt quem dediſti.

FACTVM EST. Apparet Micionem inuitum quidem fateri, ſed facetè contemnere obiecta.

CVR EMIS AMICAM MICIO? Inclamatio iſta nominis magnam inuidiam ſignificat: vt, *Regnúmne Aeſchine hic poſſides?* Et, ——— *Pacem te poſcimus omnes Turne.*

NVM QVI MINVS MIHI IDEM IVS AEQVVM EST ESSE. Aut *num*, aut *qui* abundat. & eſt ordo, Qui minus æquum eſt eſſe idem ius mihi, &c. *Qui* ergo, Quare, vel cur ſignificat.

NON. Confidenter *Non* repetiuit, non habens rationem quam ſubiiceret: niſi illi prouerbium veniſſet in mentem. Nam quia ſe videt in malam cauſam incidiſſe, totum verniliter & facetè agit: & ſubiicit æquitatem, vbi iuſto ſe tueri non poteſt Quod tamen à Demea ſtatim conuincitur, dicendo, *Nunc demum iſtac oratio nata.* vt oſtendat illum perturbatum contraria protuliſſe dictis ſuis ſuperioribus.

COMMVNIA ESSE AMICORVM INTER SE OMNIA. Inter Pythagoreos ortum dicitur.

FACETE NVNC DEMVM ISTAEC NATA ORATIO EST. Alij totum iungunt alij ſeparant. Et bene *Nata eſt*: nam ſic dicimus de rebus repentinis vt ſuprà *E re nata melius fieri haud potuit, quàm factum eſt, hera.*

AVSCVLTA PAVCIS, NISI MOLESTVM EST. DEMEA. In duas partes diuiditur tota perſuaſio: nihil paſſurum Demeam damni, nihil corripelæ.

ET ME TVM VXOREM CREDIDISTI SCILICET DVCTVRVM. ἀπαγωγή.

PRINCIPIO SI ID TE MORDET, SVMPTVM FILII QVEM FACIVNT. Figuratiua locutio eſt: vt, *Eunuchum quem dediſti nobis, quas turbas dedit.*

QVAESO. Modo obiurgatorium eſt *Quæſo*.

PRO RE TOLLEBAS TVA. Pro patrimonij tui qualitate.

CONSERVA QVAERE, PARCE, FAC QVAMPLVRIMVM ILLIS RELINQVAS. Hoc ſic pronuntiandum, vt appareat hanc ipſam voluptatem diſplicere Micioni. CONSERVA. Parta. QVAERE. Noua. PARCE. Omnibus.

VTANTVR SINE. Aut deeſt *Hi*: vt ſit, *hi vtantur*. Aut *mea vtantur*, antique locutus eſt.

DE SVMMA NIHIL DECEDET. Rei tuæ ſcilicet.

DEMPSERIS. pro *demes*.

MITTO REM. Pecuniam. & hæc exclamatio eſt moralis nimis aduerſum tardos, ac non intelligentes homines.

CONSVETVDINEM IPSORVM. *Loquor*, aut quid tale ſubaudiendum. MITTO REM, CONSVETVDINEM IPSORVM. Vel ab vtilitate ad honeſtatem tranſit: vel à rebus ad illos ipſos de quis agitur. Cauetur enim ne aut rem perdant, aut ipſi pereant.

MANE: SCIO: ISTVC IBAM. Moralis & faceta correptio, continens in ſe latenter blandimentum quo deliniatur auditor.

MVLTA IN HOMINE, DEMEA, SIGNA INSVNT. Obſcuriſſimus ſenſus & re & verbis.

DVO QVVM IDEM FACIVNT. Obſcure locutus eſt, quum hic ſit ſenſus, Duo idem faciunt: quorum vni licet facere, alteri non licet. DVO QVVM IDEM FACIVNT. Nam ambo & ſapiunt & intelligunt, & loco verentur. non ingenii vitium, ſed ætatis eſt.

SAEPE, VT POSSIS DICERE. Melius eſt *Sæpe* ad ſuperiora coniungere: nam poſſunt duo idem facere, & caſu, non vt ſimilitudinem facere videantur. tunc ergo erit ſignum, *Sæpe idem faciunt*. *Dicere* autem poſuit pro intelligere & ſcire: ab eo quod præcedit, id quod ſequitur. vt, *Fœneratum iſtuc beneficium pulchre tibi dices*. &, *Memorem me dices eſſe & gratum.*

NON QVOD DISSIMILIS RES SIT. An quia huic licet?

QVAE EGO ESSE IN ILLIS VIDEO. Ordo & ſenſus hic eſt, Multa in homine, Demea, ſigna inſunt, ex quibus coniectura facile fit: quæ ego illis ineſſe video, vt confidam fore ita vt volumus.

INTELLIGERE, IN LOCO VERERI. Non, *In loco intelligere*: ſed, *In loco vereri.*

INTER SE AMARE. Citò dixit *Inter ſe*: quod eſt, quum alter alterum inuicem amat.

AT ENIM METVAS. ἀντίθεσις ad priorem tractatum pertinens, qui eſt habitus de conſuetudine rei familiaris.

NE AB RE SINT TAMEN OMISSIORES PAVLO. Quia amant, potant, olent vnguenta.

AT ENIM METVAS, NE AB RE SINT TAMEN OMISSIORES PAVLÒ. Oratorie *paulò*: nam non paulò omiſſiores fore Demea, ſed plurimum fore credit & metuit. & *Ab re*, à patrimonio. OMISSIORES. ἀνειμένοι, ἀπρόσεκτοι, negligentiores. Sic in Heautontim. *Vbi te vidi animo eſſe omiſſo.*

O NOSTER DEMEA. Blanda & cum quodam complexu eius, qui reprehenditur, increpatio, & de more ſublata. Et ſic hoc dixit, tanquam dicturus eſſet, Multa te latent, ſimplex homo es. nam huiuſmodi ſententia latenter quandam dicentis authoritatem fiduciámque deſignat.

AD ALIA OMNIA AETATE SAPIMVS RECTIVS. Præterquam ad auaritiam. & per hoc, quod optas liberis, virium ſenectutis eſt.

ATTENTIORES SVMVS AD REM OMNES. Proprie *attentiores* reddit *omiſſioribus*. ſuprà enim dixerat, *Ne ab re tamen ſint omiſſiores paulò.*

QVAM SAT EST. Quaſi dicat, attentos nos eſſe non ſtatim crimen eſt.

QVOD ILLOS SAT AETAS ACVET. μεταφορικῶς *acuet.*

NE NIMIVM MODO BONAE TVAE ISTAE NOS RATIONES MICIO, & TVVS ISTE ANIMVS AEQVVS SVBVORTIT. *Ne*, valde. *Subuertit*, infra legendum eſt. *Sine*, pro *non* coniunctio eſt, *Subuertat* legendum eſt, ita vt ſubaudiamus *Timeo*, vel aliquid tale. Et *tuæ* & *iſta* quòd ait, ſignificationem habent nulliuſmodi rationem & ineptam. nam apparet non eas probari ab eo qui ſic loquitur, vt ſuprà, *Iam verò omitte Demea tuam iſtanc iracundiam.*

TACE, NON FIET. *Tace* nunc pro εὐφημισμῷ poſitum eſt: quaſi diceret, Non ſubuertet. ne dixeris: quod mali ominis verbum eſt.

DA TE HODIE MIHI. Accommoda te ipſum voluntati meæ. nam in animum tranſtulit quod eſt corporis, vt in Eunucho: *At illis ſeſe dare, ſermonem quærere*. Cicero, *Cauniculam iactare, & populo ſe accommodare*. DA TE HODIE MIHI. Si non vis, inquit, propter te: vel propter me mitis eſto.

EXPORGE FRONTEM. Quia *contrahi* in verbo dicitur. Et verbo iſto oſtenditur quanto conatu opus ſit ad explicandam tantam contractionem ſenectutis & ſeueritatis.

SCILICET, ITA TEMPVS FERT, FACIVNDVM EST. Vide ſi non hoc ſit, quod Græci * ΜΕΤΑ ΣΧΟΛΗΣ ημιεγει dicunt: nam ſic &, *Ita tempus fert*, & *faciundum*, dicendo, oſtendit ſe magis cogi neceſſitatibus, vt paulo ſit tranquillior. & cum tanta difficultate promittit, tanquam mala ſubiturus ſit: atque adeò maiorem partem ſecum diſputat, neceſſario hoc velit nolit faciendum eſſe, vt ſit lætior: & hoc quia tempus fert. FACIVNDVM eſt. Satis mire: tanquam neceſſitate cogatur ad gaudendum agreſtis ſenex * ΕΜΦΟΒΟΚΑΛΗΜΕΡΟΣ.

CETERVM RVS CVM FILIO CVM PRIMA LVCE IBO HINC. Hoc ideo facit quaſi gaudere interim non poſſit, niſi ſe vicinæ ſæuitiæ proximitate ſoletur. CVM PRIMO LVCV. ἀπεσιώπησις, *Cum primo lucu*. Veteres dicebant, *lucum* pro *luce*, pro ſole ponentes. Ergo *cum primo lucu* quum primùm ſol cœperit illuceſcere. CVM PRIMO LVCV. Veteres maſculino genere dicebant *lucem*. IBO HINC. Tanquam de malo loco.

DE NOCTE. Abundat *de*.

FAC TE. Eodem verbo vtitur, quo iamdudum: vt laborem ad lætitiam ſe conuertentis oſtendat: id eſt, elabora vt ſis hilaris.

ET ISTAM PSALTRIAM VNA ILLVC MECVM HINC ABSTRAHAM. Vide ſingulas ſyllabas imbutas amaritudine ruſtica atque agreſti: nam *iſtam* odium ſignificat. PSALTRIAM. ſæuitia in nomine eſt, quam deliciolam eſſe oportet. &, *Vnà mecum*: quam cum adoleſcentibus eſſe conuenerat. & *Illuc*: ad quem locum pſaltriam ſecum ire compellit. Deinde ne vel in itinere pœna ceſſet, *Cum filio ibo hinc* inquit: *Illam verò abſtraham*. nam *illuc* eo animo dixit, quo ſuprà, *Ibo hinc*. Et apparet illum quaſi mancipium ducturum puellam, non vt fidicinam. MECVM HINC ABSTRAHAM. Non abducam: ſed quod eſt ſæuientis, abſtraham.

PVGNAVERIS. Magnam rem feceris. Sic Lucilius, *Vicimus ocius, & magnum pugnauimus pugnam*.

EO PACTO PRORSVM ILLIC ALLIGARIS FILIVM. Hæc cum riſu dicit Micio. Et *ligare*, eſt inucere alicui vincula. Quis verò dicetur alligari ad aliquid, ſine quo eſſe non poſſit? Ergo proprie ad amicam alligari adoleſcentem dixit amatorem. *Prorſus* autem, certe, recte, ac vere ſignificat.

VT ILLAM SERVES. Acuendum *Illam*: Hoc eſt, non iam filium, ſed illam ſerua, in qua vtrumque retinueris

EGO ISTVC VIDERO. Hoc eſt, vt illam ſeruem.

ATQVE IBI FAVILLAE PLENA, FVMI, AC POLLINIS COQVENDO SIT FAXO, ET MOLENDO. Atqui molere prius eſt, quàm coquere: ſed illud prius poſuit, quo pulchritudo magis fœdatur. an quia prius torreatur triticum, vt tundi poſſit? Vt Virgilius.

Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo. COQVENDO SIT FAXO, ET MOLENDO. Ne ametur ſcilicet

COQVENDO SIT FAXO, ET MOLENDO: PRAETER HAEC. ἀπόδοσις octaua. MERIDIE IPSO Quum ſol vehementior eſt. & nomen fecit de aduerbio. *Meridiem* dixerunt veteres quaſi *medidiem*. r pro d poſito, propter cognationem harum inter ſe literarum. VT STIPVLAM COLLIGAT. Quod ſub ſole fieri neceſſe eſſe. TAM EXCOCTAM REDDAM, ATQVE ATRAM. ἰδιωτικῶς dixit *Reddam*. pro *Faciam* Et *excoctam*, ad tenuitatem ſiccati corporis. *Atram*, ad colorem retulit. Et vide quàm aſpera, quámque ingrata clauſula ſit, qua ſæuidici ſenis finitur oratio.

PLACET. NVNC MIHI VIDERE SAPERE Non contradicit: timet enim ſuaſor ne lætitiam rurſus prouocet ad iurgium.

ATQVE EQVIDEM FILIVM. Non ſolum ſuadet lætitiam, ſed etiam ridere cogit inuitum.

DERIDES? FORTVNATVS QVI ISTOC ANIMO SIES. Hoc verbum vultu Demeæ ſic profertur, vt ſubriſiſſe videatur inuitus. Sed rurſus *Ego ſentio* amarè ſeuereque dixit. Et *ridet*, qui ſimpliciter ridet: *Deridet*, qui cum alterius irriſione & contemptu ridet.

FORTVNATVS QVI ISTOC ANIMO SIES. Non laudantis eſt quod ait, *fortunatos*: ſed moraliter reprehendentis. vt ſi dicas, quum te aliquid cura offenderit, fortunatos ſtultos qui nihil ſentiant. At hoc quoque dixit in Eunucho, *At ego infelix neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum*.

Iam iam desino. Et hic velut neceſſitatem queritur imponi ſibi.

Et cui rei opus est Cui rei credis, niſi nuptiis ? hoc eſt ludo, atque lætitiæ, voto, & gaudio nuptiali.

Hunc sumamus diem. Non, accipiamus, ſed impendamus, & conſumamus. Vnde & *ſumptum* dicimus pecuniam quæ inſumenda eſt.

Actus quinti scena IIII.

Demea.

N*VMQVAM ita quiſquam bene ſubducta ratione ad vitam fuit,*
Qvin res, aetas, vsvs *ſemper aliquid adportet noui,*
Aliquid moneat, vt illa, quae te ſcire credas, neſcias:
Et quae tibi putaris prima, in experiundo repudies:
Quod nunc mihi euenit. nam ego vitam duram, quam vixi vſque adhuc,
Prope iam excurſo ſpatio mitto. id quamobrem? re ipſa repperi,
Facilitate nihil *eſſe homini melius, neque clementia.*
Id eſſe verum, ex me, atque ex fratre, cuiuis facileſt noſcere:
Ille ſuam ſemper egit vitam in otio, in conuiuiis:
Clemens, placidus, nulli laedere os arridere omnibus.
Sibi vixit: ſibi ſumptum fecit: omnes benedicunt, amant.
Ego ille agreſtis, ſaeuos, triſtis, parcus, truculentus, tenax,
Duxi vxorem: quam ibi miſeriam vidi! nati filij,
Alia cura. porrò autem, dum ſtudeo illis vt quamplurimum
Facerem, contriui in quaerendo vitam atque aetatem meam.
Nunc exacta aetate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium: ille alter ſine labore patria potitur commoda:
Illum amant, me fugitant. illi credunt conſilia omnia:
Illum diligunt: apud illum ſunt ambo: ego deſertus ſum.
Illum vt viuat optant: meam autem mortem expectant: ſcilicet
Ita eos meo labore eductos maxumo, hic fecit ſuos
Paulo ſumptu: miſeriam omnem ego capio, hic potitur gaudia.
Age age nunc experiamur contra, ecquid ego poſſiem
Blande dicere, aut benigne facere, quando hoc prouocat.
Ego quoque à meis me amari, & magnipendi poſtulo.
Si id fit dando, atque obſequendo, non poſterioris feram.
Deerit: id mea minime refert, qui ſum natu maximus.

NVMQVAM ITA QVISQVAM BENE SVBDVCTA RATIONE. In hac ſcena exemplum inducitur hominum, qui virtutem tædio deſerunt ob contemptũ eius apud omnes ſeculúmque vitioſius. Et adeò fauet Terentius clementioribus ac mitiſſimis patribus, vt hunc quoque adducat ad ſententiam Micionis, non tamen hoc ſentientem quòd ita oportet: ſed quòd ita res cogat. vult enim naturalem ineſſe veris patribus acrimoniam: ſed eam ſemper inuidioſam eſſe adoleſcentibus. BENE SVBDVCTA RATIONE. Bene diſpoſita, bene computata: *Ducere*, enim, eſt digitis computare ſed *Ducere* eſt apud alium & palàm: *Subducere*, apud ſeipſum & ſecretò. quò magis in verbo iſto maioris attentionis & diligentiæ ſignum eſt.

QVIN RES. *Quin*, modò *cur non* ſignificat. QVIN RES, AETAS, VSVS. Tria poſuit. ex quibus *Res* pro experientia ponitur: & hac dicit ſe eſſe mutatum. nam mox dicet, *Re ipſa repperi, Facile nihil eſſe homini melius, neque clementia.*

ALIQVID MONEAT. σύλληψις eſt per caſus. ſubauditur enim *Quem*.

QVAE TIBI PVTARIS PRIMA. Ante alia eligenda: quæ & primo loco ponenda, ac per hoc optima.

VITAM DVRAM QVAM VIX. ἀρχαϊσμός. vt Lucilius, *Magnam pugnauimus pugnam.*

NAM EGO VITAM DVRAM, QVAM VIXI VSQVE ADHVC. Prius dicit quid faciat, quàm cur faciat.

PROPE IAM EXCVRSO SPATIO. Id eſt, ad calcem & prope ipſos decurſus metáſque viuendi. & eſt μεταφορά ſumpta à curſoribus. EXCVRSO SPATIO. Id eſt in ſumma ſenectute.

ID QVAMOBREM, RE IPSA REPPERI. Quia ſecum loquitur, ideo multa reticet. & deeſt, *Faciam*: &, *Si quis quærat*: &, *Dicam.*

FACILITATE. Iam facilem ſe infert. Inter *Facilitatem* & *Clementiam* hoc intereſt: *Facilis* enim, cuius ira cito ſoluitur. *Clemens*, qui non iraſcitur.

ILLE SVAM SEMPER EGIT VITAM. Hic iam quaſi comparatiua qualitas inducitur de vtroque: & vt ille in initio fabulæ locutus eſt, ſic in fine hic loquitur.

CLEMENS, PLACIDVS, NVLLI LAEDERE OS. Mira varietas & in locis, & in partibus orationis. Et *clemens* eſt qui collit mentem ſuam, nec eam vexat iraſcendo. CLEMENS PLACIDVS. *Clemens* eſt circa recte agentes: *Placidus* etiam circa delinquentes. Et *Clementis* eſt nulli lædere os: Placidi, arridere omnibus. Et Clemens animo, placidus vultu.

NVLLI LAEDERE OS. Id eſt, nullum præſentem lædere. Et vide quàm gratè à nominibus verba tranſeant. NVLLI LAEDERE OS, ARRIDERE OMNIBVS. Voluptatis affectus eſt duplex: Aut enim ex quiete voluptas eſt, aut ex aliquo actu. ergo hic vtrumque complexus eſt. ET NVLLI LAEDERE OS. Adeò vt nulli ſe contriſtem faciat. & hæc eſt figura ἀναστροφή, quum recurrimus per ea quæ diximus: & ἐξηγητικῶς omnia repetita ſunt.

EGO ILLE AGRESTIS. Bene addit ILLE, quaſi iam notus, hoc ipſo quòd ferus atque agreſtis. Et *Sæuus*, factis: *Triſtis*, animo: *Truculentus*, vultu. Et aliter dici poteſt, vt *Triſtis* ſit qui dolet. *Truculentus* & ſæuus qui terret. & ideo ἀσυνδέτως mira per iſta decurrit.

DVXI VXOREM. Pendet, *Duxi vxorem*. ſed *Etiam* cum magno ſignificatu addendum eſt: maiore enim pondere ſubtrahitur coniunctio. nam, *Duxit etiam vxorem*, dicendũ fuit.

QVAM IBI MISERIAM VIDI. *Ibi* inquit, quaſi vxor locus ſit. & hoc ſine coniunctione, vt mala quæ enumerat, multa videantur.

ALIA CVRA. Non altera.

PATRIA POTITVR COMMODA. Accuſatiuo caſu extulit, quod nos ablatiuo dicimus. id eſt *patriis potitur commodis*. Actius in Clytemneſtra, *Fera potiuntur plagas.*

ILLVM DILIGVNT: APVD ILLVM SVNT AMBO: EGO DESERTVS SVM. Hic oſtendit Terentius verum patrem & moleſtiorem & odioſum eſſe magis adoleſcentibus.

ILLVM VT VIVAT OPTANT. σύλληψις. Nam ſic veteres loquebantur. nos verò dicimus *Illi optant*: non *Illum*. ILLVM Micionem.

NVNC EXPERIAMVR. Magis comicè pluraliter *Experiamur* dixit, quàm ſi diceret, *Experiar.*

Qvando hoc provocat. Non addit quis: ſed intelligimus Micionem ſignificari
Si id fit dando, atqve obseqvendo. Bene naturam ſecutus eſt, qui artem ignorat, putans agi veris omnia debere, non dando & obſequendo. Si id fit. Id eſt, Iam à liberis ſi magnipendor.

Non posteriores feram. Subauditur *Partes* aut, *Non paria faciam*, id eſt non vincar à Micione. Et tranſlatio eſt à partibus hiſtrionum in fabula. Non posteriores feram. Primus in his ero, inquit, in dando atque obſequendo.

Deerit: id mea minime refert. Vide remanere in Demea non penitus eiectam ſecuritatem.

Actvs qvinti Scena V.

SYRVS. DEMEA.

Hevs Demea, rogat frater ne abeas longius.
D. Quis homo? ô Syre noſter, ſalue: quid fit? quid agitur?
ST. Rectè. D. optumeſt. iam nunc haec tria primum addidi
Praeter naturam, O noſter, quid fit? quid agitur?
Seruum haut inliberalem praebes te; & tibi
Lubens bene faxim. ST. gratiam habeo. D. atqui Syre
Hoc verumſt, & ipſa re experiere propediem.

Hevs Demea, rogat frater ne abeas longivs. Hic oſtendit poeta, quàm abſurde blandus conetur eſſe, qui non ſoleat: & quàm immodica ſit repentina largitas, vbi animus à parcitate nimia in contrarium vitium profuſionis excurrerit. Hevs Demea, rogat frater ne abeas longivs. Vt apparet, iam edormiuit crapulam Syrus. & ſatis moraliter dixit *Frater*: nec addidit *Tuus*. Frater. Moraliter. nam deeſt *Tuus*.

O syre noster, salve: qvid fit. Iam non hæc blanda, ſed dura ſunt. nam *Salue* dixit ei, non ſolum quem ſæpe viderit, ſed eum quo toties litigauerit.

Qvid fit? qvid agitvr. Interrogat & quum ſciat, & quum damnet actus eius.

Recte. Bene reſpondit *recte*: hæ enim interrogationes de ſalute atque incolumitate eius ſunt qui interrogatur.

Haec tria. Deeſt *Verba*.

Praeter natvram. Plus dicit, quàm ſi diceret, *Preter conſuetudinem*. Iam nvnc haec tria primvm addidi prater natvram, O noster, qvid fit? qvid agitvr. Hoc preſſius dictum eſt.

Servvm havt inliberalem. Dura & importuna repente commutatio ex tanta vituperatione in laudem Syri, oſtendit contra naturam ſuam niti Demeam.

Praebes te, Id eſt, te oſtendis, factis probas.

Et tibi lvbens bene faxim. Et *Bene* ad quam rem adiectum eſt: an & *bene* * ho addidit. Quis enim credat tam ſubitis poſt ſæuitiam blandimentis, niſi factis quoque vera eſſe oſtendantur. Et tibi lvbens bene faxim. *Et* additum eſt, vt oſtendat hanc eſſe ſententiam, Non ſolum te laudo, ſed etiam iuuo: illud dicendo, hoc faciendo. Et tibi lvbens bene faxim. Poteſt hoc & ſic intelligi, Bene tibi faxim, & lubens. multi enim bene, ſed non ex animo faciunt. Omnia ergo addidit, quæ placidum oſtendant ipſum, atque clementem.

Atqvi syre. *Atqui* abundat per παρέλκον. Syre. Aſſeueratio eſt non credentis.

Hoc verum est. Quaſi falſum fuerit illud quod iurgabat: & hoc ſit verum quod nunc dicit.

Propediem. ἐφῖν. Nam *Propediem* aduerbium eſt temporis: vt ſi diceret, *Cito.*

Actvs qvinti scena VI.

GETA. DEMEA.

ERA ego huc ad hos prouiſo quàm mox virginem
Accerſant. ſet eccum Demeam. ſaluos ſies.
D. O quî vocare? G. Geta. D. Geta, hominem maximi
Pretij eſſe te hodie iudicaui animo meo.
Nam is mihi profectò eſt ſeruos ſpectatus ſatis,
Cui dominus curaeſt, ita vt tibi ſenſi Geta.
Et tibi ob eam rem, ſi quid vſus venerit,
Lubens bene faxim. meditor eſſe affabilis,
Et bene procedit. G. bonus es, quum haec exiſtimas.
D. Paulatim plebem primulùm facio meam.

Era ego hvc ad hos prouiso. *Ad hos*, ad Micionem & AEſchinum ſcilicet. *Prouiſo* duas res ſignificat: Procedo & Video.

Sed eccvm. Hoc apud ſe.

O, qvi vocare. Hac interiectione vtimur, vbi ex interuallo notos videmus. O, qvi vocare. Poſt o, nomine vocaturus, non habuit quod diceret: & ideo ſubiecit, Qvi vocare. Virgilius,

O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis: nec vox hominem ſonat. ò dea certe,
An Phœbi ſoror: an Nympharum ſanguinis vna?

Moris eſt autem inferiores proprio nomine vocari, ſi blandiri velis. ſed hic nominis oblitus, dum dubitat & inquirit, inhæſit pronomini.

Animo meo. Hoc eſt, ſecundum animi mei ſententiam, & quantum ad animum meum pertinet.

Nam is, mihi est profecto servvs. In hoc laudando quia non laborat, ſubiecit ſpecialiter merita eius: aut, vt exiſtimo, nihil habuit quod diceret niſi laudem, ſine vllius facti mentione. Et *mihi*, id eſt quantum ad iudicium meum pertinet.

Cvi dominvs cvrae est. Quum hic dominas habeat, *Dominum* dixit: quia præualet maſculinum. Virgilius,

Deſcendo, ac ducente deo flammam inter & hoſtes
Expedior. ——— Et præterea ſententia generalis inducitur, quum nullum ſpecialiter dominum ſignificat.

Ita vt tibi sensi Geta. Maximum delinimentum infert, eum nomine vocans. quod tantùm ſuperioribus eſt. & vide quàm gratè, poſtquam ipſe dixit, *Nomine appellauit. Getam.*

Et tibi ob eam rem. Quid *Et tibi*? vtrum quemadmodum aliis? an quemadmodum Syro? Et tibi ob eam rem siqvid vsvs venerit. Defectus quidam ruſtici præter naturam blandientis, cogit dicta reperere ſine gratia. Hæ autem promiſſiones ad hoc præmittuntur, vt quum in ſubiectis agi à Demea huiuſmodi res cœperint, non ſit abſurdum ſpectatoribus Demeam tam cito eſſe mutatum.

MEDITOR ESSE AFFABILIS. Sic hoc lentius, vt illud ſuprà, *Iam nunc tria hec addidi præter naturam, O noſter, quid fit? quid agitur?*

PAVLATIM PLEBEM. Moraliter inferiorum turbam, *Plebem* dixit: hoc eſt, vt in vrbe vulgus, ita in familia ſeruos. Et fit tranſlatio ab iis qui honores doloſe, ac non pro merito petunt, ambitioſique ſunt. PLEBEM PRIMVLVM FACIO MEAM. Hoc eſt mihi fauentem. Et econtrario Virgilius,

Vadimus immiſti Danais haud numine noſtro.

ACTVS QVINTI SCENA VII.

AESCHINVS. DEMEA. SYRVS. GETA.

OCCIDVNT me quidem, dum nimis ſanctas nuptias
Student facere: in apparando totum conſumunt diem.
D. Quid agitur AEſchine? AE. ehem pater mi, tu hîc eras?
D. Tuus hercle verò & animo, & natura pater,
Qui te amat plus quàm hoſce oculos. ſet cur non domum
Vxorem accerſis? AE. cupio: verùm hoc mihi mora eſt
Tibicina, & hymenaeum qui cantent. D. ehò
Vin' tu huic ſeni auſcultare? AE. quid? D. miſſa haec face,
Hymenaeum, turbas, lampadas, tibicinas
Atque hanc in horto maceriam iube dirui
Quantum poteſt: hac tranſfer, vnam fac domum.
Traduce & matrem, & familiam omnem ad nos. AE. placet
Pater lepidiſſime. D. euge, iam lepidus vocor.
Fratri aedes fient peruiae: turbam domum
Adducet, & ſumptum admittet. multa; quid mea?
Ego lepidus ineo gratiam: iube nunc iam
Dinumeret illi Babylo viginti minas.
Syre ceſſas ire ac facere? SY. quid ago? D. dirue.
Tu illas abi & traduce. G. di tibi Demea
Benefaciant, quum te video noſtrae familiae
Tam ex animo factum velle. D. dignos arbitror.
Quid tu ais? AE. ſic opinor. D. multò rectiuſt,
Quàm illam puerperam nunc duci huc per viam
AEgrotam. AE. nihil enim vidi melius mi pater.
D. Sic ſoleo: ſet eccum Micio egreditur foras.

OCCIDVNT ME QVIDEM, Adoleſcens & Demea inter ſe aſtabiles, imaginem præbent, & quàm dulcis ſit iunioribus aſſentatio, & quàm ingrata cenſura. *ἰδιωτικῶς* autem dixit *Occidunt me*, pro *Nimis lædunt & cruciant me*. OCCIDVNT ME QVIDEM. *Quidem* pro expectatione eſt: tanquam in hac mora nullus alius occidatur, niſi qui amat, id eſt ego.

DVM NIMIS SANCTAS NVPTIAS. Et *nimis ſanctas* ridiculè additum eſt in ea ducenda, quæ iam peperit. nam *Sanctum* eſt, quod omni obſeruatione inuiolatum eſt. Et bene additum eſt *Nimis*: quia *Nimium* pro vitio ponitur: iuxta illam ſententiam qua dicitur. *Ne quid nimis.*

QVID AGITVR AESCHINE Iam ipſe docuit, *Quid fit*, & *Quid agitur*, blandimentum eſſe. Iam nunc hæc tria primum addidit præter naturam, *O noſter, quid fit? quid agitur?*

EHEM PATER. Non ſine conſternatione reſpondet AEſchinus: etſi hic blande interrogat, & miti vultu: nam ex improuiſo obiectus eſt Demea, & inſperanti.

TVVS HERCLE VERO ET ANIMO, ET NATVRA PATER. Totum eripuit Micioni, cui ne animum quidem reliquit.

QVI TE AMAT PLVSQVAM HOSCE OCVLOS. Magis comicum, quàm *amo*.

SED CVR NON DOMVM VXOREM ACCERSIS. Bene ſubiecit quæ volenti eſſe credebat.

VERVM HOC MIHI MORA EST, TIBICINA, ET HYMENAEVM. Hoc eſt quod ait, *Dum nimis ſanctas nuptias ſtudent facere*. *Hymenæum* quidam Liberi & Veneris filium dicunt eſſe, qui primus certas nuptias inſtitueret. ideo per laudem cantatur virginalibus nuptiis ob huiuſmodi meritum. Alij virum fortem Atticum dicunt fuiſſe, qui raptas prædonibus virgines, oppreſſis latronibus, intactas patriæ reſtitueret. Alij, quòd *ὑμὴν* dicatur membrana quædam, qua eſt munita virginitas, quæ primo diſrumpitur coitu. hymenæum putant, veluti hymnum vocari virginalium nuptiarum. Ergo ſic accipe *hymenæum* in nuptiis, quemadmodum *θρῆνον* in funere, vel in ſacris *hymnum*.

VIN' TV HVIC SENI AVSCVLTARE. Contempſit ſeipſum dicendo *Huic ſeni*, hoc ſolum afferens cauſæ cur audiendus non ſit, quod ſit ſenex. Et totum hoc apparet lætiſſimo vultu dici.

TVRBAS, LAMPADAS, TIBICINAS. Bene totum pluraliter: vt qui reprehendit ſic multa. Plautus, *Quos tu mihi paraſitos, luſcos, quos Summanos ſomnias?* Hæc igitur vultu pronuntianda ſunt, vt appareat ea diſplicere dicenti.

ATQVE HANC IN HORTO MACERIAM IVBE DIRVI. *Maceria* dicitur paries nunc * alicuius demacerata.

EVGE, IAM LEPIDVS VOCOR. Apparet Demeam experiendi cauſa aſſentari, non quòd animo faciat.

FRATRI AEDES FIENT PERVIAE. Elegantius quàm *Fratris*.

INEO GRATIAM. In gratiam eo, hoc eſt, Amicos comparo.

EGO LEPIDVS. Irridens adoleſcentis animum ſic inquit.

IVBE NVNC IAM. Inſultantis eſt verbum *Iube*, tanquam præſtet Micioni, hoc dicit Demea. Aut apud ſe dicit hoc. IVBE NVNC. Quaſi inſultantes dicere ſolemus, nunc minari, hunc aſſiſtere, quem aſſ.ctum tenemus: ita & Micioni Demea dicit, *Iube nunc*.

IVBE NVNC IAM DINVMERET BABYLO ILLI VIGINTI MINAS. Nimis morale eſt, quum de abſente tanquam de præſente agimus. Eſt autem. *Iube nunc iam*, figura etiam apud Plautum frequentiſſima. IVBE NVNC IAM. *Iube* ſic dicit, quemadmodum ſuprà ille, qui quum alius nemo adeſſet, alicui diceret. DINVMERET. *Dinumeret* dixit, quaſi multum numeret.

ILLI Cui *Illi*? Cteſiphoni, Lenoni, an AEſchino? an Syro? BABYLO. Fratrem, *Babylonem* ob nimiam liberalitatem vocat: an *Aeſchinum* nimis prodigum?

SYRE CESSAS IRE AC FACERE. *ἰδιωτικῶς* dicitur.

DIRVE. Hoc vultu dicitur adhortante.

QVVM TE VIDEO NOSTRAE FAMILIAE TAM EX ANIMO. FACTVM VELLE. *Ex animo alicuius facere*, eſt id facere quod ille in animo ſuo velit aut certè ex tota mente præſtare non perfunctorie. ſed ex animo factum, bene factum intelligere debemus: vt ſit, *Ex animo*, quaſi ex ſententia.

Dignos arbitror. Multa deſunt, & *Vos*, & *Eſſe*, & *Qui ſiant*.

Qvid tv ais. Eo vultu dicitur *Quid tu ais*, quo videmus loqui eos, qui interrogant geſticulante vultu quid ſentiant de conſilio ſuo, quos ſciunt approbaturos eſſe.

Sic soleo. Poteſt εἰρωνεία videri. quippe quando tale conſilium probat Demea, quod probaret adoleſcens.

Actvs qvinti scena VIII.

MICIO. DEMEA. AESCHINVS.

IVBET frater? vbi is eſt? túne iubes hoc Demea?
D. Ego verò iubeo, & in hac re, & aliis omnibus
Quàm maxumè vnam facere nos hanc familiam;
Colere, adiuuare, adiungere. AE. ita quaeſo pater.
MIC. Haut aliter cenſeo. D. imò hercle ita nobis decet.
Primùm huius vxoris eſt mater. MIC. quid poſteà?
D. Proba & modeſta. MIC. ita aiunt. D. natu grandior.
MIC. Scio. D. parere iam diu haec per annos non poteſt:
Nec, qui eam reſpiciat, quiſquam eſt: ſola'ſt. MIC. quam hic rem agit?
D. Hanc te aequom'ſt ducere: & te operam, vt fiat, dare.
MIC. Me ducere autem! D. te. MIC. me. D. te inquam. MIC. ineptis. D. ſi tu ſis homo,
Hic faciat. AE. mi pater. MIC. quid? tu huic aſine auſcultas? D. nihil agis:
Fieri aliter non poteſt. MIC. deliras. AE. ſine te exorem mi pater.
MIC. Inſanis? aufer. D. age, da veniam filio. MIC. ſatin' ſanus es? ego
Nouus maritus anno demum quinto & ſexageſimo
Fiam: atque anum decrepitam ducam! ídne eſtis auctores mihi?
AE. Fac: promiſi ego illis. MIC. promiſti autem? de te largîtor puer.
D. Age, quid ſi quid te maius oret? MIC. quaſi non hoc ſit maxumum.
D. Da veniam. AE. ne grauere. D. fac, promitte. MIC. non omittis?
AE. Non, niſi te exorem. MIC. vis eſt haec quidem. D. age, prolixè Micio.
MIC. Etſi hoc mihi prauum, ineptum, abſurdum, atque alienum à vita mea
Videtur: ſi vos tantopere iſtuc voltis, fiat. AE. bene facis.
Meritò te amo. D. verùm, quid ego dicam? hoc confit quod volo:
Quid nunc quod reſtat? Hegio his eſt cognatus proxumus,
Adfinis nobis, pauper: bene nos aliquid facere illi decet.

MIC. Quid facere? D. agelli eſt hîc ſub vrbe paululum quod locitas foras:
Huic demus qui fruatur. MIC. paululum id autem? D. ſi multum ſit, tamen
Faciundum eſt: pro patre huic eſt: bonus eſt? noſter eſt: rectè datur.
Poſtremò non meum illud verbum facio, quod tu Micio
Bene & ſapienter dixti dudum: vitium commune omnium eſt,
Quod nimium ad rem in ſenecta adtenti ſumus: hanc maculam nos decet
Effugere: dictum eſt verè, & re ipſa fieri oportet.
MIC. quid iſtic? dabitur: quandoquidem hic volt. AE. mi pater.
D. Nunc tu mihi es germanus pariter corpore & animo. MIC. gaudeo.
D. Svo ſibi gladio hunc iugulo.

IVBET FRATER. Apparet Micionem dixiſſe, *Cur diruis?* Syrum reſpondiſſe, *Quia hoc iubet frater tuus.* IVBET FRATER. Dirui maceriam ſcilicet.

TVNE IVBES HOC DEMEA. Interrogatiue pronuntiandum totum. ita erit vna perſona. Et oſtenditur breuiter ex huius verbis, quid prior dixerit Syrus. Et mirum initium: ne procemio opus eſſet Demeæ ad profitendam mutationem voluntatis.

HAC RE. Maceriæ diſiectione. ET ALIIS OMNIBVS. Vt nuptiis ſenilibus.

COLERE ADIVVARE, ADIVNGERE. *Colere* ad nurum pertinet: *Adiuuare*, ad Hegionem: *adiungere*, ad Soſtratam. Et notandum *Colo* à ſuperiore. vt, *Poſthabita coluiſſe Samo, hic illius arma.* COLERE Subauditur *Iubeo*, per ζεῦγμα.

IMO HERCLE ITA NOBIS DECET. Antiqui ſi addebant ſtatim verbum, *Nos decet facere, Nos decet dicere*: ſi non addebant, *Nobis decet*, dicebant.

PRIMVM HVIVS VXORIS EST MATER. Incipit à perſuaſione, ſed latenter, ita vt ea quæ propoſito conſilio dicenda erant, antè demonſtrarit, quàm dicat quid fieri velit. Et hoc ſemper fit ab oratoribus in his rebus, à quibus incipere non oportet propter turpitudinem, aut incommoditatem rei quæ perſuadenda eſt. Conſidera adeò apud Virgilium, vbi perſuadet Iris matribus vt naues ſuas incendant: & inuenies hoc ipſum conſilium vltimum poni poſt argumenta quamplurima, *Quin agite, & mecum infauſtas exurite puppes.* Et initium à poſſibili factum eſt. nam dicit, *Huius vxoris eſt mater.*

PROBA ET MODESTA. Proba ſibi: & Modeſta apud alios. Et vide laudes conſiliatoribus inuentas & vſitatas.

ITA AIVNT. Hoc ita reſpondet, quaſi dicat, *Sed quid mea?*

SCIO. Adhuc Micio non intelligit quò res tendat: ſed tamen vultu quodam admirantis, cur hoc dicatur, reſpondet.

PARERE IAM DIV PER ANNOS HAEC NON POTEST. Recte, ne contra filios ſuadere videatur. PARERE IAM DIV PER ANNOS HAEC NON POTEST. Hoc autem addidit, ne contra filios pater ſuadere videatur nuptias, ſi illis cohæredes eſſe procreandos ſuadeat. PER ANNOS HAEC NON POTEST. Bene *Per annos*: quia non eſt ſterilis.

HANC TE AEQVVM EST DVCERE. Te, Micio ſcilicet.

ET TE OPERAM. Te AEſchine. nam ad illum conuerſus à Micione eſt. Et quare AEſchinum operam dare æquum eſt? ſcilicet vt proſit ſocrui.

ME DVCERE AVTEM. Magna vis in pronominibus poſita eſt. nam *Me* ille ſic dicit, quaſi quem minime deceat.

TE. Ille ſic reſpondet, quaſi quem maxime oporteat.

INEPTIS. Verbum eſt, quod facit *Ineptio, ineptis, ineptit.*

SI TV SIS HOMO. Non *Sies*, ſed *Sis* dixit: quaſi in eo ſe hominem ſit AEſchinus pro-

baturus. SI TV SIS HOMO. AEſchine, *Si ſis* pro *Si eſſe volueris*, & *Si credi homo volueris*. SI TV SIS HOMO. Hic facete & mire coegit AEſchinum ad perſuadendum. non enim dixit, *Si tu ſis homo, perſuade*: ſed ſic, faciat: vt ab illo non factum, ſed effectum exigeret.

QVID: TV HVIC ASINE AVSCVLTAS. Aptum conuitium grandi & fatuo.

MI PATER. *Mi* vocatiuus caſus eſt, ab eo quod eſt *Meus*. FIERI ALITER NON POTEST. A neceſſario.

DELIRAS. Proprio vocabulo vſus eſt, tanquam loquaci.

INSANIS: AVFER. Congrue ſeni *Deliras*: iuueni *Inſanis*. Et *Aufer*, vel te, vel manum. nam rogans, manum admouet ſcilicet, dicens, *Mi pater*. AVFER, Aut *te* deeſt, aut *Manum*. aut pro eo quod eſt *Abi*: vt ſit, Aufer te.

EGO NOVVS MARITVS. Apud Menandrum ſenex de nuptiis non grauatur. Ergo Terentius εὑρετικῶς. EGO NOVVS MARITVS ANNO DEMVM QVINTO ET SEXAGESIMO FIAM, ATQVE ANVM DECREPITAM DVCAM. Hic deeſt & *Quis*, & *Quid*, & *Quando*, & *Quomodo*. vt ſit, Quis? ego. Quid? nouus maritus. Quando? anno demum quinto & ſexageſimo. Quomodo? anum decrepitam ducam. ANNO DEMVM QVINTO ET SEXAGESIMO. Hæc ætas eſt, vt Varro ait, etiam comicorum ſenum. Et *Demum*, aduerbium tarditatis eſt. ATQVE ANVM DECREPITAM DVCAM. Hoc facete addit, tanquam faciendum hoc eſſet. ſi puella duceretur ſeni.

IONE ESTIS AVTHORES MIHI. Hoc eſt perſuaſores. vt Virg. *Author ego audendi*.

DECREPITAM. *Decrepitam*, aut ſtomacho anili & iracundo: aut *decrepitam* obtuſi animi & læſæ ſenectutis. aut *Decrepitam*, cui ſæpe moribundæ crepuerit planctu familia, id eſt clamauerit.

LARGITOR. Verbum eſt imperatiui modi, futuri temporis. DE TE LARGITOR PVER. Acutius *De te* dictum eſt, quàm *De tuo*. Et bene in eum, qui promiſerat puellæ coniunctionem ſuam.

DA VENIAM. Præſta beneficium, concede quod petitur.

NE GRAVERE. Ne te difficilem præbeas. quia grauem ſe dicitur præſtare, qui id facilè non præſtat in beneficio quod poteſt. DA VENIAM NE GRAVERE. FAC, PROMITTE. Altrinſecus agentium, fatigantiúmque verba ſunt.

AGE, PROLIXE MICIO. Aut *Age prolixe*, id eſt age benigne: vt ſit *Prolixe* benigne, ſecundum veteres. aut per ἀσύνδετον, & ἔλλειψιν, *Age*, correptiuum: vt ad *Prolixe* ſubaudiatur, *Noſter eſto*, aut quid tale: & *Micio* velut in ſuaui dictum ſit.

ETSI HOC MIHI PRAVVM, INEPTVM, ABSVRDVM. *Prauum* ſi anum ducit nullo commodo ſuo. *Ineptum*, qui non voto filiorum ducat vxorem. *Abſurdum*, homini qui numquam duxerit, & numquam ducere voluerit, ſeni duci vxorem. quæ adoleſcenti ducta non ſit.

SI VOS TANTOPERE ISTVC VVLTIS, FIAT. Cur hic non vertitur de voluntate Softratæ? An quia illam conſentire neceſſe eſt vel propter pauperiem, vel ob amorem filiæ ſuæ? SI VOS TANTOPERE ISTVC VVLTIS, FIAT. Ridicule dixit & comice, vxorem ſe ducere, non quia velit, aut debeat: ſed vt obſequatur iubentibus.

HOC CONFIT QVOD VOLO. Perficitur inquit quod volo: vt ſumptum & turbam domum recipiat Micio, & ego ineam gratiam.

QVID NVNC QVOD RESTAT. *Quod reſtat*, pro *Quod ſequitur*. An *Quod reſtat*, tanquam reliquiarum priorum, ac per hoc minimum?

HEGIO HIS EST COGNATVS PROXVMVS. Commendatio perſonæ quaſi notæ, etiam Micioni ob merita ſua. Et bene addidit *Proxumus*: nam multi gradus & veluti rami ſunt propinquitatis in affinitate & cognatione diſpoſiti.

ADFINIS NOBIS. Recte non vxoris cognati. marito affines ſunt.

PAVPER. Iam hoc nomine apparet aliquid flagitari.

QVOD LOCITAS FORAS. *Foras* dixit, locum pro perſona ponens: quaſi diceret, *Neſcio qui alieno* ſic & nos dicimus, *Audi quid dicit* * *Ecce hac*, pro *Ecce hic* Cicero, *Hic tum alius ex alia parte*. Deeſt ergo aliquid. vt ſit, *Quid locitas foras verſu* Aut ſi *foris foris poſito*, id eſt alieno.

SVB VRBE EST PAVLVLVM AGELLI HIC. Totum eum contemptione pronuntiandum

HVIC DEMVS FRVATVR. Id eſt qui fructum capiat, non proprietate potiatur. Proprie ergo, & quaſi de iure dixit *Fruatur*. eſt autem *Fruatur*, alatur: quia *Frumen* dicitur ſumma gula, per quam cibum lingua demittit in ventrem.

BONVS EST, NOSTER EST, RECTE DATVR. ἐπιτροχασμὸς hortantis, & ἀσύνδετον multa congerentis. BONVS EST. Potuit reſpondere. *Quid mea?* BONVS EST, NOSTER EST. Hæc omnia vultuoſe, tanquam inuidiam parſimoniæ faciat Micioni. Et plus ſignificat *Noſter*, quàm ſi addatur. *Quid noſter*, NOSTER EST. Bene addidit. namque dixit, *Pro patre huic eſt*.

RECTE DATVR. Quaſi non quæratur, an dandum ſit: ſed illud ſolum, an rectè.

NON MEVM ILLVD VERBVM FACIO. Nunc *Verbum* pro ἀξιώματι poſuit, quod vno ſtringitur verbo. Ergo *Verbum*, breuis ſententia. NON MEVM ILLVD VERBVM FACIO. Nota *Verbum*, pro *Sententia*. vt, *Vno verbo dic, ſi quid eſt quod me velis*. Et. *Miſeram me, quod verbum audio?* *Verbum* dixit, veram ſententiam. nam verba eſſe à veritate dicta teſtatur Varro.

HANC MACVLAM NOS DECET EFFVGERE. *Maculam* τῷ χλευασμῷ dixit, irridens opinionem Micionis: quia parſimoniam, maculam putet. & ſimul auxit: primò *Vitium*, deinde *Maculam* dicendo.

SVO SIBI HVNC GLADIO IVGVLO. ἀλληγορία, & non *Suo*, ſed *Suo ſibi*, moraliter, & ve veteres ſolent loqui.

ACTVS QVINTI SCENA IX.

SYRVS. DEMEA. MICIO. AESCHINVS.

FACTVM eſt, quod iuſſi Demea.
D. Frugi homo es: ego aedepol hodie mea quidem ſententia
Iudico Syrum fieri eſſe aequum liberum. MIC. iſtunc liberum?
Quodnam ob factum? D. multa. ST. ô noſter Demea, aedepol vir bonus es.
Ego iſtos vobis vſque à pueris curaui ambos ſedulo:
Docui, monui, bene praecepi ſemper quae potui omnia.
D. Res apparet: & quidem porrò haec, obſonare cum fide,
Scortum adducere, apparare de die conuiuium:
Non mediocris hominis haec ſunt officia. ST. ô lepidum caput.
D. Poſtremò, hodie in pſaltria hac emunda, hic adiutor fuit,
Hic curauit: prodeſſe aequumſt: alij meliores erunt.
Denique hic vult fieri. MIC. vin tu hoc fieri? AE. cupio. MIC. ſi quidem
Tu vis, Syre ehò accede huc ad me, liber eſto. ST. bene facis:
Omnibus gratiam habeo: & ſeorſum tibi praeterea Demea.
D. Gaudeo. AE. & ego. ST. credo. vtinam hoc perpetuum fiat gaudium,
Phrygiam vt vxorem meam vnà mecum videam liberam.

D. Optumam quidem mulierem. S T. & quidem tuo nepoti, huius filio
Hodie primam mammam dedit haec. D. hercle verò ſeriò,
Si quidem primam dedit, haut dubium quin emitti aequum ſiet.
M I C. Ob eam rem? D. ob eam: poſtremò à me argentum, quanti eſt, ſumito.
S T. Di tibi Demea omnes ſemper omnia optata offerant.
M I C. Syre proceſsiſti hodie pulchrè. D. ſi quidem porrò Micio
Tu tuum officium facies, atque huic aliquid paululum prae manu
Dederis, unde vtatur: reddet tibi citò. M I C. iſtoc vilius.
AE. Frugi homo eſt. S T. reddam hercle; da modo. AE. age pater. M I C. pòſt conſulam.
D. Faciet. S T. ò vir optime. AE. ô mi pater feſtiuiſsime.
M I C. Quid iſtuc? quae res tam repentè mores mutauit tuos?
Quod prolubium? quae iſtaec ſubita eſt largitas? D. dicam tibi:
Vt id oſtenderem, quod te iſti facilem, & feſtiuum putant,
Id non fieri ex vera vita, neque adeò ex aequo & bono:
Set ex adſentando, indulgendo, & largiendo Micio.
Nunc adeò ſi ob eam rem vobis vita mea inuiſa eſt AEſchine,
Quia non iuſta, iniuſta, prorſus omnia, omnino obſequor:
Miſſa facio, effundite, emite, facite quod vobis lubet.
Set ſi id vultis potius, quae vos propter adoleſcentiam
Minus videtis, magis impenſè cupitis, conſulitis parum,
Haec reprehendere & corrigere me, & obſecundare in loco:
Ecce me, qui id faciam vobis. AE. tibi pater permittimus:
Plus ſcis quid facto opus eſt: ſet de fratre quid fiet? D. ſino,
Habeat; in iſtac finem faciat. AE. iſtuc rectè. Ω. Plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

FACTVM EST QVOD IVSTI DEMEA. Id eſt, diruta eſt maceria.
FRVGI HOMO ES. Vtilis, vt fruges.

AEDEPOL HODIE MEA QVIDEM SENTENTIA IVDICO SYRVM FIERI ESSE AEQVVM LIBERVM. Hoc eſt quod iamdudum promiſerat Syro: ſed nunc opportune videtur enim modo meritum præceſſiſſe. &, *Sententia iudico, κυριολογία.*

QVODNAM OB FACTVM? Iure. aſcribi enim cauſas manumiſſionis in iure formula eſt.

MVLTA. Oratorie maluit generaliter dicere, quàm quærere ſpecialiter quod inuenire non poſſit. Et Micio ſingulariter vnum quærit, hic pluraliter multa reſpondet.

AEDEPOL VIR BONVS Iurat bonum: quia præter opinionem eſt.

EGO ISTOS VOBIS VSQVE A PVERIS. Intelligit Syrus laborantem pro ſe Demeã

non habere quod dicat: & ideo ipſe proſequitur ordinem meritorum: ſecundum quem apparet pædagogum fuiſſe.

DOCVI, MONVI, BENE PRAECEPI. Ridicule adduntur, & tantum conſuetudine: quia imputantur etiam facta praue pro bonis. QVAE POTVI OMNIA, Bene *Quæ potui*: quaſi plura vellet.

RES APPARET. Mire irridet Demea, ſic tamen vt ſerio agere videatur.

APPARARE DE DIE CONVIVIVM. Id eſt repentè, neque antè prædictum, nec pridie conſtitutum.

POSTREMO, HODIE IN PSALTRIA HAC EMVNDA. Et hoc totum ſerio dicitur, vt magis ridiculum videatur.

HIC ADIVTOR FVIT. In re bona *Adiutores*, in re mala *Impulſores* dicuntur. Ergo hic adiutor dicitur à non iraſcente: à criminante autem & irato, impulſor. HIC ADIVTOR FVIT, HIC CVRAVIT. De more repetitum eſt *hic*: quum dicitur, *Hic adiutor fuit, hic curauit*, Sic enim ſolemus onerare audientem meritis eius quem laudamus. Deinde quid non præſtitit, qui & officium corporis, vt adiutor: & curam animi præbuit, vt conſultor?

DENIQVE HIC VVLT FIERI. Abutitur Demea, ſciens prodigam voluntatem adoleſcentuli.

SYRE EHO, ACCEDE HVC AD ME. Vtrum vt eundem manu emittat, an vt palàm fiat, iubet propius accedere, iuris conſuetudine ludens? Et vide quàm comicam manumiſſionem, quàm facetè induxerit atque condignè.

ET SEORSVM TIBI PRAETEREA DEMEA. Effecit Demea plus quàm volebat. nam qui conabatur amari, præfertur etiam his qui amantur.

GAVDEO, ET EGO. Gratulantium Syro hæc verba ſunt: quibus de more ille *Credo*, reſpondet.

VTINAM HOC PERPETVVM FIAT GAVDIVM. Integrum, ſolidum, & nuſquam interruptum.

PHRYGIAM VT VXOREM MEAM. Vt ipſe, Syrus: ita vxor, Phrygia, ſecundum veteres, qui ſeruis nomina à nationibus imponebant.

VNA MECVM VIDEAM LIBERAM. Hoc ſic pronuntiandum eſt, quaſi gaudeat ſe recordatum Demeæ: quod quum vltro cogitat habuiſſe * plene oblitus fuit.

HODIE PRIMAM MAMMAM DEDIT HAEC. Ridiculum meritum: ſiquidem oportuerit primam eſſe quantumque: an quia cauſa eſt, quod ingenui dicuntur ſerio à nutricibus liberis educandi? HERCLE VERO SERIO. Aduerbia ſunt confirmantia παρέλκον. OB EAM REM. Hoc eo vultu dicitur, quo rem veluti excutimus, & oſtendimus momenti eſſe nullius.

ARGENTVM, QVANTI EST SVMITO. Quanto pretio valet. ARGENTVM, QVANTI EST, SVMITO. Hoc verbo tenus, vt faciunt qui perſuadere aliquid cupiunt.

DII TIBI DEMEA OMNES, SEMPER OMNIA OPTATA OFFERANT. *Omnes omnia*: antiqua elegantia, & figurata.

PROCESSISTI HODIE PVLCHRE. Nunc verè pulchrè proceſſit Syrus.

SIQVIDEM PORRO MICIO TV TVVM OFFICIVM FACIES. Hoc eſt patroni, vt libertum non deſeras, ſed vt alas manumiſſum. Plautus, *Facis melius quàm pars lenonum, qui libertos habent, & eos deſerunt.*

VNDE VTATVR, *Vtatur*, viuat: vnde *vſura*, vita dicitur. vt, *Vnius vſuram horæ gladiatori iſti non dediſſet* an vnde alatur, de quo vſumfructum capiat, & cuius tibi ſortem reddat? Et hoc melius: nam ideo addidit, *Reddet tibi cito*.

ISTOC VILIVS. Hoc egit Terentius, vt conuerſis officijs vſque adeò prodigum faceret Demeam, donec parcum redderet Mitionem. ISTOC VILIVS. Quaſi nihil minus. negatio enim eſt floccum oſtendentis, aut quid tale, cum ἐλλείψει qua ſubauditur *Quicquam* &. *Non dabo*.

FACIET. Nequid negatum in fine fabulæ videatur, addidit Demea, *Faciet*, & *Faciet*, quod petis ſcilicet: quod irridens dixit, quaſi de prodigo dicere videatur. Et mire *Faciet*: quia nec credibile erat ſtatim conſenſurum qui negauerat: & perpetuò negatio eſſe infi-

ne non debuit.

QVID ISTVC, QVAE RES TAM REPENTE MORES MVTAVIT TVOS. Animaduertendum eſt, qua calliditate Terentius quærens finem fabulæ, complere lætitiam per ipſum Demeam nitatur in vniuerſos, qui in tota comœdia triſtis ac ſæuus interturbauit & vociferatus eſt.

QVOD PROLVBIVM. *Prolubium*, quod Græci προθυμίαν. id eſt promptus animus ad largiendum.

SVBITA EST LARGITAS. Repentina: ac per hoc ipſa eſt ingrata & immoderata: vt euenit quum ex nimis parcis non largi & liberales, ſed effuſi prodigique redduntur.

VT ID OSTENDEREM. Abundat *id*. Aut ἀντὶ τοῦ eſt, pro. *Per id*.

QVOD TE ISTI FACILEM, ET FESTIVVM PVTANT, Multum detraxit Mitioni, dicendo, *Te iſti putant*, per quod ſignificatur errare adoleſcentes, & hunc non eſſe feſtiuum. QVOD TE ISTI FACILEM, ET FESTIVM PVTANT. Bene in poſtremo dignitas perſonæ huius ſeruata eſt, vt non perpetuò commutata videretur: vt Truculenti apud Plautum.

INDVLGENDO. Attende indulgentiam à Demea culpæ aſcribi denuo.

ET LARGIENDO MITIO. Seuere additum eſt nomen verbis ex animo plorantis.

QVIA NON IVSTA INIVSTA, PRORSVS OMNINO OBSEQVOR. Prouerbiales ſunt huiuſmodi elocutiones, *fanda nefanda, digna indigna, velis nolis*.

EFFVNDITE, AMITTE, FACITE. *Effundite*, ad AEſchinum pertinet: *Emite* ad Cteſiphonem: *Facite* ad omnes. FACITE QVOD VOBIS LVBET. Propriè rediit rurſus ad amaritudinem priſtinam. Hæc ἐπιτροπὴ eſt figura qua inuitos nos permittere oſtendimus, quod nolumus fieri.

QVAE VOS POTIVS PROPTER ADOLESCENTIAM MINVS VIDETIS. Hîc oſtendit Terentius magis Demeam ſimulaſſe mutatos mores, quàm mutauiſſe.

MINVS, VIDETIS, MAGIS IMPENSE CVPITIS, CONSVLITIS PARVM. ἀσύνδετα, *minus, magis, parum*.

Hæc REPREHENDERE, ET CORRIGERE ME, ET SECVNDARE IN LOCO. Tribus tria redduntur: & vtraque ἀντιθετικῶς. Illa in malam partem ſuperiora: hæc in bonam, quæ inferiora ſunt, non tantum enim culpæ eſt, minus prouidere, quàm impenſe cupere: nec tantum mali eſt impenſe cupere, quantum parum conſulere. Item Reprehendere bonum eſt: melius Corrigere: optimum Secundare. nam qui reprehendit, non continuò corrigit. qui corrigit, non ilico ſecundat: id eſt lætiſſimum reddit & fideliſſimum. Alij *Secundare*, obſequi dictum putant. & ideo additum eſſe in loco: quaſi non ſemper faciendum ſit. Ergo *Secundare*, vel in melius conuertere, vel obſequi intelligimus.

TIBI PATER PERMITTIMVS. Noluit Terentius ab amoribus filiorum perpetuò repulſum patrem.

SINO HABEAT. IN ISTAC FINEM FACIAT. Hæc quidem permiſſio eſt: ſed & exceptionem in ſe continet: & cum quodam ſtomacho, & velut minaci denuntiatione profertur. IN ISTAC FINEM FACIAT. Hoc eſt, aut ne aliam amet, aut ne alteram comparet: ne poſt iſtam luxurietur vlterius.

ISTVC RECTE. Bene & Micio non diſceſſit de propoſito ſuo, qui vt peccaſſe aliàs oſtenderet fratrem ob nimiam aſperitatem, cum exceptione quadam laudans verba eius, *Iſtuc recte* dixit: quaſi diceret, Non vt cætera: & ſimul repoſuit ei, qui ſuprà dixerat, Vt id oſtenderem, quod te iſti facilem, & feſtiuum putant, id non fieri ex vera vita, neque adeò ex æquo & bono, &c.

ÆLII DONATI V. C. ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENT. IN TERENTI ADELPHOS

EXPLICIT.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. HECYRAM.

VXOREM *duxit Pamphilus Philumenam,*
Cui quondam ignorans virgini vitium obtulit:
Cuiúſque, per vim quem detraxit, anulum
Dederat amicae Bacchidi meretriculae.
Dein profectus in Imbrum eſt: nuptam haut adtigit:
Hanc mater vtero grauidam, ne id ſciat ſocrus,
Vt aegram ad ſe transfert: reuenit Pamphilus:
Deprehendit partum: celat: vxorem tamen
Recipere non volt. pater incuſat Bacchidis
Amorem: dum ſe purgat Bacchis, anulum
Mater vitiatae fortè agnoſcit Myrrhina:
Vxorem recipit Pamphilus cum filio.

AELII DONATI, V. C. ORATORIS VRBIS Romæ, Præfatio in Hecyram Terentij.

HAEC fabula Apollodori eſſe dicitur Græca. nam & ipſa & Phormio ab eodem dicuntur eſſe tranſlatæ: quum reliquæ quatuor ſint Menandri comici. Hecyra autem dicitur ideo, quia per ſocrus & ſocéros in ea aguntur multa. Nam & ἑκυρὸς & ἑκυρὰ ſocerí nomen, ſocrúſque ſignificant. Eſt autem mixta motoriis actibus ac ſtatariis: multúmque ſententiarum & figurarum continet in toto ſtylo. Vnde quum delectet plurimum, non minus vtilita-

tis

tis affert ſpectatoribus. Atque in hac, primæ partes ſunt Lachetis, ſecundæ Pamphili, tertiæ Phidippi, quartæ Parmenonis: ac deinceps aliarum perſonarum, quæ his adiunctæ ſunt. Diuiſa eſt autem, vt cæteræ, quinque actibus legitimis, quos in ſubditis diſtinguemus. In hac prologus eſt & multiplex, & rhetoricus nimis, propterea quòd ſæpe excluſa hæc comœdia, diligentiſſima defenſione indigebat. Atque in hac Protaſis turbulenta eſt, Epitaſis mollior, lenis Cataſtrophe. Acta ſanè eſt ludis Megalenſibus, Sexto Iulio, C. Rabirio AEdilibus curulibus: Egítque L. Ambiuius. Modulatus eſt eam Flaccus Claudius tibiis paribus. Tota Græca eſt, factáque & edita quinto loco, Cn. Octauio, T. Manlio c o s s. Cantica & diuerbia ſummo in hac fauore ſuſcepta ſunt. προτατικὰ in hac πρόσωπα, id eſt perſonæ extra argumentum duæ ſunt, Philotidis & Syræ. In tota comœdia hoc agitur, vt res nouę fiant, nec tamen abhorreant à conſuetudine. Inducuntur enim beneuolæ ſocrus, verecunda nurus, leniſſimus in vxorem maritus, & item deditus matri ſuæ, meretrix bona.

ARGVMENTVM.

VITIATAM in tenebris ante nuptias, cui annulum extorſerat, meretricem amans dum ignorat Pamphilus, duxit vxorem grauidam ex compreſſu ſuo. Quam peregrè profectus, quum reliquiſſet domi, rediens parientem offendit furtim & apud matrem ſuam. Quare commotus, dum repudium inuitis parentibus, & cauſam repudij neſcientibus parat, per meretricem, apud quam annulus inuentus eſt, cognoſcit tandem ita à ſe vitiatam vxorem, & ex ſe natum filium. Primus actus colloquium continet meretricis Philotidis ac lenæ Syræ inter ſe primùm, deinde cum Parmenone: vt per harum perſonas, quæ πρότατικα dicuntur, argumentum ſpectator addiſcat. Secundi actus tenor in hoc eſt; Immeritam vxorem veluti malam ſocrum, accuſat Laches: & conuenit Phidippum de eadem cauſa. Statim poſt quorum colloquium conqueſtio inducitur Soſtratæ, quòd falſum crimen inuidioſúmque ſuſtineat. Tertio actui hæc aſcribuntur; Conqueſtio Pamphili peregrè redeuntis, de amore ſuo circa vxorem. Partitudo Philumenæ. Soſtratæ verba ſuper ægritudinem nurus, quam morbo credit afflictam. Fletus Pamphili errantis, quum putat non ex ſe filium natum eſſe. Colloquium Parmenonis cum pueris à naui venientibus, vt mox loquatur cum ipſo Pamphilo, à quo in arcem mittitur. Item Lachetis, Phidippíque, & Pamphili verba de reconcilianda illi coniuge: & eorum ab inuicem litigioſa diſſenſio. Quartum actum hæc complent; Perturbatio Myrrhinæ ex interuentu mariti: & eiuſdem cum eo nimis callida ac muliebris aſtutiæ diſceptatio. Soſtratæ, Pamphili, Lachetiſque colloquium. Inclamatio patris & ſoceri aduerſum Pamphilum vxorem recuſantem; Conuentio meretricis promittentis ſe iuſiurandum matronis exhibituram de non admiſſo ad ſe Pamphilo. In quinto actu Bacchidis narratio de intus geſtis, & colloquium

cum Parmenone inducitur: quem nuntium mittit ad Pamphilum: Pamphiliſque ad vltimum actio gratiarum apud ipſam Bacchidem. Docet autem Varro, neque in hac fabula, neque in alijs eſſe mirandum, quòd actus impares ſcenarum paginarúmque ſint numero: quum hæc diſtributio in rerum deſcriptione, non in numero verſuum conſtituta: ſit non apud Latinos modò, verum etiam apud Grecos ipſos.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

BACCHIS *meretrix.*
LACHES *ſenex*
MYRRHINA *mulier.*
PAMPHILVS *adoleſcens.*
PARMENO *ſeruus.*
PHIDIPPVS *ſenex.*
PHILOTIS *meretrix.*
PHILVMENA *meretrix.*
SOSIA *ſeruus.*
SOSTRATA *mulier.*
SYRA *anus.*

PVBLII TERENTII
CARTHAGINIENSIS AFRI
HECYRA.

ACTA LVDIS MEGALENS. SEX. IVLIO CAESARE. CN. CORNELIO DOLABELLA AEDIL. CVRVLIB. NON EST PERACTA, MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI, TIBIIS PARIBVS. TOTA GRAECA APOLLODORV EST. ACTA PRIMO SINE PROLOGO. DATA SECVNDO, CN. OCTAVIO, T. MANLIO COSS. RELATA EST LVCIO AEMILIO PAVLO LVDIS FVNEBRIBVS. NON EST PLACITA. TERTIO RELATA, Q. FVLVIO, L. MARCIO AEDIL. CVRVLIB. EGIT L. AMBIVIVS TVRPIO. PLACVIT.

PROLOGVS.

HECYRA eſt huic nomen fabulae: haec cum data eſt
Noua, nouum interuenit vitium & calamitas,
Vt neque ſpectari, neque cognoſci potuerit:
Ita populus ſtudio ſtupidus in funambulo
Animum occuparat: nunc haec planè eſt pro noua:
Et is qui ſcripſit hanc, ob eam rem noluit
Iterum referre, vt iterum poſsit vendere.
Alias cognoſtis eius, quaeſo hanc noſcite.

ALTER PROLOGVS.

ORator ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator vt ſim, eodem vt iure vti ſenem
Liceat, quo iure ſum vſus adoleſcentior.
Nouas qui exactas feci vt inueteraſcerent,
Ne cum poeta ſcriptura euaneſceret:
In his, quas primum Caecili didici nouas,
Partim ſum earum exactus, partim vix ſteti.
Quia ſciebam dubiam fortunam eſſe ſcenicam,
Spe incerta certum mihi laborem ſuſtuli:
Eaſdem agere coepi, vt ab eodem alias diſcerem
Nouas, ſtudioſe, ne illum ab ſtudio abducerem.
Perfeci vt ſpectarentur: vbi ſunt cognitae,
Placitae ſunt: ita poetam reſtitui in locum
Propè iam rem motum iniuria aduerſariûm
Ab ſtudio, atque ab labore, atque arte muſica.
Quòd ſi ſcripturam ſpreuiſſem in praeſentia,
Et in deterrendo voluiſſem operam ſumere,
Vt in otio eſſet potius, quàm in negotio:
Deterruiſſem facilè ne alias ſcriberet.
Nunc quid petam, mea cauſa aequo animo adtendite.
Hecyram ad vos refero, quam mihi per ſilentium
Numquam agere licitum eſt, ita eam oppreſsit calamitas.
Eam calamitatem veſtra intelligentia
Sedabit, ſi erit adiutrix noſtrae induſtriae.
Quum primùm eam agere coepi, pugilum gloria,
Funambuli eodem acceſsit expectatio,
Comitum conuentus, ſtrepitus, clamor mulierum,
Fecere, vt ante tempus exirem foras.
Vetere in noua coepi vti conſuetudine,
In experiundo vt eſſem: refero denuo.
Primo actu placeo: quum interea rumor venit
Datum iri gladiatores, populus conuolat:
Tumultuantur, clamant, pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.

Nunc turba non eſt otium, & ſilentium eſt.
Agendi tempus mihi datum eſt: vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos: facite vt veſtra authoritas
Meae authoritati fautrix, adiutrixque ſit:
Si numquam auarè pretium ſtatui arti meae:
Et eum eſſe quaeſtum, in animum induxi, maximum,
Quammaximè ſeruire veſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in veſtram commiſit fidem:
Ne eum circumuentum iniquè iniqui irrideant.
Mea cauſa cauſam hanc accipite, & date ſilentium,
Vt libeat ſcribere aliis, mihique vt diſcere
Nouas expediat poſthac, pretio emptas meo.

HECVRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. A nomine cœpit, vt incognitam probaret, & ideo ſpectandam. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Nominatiuo caſu figurauit: quum in vſu ſit vt datiuo dicamus. quamuis præſto ſint exempla, quibus veteres per omnes ferè caſus hoc genus locutionis enuntiabant. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Hæc primo data eſt ſine prologo ludis Megaleoſibus: quos Sex. Iulius, & Cornelius Dolabella ediderunt. ſed occupato populo ſtudio funambuli, diſplicuit. Poſtea data eſt ludis Funebribus L. AEmilij Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus, & Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta eſt, per ſtudium populi circa gladiatores. Tertio ad poſtremum introducta, Q. Fuluio, L. Martio ædilibus: virtute actorum L. Ambiuij, & L. Turpionis eſt commendata. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Totus hic prologus ſubtilem conqueſtionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglectæ fabulæ reum faciat, & facile reuocet in fauorem.

HAEC QVVM DATA EST NOVA. Ita dicitur, *data eſt fabula*, vt *data eſt cœna, datum eſt prandium*. Et *edidit*, à *dato* deſcendit. HAEC QVVM DATA EST NOVA, NOVVM INTERVENIT VITIVM. Sic & Homerus, Κεῖτο μέγας μεγαλωστί λελασμένος ἱπποσυνάων. Et *dari* dicitur *fabula*, quum agitur: *Stare*, quum placet. HAEC QVVM DATA EST NOVA, NOVVM INTERVENIT VITIVM. ἔλλειψις prima: deeſt enim, *Huic*: & eſt figura παρονομασία *Noua nouum*. VITIVM ET CALAMITAS. Bene ſecundum augures. *vitium* enim eſt ſi tonet tantum: *vitium & calamitas*, ſi tonet & grandinet ſimul, & etiam fulminet. VITIVM ET CALAMITAS. Tranſlatio eſt ab augurio: & *vitio creati* dicuntur *conſules*. *Calamitas* παρὰ τὴν καλάμην dicitur: *clades*, quia clamatur: vt aliud ſit grandinis culmum frangentis, aliud furti, aut doli mali. ſic Probus.

VT NEQVE SPECTARI. Vitium, quòd non ſpectata eſt: Calamitas, quòd non cognita VT NEQVE SPECTARI, NEQVE COGNOSCI. Mira defenſio. ſiquidem non iudicio comœdia exacta eſt, ſi ſpectari cognoſcique non potuerit: placitura ſcilicet, ſi audiretur. VT NEQVE SPECTARI, NEQVE COGNOSCI. Ideo theatrum, ideo ſpectatores, ideo actores: quia maior pars in geſtu eſt, quàm in verbis. COGNOSCI. Vel probari, vel ſciri: an Hecyra ſciri dicatur, quæ ſcita ſit nomine?

ITA POPVLVS STVDIO STVPIDVS. A deriuatione cauſæ. non quia mala, inquit, excluſa eſt: ſed quia populus funambuli admiratione obſtupuit: quod infra de gladiatori-

COMITVM CONVENTVS. Virum eos comites dicit, qui ſunt pugilum aſſectatores? an ſeruos qui dominos ſequuntur?

STVDIVM. Certamen diuerſis fauentium. CLAMOR MVLIERVM. Bene *mulierum*: non enim timet eas, quibus ſuffragari, vel refragari non licet in theatro.

VT ANTE TEMPVS EXIREM FORAS. τῷ ἐξουθενισμῷ, ne grauem paſſus videatur iniuriam.

VETERE IN NOVA. ἀντίθετον primum. VETERE IN NOVA COEPI VTI CONSVETVDINE. Niſi nouam comœdiam intellexeris, non erit aperta ſententia. nam & ſuprà dixit, *Nunc hæc planè eſt pro noua*. An à Terentio noua ideo dictum eſt, quia numquam aliàs excluſus eſt? Et bene *vetere*: vt oſtendat turpe non eſſe, quod & aliis poetis ſæpe contigerit.

REFERO DENVO. Aut *re* abundat, aut *Denuo*.

PRIMO ACTV PLACEO. Rationabiliter dixit *primo*: quia quinque ſunt actus partes fabulæ. PLACEO. *Placeo* dixit pro eo quod eſt, fabula placet, aut Terentius. & mire Non diu inquit, pependit iudicium, ſed ſtatim placuit: vt quod ſequitur, non iudicio, ſed perturbatione factum ſit.

CVM INTEREA RVMOR VENIT DATVM IRI GLADIATORES. Hoc abhorret à noſtra conſuetudine: veruntamen apud antiquos gladiatores, in theatro ſpectabantur. DATVM IRI. *Datum iri* dixit, vt fabulam commendet: vt & omnia ſpectatori & populo dicantur.

NON POTVI TVTARI LOCVM. Facete repetit *Locum*.

NVNC TVRBA NON EST. ἀνταπόδοσις πρὸς τὸ *tumultuantur*. *Turba*, id eſt θόρυβος.

NVNC TVRBA NVLLA EST, OTIVM ET SILENTIVM EST. *Turbam* retulit ad id quod ſuprà dixit, *Populus conuolat, tumultuantur*. *Otium*, ad illud, *Pugnant de loco*. *Silentium*, ad illud quod dixit, *Clamor mulierum*. *Otium*, πρὸς τὸ *Pugnant*, *Silentium*, πρὸς τὸ *Clamant*. NVNC TVRBA NVLLA EST: OTIVM ET SILENTIVM EST. Quæ adhortatio per enumerationem.

AGENDI TEMPVS MIHI DATVM EST. Ab Ædilibus ſcilicet. VOBIS DATVR POTESTAS CONDECORANDI LVDOS SCENICOS. Quaſi & aliquid agat populus quum ſpectet.

NOLITE SINERE PER VOS. σχῆμα διανοίας, ἐνδεικτικὴ ἐπίπληξις. ARTEM MVSICAM. Oratorie: quaſi non Terentij cauſa agatur, ſed artis muſicæ. MEAE AVCTORITATI. Quia iam ſenex eſt. MEAE AVCTORITATI FAVTRIX, ADIVTRIXQVE SIT. Qua Terentium probo. & eſt figura ἀναλογία. Vult autem ſe eſſe eius authoritatis, vt & populo placere iam debeat qui ipſi placet.

SI NVMQVAM AVARE. Commendatio ab antè dictis, id eſt à perſonæ attributis. SI NVMQVAM AVARE. A meritis defenſoris argumentum ad laudem fabulæ. SI NVMQVAM AVARE. Per hæc verba Terentius vult demonſtrare, quàm grauis author ſit, qui ſuas comœdias probet. Sic Horatius,

——— *et quum reſpondere coneris*
Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit.

ET EVM ESSE QVAESTVM, IN ANIMVM INDVXI. Modo non *Numquam* ſubauditur: ſed *ſi*. vt ſit, Et ſi eum eſſe, &c. MAXIMVM QVAMMAXIME. *Inique Iniqui*. παρόμοιον.

QVAMMAXIME SERVIRE VESTRIS COMMODIS: Plus dixit *Commodis*, quàm ſi diceret *Voluptatibus*.

SINITE IMPETRARE ME, QVI IN TVTELAM MEAM. Ordo eſt, Sinite impetrare me, ne eum circumuentum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam ſtudium ſuum & ſe in veſtram commiſit fidem.

MEA CAVSA. Quaſi orator, cauſam dixit. MEA CAVSA, CAVSAM HANC ACCIPITE. Hoc oratorie. ſic enim fit, quum perſona pro perſona ad commendationem affertur.

MEA CAVSA, CAVSAM. παρονομασία.

ET DATE SILENTIVM. Quaſi fabulæ ac poetæ. VT LIBEAT SCRIBERE ALIIS. Oratorie ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως.* MIHIQVE VT DISCERE NOVAS EXPEDIAT. Proprie *Diſcere*. docet enim poeta, diſcit ſcenicus. NOVAS EXPEDIAT POSTHAC. Ab vtili argumentatio eſt. & bene, *Vt expediat*: tanquam facturus ſit, & ſi non expedierit, dum quæſtum maximum ſeruire populo putat.

PRETIO EMPTAS MEO. Aeſtimatione à me facta, quantum AEdiles darent: & proinde me periclitante, ſi abiecta fabula, à me pretium, quod poëtæ numerauerint, repetant. Ergo *meo*, à me facto, à me ſtatuto. nam quomodo alibi dixit, *Poſtquam AEdiles emerunt?* Attende, vt ſequatur populus iudicium eius, qui æſtimare verè fabulas potuerit. PRETIO EMPTAS MEO. Vt quidam volunt, periculo.

ACTVS PRIMI SCENA I.

PHILOTIS. SYRA.

PER pol quàm paucos reperias meretricibus
Fidelis euenire amatores, Syra:
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi,
Quàm ſanctè, vt quiuis facile poſſet credere,
Numquam illa viua ducturum vxorem domum:
Em, duxit. SY. *ergo propterea te ſedulò*
Et moneo, & hortor, ne cuiuſquam miſereat,
Quin ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta ſis.
PH. *Vtin' eximium neminem habeam?* SY. *neminem:*
Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit,
Quin ita paret ſe, abs te vt blanditiis ſuis,
Quam minimo pretio ſuam voluptatem expleat.
Hiſcine tu, amâbo, non contrà inſidiabere?
PH. *Tamen pol eandem iniurium eſt eſſe omnibus.*
SY. *Iniurium autem eſt vlciſci aduerſarios?*
Aut qua via te captent, eadem ipſos capi?
Eheu me miſeram, cur non aut iſtaec mihi
AEtas & forma eſt, aut tibi haec ſententia?

PER POL QVAM PAVCOS REPERIAS MERETRICIBVS FIDELIS. Nouo genere hîc vtraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur, Nam & Philotis & Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quàm aut per prologum narraret argumentum, aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. PER POL QVAM PAVCOS REPERIAS. Hæ perſonæ Terentij more extrinſecus aſſumuntur, vt ſic argumenti obſcuritatem ſpectator effugiat. PER POL QVAM PAVCOS. Animaduertendum eſt in hac fabula, Terentium bonam meretricem inducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: vt id exemplis fiat tritius, & vſu veriſimile. PER POL QVAM PAVCOS. Ordo eſt, Pol perquam paucos reperias. nam *per pol*, non eſt Latinum, ſed κατὰ τμῆσιν *perquam*, id eſt nimium.

QVAM PAVCOS. Quidam non *paucos*: ſed *pauci* legunt. ſic enim Apollodorus ΑΛΛΑΙCΗΡΑΣ ΤΗC ΓΕΙ ΙΟΝΗΝC ΤΗΡΑΙCCΙ ΡΑγγιβαιως * REPERIAS. Aptum verbum ad raritatem. & ideò non dixit *pauci ſunt*, ſed *paucos reperias*: quaſi quæreos. non autem reperitur, niſi quod quæritur: non quæritur, niſi quod præſto non ſit. FIDELIS. Huiuſmodi ſententias rhetores διανοίας vocant. Et mire, non *Eſſe*, ſed *Euenire* dixit: vt non rationis, ſed caſus ſit id, quod rariſſimum eſt. FIDELIS. *Fide*, in maximis: *Fideles*, in minoribus negotiis.

VEL HIC PAMPHILVS. Tranſitus à generali ſententia ad ſpecialem. VEL. Nunc veluti: aliàs coniunctio diſiunctiua eſt, aliàs correptionem ſignificat. vt apud Ciceronem, *Vel optimam Meſſanæ vitam.* Virgilius, *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* Aut *vel*, *vt* modo.

IVRABAT QVOTIES BACCHIDI QVAM SANCTE. Tria ſunt: *quòd iurabat*, & *quoties*, & *quàm ſanctè*. Quod totum de more amatorum & meretricum dixit, quæ iureiurando teneant quos lege non poſſunt.

VT QVIVIS. Non modo Bacchis, quæ amica erat. NVMQVAM ILLA VIVA DVCTVRVM VXOREM. παρένθεσις prima. numquam illa viua vxorem ducturum.

EM DVXIT. Pronuntia vt mirantem oſtendas. EM DVXIT. *Em* aduerbium demonſtrantis eſt: vt, *Em alter.*

ERGO PROPTEREA. Modo *ergo* affectum exprimit reprehendentis tarde ſibi conſentientem, ſic Virgilius, *Ergo agè chare pater, ceruici imponere noſtræ.*

PROPTEREA SEDVLO. *Sedulo* inſtanter, & ex animo: vel ſine dolo.

ET MONEO, ET HORTOR. *Monemus* conſilio, *Hortamur* impulſu.

NE CVIVSQVAM MISERAT. Deeſt *te*.

QVIN SPOLIES, MVTILES, LACERES. *Quin* pro quominus. Et magna perſuaſio eſt ad malefaciendum. SPOLIES. *Spoliare* eſt non minimam partem auferre. *Mutilare*, aliquid detrahere, ſine quo res eſſe non poſſit. *Lacerare* autem, quum omnino non habeas quod imminuas. *Mutiles*, imminuas: vnde *mutili* dicti ſunt boues aut capri, ſine cornibus. Nam male qui à *multa* putant dici: & inde *Mulciber* Vulcanus, quòd ſit mutilatus ac debilis: id eſt claudus. nam proprie *Mulciber* dictus eſt, quòd omnia mulceat, id eſt molliat ac vincat.

VTIN' EXIMIVM NEMINEM HABEAM. *Vtin'* pro *vt ne*. ἀπόστροφος. Et perſeuerat in ἀλληγορίᾳ. nam *eximia pecora* dicuntur, quæ à grege excepta ſunt ad vſus dominorum ſuorum, vt vberius paſcantur. Sed proprie *eximij* ſunt porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberius paſcuntur. Etenim boues qui ad hoc electi ſunt, *egregij* dicuntur: & *oues lectæ*. vt Virgilius, *Mactant lectas de more bidentes.* Ita & *porci eximij*.

VTIN' EXIMIVM. Deeſt, *Cenſes*: vt ſit, Cenſes vt eximium neminem habeam? vel certe Mones. VTIN' EXIMIVM. Separatum ex omnibus. Proprie *eximius porcus* eſt, exemptus à grege, atque ſignatus macula aut nota. HABEAM. Deeſt Cenſes, aut Vis, aut Mones.

NAM NEMO QVISQVAM. παρέλκον tertium. nam abundat *Quiſquam*.

SCITO, AD TE VENIT. Bene additum eſt *Scito*: & moraliter, & acutius pronuntiandum. eſt enim verbum illorum, qui familiares corrigunt.

QVIN ITA PARET SE. Hoc verbum *Paret*, aduerſum munificos & ſegnes ſumitur. Vt alibi, *Itáne te paraſti, vt ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?* ABS TE. Pro, ex te.

SVAM VOLVPTATEM EXPLEAT. Bene *expleat*, quòd contrarium meretrici eſt amatorem voluptate ſatiari.

HISCINE. ἑρότοις. Id eſt talibus. & vide ſi pulchra meretrix puella eſt.

INSIDIABERE. Inſidiari malum eſt: ſed contrà inſidiari, iuſtum eſt.

TAMEN EANDEM POL ESSE OMNIBVS INIVRIVM EST. Idem aliter, & vehementius intulit. nam peius eſt eandem eſſe omnibus, quàm nullum excipere. INIVRIVM. Iniquum. *Iniurium* autem indignantis modò ſignificatio eſt & vim aduerbij habet.

VLCISCI ADVERSARIOS. De more *Aduerſarios* mutato nomine poſuit. durum enim fuerat, ſi amatores diceret.

QVA VIA TE CAPTENT. Qui te captent ſæpe, tu eos vel ſemel cape.

EHEV ME MISERAM. Bene, quia non ſuaſit: ſed affectum doloris expreſſit. intelligitur enim ex vultu eius, non eam perſuaſiſſe quod voluit. EHEV ME MISERAM, CVR NON AVT ISTAEC MIHI AETAS, ET FORMA EST. ἠθικῶς ait, quod reliquum eſt: quia quod volebat, perſuadere non potuit. Et bene *iſthæc ætas & forma*: quia vtrumque non habet. & mire è cõtrario deſcripta eſt deformitas lenæ, & formam & voluntatem malũ gerentis.

AVT TIBI HAEC SENTENTIA. δεικτικῶς: ſimúlque oſtendit ſecundum φυσιογνωμικῆς, difficile deformem reperiri bonum.

ACTVS PRIMI SCENA II.

PARMENO PHILOTIS. SYRA.

SENEX ſi quaeret me modò iſſe dicito
Ad portum, percontatum aduentum Pamphili.
Audin' quid dicam Scirte? ſi quaeret me, uti
Tum dicas: ſi non quaeret, nullus dixeris:
Aliàs vt vti poſsim cauſa hac integra.
Set videon ego Philotium? vnde haec aduenit?
Philotis ſalue multum. PH. ô ſalue Parmeno.
SY. Salue mecaſtor Parmeno. PA. & tu aedepol Syra.
Dic mihi Philotis vbi te oblectaſti tam diu?
PH. Minime equidem me oblectaui, quae cum milite
Corinthum hinc ſum profecta inhumaniſsimo:
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli.
PA. AEdepol te deſiderium Athenarum arbitror
Philotium cepiſſe ſaepe, & te tuum
Conſilium contempſiſſe. PH. non dici poteſt
Quàm cupida eram huc redeundi, abeundi à milite,
Vóſque hic videndi, antiqua vt conſuetudine
Agitarem inter vos liberè conuiuium.
Nam illic haut licebat, niſi praefinito, loqui
Quae illi placerent. PA. haut opinor, commodè
Finem ſtatuiſſe orationi militem.
PH. Set quid hoc negoti eſt? modo quae narrauit mihi
Hîc intus Bacchis? quod ego numquam credidi
Fore, vt ille hac viua poſſet animum inducere
Vxorem habere. PA. habere autem? PH. eho tu, an non habet?
PA. Habet, ſet firmae hae vereor vt ſint nuptiae.
PH. Ita di deaeque faxint, ſi in rem eſt Bacchidis:
Set quî iſtuc credam ita eſſe? dic mihi Parmeno.
PA. Non eſt opus prolato: hoc percontarier
Deſiſte. PH. nempe ea cauſa, vt ne id fiat palàm:
Ita me di bene amabunt, haut propterea te rogo
Vt hoc proferam: ſet vt tacita mecum gaudeam.
PA. Numquam dices tam commodè, vt tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. ah noli Parmeno:

Quaſi non tu multò malis narrare hoc mihi,
Quàm ego quae percontor, ſcire. PA. vera haec praedicat,
Et illud mihi vitiumſt maximum. ſi mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. PH. ad ingenium redis:
Fidem do, loquere. PA. auſculta. PH. iſtic ſum. PA. hanc Bacchidem
Amabat, vt cum maximè, tum Pamphilus,
Cum pater, vxorem vt ducat, orare occipit:
Et haec communi omnium quae ſunt patrum
Seſe ſenem eſſe, dicere: illum autem vnicum:
Praeſidium velle ſe ſenectuti ſuae:
Ille ſe primò negare. ſet poſtquam acrius
Pater inſtat, fecit animi vt incertus foret,
Pudorin ánne amori obſequeretur magis.
Tundendo, atque odio denique effecit ſenex:
Deſpondit ei gnatam huius vicini proxumi.
Vſque illud viſum eſt Pamphilo neutiquam graue,
Donec iam in ipſis nuptiis, poſtquam videt
Paratas: nec moram vllam, quin ducat, dari:
Ibi demùm ita aegrè tulit, vt ipſam Bacchidem,
Si adeſſet, credo ibi eius conmiſereſceret.
Vbicunque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Vt conloqui mecum vnà poſſet. Parmeno
Perij, quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre Parmeno. perij miſer.
PH. At te di, deaeque perduint cum iſtoc odio Laches.
PA. Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non adtigit:
Quae conſecutaſt nox eam, nihilo magis.
PH. Quid ais? cum virgine vnà aduleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa abſtinere vt potuerit?
Non veriſimile dicis: nec verum arbitror.
PA. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Niſi cupiens tui: ille inuitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PA. diebus ſanè pauculis
Pòſt, Pamphilus me ſolum ſeducit foras:
Narrátque vt virgo ab ſe integra etiam tum ſiet:
Séque antè, quàm eam vxorem duxiſſet domum,

Speraſſe eas tolerare poſſe nuptias:
Set quam decrêrim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno,
Quin integram itidem reddam, vt accepi ab ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque vtile ipſi virgini eſt.
PA. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PH. Hoc ego proferre, incommodum mihi eſſe arbitror:
Reddi patri autem, cui nihil dicas vitij,
Superbum eſt: ſet illam ſpero, vbi hoc cognouerit,
Non poſſe ſe mecum eſſe, abituram denique.
PH. Quid interea? ibátne ad Bacchidem? PA. cotidie:
Set, vt fit, poſtquam hunc alienum ab ſeſe videt,
Maligna multò, & magis procax facta ilico eſt.
PH. Non aedepol mirum. PA. atqui ea res multo maximè
Diſiunxit illum ab illa: poſtquam & ipſe ſe,
Et illam, & hanc quae domi erat, cognouit ſatis,
Ad exemplum ambarum mores earum exiſtimans.
Haec, ita vti liberali eſſe ingenio decet.
Pudens, modeſta: incommoda atque iniurias
Viri omnis ferre, & tegere contumelias.
Hîc animus partim vxoris miſericordia
Deuinctus, partim victus huiuſce iniuriis,
Paulatim elapſus Bacchidi: atque huic tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.
Interea in Imbro moritur cognatus ſenex
Horumce: ea ad hos redibat lege hereditas.
Eò amantem inuitum Pamphilum extrudit pater:
Relinquit cum matre hic vxorem: nam ſenex
Rus abdidit ſe: huc raró in vrbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
PA. Nunc audies: primò, dies compluſculos
Bene conueniebat ſanè inter eas: interim
Miris modu odiſſe coepit Soſtratam:
Neque lites vllae inter eas, poſtulatio
Numquam. PA. quid igitur? PA. ſi quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere è conſpectu ilicò:
Videre nolle. denique vbi non quit pati,

Simulat ſe à matre accerſi ad rem diuinam: abiit.
Vbi illic dies eſt compluris, accerſi iubet:
Dixere tunc cauſam, neſcio quam. iterum iubet,
Nemo remiſit. poſtquam accerſunt ſæpius,
AEgram eſſe ſimulant mulierem: noſtra ilicò
It viſere ad eam: admiſit nemo. hoc vbi ſenex
Reſciuit, heri ea cauſa rure huc aduenit:
Patrem continuo conuenit Philumenae.
Quid egerint inter ſe, nondum etiam ſcio:
Niſi ſanè curae eſt, quorſum euenturum hoc ſiet.
Habes omnem rem: pergam quò coepi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam conſtitui cum quodam hoſpite
Me eſſe illum conuenturam. PA. di vortant bene
Quod agas. PH. vale. PA. & tu bene vale Philotium.

SENEX SI QVAERST ME MODÒ, ISSE DICITO AD PORTVM. Hoc ſeruus dixit, in ſcenam de proſcenio reſpiciens. SENEX SI QVAERET ME. Duæ coniecturæ ſunt in hac ſcena: an veræ ſint nuptiæ: & an veriſimile ſit abſtinere potuiſſe adoleſcentem à virgine ſibi nuptum tradita. SENEX SI QVAERET ME. Magis expreſſit conſuetudinem, dicendo, *Senex*: quàm ſi diceret, *Dominus maior*. SENEX SI QVAERET ME. Vt ex verbis ſuis tam meretrix quàm lena deſcripta eſt: ita & Parmeno ipſe, qualis ſit, oſtenditur ex ſua ſibi locutione. Exeundi autem cauſa de argumento ſumitur: quia Pamphilus abſens eſt, & expectatur in dies eius aduentus. SENEX SI QVAERET ME MODÒ, ISSE DICITO AD PORTVM. Hæc omnia, ſubmiſſa & veloci pronuntiatione efferenda ſunt. hoc enim deſiderant huiuſmodi verba, vtpote & ſerui & feſtinantis.

PERCONTATVM ADVENTVM PAMPHILI. Honeſtam cauſam dixit, id eſt Phamphili aduentum. Et *percunctatum*, & *percontatum* ſcribitur. ſed *percontatum* à conto dicitur, quo nautæ vtuntur ad exploranda loca nauibus opportuna. ſi verò *percunctatum*: ab eo quòd à cunctis perquiratur, dicitur.

AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. Audis modò, ſentis, intelligis. vt Virgil. *Progeniem ſed enim Troiano à ſanguine duci Audierat.* ——— Item alibi, *Neque audit currus habenas.*
AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. *Audis* modo pro aduertis. AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. Conuenit nomen ſeruo puero, παρὰ τὸ σκιρτᾶν: quod eſt geſtire & ludere. SCIRTE. κωφὸν πρόσωπον inducitur. NVLLVS. Pro non.

ALIAS VT VTI POSSIM. Inter *aliàs* & *alià*, hoc intereſt: quòd *aliàs* alio tempore ſignificat. *alià* aliter, aut per alia. INTEGRA. Non dicta.

SET VIDEON EGO PHILOTIVM Mire inuenta eſt cauſa narrandi ideo, quia peregrè venit meretrix: alioquin ſi Athenis eſſet, omnia ſciret. SET VIDEON EGO PHILOTIVM. Sic ſolet dubitari, aduenientibus ipſis, quos poſt multum temporis interuallum vident.

VNDE HAEC ADVENIT. Cum quodam contemptu eius *hæc* dicit Parmeno.

SALVE MECASTOR PARMENO. Olim ſalutantes addebant iuſiurandum, vt hoc ſedulo facere viderentur. ME. Aut adiectio eſt, & abundat: aut poſitum eſt pro μὰ ſyllaba: vt Græci μὰ τὸν ἀπόλλωνα dicunt.

ET TV AEDEPOL SYRA. Irriſit ad *caſtor* addendo *edepol*. & quod illa Parmeno, ille hîc addidit Syra. *Syra Sura* veteres legerunt, υ pro y ponentes: vt *Muſia, Suria*.

DIC MIHI PHILOTIS. Vide licentiam: ſuprà *Philotium*, hic *Philotis* dixit.

VBI TE OBLECTASTI TAM DIV. Facetè dictum meretrici: non, *Vbi fuiſti*: ſed, *Vbi te oblectaſti*.

Minime eqvidem me oblectavi. *Me* acutius proferendum eſt: & reſpondet *πρὸς τὸ Te.*

Corinthvm hinc svm profecta. Hinc magnum oſtendit dolorem habere Philotin, quòd relictis Athenis Corinthi habitauerit. Cvm milite Corinthvm hinc svm profecta inhvmanissimo. Multa dixit: & *milite*, & *hinc*, & *inhumaniſſimo*. Inhvmanissimo. Quid potuit de milite dici, niſi in ſuperlatiuo? namque omnis miles inhumanus: hic verò inhumaniſſimus. Corinthvm hinc svm profecta. Hæc argumenta ſunt, an ſe oblectare potuerit. à perſona, quia miles inhumaniſſimus: à loco, quòd hinc profecta: à tempore, quòd biennium. à re, id eſt ab iniuria quam tulit.

Biennivm ibi perpetvvm. Vt continuationem ſui caſus oſtenderet, perpetuum dixit. Misera. Muliebris interpoſitio, *τὸ Miſera.* Illvm tvli. Non, cum illo *Fui*, ſed *Tuli*: adeò non me oblectaui. Desiderivm Athenarvm. Quòd Corinthum profecta es. Athenarvm arbitror. Quod dixit *hinc* antè *πεπόηκεν* * Athenarũ, & *ἀμφιβολία te deſiderium cepiſſe.* Aidepol te desiderivm Athenarvm arbitror cepisse saepe. Quòd cum milite inhumaniſſimo Consilivm contempsisse. Pœnitudine eſſe poſſeſſam. Hvc redevndi. Iterum à loco. Abevndi a milite. A perſona. Vnsqve hic videndi. A re. Redevndi, abevndi, vnsqve hic videndi. Oratorie vnam rem in tria diuiſit, Huc redeundi, Abeundi à milite, Vnſque hîc videndi: vt diceret, Huc veniendi.

Agitarem inter vos libere convivivm. Inter *agere* & *agitare* hoc intereſt: quòd *Agere*, eſt aliquid vel neceſſarium facere: *Agitare*, voluptarium. Ergo *Agitarem*, exercerem.

Nam illic havt licebat nisi praefinito loqvi. Legitur & *illi*: vt ſit circumflexus accentus, & ſignificet illic: vt, *Illi mea triſtia facta*, & abſolutum eſt. Praefinito. Deeſt tempore, aut quid tale. Nisi praefinito, loqvi. A tempore. Hîc oſtendit quid dixit ſuprà, *tali*: & quid ſit *Agitare conuiuium libere.* Nisi praefinito, loqvi qvae illi placerent. Duo dixit: & *Praefinito*, & *Quæ illi placerent*: vt neque quantum velles, neque quod velles, diceres.

Havt opinor commode. *Commode*, pro blande, & bene: vt, *Numquam tam dices commode.*

Finem statvisse orationi militem. Argute *militem*: quia quaſi inimicus ſit orationi, quæ in pace plurimum poteſt.

Set qvid hoc negoti est. Hic ad argumentum nunc deſcendit. In Phormione, *Sed quid tu es triſtis?* prælatis ſcilicet allocutionibus, & ſeparatarum & permiſtarum perſonarum: ne ieiune ad argumentũ veniens, non agere fabulam, ſed narrare videretur. Qvid hoc negoti est. Bene addidit *negoti*: vt augeret inuidiam facti. nam potuit dicere, *Quid hoc eſt?* Sed, vt diximus, ad inuidiam & magnitudinem rei, *negoti* dixit.

Qvae narravit mihi. *Quæ*: qualia ſcilicet, & quanta. Modo qvod narravit mihi. *Quæ*, legendum eſt: vt ſit, qualia & quanta. & hoc *ἐν ὑποκρίσει.*

Qvod ego nvmqvam credidi. Hoc totum cum inuidia pronuntiandum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat.

Vt hac ille viva posset. Mire oſtendit ex eiſdem verbis eandem hanc eſſe, quam ſuprà dixit, *Numquam illa viua vxorem ducturum.*

Posset animvm indvcere. Quaſi in rem duram & immanem.

Habere avtem. Oſtendit pronuntiatione, quod propè eſt vt non habeat.

Set firmae hae vereor vt sint nvptiae. Bene pro perſona ſerui, qui vult dominum vxorium eſſe magis, quàm amatorem Bacchidis. Set firmae hae vereor. Animaduerte Terentium in nuptiis hoc dictum ſeruare, vtrum Firmas an Infirmas dicat nuptias. *Vt* Ne non.

Si in rem est Bacchidis. Bene additum, *Si in rem eſt Bacchidis:* vt oſtenderet ſe non malignitatis, ſed beneuolentiæ cauſa, talia vota ſuſcipere. In rem. Pro, vtilitatem: *Ab re*, contra vtilitatem.

Set qvi istvc credam. Id eſt, nuptias eſſe infirmas. Set qvi istvc credam,

ALTER PROLOGVS.

ORator ad vos venio ornatu prologi:
Sinite exorator vt ſim,eodem vt iure vti ſenem
Liceat,quo iure ſum vſus adoleſcentior.
Nouas qui exactas feci vt inueteraſcerent,
Ne cum poeta ſcriptura euaneſceret:
In his,quas primum Caecili didici nouas,
Partim ſum earum exactus,partim vix ſteti.
Quia ſciebam dubiam fortunam eſſe ſcenicam,
Spe incerta certum mihi laborem ſuſtuli:
Eaſdem agere coepi, vt ab eodem alias diſcerem
Nouas,ſtudioſe,ne illum ab ſtudio abducerem.
Perfeci vt ſpectarentur: vbi ſunt cognitae,
Placitae ſunt:ita poetam reſtitui in locum
Propè iam rem motum iniuria aduerſariûm
Ab ſtudio,atque ab labore,atque arte muſica.
Quòd ſi ſcripturam ſpreuiſſem in praeſentia,
Et in deterrendo voluiſſem operam ſumere,
Vt in otio eſſet potius,quàm in negotio:
Deterruiſſem facilè ne alias ſcriberet.
Nunc quid petam,mea cauſa aequo animo adtendite.
Hecyram ad vos refero,quam mihi per ſilentium
Numquam agere licitum eſt,ita eam oppreſsit calamitas.
Eam calamitatem veſtra intelligentia
Sedabit,ſi erit adiutrix noſtrae induſtriae.
Quum primùm eam agere coepi,pugilum gloria,
Funambuli eôdem acceſsit expectatio,
Comitum conuentus,ſtrepitus,clamor mulierum,
Fecere,vt ante tempus exirem foras.
Vetere in noua coepi vti conſuetudine,
In experiundo vt eſſem:refero denuo.
Primo actu placeo:quum interea rumor venit
Datum iri gladiatores,populus conuolat:
Tumultuantur,clamant,pugnant de loco.
Ego interea meum non potui tutari locum.

Nunc turba non eſt: otium, & ſilentium eſt.
Agendi tempus mihi datum eſt: vobis datur
Poteſtas condecorandi ludos ſcenicos.
Nolite ſinere per vos artem muſicam
Recidere ad paucos: facite vt veſtra authoritas
Meae authoritati fautrix, adiutrixque ſit:
Si numquam auarè pretium ſtatui arti meae:
Et eum eſſe quaeſtum, in animum induxi, maximum,
Quammaximè ſeruire veſtris commodis:
Sinite impetrare me, qui in tutelam meam
Studium ſuum, & ſe in veſtram commiſit fidem:
Ne eum circumuentum iniquè iniqui irrideant.
Mea cauſa cauſam hanc accipite, & date ſilentium,
Vt libeat ſcribere alijs, mihíque vt diſcere
Nouas expediat poſthac, pretio emptas meo.

HECVRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. A nomine cœpit, vt incognitam probaret, & ideo ſpectandam. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Nominatiuo caſu figurauit: quum in vſu ſit vt datiuo dicamus. quamuis præſto ſint exempla, quibus veteres per omnes ferè caſus hoc genus locutionis enuntiabant. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Hæc primo data eſt ſine prologo ludis Megalenſibus: quos Sex. Iulius, & Cornelius Dolabella ediderunt. ſed occupato populo ſtudio funambuli, diſplicuit. Poſtea data eſt ludis Funebribus L. AEmilij Pauli: quos fecerunt Q. Fabius Maximus, & Cornelius Africanus. Tunc quoque non peracta eſt, per ſtudium populi circa gladiatores. Tertio ad poſtremum introducta, Q. Fuluio, L. Martio ædilibus: virtute actorum L. Ambiuij, & L. Turpionis eſt commendata. HECYRA EST HVIC NOMEN FABVLAE. Totus hic prologus ſubtilem conqueſtionem continet, ob hoc, ne aperte populum neglectæ fabulæ reum faciat, & facile reuocet in fauorem.

HAEC QVVM DATA EST NOVA. Ita dicitur, *data eſt fabula*, vt *data eſt cœna*, *datum eſt prandium*. Et *edidit*, à *dato* deſcendit. HAEC QVVM DATA EST NOVA, NOVVM INTERVENIT VITIVM. Sic & Homerus, Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων. Et *dari* dicitur *fabula*, quum agitur: *Stare*, quum placet. HAEC QVVM DATA EST NOVA, NOVVM INTERVENIT VITIVM. ἔλλειψις prima: deeſt enim, *Huic*: & eſt figura παρονομασία *Noua nouum*. VITIVM ET CALAMITAS. Bene ſecundum augures. *vitium* enim eſt ſi tonet tantum: *vitium & calamitas*, ſi tonet & grandinet ſimul, & etiam fulminet. VITIVM ET CALAMITAS. Tranſlatio eſt ab augurio: & *vitio creati* dicuntur *conſules*. *Calamitas* παρὰ τὴν καλάμην dicitur: *clades*, quia clamatur: vt aliud ſit grandinis culmum frangentis, aliud furis, aut doli mali. ſic Probus.

VT NEQVE SPECTARI. Vitium, quòd non ſpectata eſt: Calamitas, quòd non cognita. VT NEQVE SPECTARI, NEQVE COGNOSCI. Mira defenſio. ſiquidem non iudicio comœdia exacta eſt, ſi ſpectari cognoſcíque non potuerit: placitura ſcilicet, ſi audiretur. VT NEQVE SPECTARI, NEQVE COGNOSCI. Ideo theatrum, ideo ſpectatores, ideo actores: quia maior pars in geſtu eſt, quàm in verbis. COGNOSCI. Vel probari, vel ſciri: an Hecyra ſciri dicatur, quæ ſcita ſit nomine?

ITA POPVLVS STVDIO STVPIDVS. A deriuatione cauſæ. non quia mala, inquit, excluſa eſt: ſed quia populus funambuli admiratione obſtupuit: quod infra de gladiatori-

bus dicet, ad commutationem cauſæ inducendam. ITA POPVLVS STVDIO STVPIDVS. Hîc excuſatur & populus, qui neque iudicauit de fabula, neque tamen ſtulte errauit. *Stupidus*, pro ſtupens. vt, *Timidiſque ſuperuenit Aegle*.

PRO NOVA. Recte: iam enim non eſt noua.

ET IS QVI SCRIPSIT HANC, OB EAM REM. Id eſt, ob eam cauſam. quaſi dicat, non iterum acta eſt ſine cauſa. Cur ergo non poſt funambulum relata eſt, vbi ille ceſſarat? in quo maluit auarum Poetam populo inducere, quàm ſuo operi diffidentem.

ITERVM REFERRE. Superuacuum eſt *Iterum*.

VT ITERVM POSSIT VENDERE. Aliis ſcilicet ludis. hoc, vt diximus, ad laudem fabulæ referatur: poſtquam tantum fiduciæ poetæ dedit.

ALIAS COGNOSTIS EIVS, QVAESO NVNC HANC NOSCITE. Mire illi fauorem petit ex aliis, quæ ſpectatori notæ ſunt. EIVS. Poetæ. Quaſi hæc omnino nota ſit. At in Andria, quæ omnium prima eſt, aliter ait,

Vt pernoſcatis & quid ſpei ſit reliquum:
Poſthac quas faciet deintegro comœdias,
Spectandæ, an exigendæ ſint vobis prius.

ORATOR AD VOS VENIO ORNATV PROLOGI. Magna arte hic prologus ſcriptus eſt, nimis oratorie. nam totiens expulſa fabula, quomodo honeſte reuocari potuit in proſcenium, niſi primo ipſa impudétia pro fiducia proferretur? deinde actor peritiſſimus ipſe Ambiuius, probaret & poetam & comœdiam, cuius authoritas elucet ex verbis? tum deinde ſubtiliter nouo poetæ, à vetuſto & magnæ authoritatis Cæcilio peteretur exemplum, & peteretur ingenioſiſſime? nam quod rudi Terentio contigit, accidiſſe memoratur veteri Cæcilio: quod huic ſemel, illi ſæpe: quod huic in aliis numquam, hoc illi ferè in omnibus. quod huic præter Hecyram & actæ, & probatæ ſunt cæteræ: illi partim exactæ, partim vix probatæ. Itaque his omnibus argumentis id actum eſt, vt neque deſperandum ſit de Terentio, quòd expulſus eſt: vt nihilominus illi tantum attribuendum ſit, vt aut par Cæcilio magno tunc poetæ, aut vltro melior etiam eſſe poſſit. Hic autem L. Ambiuius hiſtrio fuit actor comœdiarum. ORATOR AD VOS VENIO. Oratorem audire oportere, ius gentium eſt: oratorem non licet iniuriam pati; Ideo ergo ne expellatur, non ſe prologum, ſed oratorem nominat. Plautus, *Impia ſecrete oratorem verberas.*

EODEM VT IVRE VTI SENEM LICEAT. Vt, *Me liceat caſus miſerari inſontis amici.*

SINITE EXORATOR VT SIM. *Orator*, eſt dum agit: *Exorator*, quum impetrauerit. Ita aliud, dicentis: hoc, iam effecti ſignificationem habet. Et *orator* eſt, cui cauſa defendenda mandatur.

QVO IVRE SVM VSVS ADOLESCENTIOR. Tanquam aliud agens affert exempla, quibus oſtendat, turpe non eſſe Terentio excluſam eſſe vnam illius fabulam, quum multorum poetarum multæ exactæ ſint: & in his Cæcilij, cuius illo tempore magna authoritas fuit.

ADOLESCENTIOR. Hæc comparatio minus à poſitiuo ſonat. & vim diminutiuam exprimit: vt, *Iam ſenior, ſed cruda deo, viridiſque ſenectus.*

NOVAS QVI EXACTAS FECI VT INVETERASCERENT. συναλοιφή. *Inueteraſcerent*, denuo agerentur. quia nondum acta, noua dicitur fabula. EXACTAS. Expulſas. INVETERASCERENT. In conſuetudinem venirent, ſpectarentur, amarentur.

NE CVM POETA SCRIPTVRA EVANESCERET. Cauſa facti honeſtior eſt, non ſe poetæ vnius, ſed ipſius poematis cauſa laborare.

IN HIS, QVAS PRIMVM CAECILI DIDICI NOVAS. A ſimili argumentum, quod fit per comparationem artificioſam & oratoriam rerum ac perſonarum.

PARTIM SVM EARVM EXACTVS, PARTIM VIX STETI. Vide, plus eſſe in exemplo: ſiquidem partim exactæ ſunt Cæcilij fabulæ, partim vix admiſſæ: quum vna Hecyra excluſa ſit. Et eſt ſenſus, Aut diſplicui, inquit, aut in aliquibus vix placui. PARTIM SVM EARVM EXACTVS. Pro, in aliis. Et ſimul ſplendida locutio eſt. *Partim* aduerbium eſt. Et proprie locutus eſt. Nam *fabulæ* aut *agi* dicuntur, aut *ſtare*.

QVIA SCIEBAM DVBIAM FORTVNAM. Non igitur poetæ culpa, ſed caſus eſt. nam

ideo fortunæ euentum extulit.

SPE INCERTA CERTVM MIHI LABOREM SVSTVLI. Sententioſe, & verum. nam vbi certa ſpes eſt, nihil opus eſt laborare certo ac vehementi. SPE INCERTA. Pro, ſpei incertæ. An deeſt *in*? INCERTA CERTVM. Honeſta figura, quæ dicitur ἀντίθεσις.

EASDEM. Exactas. COEPI. Difficultatem facti & molimen oſtendit.

AB EODEM. Cæcilio ſcilicet.

NOVAS STVDIOSE, NE ILLVM AB STVDIO. παρόμοιον. NE ILLVM AB STVDIO. ABDVCEREM. Iterum cauſa honeſtatis.

PERFECI VT SPECTARENTVR. Attende quantum pondus habeat, quòd non *Feci* dixit, ſed potius *Perfeci*: vt molem difficultatis oſtenderet.

PLACITAE SVNT. Nota participium ſine verbo. VBI SVNT COGNITAE, PLACITAE SVNT. Elegans promiſſio, & hanc placituram ſi cognoſcatur. & eſt coniectura à futuro tempore.

ITA POETAM RESTITVI IN LOCVM. Mire non Cæcilium, ſed poetam: vt hoc generaliter populo præſtitiſſe, non vni homini, videatur.

RESTITVI IN LOCVM. Quia remotum & excluſum dixit.

PROPE IAM REMOTVM. Geminauit *M* ſecundum antiquos, qui omnes in verbis liquidas duplicabant.

AB STVDIO, ATQVE AB LABORE. Bene oſtendit ſe populo profuiſſe, Cæcilium poetam ad laborem reuocando atque artem. *Ab* autem in tertio commotè audiendum eſt: vt,

Hic portus alii effodiunt, hic alta theatri
Fundamenta locant alij, immaneſque columnas
Rupibus excidunt, ſcenis decora alta futuris.

IN PRAESENTIA. Statim vt à populo eiiciebatur.

VT IN OTIO ESSET POTIVS, QVAM IN NEGOTIO. Ex ipſis rerum nominibus oſtendit facilitatem deterrendi.

NVNC QVID PETAM, MEA CAVSA. Bene *Petam*, &, *mea cauſa*, quaſi orator. MEA CAVSA AEQVO ANIMO ADTENDITE. Commendatio perſonæ leuis per aliam perſonam grauem, ſecundum præcepta in Rhetoricis.

HECYRAM AD VOS REFERO. A cauſa principium narrationis inducitur. HECYRAM AD VOS REFERO. Principium à principali quæſtione, an cognita ſit, & an ſpectanda ſit.

QVAM MIHI. A perſona dicentis.

ITA EAM OPPRESSIT CALAMITAS. Hoc ſuccedit pro illo, quod eſt à perſona aduerſariorum. ſimul ad fortunam retulit culpam populi. non enim dixit quod præſto erat.

ITA EAM OPPRESSIT CALAMITAS. EAM CALAMITATEM. *Calamitatem* repetit, ne nos fabulam illum dicere putaremus.

VESTRA INTELLIGENTIA. Ab auditorum perſona.

NOSTRAE INDVSTRIAE. Rurſus à ſua. & bene περίφρασιν vſus eſt: ne diceret, *Vos nobis*.

QVVM PRIMVM EAM AGERE COEPI. Iam hinc narratio ſubtilis inducitur, & vt non lædat populum, & vt defendat poetam.

PVGILVM GLORIA. περίφρασις, ἀντὶ τοῦ pugilles etiam glorioſi: vt minus turpe ſit, antelatos eos eſſe. ſicut Virgilius,

——— vaſtis cum viribus effert
Ora Dares, magnóque virum ſe murmure tollit,
Solus qui Paridem ſolitus contendere contra.

Hæc eſt gloria pugilum gratia funambuli. PVGILVM GLORIA. *Pugil* dictus eſt à pugna: & *Pugna* à pugno. Veteres namque ante vſum ferri & armorum, pugnis, & calcibus, & morſibus, corporúmque luctatione certabant. PVGILVM GLORIA, FVNAMBVLI EODEM ACCESSIT EXPECTATIO. συλληψις. FVNAMBVLI EODEM ACCESSIT EXPECTATIO. Duplex cauſa ad vnam excluſionem adhibetur. ACCESSIT EXPECTATIO. Narratio cur excluſa ſit. hoc eſt, non poetæ culpa deiecta eſt, nec iudicio populi: & ideo nunc admittenda eſt. EXPECTATIO, Deſiderium. vt Virgilius, *Expectate venis.*

COMITVM CONVENTVS. Vtrum eos comites dicit, qui ſunt pugilum aſſectatores? an ſeruos qui dominos ſequuntur?

STVDIVM. Certamen diuerſis fauentium. CLAMOR MVLIERVM. Bene *mulierum*: non enim timet eas, quibus ſuffragari, vel refragari non licet in theatro.

VT ANTE TEMPVS EXIREM FORAS. τῷ ἐξωθισμῷ, ne grauem paſſus videatur iniuriam.

VETERE IN NOVA. ἀντίθετον primum. VETERE IN NOVA COEPI VTI CONSVETVDINE. Niſi nouam comœdiam intellexetis, non erit aperta ſententia. nam & ſuprà dixit, *Nunc hæc planè eſt pro noua.* An à Terentio noua ideo dictum eſt, quia numquam aliàs excluſus eſt? Et bene *vetere*: vt oſtendat turpe non eſſe, quod & aliis poetis ſæpe contigerit.

REFERO DENVO. Aut *re* abundat, aut *Denuo*.

PRIMO ACTV PLACEO. Rationabiliter dixit *primo*: quia quinque ſunt actus partes fabulæ. PLACEO. *Placeo* dixit pro eo quod eſt, fabula placet, aut Terentius. & mire Non diu inquit, pependit iudicium, ſed ſtatim placuit: vt quod ſequitur, non iudicio, ſed perturbatione factum ſit.

CVM INTEREA RVMOR VENIT DATVM IRI GLADIATORES. Hoc abhorret à noſtra conſuetudine: veruntamen apud antiquos gladiatores, in theatro ſpectabantur. DATVM IRI. *Datum iri* dixit, vt fabulam commendet: vt & omnia ſpectatori & populo dicantur.

NON POTVI TVTARI LOCVM. Facete repetit *Locum*.

NVNC TVRBA NON EST. ἀνταπόδοσις πρὸς τὸ *tumultuantur*. *Turba*, id eſt θόρυβος.

NVNC TVRBA NVLLA EST, OTIVM ET SILENTIVM EST. *Turbam* retulit ad id quod ſuprà dixit, *Populus conuolat, tumultuantur. Otium*, ad illud, *Pugnant de loco. Silentium*, ad illud quod dixit, *Clamor mulierum. Otium*, πρὸς τὸ *Pugnant*, *Silentium*, πρὸς τὸ *Clamant*. NVNC TVRBA NVLLA EST: OTIVM ET SILENTIVM EST. Quæ adhortatio per enumerationem.

AGENDI TEMPVS MIHI DATVM EST. Ab AEdilibus ſcilicet. VOBIS DATVR POTESTAS CONDECORANDI LVDOS SCENICOS. Quaſi & aliquid agat populus quum ſpectet.

NOLITE SINERE PER VOS. σχῆμα διανοίας, ἐνδεικτικῶς ἔκπληξις. ARTEM MVSICAM. Oratorie: quaſi non Terentij cauſa agatur, ſed artis muſicæ. MEAE AVCTORITATI. Quia iam ſenex eſt. MEAE AVCTORITATI FAVTRIX, ADIVTRIXQVE SIT. Qua Terentium probo. & eſt figura ἀναλογία. Vult autem ſe eſſe eius authoritatis, vt & populo placere iam debeat qui ipſi placet.

SI NVMQVAM AVARE. Commendatio ab antè dictis, id eſt à perſonæ attributis. SI NVMQVAM AVARE. A meritis defenſoris argumentum ad laudem fabulæ. SI NVMQVAM AVARE. Per hæc verba Terentius vult demonſtrare, quàm grauis author ſit, qui ſuas comœdias probet. Sic Horatius,

——— es quum reſpondere coneris
Quæ grauis Aeſopus, quæ doctus Roſcius egit.

ET EVM ESSE QVAESTVM, IN ANIMVM INDVXI. Modo non *Numquam* ſubauditur: ſed *ſi*. vt ſit, Et ſi eum eſſe, &c. MAXIMVM QVAMMAXIME. *Inique Iniqui*. παρόμοιον.

QVAMMAXIME SERVIRE VESTRIS COMMODIS: Plus dixit *Commodis*, quàm ſi diceret *Voluptatibus*.

SINITE IMPETRARE ME, QVI IN TVTELAM MEAM. Ordo eſt, Sinite impetrare me, ne eum circumuentum inique iniqui irrideant, qui in tutelam meam ſtudium ſuum & ſe in veſtram commiſit fidem.

MEA CAVSA. Quaſi orator, cauſam dixit. MEA CAVSA, CAVSAM HANC ACCIPITE. Hoc oratorie. ſic enim fit, quum perſona pro perſona ad commendationem affertur.

MEA CAVSA. CAVSAM. παρωνομασία.

ET DATE SILENTIVM. Quaſi fabulæ ac poetæ. VT LIBEAT SCRIBERE ALIIS. Oratorie ἀπὸ τοῦ ἐπ ΑΘΟΣ.* MIHIQVE VT DISCERE NOVAS EXPEDIAT. Proprie *Diſcere*. docet enim poeta, diſcit ſcenicus. NOVAS EXPEDIAT POSTHAC. Ab vtili argumentatio eſt. & bene, *Vt expediat*: tanquam facturus ſit, & ſi non expedierit, dum quæſtum maximum ſeruire populo putat.

PRETIO

PRETIO EMPTAS MEO. AEſtimatione à me facta, quantum AEdiles darent: & proinde me periclitante, ſi abiecta fabula, à me pretium, quod poëtæ oumerauerint, repetaot. Ergo *meo*, à me facto, à me ſtatuto. nam quomodo alibi dixit, *Poſtquam AEdiles emerunt*? Et bene, vt ſequatur populus iudicium eius, qui æſtimare verè fabulas potuerit. PRETIO EMPTAS MEO. Vt quidam volunt, periculo.

ACTVS PRIMI SCENA I.

PHILOTIS. SYRA.

PER pol quàm paucos reperias meretricibus
Fidelis euenire amatores, Syra:
Vel hic Pamphilus iurabat quoties Bacchidi,
Quàm ſanctè, vt quiuis facile poſſet credere,
Numquam illa viua ducturum vxorem domum:
Em, duxit. SY. ergo propterea te ſedulò
Et moneo, & hortor, ne cuiuſquam miſereat,
Quin ſpolies, mutiles, laceres, quemquem nacta ſis.
PH. Vtin' eximium neminem habeam? SY. neminem:
Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit,
Quin ita paret ſe, abs te vt blanditiis ſuis,
Quam minimo pretio ſuam voluptatem expleat.
Hiſcine tu, amâbo, non contrà inſidiabere?
PH. Tamen pol eandem iniurium eſt eſſe omnibus.
SY. Iniurium autem eſt vlciſci aduerſarios?
Aut qua via te captent, eadem ipſos capi?
Eheu me miſeram, cur non aut iſtaec mihi
AEtas & forma eſt, aut tibi haec ſententia?

PER POL QVAM PAVCOS REPERIAS MERETRICIBVS FIDELIS. Nouo genere hîc vtraque προτατικὰ πρόσωπα inducuntur, Nam & Philotis & Syra non pertinent ad argumentum fabulæ. Hoc autem maluit Terentius, quàm aut per prologum narraret argumentum, aut θεὸν ἀπὸ μηχανῆς induceret loqui. PER POL QVAM PAVCOS REPERIAS. Hæ perſonæ Terentij more extrinſecus aſſumuntur, vt ſic argumenti obſcuritatem ſpectator effugiat. PER POL QVAM PAVCOS. Aoimaduertendum eſt in hac fabula, Terentium bonam meretricem ioducturum, ne id contra morem videatur facere, etiam aliam meretricem non malam inducere: vt id exemplis fiat tritius, & vſu veriſimile. PER POL QVAM PAVCOS. Ordo eſt, Pol perquam paucos reperias. nam *per pol*, non eſt Latioum, ſed κατὰ τμῆσιν *perquam*, id eſt nimio.

QVAM PAVCOS. Quidam oon *paucos*: ſed *pauci* leguot. ſic enim Apollodorus ΑΛΗΘΙΚΗΡΑΣ ΤΗΣ ΤΕΙ ΙΟΝΗΝΣ ΤΗΡΑΙΣ ΣΙ ΡΑΓΓΙΒΑΙΩΣ * REPERIAS. Aptum verbum ad raritatem. & ideò oon dixit *pauci ſunt*, ſed *paucos reperias*: quaſi quærens. non autem repetitur, niſi quod quæritur: non quæritur, niſi quod præſto non ſit. FIDELIS. Huiuſmodi ſententias rhetores *διανοίας* vocant. Et mire, non *Eſſe*, ſed *Euenire* dixit: vt non rationis, ſed caſus ſit id, quod rariſſimum eſt. FIDELIS. *Fide*, in maximis: *Fideles*, in minoribus negotiis.

VEL HIC PAMPHILVS. Tranſitus à generali ſententia ad ſpecialem. VEL. Nunc veluti: aliàs coniunctio diſiunctiua eſt, aliàs correptionem ſignificat. vt apud Ciceronem, *Vel optimam Meſſanæ vitam.* Virgilius, *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* Aut *vel*, *vt* modo.

IVRABAT QVOTIES BACCHIDI QVAM SANCTE. Tria ſunt: *quòd iurabat*, & *quoties*, & *quàm ſanctè.* Quod totum de more amatorum & meretricum dixit, quæ iureiurando teneant quos lege non poſſunt.

VT QVIVIS. Non modo Bacchis, quæ amica erat. NVNQVAM ILLA VIVA DVCTVRVM VXOREM. παρίσωσις prima. numquam illa viua vxorem ducturum.

EM DVXIT. Pronuntia vt mirantem oſtendas. EM DVXIT. *Em* aduerbium demonſtrantis eſt: vt, *Em alter.*

ERGO PROPTEREA. Modo *ergo* affectum exprimit reprehendentis tarde ſibi conſentientem, ſic Virgilius, *Ergo agè chare pater, ceruici imponere noſtræ.*

PROPTEREA SEDVLO. *Sedulo* inſtanter, & ex animo: vel ſine dolo.

ET MONEO, ET HORTOR. *Monemus* conſilio, *Hortamur* impulſu.

NE CVIVSQVAM MISERAT. Deeſt *te.*

QVIN SPOLIES, MVTILES, LACERES. *Quin* pro quominus. Et magna perſuaſio eſt ad malefaciendum. SPOLIES. *Spoliare* eſt non minimam partem auferre. *Mutilare*, aliquid detrahere, ſine quo res eſſe non poſſit. *Lacerare* autem, quum omnino non habeas quod imminuas. *Mutiles*, imminuas: vnde *mutili* dicti ſunt boues aut capri, ſine cornibus. Nam male qui à *multa* putant dici: & inde *Mulciber* Vulcanus, quòd ſit mutilatus ac debilis: id eſt claudus. nam proprie *Mulciber* dictus eſt, quòd omnia mulceat, id eſt molliat ac vincat.

VTIN' EXIMIVM NEMINEM HABEAM. *Vtin'* pro *vt ne.* ἀπόστροφος. Et perſeuerat in ἀλληγορίᾳ. nam *eximia pecora* dicuntur, quæ à grege excepta ſunt ad vſus dominorum ſuorum, vt vberius paſcantur. Sed proprie *eximij* ſunt porci maiores, qui ad ſacrificandum excepti liberius paſcuntur. Etenim boues qui ad hoc electi ſunt, *egregij* dicuntur: & *oues lectæ.* vt Virgilius, *Mactant lectas de more bidentes.* Ita & *porci eximij.*

VTIN' EXIMIVM. Deeſt, *Cenſes*: vt ſit, Cenſes vt eximium neminem habeam? vel certe Mones. VTIN' EXIMIVM. Separatum ex omnibus. Proprie *eximius porcus* eſt, exemptus à grege, atque ſignatus macula aut nota. HABEAM. Deeſt Cenſes, aut Vis, aut Mones.

NAM NEMO QVISQVAM. παρέλκον tertium. nam abundat *Quiſquam.*

SCITO, AD TE VENIT. Bene additum eſt *Scito*: & moraliter, & acutius pronuntiandum. eſt enim verbum illorum, qui familiares corrigunt.

QVIN ITA PARET SE. Hoc verbum *Paret*, aduerſum munificos & ſegnes ſumitur. Vt alibi, *Itáne te paraſti, vt ſpes nulla reliqua in te ſiet tibi?* ABS TE. Pro, ex te.

SVAM VOLVPTATEM EXPLEAT. Bene *expleat*, quòd contrarium meretrici eſt amatorem voluptate ſatiari.

HISCINE. ἑρώτησις. Id eſt talibus. & vide ſi pulchra meretrix puella eſt.

INSIDIABERE. Inſidiari malum eſt: ſed contrà inſidiari, iuſtum eſt.

TAMEN EANDEM POL ESSE OMNIBVS INIVRIVM EST. Idem aliter, & vehementius intulit. nam peius eſt eandem eſſe omnibus, quàm nullum excipere. INIVRIVM. Iniquum. *Iniurium* autem indignantis modò ſignificatio eſt: & vim aduerbij habet.

VLCISCI ADVERSARIOS. De more *Aduerſarios* mutato nomine poſuit. durum enim fuerat, ſi amatores diceret.

QVA VIA TE CAPTENT. Qui te captent ſæpe, tu eos vel ſemel cape.

EHEV ME MISERAM. Bene, quia non ſuaſit: ſed affectum doloris expreſſit. intelligitur enim ex vultu eius, non eam perſuaſiſſe quod voluit. EHEV ME MISERAM, CVR NON AVT ISTAEC MIHI AETAS, ET FORMA EST. ἐμφατικῶς ait, quod reliquum eſt: quia quod volebat, perſuadere non potuit. Et bene *iſthæc ætas & forma*: quia vtrumque non habet. & mire è cõtrario deſcripta eſt deformitas lenæ, & formam & voluntatem malũ gerentis.

AVT TIBI HAEC SENTENTIA. δεικτικῶς: ſimúlque oſtendit ſecundum φύσιν γνωμικῶς, difficile deformem reperiri bonum.

ACTVS PRIMI SCENA II.

PARMENO PHILOTIS. SYRA.

SENEX ſi quaeret me modò iſſe dicito
Ad portum, percontatum aduentum Pamphili.
Audin' quid dicam Scirte? ſi quaeret me, vti
Tum dicas: ſi non quaeret, nullus dixeris:
Aliàs vt vti poſsim cauſa hac integra.
Set videon ego Philotium? vnde haec aduenit?
Philotis ſalue multum. PH. ô ſalue Parmeno.
SY. Salue mecaſtor Parmeno. PA. & tu aedepol Syra.
Dic mihi Philotis vbi te oblectaſti tam diu?
PH. Minime equidem me oblectaui, quae cum milite
Corinthum hinc ſum profecta inhumaniſsimo:
Biennium ibi perpetuum miſera illum tuli.
PA. AEdepol te deſiderium Athenarum arbitror
Philotium cepiſſe ſaepe, & te tuum
Conſilium contempſiſſe. PH. non dici poteſt
Quàm cupida eram huc redeundi, abeundi à milite,
Vóſque hic videndi, antiqua vt conſuetudine
Agitarem inter vos liberè conuiuium.
Nam illic haut licebat, niſi praefinito, loqui
Quae illi placerent. PA. haut opinor, commodè
Finem ſtatuiſſe orationi militem.
PH. Set quid hoc negoti eſt? modo quae narrauit mihi
Hìc intus Bacchis? quod ego numquam credidi
Fore, vt ille hac viua poſſet animum inducere
Vxorem habere. PA. habere autem? PH. eho tu, an non habet?
PA. Habet, ſet firmae hae vereor vt ſint nuptiae.
PH. Ita di deaeque faxint, ſi in rem eſt Bacchidis:
Set quî iſtuc credam ita eſſe? dic mihi Parmeno.
PA. Non eſt opus prolato: hoc percontarier
Deſiſte. PH. nempe ea cauſa, vt ne id fiat palàm:
Ita me di bene amabunt, haut propterea te rogo
Vt hoc proferam: ſet vt tacita mecum gaudeam.
PA. Numquam dices tam commodè, vt tergum meum
Tuam in fidem committam. PH. ah noli Parmeno:

Quaſi non tu multò malis narrare hoc mihi,
Quàm ego quae percontor, ſcire. PA. vera haec praedicat,
Et illud mihi vitiumſt maximum. ſi mihi fidem
Das, te tacituram, dicam. PH. ad ingenium redis:
Fidem do, loquere. PA. auſculta. PH. iſtic ſum. PA. hanc Bacchidem
Amabat, vt cum maximè, tum Pamphilus,
Cum pater, vxorem vt ducat, orare occipit:
Et haec communi omnium quae ſunt patrum
Seſe ſenem eſſe, dicere: illum autem vnicum:
Praeſidium velle ſe ſenectuti ſuae:
Ille ſe primò negare. ſet poſtquam acrius
Pater inſtat, fecit animi vt incertus foret,
Pudorin ánne amori obſequeretur magis.
Tundendo, atque odio denique effecit ſenex:
Deſpondit ei gnatam huius vicini proxumi.
Vſque illud viſum eſt Pamphilo neutiquam graue,
Donec iam in ipſis nuptiis, poſtquam videt
Paratas: nec moram vllam, quin ducat, dari:
Ibi demùm ita aegrè tulit, vt ipſam Bacchidem,
Si adeſſet, credo ibi eius conmiſereſceret.
Vbicunque datum erat ſpatium ſolitudinis,
Vt conloqui mecum vnà poſſet. Parmeno
Perij, quid ego egi? in quod me conieci malum?
Non potero hoc ferre Parmeno. perij miſer.
PH. At te di, deaeque perduint cum iſtoc odio Laches.
PA. Vt ad pauca redeam, vxorem deducit domum.
Nocte illa prima virginem non adtigit:
Quae conſecutaſt nox eam, nihilo magis.
PH. Quid ais? cum virgine vnà adoleſcens cubuerit
Plus potus, ſeſe illa abſtinere vt potuerit?
Non veriſimile dicis: nec verum arbitror.
PA. Credo ita videri tibi: nam nemo ad te venit,
Niſi cupiens tui: ille inuitus illam duxerat.
PH. Quid deinde fit? PA. diebus ſanè pauculis
Pòſt, Pamphilus me ſolum ſeducit foras:
Narrátque vt virgo ab ſe integra etiam tum ſiet:
Séque antè, quàm eam vxorem duxiſſet domum,

Speraſſe eas tolerare poſſe nuptias:
Set quam decrêrim me non poſſe diutius
Habere, eam ludibrio haberi Parmeno,
Quin integram itidem reddam, vt accepi ab ſuis,
Neque honeſtum mihi, neque vtile ipſi virgini eſt.
PA. Pium ac pudicum ingenium narras Pamphili.
PH. Hoc ego proferre, incommodum mihi eſſe arbitror:
Reddi patri autem, cui nihil dicas vitij,
Superbum eſt: ſet illam ſpero, vbi hoc cognouerit,
Non poſſe ſe mecum eſſe, abituram denique.
PH. Quid interea? ibátne ad Bacchidem? PA. cotidie:
Set, vt fit, poſtquam hunc alienum ab ſeſe videt,
Maligna multò, & magis procax facta ilico eſt.
PH. Non aedepol mirum. PA. atqui ea res multo maximè
Diſiunxit illum ab illa: poſtquam & ipſe ſe,
Et illam, & hanc quae domi erat, cognouit ſatis,
Ad exemplum ambarum mores earum exiſtimans.
Haec, ita vti liberali eſſe ingenio decet.
Pudens, modeſta: incommoda atque iniurias
Viri omnis ferre, & tegere contumelias.
Hîc animus partim vxoris miſericordia
Deuinctus, partim victus huiuſce iniuriis,
Paulatim elapſus Bacchidi: atque huic tranſtulit
Amorem, poſtquam par ingenium nactus eſt.
Interea in Imbro moritur cognatus ſenex
Horumce: ea ad hos redibat lege hereditas.
Eò amantem inuitum Pamphilum extrudit pater:
Relinquit cum matre hic vxorem: nam ſenex
Rus abdidit ſe: huc raròin vrbem commeat.
PH. Quid adhuc habent infirmitatis nuptiae?
PA. Nunc audies: primò, dies compluſculos
Bene conueniebat ſanè inter eas: interim
Miris modis odiſſe coepit Soſtratam:
Neque lites vllae inter eas, poſtulatio
Numquam. PA. quid igitur? PA. ſi quando ad eam acceſſerat
Confabulatum, fugere è conſpectu ilicò:
Videre nolle. denique vbi non quit pati,

Simulat ſe à matre accerſi ad rem diuinam: abiit.
Vbi illic dies eſt compluris, accerſi iubet:
Dixere tunc cauſam, neſcio quam. iterum iubet,
Nemo remiſit. poſtquam accerſunt ſaepius,
AEgram eſſe ſimulant mulierem: noſtra ilicò
It viſere ad eam: admiſit nemo. hoc vbi ſenex
Reſciuit, heri ea cauſa rure huc aduenit:
Patrem continuo conuenit Philumenae.
Quid egerint inter ſe, nondum etiam ſcio:
Niſi ſanè curae eſt, quorſum euenturum hoc ſiet.
Habes omnem rem: pergam quò coepi hoc iter.
PH. Et quidem ego: nam conſtitui cum quodam hoſpite
Me eſſe illum conuenturam. PA. di vortant bene
Quod agas. PH. vale. PA. & tu bene vale Philotium.

SENEX SI QVAERET ME MODÒ, ISSE DICITO AD PORTVM. Hoc ſeruus dixit, in ſcenam de proſcenio reſpiciens. SENEX SI QVAERET ME. Duæ coniecturæ ſunt in hac ſcena: an veræ ſint nuptiæ: & an veriſimile ſit abſtinere potuiſſe adoleſcentem à virgine ſibi nuptum tradita. SENEX SI QVAERET ME. Magis expreſſit conſuetudinem, dicendo, *Senex*: quàm ſi diceret, *Dominus maior*. SENEX SI QVAERET ME. Vt ex verbis ſuis tam meretrix quàm lena deſcripta eſt: ita & Parmeno ipſe, qualis ſit, oſtenditur ex ſua ſibi locutione. Exeundi autem cauſa de argumento ſumitur: quia Pamphilus abſens eſt, & expectatur in dies eius aduentus. SENEX SI QVAERET ME MODÒ, ISSE DICITO AD PORTVM. Hæc omnia, ſubmiſſa & veloci pronuntiatione efferenda ſunt. hoc enim deſiderant huiuſmodi verba, vtpote & ſerui & feſtinantis.

PERCONTATVM ADVENTVM PAMPHILI. Honeſtam cauſam dixit, id eſt Phamphili aduentum. Et *percunctatum*, & *percontatum* ſcribitur. ſed *percontatum* à conto dicitur, quo nautæ vtuntur ad exploranda loca nauibus opportuna. ſi verò *percunctatum*: ab eo quòd à cunctis perquiratur, dicitur.

AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. Audis modò, ſentis, intelligis. vt Virgil. *Progeniem ſed enim Troiano à ſanguine duci Audierat.* ——— Item alibi, *Neque audit currus habenas.*

AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. *Audin* modo pro aduertis. AVDIN' QVID DICAM SCIRTE. Conuenit nomen ſeruo puero, παρὰ τὸ σκιρτᾷν: quod eſt geſtire & ludere. SCIRTE. κωφὸν πρόσωπον inducitur. NVLLVS. Pro non.

ALIAS VT VTI POSSIM. Inter *aliàs* & *aliâ*, hoc intereſt: quòd *aliàs* alio tempore ſignificat. *aliâ* aliter, aut per alia. INTEGRA. Non dicta.

SET VIDEON EGO PHILOTIVM Mire inuenta eſt cauſa narrandi ideo, quia peregrè venit meretrix: alioquin ſi Athenis eſſet, omnia ſciret. SET VIDEON EGO PHILOTIVM. Sic ſolet dubitari, aduenientibus ipſis, quos poſt multum temporis interuallum vident.

VNDE HAEC ADVENIT. Cum quodam contemptu eius *hæc* dicit Parmeno.

SALVE MECASTOR PARMENO. Olim ſalutantes addebant iuſiurandum, vt hoc ſedulo facere viderentur. ME. Aut adiectio eſt, & abundat: aut poſitum eſt pro μὰ ſyllaba: vt Græci μὰ τὸν ἀπόλλωνα dicunt.

ET TV AEDEPOL SYRA. Irriſit ad *caſtor* addendo *edepol*. & quod illa Parmeno, ille hîc addidit Syra. *Syra Sura* veteres legerunt, *v* pro *y* ponentes: vt *Muſia, Suria*.

DIC MIHI PHILOTIS. Vide licentiam: ſuprà *Philotium*, hic *Philotis* dixit.

VBI TE OBLECTASTI TAM DIV. Facetè dictum meretrici: non, *Vbi fuiſti*: ſed, *Vbi te oblectaſti*.

Minime equidem me oblectavi. *Me* acutus proferendum eſt: & reſpondet πρὸς τὸ *Te.*

Corinthum hinc sum profecta. Hinc magnum oſtendit dolorem habere Philotion, quòd relictis Athenis Corinthi habitauerit. Cum milite Corinthum hinc sum profecta inhumanissimo. Multa dixit: & *milite*, & *hinc*, & *inhumaniſſimo*. Inhumanissimo. Quid potuit de milite dici, niſi in ſuperlatiuo? namque omnis miles inhumanus: hic verò inhumaniſſimus. Corinthum hinc sum profecta. Hæc argumenta ſunt, an ſe oblectare potuerit. à perſona, quia miles inhumaniſſimus: à loco, quòd hinc profecta: à tempore, quòd biennium. à re, id eſt ab iniuria quam tulit.

Biennium ibi perpetuum. Vt continuationem ſui caſus oſtenderet, perpetuum dixit. Misera. Muliebris interpoſitio, τὸ *Miſera.* Illum tuli. Non, cum illo *Fui*, ſed *Tuli*: adeò non me oblectaui. Desiderium Athenarum. Quòd Corinthum profecta es. Athenarum arbitror. Quod dixit *hinc* antè πιθανὸν, Athenarū. & ἀμφιβολία *te deſiderium cepiſſe.* Aedepol te desiderium Athenarum arbitror cepisse saepe. Quòd cum milite inhumaniſſimo Consilium contempsisse. Pœnitudine eſſe poſſeſſam. Huc redeundi. Iterum à loco. Abeundi a milite. A perſona. Vosque hic videndi. A re. Redeundi, abeundi, vosque hic videndi. Oratorie vnam rem in tria diuiſit, Huc redeundi, Abeundi à milite, Voſque hic videndi: vt diceret, Huc veniendi.

Agitarem inter vos libere convivium. Inter *agere* & *agitare* hoc intereſt: quòd *Agere*, eſt aliquid vel neceſſarium facere: *Agitare*, voluptarium. Ergo *Agitarem*, exercerem.

Nam illic haut licebat nisi praefinito loqui. Legitur & *illi*: vt ſit circumflexus accentus, & ſignificet illic: vt, *Illi mea triſtia facta*, & abſolutum eſt. Praefinito. Deeſt tempore, aut quid tale. Nisi praefinito, loqui. A tempore. Hîc oſtendit quid dixit ſuprà, *tali*: & quid ſit *Agitare conuiuium libere.* Nisi praefinito, loqui quae illi placerent. Duo dixit: & *Præfinito*, & *Quæ illi placerent*: vt neque quantum velles, neque quod velles, diceres.

Haut opinor commode. *Commode*, pro blande, & bene: vt, *Numquam tam dices commode.*

Finem statuisse orationi militem. Argute *militem*: quia quaſi inimicus ſit orationi, quæ in pace plurimum poteſt.

Set quid hoc negoti est. Hic ad argumentum nunc deſcendit. In Phormione, *Sed quid tu es triſtis?* prælatis ſcilicet allocutionibus, & ſeparatarum & permiſtarum perſonarum: ne ieiune ad argumentū veniens, non agere fabulam, ſed narrare videretur. Quid hoc negoti est. Bene addidit *negoti*: vt augeret inuidiam facti. nam potuit dicere, *Quid hoc eſt?* Sed, vt diximus, ad inuidiam & magnitudinem rei, *negoti* dixit.

Quae narravit mihi. *Quæ*: qualia ſcilicet, & quanta. Modo quod narravit mihi. *Quæ*, legendum eſt: vt ſit, qualia & quanta. & hoc ἐν ὑποκρίσει.

Quod ego numquam credidi. Hoc totum cum inuidia pronuntiandum ex animo meretricis, quæ facinus indignum nuptias putat.

Vt hac ille viva posset. Mire oſtendit ex eiſdem verbis eandem hanc eſſe, quam ſuprà dixit, *Numquam illa viua vxorem ducturum.*

Posset animum inducere. Quaſi in rem duram & immanem.

Habere autem. Oſtendit pronuntiatione, quod propè eſt vt non habeat.

Set firmae hae vereor vt sint nuptiae. Bene pro perſona ſerui, qui vult dominum vxorium eſſe magis, quàm amatorem Bacchidis. Set firmae hae vereor. Animaduerte Terentium in nuptiis hoc dictum ſeruare, vtrum Firmas an Infirmas dicat nuptias. *Vt* Ne non.

Si in rem est Bacchidis. Bene additum, *Si in rem eſt Bacchidis*: vt oſtenderet ſe non malignitatis, ſed beneuolentiæ cauſa, talia vota ſuſcipere. In rem. Pro, vtilitatem: *Ab re*, contra vtilitatem.

Set qui istuc credam. Id eſt, nuptias eſſe infirmas. Set qui istuc credam,

ITA ESSE? DIC MIHI PARMENO. Superiore voto excuſauit crimen curioſitatis: iam videtur poſt Bacchidem audire velle.

NON EST OPVS PROLATO: HOC PERCONTARIER DESISTE. Vide quàm conuenienter poeta, quum id agat vt narrantem Parmenonem inducat, tamen multis diuerticulis morales facetias internectat. NON EST OPVS PROLATO: HOC PERCONTARIER DESISTE. Incerta diſtinctio, vtrum *prolato hoc*, an *hoc percontarier*.

ITA ME DI BENE AMABVNT. Pro *ament*: vt.

——— *donec regina ſacerdos*

Marte grauis geminam partu dabit Ilia prolem.

VT HOC PROFERAM. Prodam, Bacchidi ſcilicet, vel cuilibet.

MECVM GAVDEM. *Mecum*, intra me. Virgilius, *Hæc ſecum*.

NVMQVAM DICES TAM COMMODE. Hæc pronuntiatio eiuſmodi eſſe debet, vt ex ea appareat prope delenitum Parmenonem, vix ſe poſſe continere quin narret. NVMQVAM DICES TAM COMMODE. Quaſi ex parte labefactus eſt: ſic enim loquitur.

AH NOLI PARMENO. Artificioſe ſe fingit audire nolle, vt tacitura credatur ſi audierit: quia curioſitas, ſignum eſt loquacitatis. Sic Horat. *Percontatorem fugito, nam garrulus idem eſt.*

QVASI NON TV MVLTO MALIS. Deeſt, *Ita dicis*: vt ſit, *Ita dicis quaſi*. Et nunc Philotis non eſt inſtantior hac calliditate, vt magis ſeruum ad dicendum prouocet. QVASI NON TV MVLTO MALIS NARRARE HOC MIHI. ἔλλειψις· deeſt enim, *Ita grauaris dicere*, aut *Ita negas te eſſe locuturum.*

ET ILLVD MIHI MAXIMVM VITIVM EST. Seruile vitium eſt, tacere non poſſe. VERA HAEC PRAEDICAT, ET ILLVD MIHI MAXIMVM EST. Hæc lentius apud ſeſe: illud clare, *Si mihi fidem das*. Etiam alia ſe habere vitia exceptione ſignificat, in hoc quod dicit, *Illud mihi vitium maximum eſt*.

SI MIHI FIDEM DAS. Animaduerte his dilationibus etiam ſpectatorem ſuſpendi: quo libentius audiat. SI MIHI FIDEM DAS. Fideliter, pro *des*.

AD INGENIVM REDIS. Quia à ſe diſceſſerat, ſi taceret. Cicero, *Redis ad ſe.*

HANC BACCHIDEM AMABAT, VT CVM MAXIME. Eiuſmodi eſt hæc tota narratio, vt defenſionem adoleſcentis continere videatur: quòd meretricem amicam neceſſitate coactus deſeruerit. Mire igitur vnde quæſtio eſt, inde cœpit: *Amabat* inquit *Bacchidem*. Sic & in ſecundo Virgilius, an fortiores Græci Troianis.

——— *fracti bello*, inquit, *fatiſque repulſi Ductores Danaum.*

BACCHIDEM AMABAT. Ordo & ſenſus hic eſt, Hanc Bacchidem tum amabat Pamphilus, vt cummaxime amabat, quum pater vxorem vt ducat orare occipit. Et *vt* poſitum pro *quemadmodum*. Et *maxime* bis numero ſubauditur. Et cummaxime, vna pars orationis eſt: aut *cummaxime* pro nimis.

QVVM PATER. *Quum*, modò aduerbium eſt temporis, pro *quando*.

ORARE OCCIPIT. Maxima neceſſitas eſt, orans pater.

ET HAEC, COMMVNIA OMNIVM. Quid ſi iniuſtum eſt quod orabatur? oſtendit iuſtum, & frequentatum quod dicebat pater.

SESE SENEM ESSE DICERE. Omnē cauſam adoleſcentis ſenex amputauit, pro ſuo ſenili commodo rogans: potuiſſet enim adoleſcens dicere, Quam pro me curam geris, hanc precor pro me deponas. SENEM ESSE DICERE. Illud poſſet agere amator contra vtilitatem ſuam: ſed non poterat filius contra vtilitatem patris. Ergo vt cogeret pater, ſuam cauſam interponebat.

PRAESIDIVM VELLE SE SENECTVTI SVAE. Præſidium ſenectutis, ſobolem & ſucceſſorem dicit.

ILLE PRIMO SE NEGARE. Vtrum deeſt *ducere*? an *negare ſe nuptijs*.

SED POSTQVAM ACRIVS PATER INSTAT. Tria dicit & *Acrius*, & *Pater*, & *Inſtat*. SED POSTQVAM ACRIVS PATER INSTAT. Poſtquam, inquit, pater acrius inſtat, non compulſus eſt Pamphilus, ſed tantum deliberauit. PATER INSTAT. Maior vis eſt quum pater inſtat, quàm quum rogat.

PVDORINE, ANNE AMORI OBSEQVERETVR MAGIS. Sic oſtendit in vtramque partem, vt tantum in animo honeſti adoleſcentis pudor amorem vincere debuiſſet. PVDORINE, ANNE AMORI. *ἀνακόλουθον*. non enim præpoſito *vtrum*, intulit *anne*. PVDORINE, ANNE AMORI. Latens excuſationis ratio explicata eſt. *Pudori*: Patris ſcilicet. *Amori*: Meretricis.

TVNDENDO, ATQVE ODIO. *Tundere*, eſt ſæpius idem repetere. tranſlatio à fabrorum malleo. ODIO. Aſſiduitate. Attendenda eſt difficultas vniuſcuiuſque verbi. TVNDENDO, ATQVE ODIO DENIQVE EFFECIT. *Denique* temporis longitudinem ſignificat. *Efficimus* vero quod cum magno conatu & molimine facimus, vſque per nos finem recipit. TVNDENDO, ATQVE ODIO DENIQVE EFFECIT SENEX. Mire interpoſuit moras. ad poſtremum confeſſurus vxorem ductam. Primò, inquit, negauit: pòſt, deliberauit: ad poſtremum, duxit. Non, inquit, ipſe: ſed effecit hoc ſenex. Ita mutatione perſonæ totam voluntatem adoleſcentis abſoluit. DENIQVE EFFECIT. Oratorie tempus appoſuit: nam hoc ſignificat *Denique*. ODIO. Hoc eſt inſtantia.

DESPONDIT EI GNATAM. Vide, non hîc dicit, Duxit vxorem Pamphilus: ſed totum ad patrem referri.

NEVTIQVAM. Non nimis.

DONEC IAM IN IPSIS NVPTIIS. Nota locutionem ſenſu magis, quàm verbis manifeſtam. DONEC IAM IN IPSIS NVPTIIS. Deeſt. Poſitus conſtitutúſve ita doluit, & ægrè tulit. Aut repetere debemus ſic, In ipſis inquam nuptiis. DONEC IAM IN IPSIS NVPTIIS. In mentione nuptiarum efferueſcit animus amatoris.

NEC MORAM VLLAM, QVIN DVCAT, DARI. Vbi nec aliquam dieculam, vel dilationem videt ad nuptias. QVIN. Quominus.

IBI DEMVM. Denique, poſtremo. Et mire additum eſt *ibi*: quia male pendebat. *In ipſis nuptiis*. & ſic eſt quaſi dixiſſet, In ipſis inquam nuptiis. DEMVM ITA AEGRE TVLIT VT IPSAM BACCHIDEM, SI ADESSET, CREDO IBI EIVS COMMISERESCERET. Hoc *ὑπερβολικῶς*. vt Virgilius, *Vel Priamo miſeranda manus*. VT IPSAM BACCHIDEM. Quæ nunc accuſatrix eſt. Et eſt argumentum ab animo. AEGRE TVLIT. Idem Virgilius.

> ——— *quis talia fando,*
> *Myrmidonum Dolopúmve, aut duri miles Vlyſſei,*
> *Temperet à lachrymis?* CREDO IBI. *Ibi*, pro *Tum*.

VT COLLOQVI MECVM VNA POSSET. *περίλκον* tertium. Et argumentum à perſona quod ait, *mecum*.

PARMENO PERII. Argumentum à dictis: quod ait. *Parmeno perii*. PARMENO. Moraliter, & antonomaſiace nomen repetit. Et ſignificanter fecit, non addendo *Dicebat*, & in *μιμητικὸν* à *διηγηματικῷ* tranſeundo. Et mire interpoſuit nomen, vt affectum doloris, oſtenderet. Sic Virgilius: *Anna, fatebor enim*. PARMENO PERII MISER. *αὖθις* repetit nomen.

AT TE DI, DEAEQVE PERDVINT. Obtinuit, & perſuaſit ſeruus. nam iam meretrix ſeni iraſcitur, non Pamphilo.

CVM ISTOC ODIO. Cum inſtantia ac moleſtia.

VT AD PAVCA REDEAM. Tanquam multa ſint, quæ de Pamphili amore dici poſſint.

VT AD PAVCA REDEAM. Præceptum oratorium in longa narratione pro veritatis inquiſitione. reddit enim auditorem acriorem, quem ſpes finis recipit fatigatum.

VXOREM DEDVCIT DOMVM. *Vxor* dicitur vel ab vngendis poſtibus, & figenda lana: id eſt quòd cum puellæ nuberent, maritorum poſtes vngebant, ibíque lanam figebant. vel quòd lotos maritos ipſæ vngebant. cuius rei teſtis Ennius *Exin Tarquinium bona femina lauit & vnxit*.

NOCTE ILLA PRIMA. Pronuntiandum acutius *illa prima*: quaſi dicat, plena deſiderij, plena cupiditatis. Similiter addidit *Virginem*. Et expreſſe, *non attigit*. NOCTE ILLA PRIMA. Quaſi dicat, plena amoris & plena dulcedinis: vt mirum ſit quod infertur, *Non teſtam virginem*. Et hic argumentum eſt quanta fecerit Pamphilus erga amicam ſuam.

VIRGINEM NON ADTIGIT. *Virginem ἔμφασις* eſt: quamuis non amatam, virginem ta-

men. & non dixit,non amplexus eſt:ſed, *Ne adtigit quidem.*

QVAE CONSECVTA EST NOX. Eam primam noctem ſcilicet.

NIHILO MAGIS. Quaſi in nihilo poſſit eſſe magis aut minus. Et *nihilo magis*, aſſeuerationis eſt.

QVID AIS? CVM VIRGINE VNA. Inuenitur quaſi interiectio vnà,id eſt ſimul, vno loco. CVM VIRGINE. A perſona. VNA. A loco. ADOLESCENS. A perſona. CVBVERIT. Ab habitu & occaſione. CVM VIRGINE VNA ADOLESCENS CVBVERIT. Argumenta in coniecturam neceſſario poſita: quibus Terentius ex vtraque parte diſputans, τὸ ἀπίθανον purgat,ne quis illum ſtultè hæc poſuiſſe iudicaret. Hæc enim meretrix tarde credit argumentis,ne à Parmenone vincatur. Hinc eſt quòd ait Horatius, *Vincere Cæcilius grauitate, Terentius arte.* PLVS POTVS. Ab impulſione,& ex accidentibus.

NON VERISIMILE DICIS. ὕστερον peruerſa:prius eſt enim verum,deinde veriſimile. Sed ideo ſic dixit, quia eſt ſæpe non veriſimile,verum tamen:vt,Decios pro alieno commodo mori voluiſſe. NON VERISIMILE DICIS. Hoc iam plus eſt, tantum eum amaſſe Bacchidem,quantum non poſſit credi.

CREDO ITA VIDERI TIBI: NAM NEMO AD TE VENIT. Magno compendio vſus eſt, non oſtendens cur hoc falſum ſit quod putet meretrix: ſed cur hoc putet. ita ex eius perſona totum refellitur quod obiicit.

ILLE INVITVS. *Inuitus* dicendo,quaſi admonet iterum itetúmque. vt Virgilius, *Italiam non ſponte ſequor.*

QVID DEINDE FIET. Interponitur perſona ad exitum feſtinans: vt alibi, *Quàm metui quorſum euaderes.*

DIEBVS SANE PAVCVLIS. Hic exitus eſt.

POST, PAMPHILVS ME SOLVM SEDVCIT FORAS: Ne teſtis quiſquam & arbiter ſecretorum interueniat. ME SOLVM SEDVCIT FORAS Familiaris in ſeruo iactantia, de dominorum familiaritate. ſimul quia decens eſt, vt per eum , quid geſtum ſit , ſpectatores ſciant.

NARRATQVE, VT VIRGO A SE INTEGRA ETIAM TVM SIET. Hoc eſt illud quod ſuprà dixerat, *Nocte illa prima virginem non attigit.*

SEQVE ANTE, QVAM EAM VXOREM DVXISSET DOMVM. Bonus color purgationis. diceretur enim,Quare ſi illam odio habebat,ducebat vxorem ?

TOLERARE POSSE. *Tolerare*, verbum eſt mala patientis.

QVAM DECREVERIM ME NON POSSE DIVTIVS HABERE. ἀποστροφὴ, καὶ [illegible] ἀπὸ διηγήματος εἰς μιμητικόν. DECREVERIM. Statuerim,& defixerim.

EAM LVDIBRIO HABERI. Honeſto verbo & pudoris pleno vſus eſt: & nouè pro vitiari. QVIN. Quominus.

INTEGRAM. Id eſt, honeſtam : non enim dixit, Spoliatam virginem aut mulierem.

VT ACCEPI A SVIS. Vigilanter quidem integram ſpecificat: id eſt talem qualem accepit à ſuis. potuit enim vitiatam accepiſſe, vt ſæpe euenit. Ergo non abundat, *Vt accepi à ſuis*, ſed habet ſignificationem.

PIVM AC PVDICVM INGENIVM NARRAS PAMPHILI. Erga meretricem, *Pium*: *Pudicum* erga virginem. Cogitur pium dicere Pamphilum, quem periurum putabat. PIVM ET PVDICVM INGENIVM NARRAS PAMPHILI. An ſimul erga virginem & Pium & Pudicum ? an Pium erga meretricem : Pudicum erga virginem?

HOC EGO PROFERRE. Verba Pamphili ſunt : non vt quidam putant, ad perſonam Parmenônis referentes. HOC EGO PROFERRE. Amorem ſcilicet meretricis.

CVI NIHIL DICAS VITII. Nunc *Vitij*, culpæ vxoriæ.

ABITVRAM DENIQVE. *Denique*, morem ſignificat, & poſtremam tarditatem. itaque poſtremò, vel ſerò abituram indicat.

QVID INTEREA. Exultantis eſt, & geſtientis audire. INTEREA. Inter eos dies.

POSTQVAM HVNC ALIENVM AB SESE VIDET. Pro *Alienatum* dixit. vt in Phormione, *Quid ego vobis Geta alienus ſum?* Nam quomodo *Alienum*, ſi amabat, dixiſſet ? POSTQVAM HVNC ALIENVM. Oratorie, non iam Bacchidem excuſat, quam à veriſimili cau-

ſi vult inducere, quòd ipſa ſit in Pamphilum durior. ALIENVM AB SESE VIDET. Id eſt maritum: nam hoc nomen à meretricibus alienum eſt.

MALIGNA MVLTO. *Maligna*, difficilis. *Malignus* eſt qui difficultatem ſui oſtendit.

PROCAX. Diſpoliatrix & petax. *Procare* enim, eſt petere. Virgilius, ——— *Procacibus auſtris*: id eſt impudentibus. nam qui malum petit, impudens eſt & procax. Vnde & *Proci dicti ſunt*, qui filias alienas in matrimonium petierunt.

NON AEDEPOL MIRVM. Obtinuit quod volebat Parmeno. nam credidit Philotis iniuriam factam Pamphilo.

ATQVI EA RES MVLTO MAXIME. Opportune concitatius Pamphilum defendit Parmeno, poſtquam Philotis inducta eſt, vt fateretur iniuriam factam. ATQVI EA RES. *Atqui*, imò. Legitur & *Atque*.

ET ILLAM. Meretricem malam. ET HANC, QVAE DOMI ERAT. Vxorem modeſtam. ET ILLAM, ET HANC QVAE DOMI ERAT. *Illam* quæ meretrix eſſet: *Hanc*, id eſt vxorem.

COGNOVIT. Diligentius & attentius conſiderauit. nam *Cognoſcere*, eſt diligenter & attente conſiderare. COGNOVIT SATIS. Bene *Satis*, ex ipſius moribus, & ex meretricis.

AD EXEMPLVM. Quaſi ad imaginem, & collationem, & ſpeciem comparationis. EXISTIMANS. Intelligens. HAEC, ITA VT LIBERALI ESSE INGENIO DECET. Qualitas comparatiua. PVDENS, MODESTA. Hæc contra vitia meretricia poſuit. pudens hæc, illa procax: modeſta hæc, illa maligna. reliqua verò ſuperadduntur, ornamenta, vxoris, matronæque laudes.

INCOMMODA ATQVE INIVRIAS. Callide, laudata vxore non repetit vitia meretricis apud meretricem: & ſimul contentus de vxoris laudibus, vitia meretricis intelligit.

INCOMMODA ATQVE INIVRIAS VIRI OMNES FERRE. Figura ἔλλειψις.

TEGERE. Hoc plus eſt quàm ferre. & *Tegere*, quòd meretricem amaret. Et plus dixit *Tegere*, quàm celare. *Tegere* enim ad hoc dixit: vt non ſolum cuiquam non ediceret, ſed & ne quis ſciret.

HIC, ANIMVS. Oratorie dixit. non enim Pamphilum dixit: ſed Animum Pamphili. HIC, ANIMVS. *Hic* pro *Tum*. Virgilius,

Hic annis grauis, atque animi maturus Aletbes.

VXORIS MISERICORDIA. ἀμφιβολία. VXORIS MISERICORDIA. Recte, quia ex miſericordia amor naſcitur. Sic & in Phormione, *miſeritum eſt, virgo ipſa facie egregia*. Virgilius,

——— *heu quibus ille Iactatus fatis.*

DEVINCTVS, PARTIM VICTVS. De proximo] reperiuit παρόμοιον, *Deuinctus*, *victus*. PARTIM VICTVS HVIVSCE INIVRIIS. Qualitas relatiua.

PAVLATIM ELAPSVS. Adeò eſt tardus amor Pamphili & magnus, vt etiam poſt iniurias difficilè diſcedat. ELAPSVS. Animus, non Pamphilus.

POSTQVAM PAR INGENIVM NACTVS EST. An ſibi par? an abſolute bonum? vt dicimus, *Sic par eſt facere te*. Ergo aut ſibi par, aut vxori: id eſt liberali fœminæ. PAR INGENIVM NACTVS EST. *Par ingenium*, eandem voluntatem. Salluſtius, *Quos eadem odiſſe, & eadem metuere in vnum coegit*. Idem alibi; *Nam idem velle, atque idem nolle, ea demum firma amicitia eſt*.

INTEREA IN IMBRO MORITVR COGNATVS SENEX. Bene cauſa abitionis Pamphili narratur. COGNATVS SENEX. Bene quod ait *Senex*: nam acerbum funus non conueniebat fabulæ. In comœdia itaque apud Terentium, aut meretrix moleſta, aut ex duabus vna vxor moritur, aut ſenex. Ita ex huiuſmodi mortibus, vel incommodum vitatur; vel lucrum inſuper naſcitur, vt non ſit cauſa lugendi.

HORVM. Maluit *Horum*, quàm *Dominorum*, dicere.

AD HOS REDIBAT LEGE HEREDITAS. Verbo iuris vſus eſt. ea enim legitima eſt hereditas, quæ familiæ debebatur.

EO AMANTEM. Modo iam vxorem. non enim amicam.

INVITVM PAMPHILVM EXTRVDIT PATER. Inuitum receſſiſſe vis verbi demonſtrat. Nam proprie *Extrudere* dicitur, qui manibus expellit. ſed hic tranſlatione vſus eſt, vt oſtenderet tantum importunitatis verbis ſenis fuiſſe, quantum impulſio manuum efficere po-

tuiſſet. EXTRVDIT. Verbum neceſſitatis.

RELINQVIT. Inertia præſentis temporis. Legitur & *Reliquit*. RELINQVIT CVM MATRE HIC VXOREM. Præparatio ad futurum errorem.

NAM SENEX RVS ABDIDIT SE. *Nam* hic inceptiua particula eſt, vt, *Nam meus conſeruus eſt homo vi magni pretij*. Plautus in Milite glorioſo. RVS ABDIDIT SE. Verbum reprehendentis ſenem: quòd *Se abdidit*, dixit.

HVC RARÒ IN VRBEM COMMEAT. *Huc* bene dixit, vt oſtendat Parmenonem in vrbe eſſe. Mira οἰκονομία. facit enim præſentem, & nullus error in fabula eſt. COMMEAT. *Commeare* eſt abeſſe inde vbi te eſſe oporteat. Ergo hoc dicto oſtendit, quàm raro ad vrbem veniat ſenex. quippe *Commeatus* eſt ex aliqua commoratione temporalis abſceſſus.

QVID ADHVC HABENT INFIRMITATIS NVPTIAE. Bene vſque adhuc ſuſpenſa narratio eſt. & in hac interrogatione quaſi ſubſtomachatur Philotis decepta, quòd nihil videat infirmitatis in nuptiis, quod optauerat. QVID ADHVC HABENT. Hoc triſtior meretrix dixit.

NVNC AVDIES. Sic ait, quaſi iamdudum audire cupienti, vel quaſi ad moleſtam percontatricem.

BENE CONVENIEBAT SANE. *Bene*, pro *Multum*. & *Sanè*, Validè: quia qui ſanus, idem & validus.

INTERIM MIRIS MODIS ODISSE. Huc vſque Parmenonem poeta verba paſſus eſt dicere: cætera actibus ſeruaturus. INTERIM MIRIS MODIS. Mire, ad finem comœdiæ rerum explanatio reſeruatur. namque ſi quæras, fallitur Parmeno, quum non odio ſocrus, ſed pudore ſimultatem aduerſus ſocrum Philumena ſimulauerit. INTERIM. Modo repentè: & eſt aduerbium temporis. MIRIS MODIS. Miris exemplis.

POSTVLATIO. Expoſtulatio, querela. ſed proprie *expoſtulatio* eſt apud illum ipſum qui peccauerit: *Poſtulatio*, de illo apud alterum.

QVID IGITVR. Recte dixit. ſi hoc non fuit, quid ergo? *Poſtulatio*, querela, & quaſi iuſta interpoſitio querelarum.

FVGERE E CONSPECTV ILLICO. Bene *E conſpectu*: vtpote, quæ caueret grauida intelligi. Sed tamen ſubiungit, *Videre nolle*: vt ignorantia Parmenonis appareat, qui argumentum odiorum credidit, quòd Philumena neque videri vellet, neque videre. FVGERE E CONSPECTV. Ne videretur. VIDERE NOLLE. Ne videret.

DENIQVE VBI NON QVIT PATI. *Pati* & *Suſtinere*, & *Suſtineri* intelligi poteſt hoc loco. vtrum poſtquam non potuit ſuſtinere ſocrum? an poſtquam illam ſocrus ferre non potuit ſic ſe celantem nurum? Poteſt etiam ſic intelligi, Vbi non potuit augmenta odij ſui ipſa nurus pati & continere, migrauit ad ſocrum. NON QVIT PATI. Tolerare aut tolerari: quia *Patior* commune eſt. nam *Patior te*, & *à te*, dicimus.

ABIIT. Proprie *Abiit*: quia non expectauit vt mitteretur. VBI ILLIC DIES EST COMPLVRES. ἀρχαϊκῶς *Dies*, non *Diebus* dixit. ACCERSI IVBET. Non addidit *Qua*: quia intelligitur.

DIXERE CAVSAM TVNC NESCIO QVAM. Ideo *Neſcio quam*, quia nullius momenti, ac falſam.

NEMO REMISIT. Hic iam apertius odium videtur, vbi nec iam fingitur cauſa.

POSTQVAM ACCERSVNT. Subauditur *Noſtri*, id eſt miſſi à ſocru. POSTQVAM ACCERSVNT. Id eſt miſſi à nobis ſcilicet. Et mira varietas.

IT VISERE. Vt ——— *populare penates Venimus* IT VISERE AD EAM. *Viſere*, officij eſt: *Videre*, quærentis aliquem. ADMISIT NEMO. Iniurioſa etiam ipſa pronuntiatio eſt.

HOC VBI SENEX RESCIVIT. *Scimus* quæ ad nos deferuntur: *Reſcimus* celata.

HERI EA CAVSA. Bene *Ea cauſa*: quippe qui ſe ruri abdidiſſet.

NONDVM ETIAM SCIO. παρέλκον tertium. & deeſt *Scire*. Et eſt σύλληψις *Scio ſcire*, cum ἐναβάσα. NONDVM ETIAM. Recte ſeruauit reliquis partibus fabulæ pendulum & attentum ſpectatorem.

NISI SANE CVRAE EST, QVORSVM EVENTVRVM HOC SIET. Bene: quia curioſus

eſt Parmeno, & idem garrulus. nam per totam fabulam talis inducitur. QVORSVM EVENTVRVM. ἔλλειψις. deeſt *Scire.*

HABES OMNEM REM. Quaſi dicat, Quam audire expetiſti.

PERGAM QVO COEPI HOC ITER. *Pergam hoc iter: vt, Tendere iter pennis.* QVO COEPI HOC ITER. Ad portum ſcilicet.

NAM CONSTITVI CVM QVODAM HOSPITE. Dicit cauſam cur in reliqua fabula non appareat perſona huius meretricis. CONSTITVI. *Conſtitui* proprie. nam de huiuſmodi rebus dicitur conuenire & conſtituere, de cuiuſmodi rebus apud extraneas meretrices agunt.

DI VERTANT BENE QVOD AGAS. Sæpe enim res eueniunt aliter quàm volumus: & ideo Vertumnus colitur, qui præeſt rebus vertentibus.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

LACHES. SOSTRATA.

PRO deûm atque hominum fidem, quod hoc genus eſt, quae haec eſt coniuratio?
Vt omnes mulieres eadem aequè ſtudeant, nolíntque omnia,
Neque declinatam quidquam ab aliarum ingenio vllam reperias?
Itaque adeò vno animo omnes ſocrus oderunt nurus:
Viris eſſe aduorſas, aequè ſtudium eſt, ſimilis pertinacia eſt.
In eodemque omnes mihi videntur ludo doctae ad malitiam:
Et ei ludo, ſi vllus eſt, magiſtram hanc eſſe ſatis certò ſcio.
SO. *Me miſeram, quae nunc quamobrem accuſer, neſcio.* LA. *hem,*
Tu neſcis! SO. *non ita me di ament, mi Laches:*
Itáque vnà inter nos agere aetatem liceat. LA. *di mala prohibeant.*
SO. *Méque abs te immeritò eſſe accuſatam poſtmodum reſciſces.*
LA. *ſcio:*
Te immeritò? an quidquam pro iſtis factis dignum te dici poteſt?
Quae me, & te, & familiam dedecoras: filio luctum paras.
Tum autem, ex amicis inimici vt ſint nobis adfines, facis:
Qui illum decrêrunt dignum, ſuos cui liberos committerent.
Tu ſola exorere, quae perturbes haec tua inpudentia.
SO. *Egóne.* LA. *Tu inquam mulier, quae me omnino lapidem, non hominem putas.*
An, quia ruri crebrò eſſe ſoleo, neſcire arbitramini
Quo quiſque pacto hîc vitam veſtrorum exigat?
Multò melius hîc quae fiunt, quàm illic vbi ſum aſſidue, ſcio:

Ideo, quia vt vos mihi domi eritis, proinde ego ero fama foris.
Iampridem equidem audiui coepiſſe odium tui Philumenam:
Miniméque adeò mirum: &, ni id feciſſet, magis mirum foret.
Set non credidi adeò, vt etiam totam hanc odiſſet domum:
Quod ſi ſciſſem, illa hic maneret potius, tu hinc iſſes foras.
At vide quàm inmeritò aegritudo haec oritur mihi abs te Soſtrata:
Rus habitatum abij, concedens vobis, & rei ſeruiens,
Sumptus veſtros, otiúmque vt noſtra res poſſet pati,
Meo labori haut parcens praeter aequum, atque aetatem meam:
Non te pro his curaſſe rebus, ne quid aegrè eſſet mihi?
SO. Non mea opera, neque pol culpa euênit. LA. imò maxime.
Sola hic fuiſti: in te omnis haeret culpa ſola, Soſtrata.
Quae hic erant, curares: cum ego vos ſolui curis ceteris.
Cum puella anum ſuſcepiſſe inimicitias non pudet?
Illius dices culpa factum. SO. Haut equidem dico mi Laches.
LA. Gaudeo, ita me di ament, gnati cauſa: nam de te quidem,
Satis ſcio, peccando detrimenti nihil fieri poteſt.
SO. Qui ſcis an ea cauſa, mi vir, me odiſſe aſsimulauerit.
Vt cum matre vnà plus eſſet? LA. quid ais? non ſigni hoc ſat eſt,
Quòd heri nemo voluit viſentem te ad eam admittere?
SO. Enim laſſam oppidò tum eſſe aiebant: eò ad eam non admiſſa ſum.
LA. Tuos eſſe illi mores morbum magis, quàm vllam aliam rem arbitror:
Et meritò adeò: nam veſtrarum nulla eſt, quin gnatum velit
Ducere vxorem: & quae vobis placita conditio eſt, datur:
Vbi duxere inpulſu veſtro, veſtro inpulſu eaſdem exigunt.

PRO DEVM ATQVE HOMINVM FIDEM. In hac ſcena accuſatio ſocrus eſt: quæ ſe coniecturaliter defendit, dicens nihil à ſe factum in perniciem nurus.

PRO DEVM ATQVE HOMINVM FIDEM. ἐμπαθῶς ab exclamatione cœpta ſcena eſt. Senex enim eſt difficilis & iratus.

QVOD HOC GENVS EST, QVAE HAEC EST CONIVRATIO. Conatur Terentius aduerſus famam ſocrum bonam reperire. & incipit à generali exclamatione, quo vehementior ſit eius accuſatio: paulatímque ad ſpeciale crimen deſcendit. QVOD HOC GENVS. Accuſatio à perſona: cui accidit ex ſexu & quòd ſocrus eſt. CONIVRATIO, *Confeſsio*, bonæ rei eſt: *Coniuratio*, malæ. & inde coniuratio Catilinæ dicta eſt. QVAE HAEC CONIVRATIO. Accuſatio à re.

VT OMNES MVLIERES EADEM AEQVE STVDEANT. Bono argumento vtitur, Læſiſti nurum, quia ſocrus es: & nulla ſocrus diligit nurum. VT OMNES MVLIERES. Accuſatio à cauſa eadem. STVDEANT. Maioris operis eſt *Studere* quàm *Velle*.

NEQVE DECLINATAM QVIDQVAM. Id eſt flexam vel inflexam, ab eo quod declina-

uerit: ne parum ſit, diuerſam vel diſſimilem dixiſſe. vt eſt illud, *Illum temulum inſicais.*

ITAQVE ADEO VNO ANIMO. Neſcias an ex ſententia hae, vel adeò ex hae ſcena nomen fabulæ ſit inuentum. ITAQVE ADEO. Neceſſaria ſententiæ ἀμφιβολίᾳ ad deſcribendam vtramque perſonam.

VIRIS ESSE ADVORSAS. Aliud argumentum, Læſiſti nurum, vt mihi aduerſareris. nam mulier eſt, & mulieres omnes aduerſantur viris.

ABQVE STVDIVM EST. *Studium*, eſt voluntas hominis attentior atque impenſior.

SIMILIS PERTINACIA EST. αὔξησις: nam *ſtudium* & bonum eſt: *Pertinacia* verò numquam non mala.

IN EODEMQVE OMNES MIHI VIDENTVR LVDO DOCTAE AD MALITIAM. Tria in accuſatione poſuit, ex quibus duo ſunt communia, vnum ipſius: quòd mulier eſt, & quòd ſocrus, communia: quòd ipſa ſpecialiter magiſtra eſt ad malitiam Soſtrata. Ex his colligit iniuriam paſſam nurum per coniecturam.

ET EI LVDO SI VLLVS EST, MAGISTRAM. Magna amplificatio criminis. dubitat an ſit ludus malitiæ: & magiſtram non dubitat Soſtratam, ſed, *Certo ſcio*, inquit.

ME MISERAM. Et hæc ἐμπαθῶς cœpit, ſed ad miſericordiam ſpectat defendentis oratio.

QVAE NVNC QVAMOBREM ACCVSER, NESCIO. Oratorie pro ſe loquitur mulier. ſiquidem maioris innocentiæ eſt neſcire crimen, quàm defendere. & his verbis oſtenditur ſine noxa eſſe etiam Philumenam: non ſolum hanc quæ loquitur, Soſtratam.

NON, ITA ME DI AMENT, MI LACHES. Modo *Mi Laches* non eſt blandientis, ſed eius qui periclitetur innoxius. NON, ITA ME DI BENE AMENT. ἄτεχνος πίστις per iuſiurandum. NON, ITA ME DI BENE AMENT. Animaduertendum veteres non minus εὐφημισμὸν in verbis, quàm κακέμφατον neglexiſſe: velut hic, *Ita me di bene amens.*

ITAQVE. Modo duæ partes ſunt orationis.

DI MALA PROHIBEANT. Seniliter odit vxorem, cuius amor optabilis fuit in adoleſcentia. DI MALA PROHIBEANT. Vt vnà inter nos agamus ætatem.

POSTMODVM RESCISCES. Hæc figura ab oratoribus ἐπάγγελμα nominatur: in qua aliquid promittimus iudicibus nos probaturos, quum metuimus, ne quid illis temere perſuaſum ſit. POSTMODVM RESCISCES. Fiducia innocentiæ. *Reſciſcere* eſt, quum quod de induſtria celatur, vix argumentorum vi agnoſcitur.

AN QVIDQVAM PRO ISTIS FACTIS. Ambiè, παρὰ προσδοκίαν.

QVAE ME, ET TE, ET FAMILIAM. Iam ſic accuſat, quaſi probauerit crimen. & eſt amplificatio. QVAE, ME ET TE, ET FAMILIAM. Hæc exaggeratio eſt, quæ δεινότης appellatur: quum ex vno maleficio multa fiunt ab oratoribus crimina.

DEDECORAS. *Dedecoratur*, quod honeſtum eſt: *Turpatur*, quod honeſtum eſt corporale.

DIGNVM. SVOS CVI LIBEROS COMMITTERENT. Multum ſonanter, & accuſatorio ſtrepitu nec maſculinum genus, nec fœmininum poſuit: nec vnam, ſed liberos. Sic Cicero, *En cui tuos liberos committas.* quum de vno ageret. &, *Habemus enim liberos omnes*: de puella. DIGNVM Sic dixit *Dignum*, vt honoris genus ſit, accipere vxorem meruiſſe. SVOS CVI LIBEROS COMMITTERENT. Nota liberos in ſignificatione etiam vnius filiæ.

TV SOLA EXORERE. Emergis, reperiris. Verbum hoc impudentiam notat. Cicero, *Exortus eſt ſeruus, qui quem in eculeo appellare non poſſet, eum accuſet ſolutus.* EXORERE. Exiſtis. *Exoriri* dicitur qui non expectatus inuadit in aliquem.

TV INQVAM MVLIER, QVAE ME OMNINO LAPIDEM, NON HOMINEM PVTAS. *Tu mulier*, ἔμφασιν malitiæ habet. & omnino expreſſio conſuetudinis eſt ad indignationem. Et lapis numquam vilis, niſi ad telum, quem magis ad iniuriam delegit. nam ſaxum melius, quam lapis. vt Virgilius. —— *Saxaque ſubuectare humeris.*

TV INQVAM MVLIER. Sic Euripides: πολλὰς ἂν εὕροις μηχανὰς γυνὴ γὰρ εἶ. & Virgilius,

—— *varium & mutabile ſemper Fœmina.* LAPIDEM, HAVT HOMINEM. Sufficeret, *Lapidem putas*: ſed de ſtomacho, *Haud hominem*, additum eſt. Plautus, *Herus*

meus elephanti corio circumtectus eſt, non ſuo. HAVT HOMINEM PVTAS. ἐν ὕλῃ. Sic Apollodorus. οὐ μὲ πανταίνουσιν * CHCAY λίθον.

AN QVIA RVRI ESSE CREBRO SOLEO. Memor ſuit eſt, qui dixerat, *Rus abiit.*

QVO QVISQVE PACTO HIC VITAM VESTRORVM. *Veſtrorum*, pro *Veſtrum*. ſic veteres.

MVLTO MELIVS HIC QVAE FIVNT. ὑπερβολῇ vſus eſt. vt in Adelphis, *An non prius otis ſenex menſibus olfeciſſem?*

IDEO QVIA VT VOS MIHI DOMI ERITIS. Mire confirmat vnde ſciat: ne ſuſpicioſe crimen obiicere videretur. Et bene *Mihi*: quia commoditas familiæ ad hunc redundatura eſt.

PRIDEM EQVIDEM AVDIVI COEPISSE ODIVM TVI PHILVMENAM. Primò obiurgatio eſt Soſtratæ, cur non amet nurum. ſecundò, cur non ametur à nuru. Tertiò, cur vſque adeò puella nupta deſerat domum.

MINIMEQVE ADEO MIRVM. Satis amarè, pro merito dicit odium contra meritum amorémque: ſimul excuſat nurum, quæ oderit talem ſocrum: & ſimul præuenit, Quid ſi non læſa eſt, ſed odio me habet?

SED NON CREDIDI ADEO. Deeſt, *Oſuram fuiſſe.*

AT VIDE QVAM IMMERITO AEGRITVDO HAEC MIHI ORITVR ABS TE SOSTRATA. ἠθικῶς poſt acrem inuectionem, ſeipſum miſeratur, vt inuidiam duræ inclamationis in ipſam conuertat. Sic in Andria,

> *Age nunc: iam ego pol hodie, ſi viuo, tibi*
> *Oſtendam, herum quid ſit pericli fallere.*

Et continuo, ——— *Chreme,*

> *Pietatem gnati. nónne te miſeret mei?*
> *Tantum laborem capere ob talem filium?*

QVAM IMMERITO AEGRITVDO HAEC ORITVR MIHI ABS TE SOSTRATA. Poſtquam de iniuria dixit, de perſona eius cuius fama eſt, id eſt * cum. AEGRITVDO HAEC ORITVR. *Oritur*, & magnitudinem rei ſignificat, & repentinum impetum. vt ſuprà, *Tu ſola exorere.*

RVS HABITATVM ABII. Quia dixit, *Senex rus ſeſe abdidit.*

CONCEDENS VOBIS. Ne diceretur quòd ſit voluptatis cauſa. *Vobis*, melius pluraliter, quàm ſi diceret *Tibi*. CONCEDENS VOBIS, ET REI SERVIENS. *Concedens vobis*, id eſt vt vos in vrbe eſſetis. REI SERVIENS. Res ſeruit diuitibus: quia abundant. rei ſeruiunt pauperes: quia ſe coartant ad anguſtias rei. Ita ergo res pro qualitate ſua & ſeruit, & ei rei ſeruitur. Horatius. *Imperat aut ſeruit collecta pecunia cuique.*

VESTROS SVMPTVS, OTIVMQVE. Sumptus veſtros, idem quod alibi, *Otium, vitam vrbanam.* Vel quòd nihil acquiritis. vt in Adelphis, *Hanc ego clementem vitam, vrbanam atque otium ſequutus ſum.*

OTIVMQVE. Hoc eſt, amorem: quaſi nihil agentibus.

VT NOSTRA RES POSSET PATI. Mediocris ſcilicet: vt comici patresfamiliâs.

PRAETER AEQVVM, ATQVE AETATEM MEAM. *Prater aequum*, quia vos eſtis domini: vel quia vos fruimini, quum ego doluerim. AETATEM. quia ſenex. Virgilius,

> ——— *vires vltra, ſortémque ſenecta.*

NON TE PRO HIS CVRASSE REBVS. Mirus ſenſus, Pro his, inquit, tot rebus vnam, & facilem redderes: curares ne quid ægrè eſſet mihi. Et *te* ſic pronuntiandum, quaſi dicat, Etſi alij non curarent, curare debuiſti.

NON MEA OPERA, NEQVE POL CVLPA. Vellet dicere, Nurus culpa euenit: ſed melius dixit, *Non mea*: ne accuſando confirmaret quod dixit ſenex, *Omnes ſocrus oderunt nurus.* NEQVE POL CVLPA EVENIT. Bene additum, *Neque pol culpa*. Potuit enim fieri vt non fecerit ipſa iniuriam: ſed tamen permiſerit fieri. mire tamen nec ipſa accuſat nurum. NON MEA OPERA, NEQVE POL CVLPA. Videtur vnum dixiſſe *Opera* & *Culpa*: & tamen non eſt idem. *Opera* enim eſt, ſi ſcientes læſerimus: *Culpa*, ſi neſcientes quorum alterum, ſceleris alterum, ſtultitiæ eſt.

SOLA HIC FVISTI. Ritio. & deeſt *enim*: vt ſit Sola enim hic fuiſti, quod ad filium & maritum pertinet. nam non ſola, cum qua nurus. SOLA HIC FVISTI. *Sola*, quantum pertinet ad regendam domum: cæterum & filius, & nurus erant: ſed *Sola*, id eſt ſine me.

IN

IN TE OMNIS HAERET CVLPA. Etſi in nuru culpa aliqua, in te omnis eſt tamen Soſtrata.

SOLA SOSTRATAE. Optime geminauit *Sola*, more iraſcentium: nondum nomen poſuit. & *Soſtrata*, additum ad amaritudinem inclamantis.

QVVM EGO VOS SOLVI CVRIS CAETERIS. *Vos*, pro *Te*: vt, *Deſiſte manum committere Teucris.* QVVM EGO VOS SOLVI. Noua figura, *Sola vos.*

CVM PVELLA ANVM SVSCEPISSE INIMICITIAS. Hoc dicit tanquam conceſſerit etiã nurum iniquam eſſe. CVM PVELLA. *Puellam* blande dixit: ita hanc cum amaritudine, *anum.* ILLIVS DICES CVLPA FACTVM. Præuenit defenſionem: & eam ſic pronuntiauit vt etiam en.

HAVD EQVIDEM DICO, MI LACHES. *Mi Laches* modò dixit, quaſi grauiſſimum accuſatorem arguens, & quaſi defatigata & delaſſata eius inclamationibus. Non ergo blandientis eſt modò *Mi*: ſed inuidioſe rogitantis.

GAVDEO (ITA ME DI AMENT) GNATI CAVSA. Quòd ſimilis filius non ſit, an quòd talem vxorem habeat, quam nec inimica accuſare poſſit? Et *Gnati cauſa*, dixit: quia talem vxorem habens, ſua cauſa quid gaudeat non habet.

NAM DE TE QVIDEM SATIS SCIO. Id eſt nihil detrimenti ſit, ſi tu pecces: id eſt nunquam, inquit, peccando peior fieri potes: ſed es eadem quæ ſemper es. Senſus eſt: Iam talis es, vt peior fieri non poſſis. Sic Cicero, *Eſt idem Verres qui fuit ſemper.*

PECCANDO DETRIMENTI. Seruas, inquit, numerum peccatorum, nec ſit vllum copiæ detrimentum. ſed quum plurimum delinquas, tantundem ſemper admittitur. PECCANDO DETRIMENTI. Hic ſenſus obſcurus eſt: attamen hic dum quantuncunque inquit ſceleris admiſeris, id eſt quantuncunque peccaueris, nihil de tua exiſtimatione minuitur, nihil de pudore derogatur: eadem es quæ fuiſti, quia peior fieri non potes. PECCANDO DETRIMENTI. Quidam hanc putant ἰσχυρῶς: quaſi dicat, Certus ſum quòd ex nullo peccato tuo damnum pati poſſumus. ſed male.

QVI SCIS, AN EA CAVSA, MI VIR. Defenſio à deriuatione cauſæ: in qua oſtenditur non hanc eſſe, quam obiicit cauſam ſenex, cur abierit nurus ad matrem ſuam.

VT CVM MATRE. Deeſt *ſua.* VT CVM MATRE VNA PLVS ESSET? ἰδιωτικῶς dixit. id eſt diu ac maiorem partem.

QVOD HERI NEMO VOLVIT. Bene infirmauit defenſionem ſenex, dicendo, Si propter matrem abiit, cur tu excluſa es, quum venires?

ENIM LASSAM OPPIDO. Infirmius defenditur ſocrus, vt error ſenis vſque ad καταστροφὴν perſeueret. ENIM LASSAM OPPIDO. Pro, *Oppidò enim* dixit. Superuacua ponitur interdum hæc coniunctio, aut pro altera coniunctione. OPPIDO. Valde. tranſlatio à ruſticis, qui interrogati, quemadmodum fruges proueniſſent, reſpondebant, *Oppidò*, id eſt, quæ ſibi & oppido ſufficere potuiſſent.

EO. Propterea, ideo. TVOS ESSE ILLI MORES. Acerbiſſime inſtitit ſenex & accuſationi vxoris, & defenſioni nurus: ſi quidem hoc ſenſu dicat, nurum nec mendacij culpam incurrere, quæ verè ægrotet ex moribus malæ ſocrus.

NAM VESTRARVM NVLLA EST. Pro *Veſtrum.* hoc enim venit ab eo quod eſt *Veſtra.*

QVIN GNATVM VELIT. *Quin*, quæ non.

ET QVAE VOBIS PLACITA CONDITIO EST, DATVR. Imago hic quædam argumentationis, quæ dicitur ἀπ' ἀρχῆς ἄχρι τέλους. quod Latinè dicitur, *Ab initio ad finem.* & vt generaliter cœpit inuectionem, ita generaliter concluſit in ſocrus. & eſt ſenſus, Eò improbius facitis, quòd illas, quas elegeritis, odiſtis.

VBI DVXERE INPVLSV VESTRO. Bene verba eadem ſtomachoſe & ſignificanter repetiuit, vt improbitas ex proximo appareat inpulſu. VBI DVXERE INPVLSV. Videtur, vt ſuprà diximus, hæc tota ſcena ad hoc interpoſita, vt fabulæ nomen hinc intelligeremus inuentum. Et impudentiam ſocruum, impulſus repetitio demonſtrauit. INPVLSV VESTRO. Sic in Heauton. *Scortari crebrò nolunt, nolunt crebro conuiuarier.*

ACTVS SECVNDI SCENA II.

PHIDIPPVS. LACHES. SOSTRATA.

ETSI ſcio ego Philumena meum ius eſſe, vt te cogam
Quae ego imperem facere: ego tamen patrio animo victus,
faciam
Vt tibi concedam: neque tuae libidini aduerſabor,
LA. Atque eccum Phidippum optumè video: hinc iam
ſcibo quid ſiet.
Phidippe, etſi ego meis me omnibus ſcio eſſe apprime obſequentem,
Set non adeò, vt mea facilitas corrumpat illorum animos.
Quòd tu ſi idem faceres, magis in rem & noſtram, & voſtram id eſſet.
Nunc video in illarum poteſtate eſſe te. PH. eia verò.
LA. Adij te heri de filia: vt veni, itidem incertum amîſti.
Haut ita decet, ſi perpetuam hanc vis eſſe adfinitatem
Celare te iras. ſi quid eſt peccatum à nobis, profer:
Aut ea refellendo, aut purgando, vobis corrigemus,
Te iudice ipſo. ſin ea eſt cauſa retinendi aput vos,
Quia aegra eſt: te mihi iniuriam facere arbitror Phidippe,
Si metuis, ſatis vt meae domi curetur diligenter.
At, ita me dij ament, haut tibi hoc concedo: etſi illi pater es,
Vt tu illam ſaluam magis velis, quàm ego: id adeò gnati cauſa,
Quem ego intellexi illam haut minus, quàm ſeipſum magnifacere.
Neque adeò clàm me eſt, quàm eſſe eum grauiter laturum credam,
Hoc ſi reſcierit: eò domum ſtudeo haec, priùs quàm ille, vt redeat.
PH. Laches, & diligentiam veſtram, & benignitatem,
Noui & quae dicis omnia, eſſe vt dicis, animum induco.
Et te hoc mihi cupio credere: illam ad vos redire ſtudeo,
Si facere poſſim vllo modo. LA. quae res te facere id prohibet?
Eho numquidnam accuſat virum? PH. minimè. nam poſtquàm adtendi
Magis, & vi coepi cogere, vt rediret, ſanctè adiurat
Non poſſe aput vos Pamphilo ſe abſente perdurare.
Aliud fortaſſe alijs vitij eſt: ego ſum animo leni natus:
Non poſſum aduorſari meis. LA. hem Soſtrata. SO. heu me miſeram.
LA. Certúmne eſt iſtuc? PH. nunc quidem vt videtur: ſet num-
quid vis?
Nam eſt quod me tranſire ad forum iam oportet. LA. eo tecum vnà.

ETSI SCIO EGO PHILVMENAM MEVM IVS ESSE. In hac ſcena moralis allocutio Phidippi eſt ad filiam, mitiſſimi patris colorem oſtendens. ETSI SCIO. Apparet & hic multa prius patri ſuo Philumenam locutam fuiſſe. ergo hæc reſponſio eſt, non principium. SCIO MEVM IVS ESSE VT TE COGAM. Hoc idem in Adelphis, *Non neceſſe habeo omnia pro meo iure agere.* VT TE COGAM. Etiam inuitam ſcilicet.

PATRIO ANIMO VICTVS. Bene *Victus*: quia non ratione facio. Victus eſt vndecunque, qui recedit à iure.

NEQVE TVAE LIBIDINI. *Libido* eſt quælibet voluntas temere ſuſcepta. Et bene *Libidini.* eſt enim non æquum, domo mariti abeſſe nuptam. Etſi enim pro voluntate poſuit *Libidinem*: tamen ſubaccuſauit hoc nomine.

OPTVME. Opportunè. HINC IAM SCIBO. Legitur & *hinc*, locale aduerbium. & quaſi comminatur vxori modo ſe inuenturum ipſam peccaſſe, non nurum. QVID SIET. Vtrum quid ſit rei? an quid ſiet nurus? vtrum innocens, an iniqua? Et videtur hoc Soſtratæ dicere: nam vicini ſunt inter ſe proximi Laches & Phidippus.

PHIDIPPE, ETSI EGO MEIS. Expoſtulatio Lachetis apud Phidippum, accuſationem continens, tanquam cauſam iniuriarum intendat.

SCIO ESSE APPRIME OBSEQVENTEM. Principium à perſona eius cum quo agitur, & ſua: & ad vtile ſit nimis obſequi hominem ſuis. APPRIME. Vehementiſſime.

SET NON ADEO, VT MEA FACILITAS. Facilitas, indulgentia. SET NON ADEO, VT FACILITAS MEA. Deeſt *Tamen.* & eſt ἀνακόλουθον tertium.

NVNC VIDEO. Iucunde temperat eius culpam, quem accuſat, quum dicat illum coactum à ſuis facere ſibi iniurias.

EIA VERO. Modo aduerbium corripientis. EIA VERO. παρέλκον.

ADII TE HERI DE FILIA. Narratio. & memoriter poeta: quia dixit *Heri*, ea cauſa rure huc aduenit: patrem continuò Philumenæ conuenit.

ITIDEM INCERTVM AMISTI. Pro *amiſiſti*, συγκοπή. Et *Itidem* quid eſt? an id, Incertum amiſiſti, vt ad te incertus veni? Iungendum ergo *Vt veni, Itidem.* vt ſit, Vt veni, amiſiſti itidem incertum. Incertus inquit veni: incertus à te receſſi.

HAVT ITA DECET. Non vſque adeò decet. & eſt confirmatio. HAVT ITA DECET. Bene additum eſt *ita.* etſi enim celandæ iræ: non vſque adeò tamen, vt diſcordiam pariant.

AVT EA REFELLENDO, AVT PVRGANDO. *Refellit* qui negat: *Purgat* qui fatetur, & ſic defendit. Ergo *refellimus* per coniecturam: *Purgamus* per cæteros ſtatus. VOBIS CORRIGEMVS. Plus dixit *Vobis*, quàm *Tibi.*

TE IVDICE IPSO. Virgilius. *Pan deus Arcadia mecum ſi iudice certet.* Quid enim eſt *te ipſo*, niſi ſcilicet reo culpæ, & tibiipſi ac tuis fauenti? vel qui me ſperes vincere.

SIN EA EST CAVSA RETINENDI APVT VOS. Reprehenſio.

ARBITROR PHIDIPPE. Bene addidit nomen, excitans audientem.

SATIS VT MEAE DOMI CVRETVR DILIGENTER. *Vt*, ne non. & iungendum eſt *Satis diligenter.* non enim, Meruis ſatis.

AT, ITA ME DII AMENT, HAVT. Addidit iuſiurandum: vix enim credibile eſt tantundem amare ſocerum, quantum patrem.

ETSI ILLI PATER ES. Salluſtius in primo libro, *Et liberis eius auunculus erat.* ETSI ILLE PATER ES. Compendium attulit Virgilius. *Heu fuge nate dea?* Hoc enim ſentit, Quanquam natus dea ſis, fuge tamen.

ID ADEO GNATI CAVSA. Honeſte amori nurus rationem ſubiecit piam. Nam non continuo rectum eſt nimis amari à ſocero nurum, niſi propter filium diligatur. Bene ergo *Gnati cauſa.* incredibile eſt enim patrem non patris pietate ſuperari.

QVEM EGO INTELLEXI. Et cauſam ſui amoris oſtendit, & mariti nullam erga coniugem culpam: quippe qui amet. & à Parmenone dictum, *Eò amantem inuitum Pamphilum extrudit pater.* QVEM EGO INTELLEXI ILLAM HAVT MINVS, QVAM SEIPSVM MAGNIFACERE. Hic ſubtiliter oneratur culpa nurus: ſi quidẽ indigne iniuriã faciat ſocero & marito.

NEQVE ADEO CLAM ME EST, QVAM ESSE. Ingenioſiſſime poeta iam præparat cauſam ſimulaturo ob hanc rem iracundiam Pamphilo.

HAEC PRIVS, QVAM ILLE VT REDEAT. Hic ſubtiliter etiam terrorem iniecit iracundiæ mariti.

LACHES, ET DILIGENTIAM VESTAM. Principium ſimiliter à perſona eſt factum. LACHES, ET DILIGENTIAM VESTRAM. Remotiuo ſtatu agit Phidippus pro perſona ſua. nam in filiam remouet culpam, cur non redeat. & relatiuam ſimul tentat qualitatem: poteſt enim videri eam iniuria ſocrus ad hanc voluntatem eſſe compulſam. LACHES, ET DILIGENTIAM VESTRAM. Ab eo cœpit quo maxime motus eſt, & quod in primis purgandum ſibi fuit: ne ſuſpectam aut voluntatem, aut diligentiam habere videatur affinium. Et cum affectu quodam, & gemitu dixit *Laches*, quòd ille ait Phidippe. & bene à nomine cœpit, vt conſentire illi videatur. *Et diligentiam*, quòd ille ait; *Sin metuis, ſatis vt mea domi*, &c. Et *Veſtram* melius, quàm *Tuam*: quum ille dixerit de ſe tantum. Et benignitatem, quòd ait, *Haut tibi concedo, etſi illi pater es, vt tu illam*, &c. ET DILIGENTIAM VESTAM, ET BENIGNITATEM. ἀπὸ κοινοῦ ad vtrumque. Diligentiam: quia dixit, *Si metuis. ſatis vt meæ domi curetur diligenter*. Benignitatem: quia dixit, *Haut tibi concedo, etſi illi pater es, vt tu illam ſaluam magis velis, quàm ego.*

ET QVAE DICIS OMNIA, ESSE VT DICIS. Quod iurauit: & quòd dixit gnati cauſa. & quòd addidit, *Quòd illam amet Pamphilus.*

ET TE HOC MIHI CVPIO CREDERE. Melius quàm ſi & hic iuraret. ET TE HOC MIHI CVPIO CREDERE. Bene collegit ex viciſſitudine quod volebat.

SI FACERE POSSIM, Hic eſt remotio, *Si facere poſſim vllo modo*. & mollius dixit, quàm ſi *Nec facere poſſum*, dixiſſet. hoc enim vult intelligi, Volo, & non poſſum facere.

EHO, NVMQVIDNAM ACCVSAT VIRVM. Geſticulatio quædã ſecretiora quærentis. ſæpe enim de maritis puellæ parentibus queri ſolent aliquid eiuſmodi, quod ſolis ipſis committendum eſt. EHO, NVMQVIDNAM ACCVSAT VIRVM. *Eho*, interiectio ponentis aurem propiorem. nam illa quærit quæ ſolent de maritis puellæ matribus queri.

NAM POSTQVAM ADTENDI. Inſtiti. & vide, num deſit *animum*: vt ſit, *Adtendi animum*. non enim plenum eſt, ſed nudum. Aduerti enim oculos, aut animum, ſubauditur.

SANCTE ADIVRAT. τὸ *ad*, nunc auctiuum eſt. ſignificat enim *valde*.

NON POSSE APVD VOS PAMPHILO SE ABSENTE PERDVRARE. Bene hic addidit poeta verba Philumenæ, ad quæ Phidippus reſpondebat, quum diceret, *Etſi ſcio ego Philumena meum ius eſſe*, &c. NON POSSE APVT VOS PAMPHILO SE ABSENTE PERDVRARE. Magnifice contra illud quod Laches dixit, ægrè laturum Pamphilum. & ita locutus eſt, quaſi hoc Pamphilo gratius eſſe debeat. PERDVRARE. Proprie & muliebriter dixit.

ALIVD FORTASSE ALIIS VITII EST. Sic dixit, ne diceret, Sed coge vt redeat: & mollius dixit *aliis*, quàm ſi tibi dixiſſet.

EGO SVM ANIMO LENI NATVS. Hoc contra illud quod primum dictum eſt, Etſi ego meis omnibus ſcio me eſſe apprimè obſequentem: ſed non adeò, vt facilitas mea illorum corrumpat animos. EGO SVM ANIMO LENI. Qualitas venialis. ANIMO LENI NATVS. Hoc eſt plenum. nam *Sum animo leni*, quum dicimus, ἐλλειπτικῶς profertur. NON POSSVM. Concluſio. HEM SOSTRATA. Quæ dixiſti, *Non mea opera, neque pol culpa euenit.*

HEV ME MISERAM. Ad ſe rediri timens, quaſi delaſſata, conqueritur.

CERTVMNE EST ISTVC. Quòd Philumena non redeat. NVMQVID VIS. Diſcedentis verbum. TRANSIRE. Cito ire.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

SOSTRATA.

AEDEPOL ne nos ſumus mulieres iniquè æquè omnes inuiſae viris
Propter paucas: quae omnes faciunt, dignae vt videamur malo.
Nam, ita me ament di, quod me accuſat nunc vir, ſum extra noxiam.
Set non facile eſt expurgatu: ita animum induxerunt, ſocrus
Omnis eſſe iniquas, haut pol me quidem: nam numquam ſecus
Habui illam, ac ſi ex me eſſet nata: nec, qui hoc mihi eueniat, ſcio:
Niſi pol filium multis modis iam expecto, vt redeat domum.

AEDEPOL NE NOS MVLIERES SVMVS INIQVE AEQVE OMNES. In hac ſcena eſt allocutio, qua inducitur ſecum loquens anus: per quam orationem, mores eius, & animus mitis intelligi poſſit. AEDEPOL NE NOS MVLIERES. Laches generaliter incuſauit ſocrus: hæc plurimas defendit. Cauſa accuſationis iniquæ. Non enim omnes ſumus malæ. INIQVE AEQVE. Comicum παρόμοιον. Et vide ſententiam defenſionem accuſatarum ſocruum continentem: contra illud quod ait, *Itaque vno animo omnes ſocrus oderunt nurus*. Officium enim boni poetæ eſt nullum genus hominum ſpecialiter lædere. Sic Virgilius, ——— *Quod ſæpe mala legere nouerca.* Id eſt, non omnes nouicæ, ſed tantum mea.

NAM ITA ME AMENT DI. Bene iurat. nam ſine iureiurando incredibile eſt, ſit bona ſocrus.

QVOD ME ACCVSAT. Deeſt *in eo.* vt ſit, In eo quod me accuſat nunc vir, ſum extra noxiam. An *Quod*, propter quod?

SOCRVS OMNES ESSE INIQVAS. Intelligitur, quibus iniquas: id eſt nuribus: quia Socrus nomen eſt ad aliquid dictum.

ITA ANIMVM INDVXERVNT. *Inducere animum* eſt ita tenere, vt non amittant: id eſt perſuadere animo ſuo.

HAVT POL ME QVIDEM. Eſſe iniquam, ſubaudiendum eſt à ſuperiore, vt ſit *Pol* pro pleno iureiurando. HAVT POL ME QVIDEM. Subaudiendum *Scio eſſe*, aut *Noui eſſe*, aut tale quid, ſecundum ἔλλειψιν, quæ familiaris eſt his qui ſecum loquuntur.

NEC QVI HOC MIHI EVENIAT. *Qui*, vnde.

MVLTIS MODIS. Vehementer. IAM EXPECTO VT REDEAT DOMVM. Quia nihil mirum in matre eſt expectare vt filius redeat: idcirco additum, *Multis modis*.

ACTVS TERTII SCENA I.

PAMPHILVS. PARMENO. MYRRHINA.

NEMINI ego plura acerba credo eſſe ex amore homini vnquam oblata,
Quàm mihi. heu me infelicem, hancine ego vitam parſi perdere?
Hacine cauſa ego eram tantopere cupidus redeundi domum?
Cui quantò fuerat praeſtabilius, vbiuis gentium agere aetatem,
Quàm huc redire? atque haec ita eſſe miſerum me reſciſcere?
Nam nos omnes, quibus eſt alicunde aliquis obiectus labos,
Omne quod eſt interea tempus, prius quàm id reſcitumſt, lucroſt.
PAR. At ſic, citius qui te expedias his aerumnis, reperias.
Si non rediſſes, hae irae factae eſſent multo ampliores:
Set nunc aduentum tuum ambas Pamphile ſcio reuerituras.
Rem cognoſces: iram expedies: rurſum in gratiam reſtitues.
Leuia ſunt haec, quae tu pergra via eſſe in animum induxti tuum.
PAM. Quid conſolare me? an quiſquam vſquam gentiumſt aequè miſer?
Prius quàm hanc vxorem duxi, habebam alibi animum amori deditum:
Iam in hac re vt taceam, cuiuis facile ſcitu eſt, quàm fuerim miſer:
Tamen numquam auſus ſum recuſare eam, quam mihi obtrudit pater.
Vix me illinc abſtraxi, atque impeditum in ea expediui animum meum.
Víxque huc contuleram, em noua res ortaſt, porrò ab hac quae me abſtrahat:
Tum matrem ex ea re me, aut vxorem in culpa inuenturum arbitror:
Quod quum ita eſſe inuenero, quid reſtat, niſi porrò vt fiam miſer?
Nam matris ferre iniurias me Parmeno pietas iubet:
Tum vxori obnoxius ſum: ita olim ſuo me ingenio pertulit:
Tot meas iniurias: quae numquam in vllo patefecit loco.
Set magnum neſcio quid neceſſe eſt eueniſſe Parmeno,
Vnde ira inter eas interceſſit, quae tam permanſit diu.
PAR. Haut quidem hercle paruom, ſi vis vero veram rationem exequi.

Non maxumas, quae maxumae ſunt interdum irae, iniurias
Faciunt: nam ſaepe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt,
Quum de eadem cauſa eſt iracundus factus inimiciſsimus.
PUERI inter ſeſe quàm pro leuibus noxijs iras gerunt!
Quapropter? quia enim, qui eos gubernat animus, infirmum gerunt.
Itidem illae mulieres ſunt ferme vt pueri, leui ſententia:
Fortaſſe vnum aliquod verbum inter eas iram hanc conciuerit.
PAM. Abi Parmeno intrò, ac me veniſſe nuntia. PAR. hem, quid hoc eſt? PAM. tace:
Trepidari ſentio & curſari rurſum prorſum: PAR. agedum, ad fores
Accede propius. hem, ſenſiſtin? PAM. noli fabularier:
Prò Iuppiter, clamorem audiui. PAR. tutè loqueris: me vetas?
MYR. Tace obſecro mea gnata. PAM. matris vox viſaſt Philumenae.
Nullus ſum. PAR. qui dum? PAM. perij. PAR. quamobrem? PAM. neſcio quod magnum malum
Profectò Parmeno me celas. PAR. vxorem Philumenam
Pauitare, neſcio quid dixerunt: id ſi fortè eſt, neſcio.
PAM. Interij: cur mihi id non dixti? PAR. quia non poteram vnà omnia.
PAM. Quid morbi eſt? PAR. neſcio. PAM. quid? nemóne medicum adduxit? PAR. neſcio.
PAM. Ceſſo hinc ire intrò, vt hoc quamprimum, quidquid eſt, certò ſciam?
Quonam modo Philumena mea nunc te offendam affectam?
Nam ſi periculum vllum in te ineſt, periiſſe me vnà haut dubium eſt.
PAR. Non vſus facto eſt mihi nunc hunc intrò ſequi:
Nam inuiſos omnis nos eſſe illis ſentio.
Heri nemo voluit Soſtratam intrò admittere.
Si fortè morbus amplior factus ſiet,
Quod ſanè nolim, maximè eri cauſa mei:
Seruom ilico introiſſe dicent Soſtratae:
Aliquid tuliſſe, comminiſcentur mali,
Capiti atque aetati illorum, morbus qui auctus ſiet.
Era in crimen veniet, ego verò in magnum malum.

NEMINI EGO PLVRA ACERBA. Hìc allocutio eſt per conqueſtionem. Et bene non ſe amatoribus modo, ſed infœlicibus amatoribus comparauit. & principium eſt à ſumma totius mali. NEMINI EGO PLVRA ACERBA. Ab eo loco conqueſtionis, in quo dicitur, quòd nulli fere talia aduerſa contigerint. NEMINI EGO PLVRA ACERBA. Nimis coturnati & tragici in hac ſcena dolores eſſent, non comici, niſi adderet, *Ex amore.* NEMINI EGO PLVRA ACERBA ESSE CREDO. Acerba dupliciter euenerunt Pamphilo. Ex præterito de meretrice: ex præſenti de vxore.

HEV ME INFELICEM. Ab ipſa ſimplici exclamatione. HEV ME INFELICEM. Lachrymans hoc dicit.

HANCINE EGO VITAM. Ab eo quod ab aduerſis ad aduerſa delatus ſit.

PARSI PERDERE. *Parco*, conſeruo, *parſi* facit: *Parco*, veniam do, *peperci*. Modò ergo continui, abſtinui ſignificat.

CVPIDVS REDEVNDI DOMVM. Ab eo quòd contra ſpem contigit malum.

VBIVIS GENTIVM AGERE AETATEM. A malorum ſuorum comparatione. VBI VIS GENTIVM AGERE AETATEM. Magna deteſtatio præſentis loci, eligere quaſuis terras, vel quamuis gentem, potius quàm eam in qua eſt. Virgilius,

Tollite me Teucri, quaſcunque abducite terras.

Et *Gentium* hîc abundat. Et bene, *Vbiuis gentium agere ætatem:* quia ſuprà dixerat, *Hancine ego vitam parſi perdere?* Nimis enim tragicum fieret, *Satius erat in mari perire.*

ATQVE HAEC ITA ESSE MISERVM ME RESCISCERE. Quod ait, lachrymantis eſt. *Reſciſcere*, eſt vix reperire, quod de induſtria fuerat celatum.

NAM NOS OMNES, QVIBVS EST ALICVNDE. Aut deeſt *apud*, vt ſit, Apud nos omnes. Aut *nos omnes*, pro nobis omnibus. NAM NOS OMNES. Ratio ſuperioris ſenſus. & deeſt *apud*, aut *penes*, aut quid tale. NAM NOS OMNES, QVIBVS EST. Conſtat hanc σύνθεσιν eſſe. retulit enim, *Lucro eſt*, non ad, *nos omnes*: ſed ad, *quibus eſt alicunde*: vt ſit ordo, Nam quibus eſt alicunde aliquis obiectus labos, lucro eſt tempus. hoc eſt, nos omnes. NAM OMNES, QVIBVS EST. Hac figura vſus eſt etiam Tullius pro Murena, *Prætor quoque ne ſe pulchrum ac beatum putaret, ei quoque carmen compoſitum eſt.* Nam ille datiuum caſum ſubiecit, cum præpoſuiſſet nominatiuum. Et totum Apollodori eſt, qui ſic ait: * OIKAP ACICOTNIEC TON χPωCNOY ΔIEN KI TIKHKOTHC. * QVIBVS EST ALICVNDE. Hoc genus locutionis abſolutum dicitur. Tale eſt apud Virgilium,

Craſtina lux, mea ſi non irrita dicta putaris,
Ingentes Rutula ſpectabis cædis aceruos.

RESCITVM EST. χῆμα εκατκνον *

FAT SIC. Sed ſic. AT SIC, CITIVS QVI TE EXPEDIAS AERVMNIS, REPERIAS. Ad hoc modo, quòd veniſti, & diſcordias eſſe celerius reperire poteris: & quo modo his ærumnis te abſoluas. Et bene *Expedias ærumnis*. aut enim ſoluunt nos curæ abeuntes, aut impediunt, & ligant aduenientes. Vt, *Soluite corde metum Teucri, ſecludite curas.* AT SIC, CITIVS QVI. Sententia contraria. nam ſuprà ſic collegit. Si ignorare mala ſua vnicuique bonum eſt: ſequitur vt malum ſit, ea cito cognouiſſe. hîc per contrarium: Si in aduerſis ſuis ſuccurrere vnicuique quamprimùm bonum eſt: ſequitur vt cito ea cognouiſſe ſit quam optimum.

SED NVNC ADVENTVM TVVM AMEAS. Ne accuſare alteram altera audeat.

REM COGNOSCES. Melius eſt *rem*, quàm *litem*. REM COGNOSCES. Iram expedies: rurſum in gratiam reſtitues. τρίκωλος ſententia. & bono ordine vſus eſt. Prius enim ſit querela. deinde ponitur iracundia. poſtremo reditur in conſilium.

LEVIA SVNT HAEC QVAE TV PERORAVIA ESSE. Genus conſolationis, non à ſubſtantia. ſed à quantitate. non dicit non eſſe cauſam ſolicitudinis, ſed leuem dicit. QVAE TV PERORAVIA ESSE. Bene additum contra *Leuia*, non grauia ſed *pergrauia*. LEVIA SVNT. A quantitate.

QVAE TV IN ANIMVM INDVXTI TVVM. Id eſt perſuaſiſti tibi.

QVID CONSOLARE ME? AN QVISQVAM VSQVAM. Vt ſolet in vero angore, ipſa conſolatione ægreſcit dolor. Et ingenioſe: non inquit *Dicis*, ſed *Conſolaris me*: & hoc ipſo

oſtendis

oſtendis ſcire te quòd miſer ſum.

PRIVS QVAM HANC VXOREM DVXI. Hoc refert ad illud caput in quo ait, *Nemini ego plura acerba eſſe credo ex amore homini vnquam oblata.* PRIVS QVAM HANC VXOREM DVXI. Ante rem.

HABEBAM ALIBI ANIMVM AMORI DEDITVM. An miſer ſit in amore ἀπ' ἀρχῆς ἐχετίαν. Ante rem, in re, & poſt rem. HABEBAM ALIBI. Grauius dixit *Alibi*, quàm ſi in meretrice diceret. & maluit *Alibi* dicere, quàm ad meretricem.

QVAM MIHI OBTRVDIT. Recte enim dici potuit, Quomodo ergo vxorem duxit, ſi amabat? Et bene *Obtrudit*, quia inuito. Sic alibi, *Aliquid monſtri alunt: ea quoniam nemini obtrudi poteſt, itur ad me.* Et *obtrudit*, pro obtrudebat, ἐγγύα temporis.

VIX ME ILLINC ABSTRAXI. *Vix*, vel μόλις, vel ſtatim ſignificat.

ATQVE EXPEDIVI ANIMVM MEVM. Curæ, vt diximus, aut ligant, aut ſoluunt. vt Virg.

Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſoluat amantem,

amatoris enim curæ vincula dicuntur.

VIXQVE HVC. Maluit *Huc*, quàm *Ad vxorem* dicere.

HEM, NOVA RES ORTA EST. PORRO. *Porro*, deinde. & vim habet deinde modò implicationem continuarum miſeriarum referentis.

QVOD CVM ITA ESSE INVENERO, QVID RESTAT NISI PORRO VT FIAM MISER. Ordinem ſeruauit allocutionis in qua à præteritis, à præſentibus, à futuris inducitur perſonæ loquentis oratio. NISI PORRO VT FIAM. *Porro*, poſtea, vel in poſtremum. alii coniunctionem putant.

PIETAS IVBET. Apte, quia *Ferre* dixit, addit *Iubet*.

TVM VXORI OBNOXIVS SVM. Matris cum dixiſſet, non intulit *Vxoris*, ſed mutauit caſus.

ITA OLIM SVO ME INGENIO PERTVLIT. *Olim*, ad diuturnitatem retulit, non ad ſpatium præteriti temporis.

TOT MEAS INIVRIAS. Hæ ſunt iniuriæ quas ſuprà dixit, *Nocte illa prima virginem non attigit: quæ conſecuta eſt nox, eam nihilo magis.* Et deinde, *Quid interea? ibátne ad Bacchidem? Quotidie.* TOT MEAS INIVRIAS. Aliam vim habet quod dixit, *Me pertulit*: aliam, quod adiecit *Iniurias meas*: aliam, quod reticuit.

QVAS NVMQVAM VLLO PATEFECIT LOCO. Non dixit *Quas*, ſed *Quæ*, vt ad omnia, non ad *iniurias*, referatur extrema concluſio.

SED MAGNVM NESCIO QVID NECESSE EST. Bene de ambabus ſentiens, putat magnam cauſam eſſe, quæ iram fecerit, & iram diuturnam. QVAE TAM PERMANSIT DIV. Et à re, & à tempore.

HAVT QVIDEM HERCLE PARVM EST. Seruilis ratio & ſordida: & non his reſpondens omnibus quæ dixit Pamphilus, ſed tantum nouiſſimæ parti.

SI VIS VERO VERAM RATIONEM EXEQVI. *Vero*, vel nomen eſt, vel coniunctio, vel aduerbium.

NON MAXVMAS, QVAE MAXVMAE SVNT INTERDVM IRAE, INIVRIAS FACIVNT. Iniuriæ faciunt iras, non iræ iniurias. ſed hic *faciunt* ὑπαλλακτικῶς dixit, ſecundum ſuperiorem rationem increpans errorem Pamphili, qui de iræ magnitudine æſtimet iniuriæ quantitatem. Alij *Faciunt*, probant, oſtendunt, intelligunt. Caute dixit *interdum*: plerumque enim ſic.

PARVM. Subaudiendum, neceſſe eſt eueniſſe vel euenit. nam conſequés ſententia tollit quod ille dixit, Neceſſe eſt. NON MAXVMAS, QVAE MAXVMAE SVNT. Senſus eſt, In quo primum, Non iræ iniurias faciunt: accipiendum eſt. ſecundum, Non maxumas maxumæ. *Faciunt*, pro oſtendunt.

CVM DE EADEM CAVSA. Rectum erat ſi diceret, *cum in hiſdem rebus*. adiiciendo *cauſa* obſcurauit elocutionem ſuam: ſed conuenit ſeruo hæc humilitas orationis. nam plenum erat, ſi diceret: Nam ſæpe eſt, quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt, cum de eiſdem rebus eſt iracundus factus inimiciſſimus. *Eſt* autem pro euenit dixit. & eſt ordo: Sæpe eſt, cum quibus in rebus alius ne iratus quidem eſt: de eadem cauſa iracundus, factus eſt inimiciſſimus.

IRACVNDVS FACTVS INIMICISSIMVS. *Iratus* quidem eſt qui ex aliqua re laceſſitus iraſcitur. *Iracundus*, qui ex parua nullâve cauſa præcedente iraſcitur.

PVERI INTER SESE. Argumentum à ſimili. QVAM PRO LEVIBVS NOXIS. Interrogatiue. *Noxis*, iniuriis, culpis.

QVA PROPTER. διαλεκτικῶς interrogat. QVIA ENIM QVI EOS GVBERNAT ANIMVS. αἰτιολογικὴ ἀπόκρισις. INFIRMVM GERVNT. ἐσχηματισμένως, ἀντὶ τοῦ, *Infirmus eſt*. Sed ἀνακολουθία iſta conuenit ſermo.

ITIDEM ILLAE MVLIERES SVNT FERME VT PVERI. Artificioſe *Mulieres* à perſona. à ſimilitudine, *Pueri*. à facto, *Iras gerunt*. ab accidentibus ſimilitudinis. *animum infirmum* à collatione perſonæ mulieris accidentium, *Leui ſententia* à facto, fortaſſe vnum aliquod verbum inter eas iram hanc conciuerit. qua ſententia totum hic ſublatum eſt quod ait Sed magnum neſcio quid neceſſe eſt eueniſſe Parmeno, vnde ira inter eas interceſſit. ITIDEM ILLAE MVLIERES. Sexus alius, ad ingenium, & ſenſus idem eſt. Et mire ſimilitudinem contulit ad id quod agitur.

FORTASSE VNVM ALIQVOD VERBVM INTER EAS IRAM HANC CONCIVERIT. Sic Plautus, *Fortaſſe te amare ſuſpicarere*. Nam veteres infinitiuo modo adiungebant *Fortaſſe*. CONCIVERIT Commouerit. IRAM HANC CONCIVERIT, Legitur & *conſciuiſſe*. & *rem conſciuiſſe*, eſt rem nouam feciſſe. CONSCIVERIT. Decreuerit, fecerit.

CVRSARI RVRSVM, PRORSVM. *Ruſum* propriè retro: *prorſum* ante ſignificat. & eſt prouerbiale, vt dicimus, *Rurſum deorſum, intro foras, hac illac*, & ſimilia: Græci ἄνω κάτω. TREPIDARI SENTIO, CVRSARI RVRSVM PRORSVM. *Trepidatio*, ad vocem refertur loquentium: *Curſatio*, ad ſonum pedum. Et trepidatur primo ab his qui morbum putant. Curſatur ab his qui partum ſciunt.

TVTE LOQVERIS NE VETAS. Mire expreſſus eſt mos auſcultantium.

TACE OBSECRO MEA GNATA. Non ſolum hic Iuno Lucina non inducitur, ſed etiam ſilentium parturienti inſuper imponitur: quia furtiua conceptio eſt. & tamen eiuſmodi verba ſunt matris, vt duntaxat argumentum ſcientibus manifeſta ſint: Pamphilo verò & Parmenoni, tanquam ęgram continentis filiam videantur. TACE OBSECRO MEA GNATA Conceptum furtiuum furtim conuenit naſci.

MATRIS VOX VISA EST. Omnia hæc quæ ſenſu percipi poſſunt, *viſa* dicimus. Virgil.

Viſæque canes vlulare per vmbram.

NVLLVS SVM. Rurſus ſe infœlicem & miſerum appellauit hic. NVLLVS SVM αὐξητικῶς.

QVIA PERII. Satis amatorie.

VXOREM PHILVMENAM PAVITARE. *Pauitare* τοῦ ἰσχυρισμοῦ. PAVITARE NESCIO QVID. *Pauere & timere*, & ad corporis, & ad animi perturbationem veteres referebant. Plautus in Bacchidibus, *Nam & ex mari timida ecce ego pauitare, ægrotare. quia ſic horruiſſe, ac palpitare venis*.

QVIA NON POTERAM VNA OMNIA. Deeſt, *Dicere*. QVIA NON POTERAM VNA OMNIA. Cum ſtomacho pronuntiauit: & deeſt, *dicere*.

NEMONE MEDICVM ADDVXIT. Scilicet ex quo ſcire poſſes.

NESCIO. Perturbatus Parmeno idem repetit verbum. & verbum aptum eſt perſonæ ſeruili.

CESSO HINC IRE INTRO. In vultu proloquium. Sic autem dixit poeta, vt grauem morbum in vxore ſuſpectans maritus, protinus ingrediatur, & partum improuiſus offendat.

QVONAM MODO PHILVMENA. Amatoria ἀποστροφή. Sic in Phormione, *Quod ſi eò mea fortuna redeunt, Phanium abs te vt diſtrahar, nulla eſt mihi vita expetenda*.

NAM SI PERICVLVM VLLVM IN TE INEST. Multum dixit, Si in te periculum ineſt, me periiſſe non dubito. tantus autem affectus non eſt mariti tantùm, ſed amatoris quoque. NAM SI PERICVLVM VLLVM. Non permiſit amor dicere Perituram: ſed *Si periculũ*.

OFFENDAM AFFECTAM. Laſſam, poſſeſſámque morbo. ab eo quod eſt *affici*: vnde affectus dicuntur, propter quos afficimur.

NON VSVS FACTO EST MIHI. Vide artificem Terentium, quemadmodum aliàs per Pamphilum, aliàs per ipſum Parmenonem inuenit: quemadmodum neſciatur à exteris,

virginem ante nuptias ab ipſo Pamphilo vitiatam eſſe. NON VSVS FACTO. Non vtilo *Facto* abundat.

NAM INVISOS OMNES NOS ESSE ILLIS SENTIO. Acutè eiuſmodi cauſam reperit, quæ vel hominem curioſum contineret; quæque non Parmenonem modo, ſed mox etiam Soſtratam arceat ab ingreſſu.

HERI NEMÓ VOLVIT SOSTRATAM. Quaſi alius dixerit, *Vnde intelligis*. HERI NEMO VOLVIT SOSTRATAM. Argumentum odij.

MAXIME HERI CAVSA MEI. Bene *Maxime*: qui & propter ipſam, vel propter inuidiam ſocrus non velit fieri grauiorem morbum.

SERVVM ILICO INTROISSE. Mire vt criminoſius, ſuſpicioſúmque ſit: non Lachetis aut Pamphili ſeruum, ſed Soſtratæ: nec Parmenonem ſaltem.

COMMINISCENTVR. Dicent, cum confinxerint. CAPITI ATQVE AETATI ILLORVM. Bene τῷ εὐφημισμῷ maluit *illorum*, quàm *puellæ* dicere: quod vtique intelligitur.

QVI. *Qui*, vnde. HERA. Soſtrata in litem.

EGO VERO IN MAGNVM MALVM. In quæſtionis tormenta.

ACTVS TERTII SCENA II.

SOSTRATA. PARMENO. PAMPHILVS.

NESCIO quid iamdudum audio hîc tumultuari miſera:
Male metuo, ne Philumenae magis morbus adgraueſcat:
Quod tè AEſculapi, & te Salus, ne quid ſit huius, oro.
Nunc ad eam viſam. PAR. *heus Soſtrata.* SO. *hem.*
PAR. *iterum iſtinc excludêre.*
SO. *Ehem Parmeno túne hîc eras? perij. quid faciam miſera?*
Non viſam uxorem Pamphili, cum in proximo hîc ſit aegra?
PAR. *Non viſas, nec mittas quidem viſendi cauſa quemquam:*
Nam QVI AMAT, cui odio ipſus eſt, bis facere ſtulte duco:
Laborem inanem ipſus capit, & illi moleſtiam adfert.
Tum autem filius tuus introiit videre, vt venit, quid agat.
SO. *Quid ais? an venit Pamphilus.* PAR. *venit.* SO. *dis gratiam habeo.*
Hem iſtoc verbo animus mihi rediit: & cura ex corde exceſſit.
PAR. *Iam ea te cauſa maximè nunc huc introire nolo.*
Nam ſi remittent quidpiam Philumenae dolores,
Omnem rem narrabit, ſcio, continuò ſola ſoli,
Quae inter vos interuenerit: unde ortum eſt initium irae.
Atque eccum video ipſum egredi: quàm triſtis eſt! SO. *ô mi gnate,*
PAM. *Mea mater ſalue.* SO. *gaudeo veniſſe ſaluum. ſaluáne*
Philumena eſt? PAM. *meliuſcula eſt.* SO. *vtinam iſtuc ita di faxint.*
Quid tu igitur lacrumas? aut quid es tam triſtis? PAM. *rectè mater.*
SO. *Quid fuit tumulti? dic mihi: an dolor repente inuaſit?*

PAM. Ita factum eſt. SO. Quid morbi eſt? PAM. febris. SO. cotidiana? PAM. ita aiunt.
I ſodes intrò, conſequar iam te mea mater. SO. fiat.
PAM. Tu pueris curre Parmeno obuiam, atque eis onera adiuta.
PAR. Quid? non ſciunt ipſi viam, domum quâ redeant PAM. ceſſas.

NESCIO QVID IAMDVDVM HIC AVDIO TVMVLTVARI. In hac ſcena quaſi quædam deliberatio eſt continens ſuaſionis diſſuaſioniſque partes, quas in ſubditis conſiderabimus. HIC. Quia nimis vicini ſunt.

MAGIS MORBVS AGGRAVESCAT. Grauior fiat. Proprie, quia morbi graues ſunt dicti. Virgilius, ——— *Vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis Deficit.* Salluſt. *Morbi graues ob inediam inſolitam veſcentibus.*

MALE METVO, NE PHILVMENAE MAGIS. Inſtat Terentius bonam ſocrum facere, vt bonam meretricem faciat. QVOD TE AESCVLAPI, ET TE SALVS. Deeſt *propter*: vt ſit, *Propter quod.*

NVNC AD EAM VISAM. Sic Virgilius, *Reſpice ad hæc.*

HEM. Interiectio eſt nouas res audientis.

HEVS SOSTRATA. Vide quemadmodum per ſeipſum Parmeno, per Parmenonem arceatur Soſtrata: quæ neque deeſſe propter officium: neque ingredi propter ſocrum inducitur.

ITERVM ISTINC EXCLVDERE. Bene *iterum*: vt illi pudorem incuteret repetitione iniutiæ. Et memoriter iam enim dixit, Noſtra ilico it viſere ad eam. admiſit nemo. Et ſimul vide quàm vehementius ad iniuriam ſonet *Excludi*, quàm *Non admitti.*

EHEM PARMENO. *Ehem*, interiectio eſt eius quæ commota ſit noua re.

NON VISAM VXOREM PAMPHILI. Vt dixit ſuprà, *Seruum Soſtrata*, non Parmenonem: ſic hîc, *Vxorem Pamphili* dixit magis, quàm Philumenam: vt animum & officium eiuſdem ſocrus, & matris breuiter demonſtraret.

NON VISAS. Vnam rem Soſtrata conſuluit: hîc de duabus reſpondet: namque & illam non vult ingredi, & cauet ne ipſe mittatur. & bene, *Quemquam*: ne aperte pro ſe loqui videatur.

NAM QVI AMAT CVI ODIO IPSVS EST. Aliam cauſam ſubiunxit: quia durum fuerat ipſi Soſtratæ dici quod ſuprà dictum eſt. NAM QVI AMAT. Vna cauſa à ſententia morali. CVI ODIO IPSVS EST. Deeſt *eam* vel *eum.*

LABOREM INANEM IPSVS CAPIT, ET ILLI MOLESTIAM ADFERT. Hoc validiſſimum ad diſſuadendum fuit.

ET ILLI MOLESTIAM ADFERT. Bene hoc adiecit: ne qui amat, hoc dicat, Laborem, dum promerear, quem amo.

TVM AVTEM FILIVS. Alia cauſa ab euentu. VIDERE, VT VENIT, QVID AGAT. Quod ſuprà, *Viſere.* an *Viſere*, officij eſt apud ægros: *Videre*, cognitionis? & ideo additum, *Quid agat.* AN VENIT PAMPHILVS. Bene imitatur affectum.

HEM. Interiectio fœminæ ac matronalis.

EX CORDE EXCESSIT. Geminauit præpoſitionem.

HVC NVNC INTROIRE NOLO. Cur ſi venit Pamphilus, non ſit introeundum, cauſa narratur.

NAM SI REMITTENT QVIPPIAM Verbum actiuum quaſi neutrum poſuit. PHILVMENAE DOLORES. δραματικῶς errat. non enim verè dolor morbi eſt. cum ſit partus.

SCIO, CONTINVO SOLA SOLI. Vt, *Haud (credo) inuiſus cæleſtibus, auras Vitales carpis.* Et ſic, *Sola ſoli* dicitur, quomodo *Præſens præſenti.* ſic Virgilius, *Illum abſens abſentem auditque, vidétque.*

VNDE ORTVM EST. Pro *ſit*, ἀνακόλουθον tertium. QVAE INTER VOS INTERVENIT.

Melius ſic, quàm ſi diceret. *Quæ illi fecerit.*

QVAM TRISTIS EST. χαρακτηρισμὸς locuturi Pamphili. O MI GNATE. Ordo eſt, ô mi gnate gaudeo te ſaluum veniſſe: ſed intercedit Pamphilus triſtis.

SALVANE PHILVMENA EST. Cito probat Pamphilo ſe amare nurum, cum poſt ſalutationem nihil prius, quàm de ſalute vxoris eius inquirat. SALVANE PHILVMENA EST. Mire obuiam ſibi exeuntem filium nihil aliud, niſi de Philumena interrogauit: vt oſtenderet eius morbum curæ ſibi eſſe.

MELIVSCVLA EST. Verum eſt, quantum ad morbum pertinet. MELIVSCVLA EST. Hoc & ad morbum, & ad euentum parturitionis verum eſt. ita non mentitur Pamphilus matri.

VTINAM ISTVC ITA DI FAXINT. Diligentiore officio loquitur, vt rea apud filium ſocrus.

QVID TV IGITVR LACHRVMAS. Locus ab eo quod agitur: quo ſignificat, Si ita eſt, quare ergo tu triſtis es.

RECTE MATER. Sic dicimus, cum ſine iniuria interrogantis aliquid reticemus. Et bene additum *Mater*: vt duritia reticentiæ blando nomine molliretur. Alij *Recte* ſic accipiunt. vt intelligant, *Nihil eſt mali.*

QVID FVIT TVMVLTI. Antiqui ſic declinauerunt, *tumulti, ſenati.* vt Salluſtius, *Decretum ſenati ſit.* DIC MIHI. *Dic*, verbum eſt inſtantius audire, & curioſius interrogantis. Virgilius, *Dic mihi Damœta, cuium pecus.*

DOLOR REPENTE INVASIT. Proprie *Inuaſit*, quia repente.

ITA FACTVM EST. Moris eſt aſſentiri ad dicta interrogantium, qui quæ vera ſunt celãt.

ITA AIVNT. Bene aliis aſcripſit: ſi falſum ſit, vt ipſis aſcribatur mendacium. ITA AIVNT. In hac tota interrogatione & reſponſione, colorem induxit ſecretum, ægre obiurgantis. ITA AIVNT. Religioſe mendacium ad rumorem retulit. *Aiunt*, inquit, ne ipſe falſum dicere videretur.

I SODES INTRO. Metuit, ne ingrediatur mater ad ſoceros: & ideo dicit, *I ſodes intro.* Et apparet *Intro* dicentem, manu annuere, vt domum redeat: & ſimul quo magis faciat addit cauſam.

CONSEQVAR IAM TE MEA MATER. Adiecit & tempus *iam. mea* neceſſario additum: *Mea mater.* Et *Sodes*, quia *I intro* durum eſt.

FIAT. Abiens dixit hoc mater, *Fiat*: ne omnino iuſſis alienis parêre videatur: quaſi imperemus & nos, quæ nos ipſi facturi ſumus.

TV PVERIS CVRRE PARMENO OBVIAM. Probabilis cauſa, qua ablegat etiam Parmenonem, dum iubet eum pueris occurrere. Et ſimul notandum, quòd in hac fabula ridicule vexatur vſque ad vltimum ſeruus & ablegatur, cum ſit & piger & curioſus.

ATQVE EIS ONERA ADIVTA. Locutio antiqua figurata. Et eſt μετωνυμία, pro Ipſos onera portantes, eis onera adiuta.

QVID? NON SCIVNT IPSI VIAM, DOMVM QVA REDEANT. Iam vide quemadmodum ſeruetur Parmenoni perſona loquacis, curioſi, pigri. *Domum*, aduerbiale eſt. DOMVM QVA REDEANT. *Qua* ſi locum ſignificet, videbitur reliquum præceptum ſeruus non audiuiſſe. Sin audiuit, *Qua*, quomodo intelligemus. id eſt quemadmodum onus portent de naui. vt, *Quid fieret, & quâ fieret.*

CESSAS. De induſtria omnes ablegauit ſuos, vt non audirent quæ intus poſt ſcenam ſunt acta: quæ tamen populo eſt narraturus.

ACTVS TERTII SCENA III.

PAMPHILVS.

NEQVEO mearum rerum initium vllum inuenire idoneum,
Vnde exordiar narrare, quae nec opinanti accidunt,
Partim quae perſpexi his oculis, partim quae accepi auribus,
Qua me propter exanimatum citius eduxi foras.
Nam modo me intrò vt corripui timidus, alio ſuſpicans
Morbo me viſurum affectam ac ſenſi eſſe vxorem: ei mihi,
Poſtquam me aſpexere ancillae aduenisse, ilico omnes ſimul
Laetae exclamant, Venit: id quod me repente aſpexerant.
Sed continuò voltum earum ſenſi immutari omnium,
Quia tam incommodè illis fors obtulerat aduentum meum.
Vna illarum interea properè praecucurrit nuntians
Me veniſſe: ego eius videndi cupidus, rectà conſequor:
Poſtquam introii, extemplo eius morbum cognoui miſer.
Nam neque, vt celari poſſet, tempus ſpatium vllum dabat:
Neque voce alia, ac res monebat, ipſa poterat conqueri.
Poſtquam aſpexi: ô facinus indignum inquam: & corripui ilico
Me inde lacrumans, incredibili re atque atroci percitus.
Mater conſequitur. iam vt limen exirem, ad genua accidit
Lacrumans miſera: miſeritum eſt. profectò hoc ſic eſt, vt puto,
OMNIBVS NOBIS vt res dant ſeſe, ita magni atque humiles ſumus.
Hanc habere orationem mecum principio inſtitit:
O mi Pamphile, abs te quamobrem haec abierit, cauſam vides.
Nam vitium eſt oblatum virgini olim, ab neſcio quo inprobo:
Nunc huc confugit, te atque alios partum vt celaret ſuum.
Sed cum orata eius reminiſcor, nequeo quin lacrumem miſer:
Quaeque fors fortuna eſt, inquit, nobis quae te hodie obtulit,
Per eam te obteſtamur ambae, ſi ius, ſi fas eſt, vti
Aduorſa eius per te tecta, tacitáque aput omnes ſient:
Si vnquam erga te animo eſſe amico ſenſiſti eam, mi Pamphile:
Sine labore hanc gratiam te, vti ſibi des pro illa nunc, rogat.
Ceterum de reducenda id facias, quod in rem ſit tuam:

Parturire eam, neque grauidam eſſe ex te, ſolus conſcius.
Nam aiunt tecum póſt duobus concubuiſſe menſibus:
Tum, poſtquam ad te venit, menſis agitur hic iam ſeptimus
Quod te ſcire ipſa indicat res. nunc ſi potis, eſt Pamphile,
Maximè volo, dóque operam, vt clam eueniat partus patrem,
Atque adeò omnis. ſet ſi fieri id non poteſt, quin ſentiant,
Dicam abortum eſſe: ſcio nemini aliter ſuſpectum fore,
Quin, quod veriſimile eſt, ex te rectè eum natum putent.
Continuo exponetur: hic tibi nihil eſt quidquam incommodi.
Et illi miſerae indignè factam iniuriam contexeris.
Pollicitus ſum, & ſeruare in eo certumſt, quod dixi, fidem.
Nam de reducenda, id verò neutiquam honeſtum eſſe arbitror:
Nec faciam: etſi amor me grauiter, conſuetudóque eius tenet.
Lacrumo, quae poſthac futuraſt vita, cum in mentem venit,
Solitudóque. O fortuna, vt numquam perpetuo es bona!
Set iam prior me amor ad hanc rem exercitatum reddidit.
Quem ego tum conſilio miſſum feci, idem nunc huic operam dabo.
Adeſt Parmeno cum pueris: hunc minimeſt opus
In hac re adeſſe: nam olim ſoli credidi,
Ea me abſtinuiſſe in principio, cum data eſt:
Vereor, ſi clamorem eius hic crebrò audiat,
Ne parturire intellegat: aliquò mihi eſt
Hinc allegandus, dum parit Philumena.

NEQVEO MEARVM RERVM INITIVM VLLVM INVENIRE IDONEVM. In hac ſcena conqueſtio eſt ad deliberationem deſcendens, an habeat Pamphilus, an excludat vxorem: in qua tota oratio Pamphili ad argumentum ſpectans, amatoria magis. quàm maritalis eſt. nam aliter non perueniretur ad vltimam cognitionem omnium rerum: niſi adoleſcens furtiuum conceptum vxoris, & partum, aliquanto lenius, quàm coniugalis dolor expetit, tolerauiſſet. NEQVEO MEARVM. Hæc eſt Homerica illa *διαπόρησις: τί πρῶτον, τί ἔπειτα, τί δ' ὑστάτιον καταλέξω.* NEQVEO MEARVM RERVM INITIVM. Hoc principium magna *διαπορήσει* onciatur: vt oſtendātur ærumnæ & multæ & graues. IDONEVM. Aptum, conueniens. VNDE. A quo.

PARTIM QVAE PERSPEXI HIS OCVLIS. *His*, quaſi miſeris, vult intelligi, quibus perſpexi, vel audiui mala. An ſic dictum eſt, vt apud Virgilium, *Vocemque his auribus hauſi?*

QVA ME PROPTER EXANIMATVM. Inter *exanimatum* & *exanimum* hoc intereſt: *Exanimatus*, eſt conterritus. conturbatus. Vt, *Sed quidnam Pamphilum exanimatum video?* Et Virgilius, *Exanimata ſequens impingeret agmina muris.* *Exanimus* vero, eſt occiſus. Virgilius. *Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Acoetes Seruabat ſenior.*

ME INTRO VT CORRIPVI. Raptim ingreſſus ſum. TIMIDVS. Pro timens, nomen loco participij. MORBO ME VISVRVM AFFECTAM. Quia & hic morbus eſt.

HEI MIHI. Interiectio dolentis eſt. Virgilius, *Eloquar, an ſileam?* Et dicitur hæc figura *ἐπιφωνή*. HEI MIHI. Mire interpoſuit *σχετλιασμόν*.

ID QVOD ME REPENTE. Deeſt *propter*, vt ſit, Propter id: ac per hoc, ideo. ID QVOD ME REPENTE ASPEXERANT. Cauſa cur lætæ exclamauerint. *Id* ergo, ob id.

SED CONTINVO VOLTVM EARVM SENSI IMMVTARI OMNIVM. Mire Pamphilus etiam ancillarum metu impellitur, vt alienum naſci puerum ſuſpicetur: nec vllo modo in memoriam redeat, hanc ſe puellam, vel huiuſmodi vitiaſſe. VOLTVM EARVM. Quæ viderint.

FORS OBTVLERAT. *Offerri* dicuntur tam bona quàm mala, ſi inſperata obiiciantur aſpectibus. OBTVLERAT. *Oblatum* dicitur in vtramque partem, quidquid expectationem præuenit.

EGO EIVS VIDENDI CVPIDVS. Non erit plena vis repentini doloris, ſi aliquid præſentiens ſuſpicatur. & ideo addidit, Ego eius videndæ cupidus.

RECTA CONSEQVOR. Abſolute, & ſine adiectione. non enim addidit *via*.

EXTEMPLO EIVS MORBVM. *Morbum* mitiore animo. quàm *vitium* dixit, aut probrum. Et recte: quia dixit, *Alio me ſuſpicans morbo viſurum affectam, ac ſenſi, eſſe vxorem.*

SPATIVM. Moram. AC RES MONEBAT. Partus.

O FACINVS INDIGNVM. *Facinus indignum*, non ad illam, hoc eſt Philumenam, ſed ad authorem vitij refertur.

ET CORRIPVI ILICO. Ardens ſcilicet dolore. & eſt cauſa cur cito exierit. LACRVMANS. Non furens, ſed *lacrumans*. non iratus, ſed *miſertus*. ATQVE ATROCI. Id eſt vehementi.

MATER CONSEQVITVR: IAM VT LIMEN EXIREM. Oſtendit affectum miſericordiæ ſuæ, *matrem* potius dicendo, quàm *Myrrhinam*, & addendo *Miſeram*. AD GENVA ACCIDIT. *Accidere*, eſt geſtu corporis oſtendere humilitatem cadentis: propter *ad* quod eſt iuxta, & *cadere*. Salluſtius autem ſine præpoſitione dixit, *Quo accidam, aut quò?* LACRVMANS MISERA: Miſerabiliter ſe habens.

MISERITVM EST. Vt recte ſuprà dictum ſit de illo, *Pium & pudicum ingenium narras Pamphili.* MISERITVM EST. Hoc ipſe ſibi.

OMNIBVS NOBIS VT RES DANT SESE, ITA MAGNI ATQVE HVMILES SVMVS. Mire dixit, *Dant ſeſe*. Homerus.

> Τοῖος γὰρ νόος ἐςὶν ἐπιχθονίων ἀνθρώπων,
> Οἷον ἐπ' ἦμαρ ἄγησι πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε.

Sed hic *ſeſe* illo & validius dixit, & eſt hæc καθολικὴ ſententia. Apollodorus. ὅτι ἕκαςος διὰ τὰ πράγματα σιμὸς ἦν ἢ ταπεινός.

O MI PAMPHILE, ABS TE QVAMOBREM HAEC ABIERIT. A nomine & blandimento, mire: quia ſecreta confitetur. vt Virgilius, *Anna fatebor enim miſeri poſt fata Sichæi.* A principio idem elaborauit, vt aduerſus pudorem conſcientia & voce & confeſſione duraret. O MI PAMPHILE, ABS TE QVAMOBREM HAEC ABIERIT. Venialis ſtatus, in quo confeſſio eſt & precatio. ABS TE QVAMOBREM. Morale blandimentum ante confeſſionem.

NAM VITIVM. Eſt confeſſio. NAM VITIVM EST OBLATVM. Cœpit à cauſa. OBLATVM. Ad repentina pertinere ſuperius annotauimus. & *Oblatum*. Quaſi non expectanti & nolenti. VIRGINI. Quaſi quæ falli poſſet. OLIM. Recte *Olim*: quia facilis venia circa vetera iam delicta. vnde tentat temporis longinquitate extenuare peccatum. *Olim* ergo, ante menſes nouem.

AB NESCIO QVO IMPROBO. Mire contempſit perſonam, dicendo, *Neſcio quo?* id eſt: neſcio quem dixit: vt oſtendat ignobilem, ita abiectum. nam ſi nomen illi eſt, habet & dignitatem: vt, ——— *& nos aliquod nomenque decuſque Geſſimus.* Et ne placere videatur is qui fecit, *Improbum* dixit.

SED QVVM ORATA EIVS. Bona παρένθεσις. NEQVEO QVIN LACRVMEM MISER. Videtur quaſi diſtillantes fletus detergere. NEQVEO. Deeſt *continere*.

QVAEQVE FORSFORTVNA. Precatio. FORSFORTVNA. ὑφὲν. Id eſt ſubita fortuna. Et *fortuna*, in incerto: *Forsfortuna*, in bono ponitur. Virgilius, *Si qua in se fortuna fuiſſet*. Et ipſe, *O forsfortuna*.

PER EAM TE OBTESTAMVR. Oratorie inducuntur & pro tacentibus preces. PER EAM TE OBTESTAMVR AMBAE. *Obteſtatio*, eſt precatio cum mentione earum rerum per

quas

quas petimus vt, ——*per euerſa genitor fumantis Troiæ Excidia obteſtor.* SI TVS, SI FAS EST. Vtrum hoc inuidioſe: an quaſi fœmina, quæ leges neſciat?

VTI ADVERSA EIVS. Mire non Crimen: ſed *Aduerſa*. PER TE TECTA, TACITAQVE. *Tecta*, ſi reducis: *Tacita*, ſi repudias ſub alia excuſatione. An idem ſignificant? an potius, neque te, neque verbo indices? an *Tecta*, ne videantur: *Tacita*, ne dicantur? TECTA, TACITAQVE. *Tecta* ſint, ne hæc alij ſciant: *Tacita*, ne ipſe indicet.

SI VMQVAM ERGA TE. Virgilius, *Si conceſſa peto, ſi dant ea mœnia Parcæ.* Terentius in And. *Si te in germani fratris dilexi loco, Siue hæc te ſolum ſemper fecit maximi.* SI VMQVAM ERGA TE. Ab anteacta vita. VTI SIET DES PRO ILLA. Subauditur, gratia.

CETERVM DE REDVCENDA. Tentat etiam hoc perſuadere, ſed oratorie & verecunde. Et mire, *De reducenda* dixit, non *De reſpuenda*.

QVOD IN REM SIT TVAM. Nam niſi reducatur, reddenda dos erit.

SOLVS CONSCIVS. A poſſibili. nam hoc nomine oſtendit tacere eum poſſe, quòd conſcius ſit ipſe ſolus.

NAM AIVNT. Honeſtius *Aiunt*, pro *Ait*, dixit. nam quis aut ſcire, aut dicere potuit, niſi Philumena? ergo recte. *Aiunt* enim potius honeſtum eſt, quàm *Ait*.

POST DVOBVS CONCVBVISSE EAM MENSIBVS. *Poſt duobus*, ſimpliciter accipiendum, non poſt duos. eſt enim ἀντιστροφὴ, pro *duobus poſt*. id eſt, non ſtatim vt nupta ſit, ſed poſtquam nupta eſt, poſt duos menſes nuptiarum: vt ſint reliqui quinque menſes. Et hinc apparet, ante duos menſes, priuſquàm eum Pamphilo concumberet, vitiatam, quatuor menſibus cum Pamphilo fuiſſe: ex quibus, duobus poſterioribus amatam eſſe: reliquis tribus peregrinatum fuiſſe Pamphilum. An *poſt duobus*, pro poſt duos? vt Plautus, *Poſt principiu denique.* &, *Poſt paulo*.

QVOD TE SCIRE IPSA INDICAT RES. Quia contriſtatus corripuiſti te foras.

PARTVS EVENIAT. Philumenæ ſcilicet.

ABORTVM ESSE. Non eſt Latinum *Aborſa eſt*: ſed, *Abortum fecit*. *Abortum eſſe*: deeſt *natum*, vel *factum*, vel abſolutè. quomodo dicimus, *è re nata*: vel quemadmodum dicimus *ex te mihi orta eſt iniuria*. DICAM ABORTVM ESSE. Rationabiliter dixit. fit enim abortus menſe ſeptimo ſine pernicie fœminæ.

SVSPECTVM FORE. Suſpicabilem, ſuſpicioſum.

EX TE RECTE EVM NATVM PVTENT. Non e dixit *Natum abortum*: quaſi abortus naſcatur. *Natum* ergo pro facto, conceptóque dixit.

EXPONETVR. Ad mortem ſcilicet.

HIC TIBI NIHIL EST QVIDQVAM INCOMMODI. Quum alienus exponitur, & non tollitur pro tuo. Et mire necandi pueri non fit mentio: quia Pamphili filius inuenietur, quum ei etiam per patrem puellæ poeta ſuccurrit. HIC TIBI NIHIL EST QVIDQVAM INCOMMODI. Ab vtili. & eſt παρέλκον quartum: vt, *Nihil vidi quidquam lætius*.

ET ILLI MISERAE INDIGNE. Vt non ſit ἀνακόλουθον, ſuperiori verſui, τὸ *Et* addendum eſt. vt ſit, *Et tibi nihil eſt quicquam incommodi* ET ILLI MISERAE. Concluſio per enumerationem. Et non læderis, inquit, & proderis miſeræ.

FACTAM INIVRIAM. Mire *Iniuriam* dixit: vt non contemnenda ſit, ſed tollenda.

POLLICITVS SVM. Plus quàm promiſi. QVOD DIXI. Quod promiſi.

ID VERO NEVTIQVAM HONESTVM ESSE ARBITROR. *Neutiquam* non eſt omnino negatiuum, ſed aliquid aſſenſionis habet. eſt enim *Neutiquam*, non nimis, non valde.

NEC FACIAM. Bene addidit, *Nec faciam*. multa enim etiam inhoneſta amore ſuſcipimus.

ETSI AMOR ME GRAVITER, CONSVETVDOQVE TENET. Hoc cum gemitu. *etſi* non eſt complexiuum, neque præpoſitiuum, ſed ſubiunctiuum, id eſt pro tametſi. AMOR ME GRAVITER, CONSVETVDOQVE. Quæ duæ res contra honeſtum & vtile validiſſimæ. Et bene *tenet*, non, tenuit.

LACRVMO, QVAE POSTHAC FVTVRA EST VITA. Bene propenſior in affectum eſt, vt veriſimile fiat potuiſſe reticere. Et *Lacrumo* non pendet à ſuperiori: ſed interpoſitis diu fletibus dixit. LACRVMO, QVAE POSTHAC. *Quæ*, modo vim pronominis non tenet.

ſed querelæ. Et *Lacrumo*, ſic dixit vt Virgilius, *Sic affata, ſinum lacrumis implebat obortis.* Et eſt ordo, *Lacrumo, cum in mentem venit.*

O FORTVNA. Hic *fortunam* pro bona poſuit.

VT NVNQVAM PERPETVO ES BONA. Legitur & *data.* nam & ſic pro bona intelligitur neceſſariò.

IDEM NVNC OPERAM HVIC DABO. Si *idem*, ego. ſi *eidem*: hoc eſt amori. OPERAM DABO. Difficultatem rei oſtendit, dicendo, *operam dabo.*

ADEST PARMENO CVM PVERIS. Quia idem Parmeno eſt ſecretorum conſcius. addidit, *Cum pueris.*

MINIME EST OPVS. Id eſt, omnino non eſt opus.

ALIQVO MIHI EST HINC ABLEGANDVS, DVM PARIT PHILVMENA. In tota comœdia non ceſſabit, cum ſit piger; nec reſciſcet aliquid, cum ſit curioſus Parmeno. DVM PARIT PHILVMENA. *Dum* aliàs dummodo, aliàs donec: nunc, quamdiu.

ACTVS TERTII SCENA IIII.

PARMENO. SOSIA. PAMPHILVS.

AIN' tu tibi hoc incommodum euenisse iter?
SO. non hercle verbis Parmeno dici poteſt
Tantum, quàm re ipſa nauigare incommodumſt.
PAR. Itáne eſt? SO. ô fortunate, neſcis quid mali
Praeterieris, qui numquam es ingreſſus mare.
Nam alias vt mittam miſerias, vnam hanc vide:
Dies triginta, aut plus eò, in naui fui,
Cum interea ſemper mortem expectabam miſer:
Ita vſque aduorſa tempeſtate vſi ſumus.
PAR. Odioſum. SO. haut clam me eſt: denique hercle aufugerim
Potius, quàm redeam, ſi eò mihi redeundum ſiet.
PAR. Olim quidem te cauſæ impellebant leues,
Quod nunc minitare facere, vt faceres Soſia.
Set Pamphilum ipſum video ſtare ante oſtium:
Ite intrò: ego hunc adibo, ſiquid me velit.
Ere etiam tu nunc hîc ſtas? PAM. & quidem te expecto.
PAR. quid eſt?
PAM. In arcem tranſcurſo opus eſt. PAR. cui homini?
PAM. tibi.
PAR. In arcem? quid eò? PAM. Callidemidem hoſpitem
Myconium, qui mecum vnà aduectuſt, cónueni.
PAR. Perij: vouiſſe hunc dicam, ſi ſaluos domum
Rediſſet vnquam, vt me ambulando rumperet?
PAM. Quid ceſſas? PAR. quid vis dicam? an conueniam modò?

PAM. Immò, quòd conſtitui me hodie conuenturum eum,
Non poſſe: ne me fruſtra illic expectet. vola.
PAR. At non noui hominis faciem. PAM. at faciam vt noueris:
Magnus, rubicundus, criſpus, craſſus, caeſius,
Cadaueroſa facie. PAR. dij illum perduint.
Quid, ſi non veniet? maneámne vſque ad veſperum?
PAM. Maneto: curre. PAR. non queo: ita defeſſus ſum.
PAM. Ille abiit: quid agam infelix? prorſus neſcio
Quo pacto hoc celem, quod me orauit Myrrhina,
Suae gnatae partum. nam me miſeret mulieris.
Quod potero, faciam: tamen vt pietatem colam:
Nam me parenti potius, quàm amori obſequi
Oportet. attat eccum Phidippum, & patrem
Video: horſum pergunt: quid dicam hiſce, incertus ſum.

AIN TV TIBI HOC INCOMMODVM EVENISSE ITER. Alia ratio eſt, currentis ad argumenta: alia actuum Comicorum. ſed perfecti poetæ eſt ita ſeruire argumento, vt tamen ſpectator nouis delectationibus teneatur. Nam in hac ſcena, donec perueniat ad Pamphilum Parmeno, hoc *ἔργυμα* inducitur, cum hoc oſtenditur quid mali ſit nauigatio. AIN' TV. Pro *aiſne tu?* Et ſic iam aliquid dixiſſe magni in præcedenti oratione ex reſpondentis ſermone demonſtratur. AIN' TV. In ſcena naſcitur oratio, aut in ſcenam defertur.

TANTVM, QVAM RE IPSA NAVIGARE INCOMMODVM EST. ἀνακόλουθον quartum. non enim intulit quantum. Vt Virgilius.

Sed quanto ille magis formas ſe vertet in omnes:
Tanto nate magis contende tenacia vincla.

O FORTVNATE, NESCIS QVID MALI PRAETERIERIS. Bene maiori affectu, dicens *O fortunate*, quàm ſi reſponderet, *Ita*.

QVI NVMQVAM ES INGRESSVS MARE. Proprie dixit, *Ingreſſus*. nam qui iam nauigauit, *egreſſus* dicitur. ſic Virgilius. *Egreſſi optata potiuntur Troes arena*.

NAM ALIAS, VT MITTAM MISERIAS. παρέλλειψις oratoria. Et *Miſerias*: nauigationes ſcilicet.

DIES TRIGINTA. Accuſatiuus caſus plenum numerum & continuationem rei ſignificat. DIES TRIGINTA, AVT PLVS EO IN NAVI FVI. Hoc exitioſum vel ſine periculo videri poteſt. Sed vide quid addat, *Aut plus eo in naui*. Abſolute *eo*, vt alibi, *Annos ſex.ginta natus es, aut plus eo, vt conijcio.*

SEMPER MORTEM EXPECTABAM MISER. Dura eſt expectatio mali. Virgilius, *Incluſi pœnam expectant*. SEMPER MORTEM EXPECTABAM. Id eſt horis omnibus, cum continuatione triginta dierum.

ITA VSQVE. *Vſque*, vel diu, vel valde.

ODIOSVM. Eſſe ſcilicet in mari triginta dies. Et nomen pro aduerbio poſuit: *Odioſum* prò odioſe.

HAVT CLAM ME EST. λιτότης, pro Ego maxime intelligo, quàm odioſum ſit. Nam qui iungunt, & ſic legunt: errant, & non intelligunt.

AVFVGERIM. Coniunctiuum modum poſuit pro indicatiuo futuro: vel, vt alij dicunt promiſſiuo. AVFVGERIM. Sic veteres, quod nos *Fugerim*.

OLIM QVIDEM TE CAVSAE IMPELLEBANT LEVES. Mite in ſeruum

fugitiuum, qui ob vitium huiuſmodi, non ob cauſam fugiat. Et bene *Leues* dixit. hæc enim non eſt leuis.

QVOD NVNC MINITARE FACERE. Vt ſit ordo, Olim quidem te cauſæ impellebant leues Soſia, vt faceres quod nunc minitaris facere hac occaſione. Artificioſe. & in Andria ſic ait recuſanti periurium ſeruo Myſis, *Noua nunc religio in te inceſsit?* FACERE. Vt faceres. Comicum eſt & Terentianum.

SET PAMPHILVM IPSVM VIDEO. Ipſum à quo miſſus ſum. vel dominum, vt Græci dicunt αὐτὸν.

EGO HVNC ADIBO. Vel noua curioſitate ait Parmeno.

ET QVIDEM TE EXPECTO. Bene excepit Pamphilus Parmenonem, vt videatur vera dicturus. EQVIDEM TE EXPECTO. Apparet Pamphilum Parmenonis abſentiam deſiderare: eo quòd nunc prior Parmenonem alloquitur.

IN ARCEM TRANSCVRSO OPVS EST. Oſtendit quàm longe ſit, cum *In arcem* dicat. Et bene *In arcem*, quam Minerua condidit. IN ARCEM. Pronuntia, vt oſtendat quàm longe ſit in arcem tranſcurrere. TRANSCVRSO. Pro tranſcurrere.

CVI HOMINI. Hæc verba cum ſua pronuntiatione vim recuſationis in ſe continent. CVI HOMINI. Cum recuſatione pronuntiandum. & eſt pigri reſponſio, laborem ad alium transferentis.

QVI MECVM VNA ADVECTVS EST. Apparet eum cum eo aliquid negotij habere, cum dicit, *Qui mecum vnà eſt aduectus.*

VOVISSE HVNC DICAM, SI SALVOS DOMVM REDISSET VNQVAM. Facete dixit. More enim hoc fit eorum, qui longis itineribus maris periclitati, vouent aliquid ſi peruenerint. Et conuenit hoc Pamphilo: quem ſuprà male nauigaſſe audierat.

QVID VIS DICAM, AN CONVENIAM MODO. Non enim mandauerat quicquam, qui ſine cauſa mittebat, oblitus bene diſſimulare: vt qui mentiuntur. Et ſic pronuntiandum. *An conueniam modo*: vt reprehendere dominum Parmeno videatur. AN CONVENIAM MODO. εἰρωνικῶς dixit. Nam non hoc interrogantis ſimpliciter.

IMO QVOD CONSTITVI ME HODIE. Deeſt, *nuntia*: vt ſit imo nuncia & ſumitur à ſuperiori ſententia, qua dixit, *Quid vis dicam?* IMO QVOD CONSTITVI ME HODIE. Apparet eum hanc conquiſitam, & vix corraſam inueniſſe cauſam.

VOLA. ἠθικῇ ὑπερβολῇ vſu eſt. ita curras vt volare magis, quàm currere videaris. Et antea tranſcurrere iuſſerat: nunc adiecit imperio. Nam non *Curre*, ſed *Vola*.

AT NON NOVI HOMINIS FACIEM. Moralis expreſſio pigritiæ in tot excuſationibus poſita eſt.

AT FACIAM VT NOVERIS. Stomachoſe pronuntiandum *at*. quod & Pamphilus repetit dicens, *At faciam vt noueris.*

MAGNVS, RVBICVNDVS, CRISPVS, CAESIVS, CRASSVS. Properatio, συναθροισμὸς. Et aceruo ſine cõiunctiuo eſt vſus. MAGNVS, RVBICVNDVS. Imperite Terentium de Myconio criſpũ dixiſſe aiunt: cum Apollodorus caluum dixerit: quod proprium Myconis eſt. vt Lucilius, *Myconi calua omnis iuuentus*. Vnde etiã prouerbiũ Græcum, μυκώνιος φαλακρὸς. Sed ego Terentium puto ſcientem facetius Myconium criſpum dixiſſe. CAESIVS. Glaucis oculis, quaſi felis oculos habens & glaucos.

CADAVEROSA FACIE. Subliuida, ac perſonata tubore & liuore. Rubicundi enim & craſſiorem faciem ſæpe habent: quod eſt proprium cadaueris. Poteſt & pulpoſa intelligi & craſſa, quaſi cadauerosa. *Caro* enim dicta eſt, eo quòd careat anima. Et *caro* propriè dicitur mortuorum. Virgilius. *Et corpora luce carentum.* Vnde *carnifices* dicti, quòd carnes ex homine faciant. *Pulpa* verò, propriè ea quæ manducatur, eo quòd pulſetur & conſcindatur. Poteſt & r pro d poni: vt *caro* ſit dicta quaſi *cado*. vt Virgilius.

——— *Belloque caduci Dardanidæ.*

Quòd iam ſcilicet ſine anima ſit & cadat.

DII ILLVM PERDVINT. More pigrorum male optat ei propter quem mittitur.

QVID SI NON VENIET. Omnia dicit, ne eat.

MANETO CVRRE. Etiam Pamphilus tanquam de induſtria perſeuerat.

Non qveo: ita defessvs svm. Hoc in geſtu, & ſpectaculo plus eſt: nam inceſſus & author exprimit laſſitudinem.

Ille abiit. Quaſi dicat, licet iam loqui. Ille abiit. Quaſi cum difficultate completam rem oſtendit hoc dicto.

Svae onatae partvm. ἰσχύγησις Qvpo potero, faciam. Id eſt celabo quantum potero. an quaſi proiiciens curas, & feſſus angore dixit, *Quod potero, faciam*: id eſt ſi non potero, cedam amori: & rurſus tanquam pietatis admonitus, adiecit exceptionem, *Tamen vt pietatem colam.* Seruat enim in illo amorem poeta: cuius non pœnitebit, recognita, & errore ſublato. Qvod potero, faciam. Id eſt amori obſequar. nam miſericordia mulieris de amore deſcendit. Qvod potero, faciam. Apparet hoc dictum, defectus eſſe, non virtutis.

Tamen vt pietatem colam. Recordatus eſt læſam matrem eſſe ab vxore: hoc enim credit: & ideo ſe ad exceptionem reuocauit; Ita ſe amori cedere oportere, vt non obliuiſcatur omnino pietatis. Et beoe in eam cauſam contulir neceſſitatem nou reducendæ vxoris, quæ inuenietur nulla eſſe. Sunt tamen quæ manente eadem ſententia, totum hoc iungunt *Quod potero, faciam: tamen vt pietatem colam:* hoc eſt, in quantum potero, dabo operam aduerſus amorem, vt omiſſo eo, pietatem colam. Et ſubiungitur cauſa.

Tamen vt pietatem colam. Deeſt *ita*: vt ſit *tamen* pro duntaxat. vt ſit, Ita vt pietatem colam. Dixerat enim, *Quod potero*: & ideo addidit exceptionem, *Tamen vt pietatem colam*: id eſt non ſum oblitus & matris. Tamen. Pro ita tamen.

Nam me parenti potivs, qvam amori. *Amori*, ſcilicet vxoris. quia dixit, *Quod potero, faciam.* & hoc eſt quod dixerat, *Quod potero, faciam.*

Attat. Interiectio eſt conterriti & conturbati.

Horsvm pergvnt. Modò *pergunt*, pro eunt. aliàs perſeuerant.

Actvs tertii scena V.

Laches. Phidippvs. Pamphilvs.

DIXTIN dudum illam dixiſſe ſe expectare filium?
PH. Factum. LA. veniſſe aiunt: redeat. PAM. quam cauſam dicam patri,
Quamobrem non reducam, neſcio. LA. quem ego hic audiui loqui?
PAM. Certum obfirmare eſt viam me, quam decreui perſequi.
LA. Ipſus eſt, de quo hoc agebam tecum. PAM. ſalue mi pater.
LA. Gnate mi ſalue. PH. bene factum te adueniſſe Pamphile
Atque adeò, quod maximumſt, ſaluum atque validum.
PAM. creditur.
LA. Aduenis modo? PAM. admodum. LA. cedò, quid reliquit Phania
Conſobrinus noſter? PAM. ſanè hercle homo voluptati obſequens
Fuit, dum vixit: & qui ſic ſunt, haut multum hæredem iuuant.
Sibi verò hanc laudem relinquunt: Vixit, dum vixit, bene.
LA. Tum tu igitur nihil adtuliſti huc plus vna ſententia?

PAM. Quidquid eſt id, quod reliquit, profuit. LA. immò obfuit:
Nam illum viuum, & ſaluum vellem. PH. Impune optare iſtuc licet:
Ille reuiuiſcet iam numquam: & tamen vtrum malis, ſcio.
LA. Heri Philumenam ad ſe accerſi hic iuſsit: dic iuſsiſſe te.
PH. Noli fodere: iuſsi. LA. ſet eam iam remittet. PH. ſcilicet.
PAM. Omnem rem ſcio, vt ſit geſta: aduenіens audiui omnia.
LA. At iſtos inuidos di perdant, qui haec libenter nuntiant.
PAM. Ego me ſcio cauiſſe, ne vlla meritò contumelia
Fieri à vobis poſſet: idque ſi nunc memorare hic velim,
Quàm fideli animo, & benigno in illam, & clementi fui,
Verè poſſum: ni te ex ipſa haec magis velim reſciſcere.
Namque eo pacto maxume aput te meo erit ingenio fides,
Cum illa, quae nuncin me iniqua eſt, aequa de me dixerit:
Neque mea culpa hoc diſcidium eueniſſe, id teſtor deos.
Set quando ſeſe indignam deputat matri meae,
Cui concedat, cuiúſque mores toleret ſua modeſtia:
Neque alio pacto componi poteſt inter eas gratia:
Segreganda aut mater à me eſt Phidippe, aut Philumena.
Nunc me pietas matris potius commodum ſuadet ſequi.
LA. Pamphile, haut inuito ad aures ſermo mihi acceſsit tuus,
Quum te poſtputaſſe omnes res prae parente intellego.
Verum vide, ne inpulſus ira prauè inſiſtas Pamphile.
PAM. Quibus iris inpulſus nunc in illam iniquos ſiem?
Quae numquam quidquam erga me commeritaſt pater,
Quod nollem: & ſaepe, quod vellem, meritam ſcio.
Amóque & laudo, & vehementer deſidero.
Nam fuiſſe erga me miro ingenio, expertus ſum:
Illique exopto, vt relliquam vitam exigat
Cum eo viro, me qui ſit fortunatior:
Quandoquidem illam à me diſtrahit neceſsitas.
PH. Tibi id in manu eſt, ne fiat. LA. ſi ſanus ſies,
Iube illam redire. PAM. non eſt conſilium pater:
Matris ſeruibo commodis. LA. quò abis? mane,
Mane inquam: quò abis? PH. quae haec eſt pertinacia?
LA. Dixíne Phidippe hanc rem aegrè laturum eſſe eum?
Quamobrem te orabam, vt filiam remitteres.
PH. Non credidi aedepol adeò inhumanum fore:

Ita nunc is ſibi me ſupplicaturum putat?
Si eſt, vt velit reducere vxorem, licet:
Sin alio eſt animo, renumeret dotem huc, eat.
LA. Ecce autem tu quoque proterue iracundus es.
PH. Percontumax rediſti huc nobis Pamphile.
LA. Decedet iam ira haec, etſi meritò iratus eſt.
PH. Quia paululum vobis acceſsit pecuniae,
Sublati animi ſunt. LA. etiam mecum litigas?
PH. Deliberet, renuntiétque hodie mihi,
Velítne, an non: vt alij, ſi huic non ſit, ſiet.
LA. Phidippe ades, audi paucis. abijt: quid mea?
Poſtremò inter ſe tranſigant ipſi, vt lubet:
Quando nec gnatus, neque hic mihi quidquam obtemperant:
Quae dico, paruipendunt. porto hoc iurgium
Ad vxorem: cuius haec fiunt conſilio omnia:
Atque in eam hoc omne, quod mihi aegreſt, euomam.

DIXTIN DVDVM DIXISSE ILLAM SE EXPECTARE. Facetè. principium eſt interrogantis ita, vt ſciat quid ſibi reſponſurus ſit quem interrogat. Illaturus eſt enim argumentum per ἐπαγωγήν. DIXTIN DVDVM. Quia dixerat, *Sanctè adiurat non poſſe Pamphilo ſe abſente perdurare.* DIXTIN DVDVM. Captioſa interrogatione cœpit, dicturus, *Veniſſe aiunt, redeat.*

FACTVM. Id eſt Dixiſſe illam, aut me. Et deeſt *eſt*: vt ſit, *Factum eſt.*

QVAMOBREM NON REDVCAM, NESCIO. Habet cauſam: ſed non vult veram dicere, & præterea non vult eum inuidia matris ſuæ loqui: ſi in illam conferat, vt vxorem non reducat domum.

QVEM EGO HIC AVDIVI LOQVI. Vt ſolet, primo perſonas inducit ſecum loquentes: deinde ipſas conuenire inuicem: vt alibi, *Quis hic loquitur? Myſis ſalue.*

CERTVM OBFIRMARE EST VIAM ME. Aduerſus omnia obſtinate agere, id eſt contra omnes. OBFIRMARE EST VIAM ME QVAM DECREVI PERSEQVI. Id eſt vt matri potius, quàm amori, morem gerat.

ATQVE ADEO, QVOD MAXIMVM EST, SALVVM ATQVE VALIDVM. Ordo eſt, primùm *Aduenisse*, deinde *Saluum*, poſtremo *Validum*. SALVVM ATQVE VALIDVM αὔξησις ad ſalutem. *Validus* namque, robuſtus & habitior corpore. QVOD MAXIMVM EST. Legitur & *quod maximè eſt.*

CREDITVR. Minus blande reſpondet, de repudio locuturus.

ADVENIS MODO. Difficile inuenitur præſentis temporis *modo*, Atque vt oſtendat eſſe momentum etiam præſentis temporis dixit: *admodum*: quod eſt minus. ADVENIS MODO. Virgilius.

——— *vigilâſne deum gens Aenea? vigila.*

ADMODVM. Excuſatio cur adhuc non viderit patrem.

CEDO, QVID RELIQVIT PHANIA CONSOBRINVS NOSTER. Verum iactanter Laches de hæreditate loquitur præſente ſocero, vt illum cupidiorem faciat ad reuocandam filiam & fit ſæpe hoc, vt ex alio principio peruenire quæramus ad ea quæ volumus dicere Ad ideo, vt ſe iactet ſciat vt rem, & diuitias ſuas: cupidiorem ſocerum redditurus? CONSOBRINVS NOSTER. Quaſi ſororinus. *Sobrini*, ſunt ex duabus ſororibus. *Conſobrini*, ex

tre & ſorore. Et propinquitate Terentius frequentata monetur, vt hæredum. CONSOBRINVS NOSTER. Quum de fratre natus eſt alter, & alter ex ſorore, *Conſobrini*: quum ex fratribus, *Patrueles* dicuntur.

SANE HERCLE HOMO VOLVPTATI OBSEQVENS FVIT. *Sanè*, ſatis, validè. nam qui ſanus, & validus eſt. VOLVPTATI OBSEQVENS FVIT. Contrà facit Pamphilus: diſiungi enim volens, nihil dicit, vel parum relictum.

HAVT MVLTVM HAEREDEM IVVANT. Parum conſulunt hæredi.

SIBI VERO HANC LAVDEM RELIQVVNT: VIXIT, DVM VIXIT, BENE. Bene & facete, nihil hæredi relinquunt, ſibi verò relinquunt. VIXIT, DVM VIXIT, BENE. πλοκὴ, vnum *vixit* aliud ſignificat: & alterum *Vixit*, aliud. VIXIT, DVM VIXIT, BENE. Sententia eſt hortantis ad delicate viuendum. VIXIT, DVM VIXIT, BENE. Hoc enim ſcilicet reliquit.

VNA SENTENTIA. Expreſſit animum auari ſenis.

QVIDQVID EST ID QVOD RELIQVIT, PROFVIT. *Quidquid*, & ad paruitatem refertur. vt, *At enim id mihi ſatis eſt, quod eſt de me opinionis: quidquid eſt*. QVIDQVID EST ID QVOD RELIQVIT. Nullum in hoc ſene fuit doloris officium antè, quàm ſciret aliquid relictum.

PROFVIT. Id eſt pro nobis fuit: ac per hoc noſtrum eſt. poteſt enim ipſe profuiſſe poteſt res eius.

IMO OBFVIT. Morem eorum expreſſit, quibus relinquitur: qui quum audierint ſibi aliquid eſſe relictum, tunc triſtes ſe fingunt.

NAM ILLVM VIVVM, ET SALVVM VELLEM. Non idem *Viuum*, quod *Saluum*.

INPVNE OPTARE ISTVC LICET. Bene *Inpune*: quia hæredi pœna eſt, mortuos reuiuiſcere. An ſine detrimento optas? vt quum medicus dicit de iam mortuo, *Ego ſi illum curarem, viueret*. INPVNE OPTARE. Si optata euenirent, numquam, inquit, optares vt ille reuiuiſceret.

ILLE REVIVISCET IAM NVMQVAM. Mire poeta his verbis Phidippum quoque ſubinnuere indicat. Plus eſt *Numquam*, quàm *Non*.

ET TAMEN VTRVM MALIS, SCIO. Mortuum illum magis, quàm vt reuiuiſcat denuo. ET TAMEN VTRVM MALIS, SCIO. Quid malis de duobus, ſcio: vtrum illum mortuum permanere, an reuiuiſcere.

HERI PHILVMENAM. Hoc erat quò omnis tendebat oratio.

AD SE ACCERSI HIC IVSSIT. Bene & *Accerſi* & *Iuſſit*: vt nihil vxor ſua ſponte fecerit. HERI PHILVMENAM AD SE ACCERSI HIC IVSSIT. Et *Heri* & *Iuſſit*, bene: vt breue tempus ſit: & coacta videatur exiſſe. Et non *Adduci*, ſed *Accerſi*: nec *A nobis*, ſed *Ad ſe*.

OMNEM REM SCIO VT SIT GESTA. Virgilius. *Troianas vt opes & lamentabile regnum &c.*

AT ISTOS INVIDOS DI PERDANT. Bene Inuidos, qui matrimonio inuideant. ergo reuocanda vxor eſt: & adeò non puduit mendacij honeſte deprehenſum ſenem, vt inuidos faceret qui vera prodiderant.

EGO ME SCIO CAVISSE. Principium à tempore, à dictis, factiſque, tam ſuis quàm aduerſariorum: & ab anteacta vita & præſenti. EGO SCIO ME CAVISSE, NE VLLA MERITO CONTVMELIA. Mire addidit *Merito*. non enim *Cauere* inquit, ne fieret ea potui. Igitur ne merito fieret, quod in me fuit.

IDQVE SI NVNC. Ab anteacta vita.

ET CLEMENTE FVI. Pro fuerim. indicatiuum pro coniunctiuo poſuit.

NI TE EX IPSA HAEC MAGIS VELIM RESCISCERE. παράλειψις.

NAMQVE EO PACTO MAXVME APVD TE MEO ERIT INGENIO FIDES. Bene, non Dictis, ſed *Ingenio*.

QVVM ILLA QVAE NVNC IN ME INIQVA EST, AEQVA. *Iniqua æqua*, παρωνομασίαι ſunt Terentianæ. Et bonum argumentum. Nam & Virgilius,

Ipſe hoſtis Teucros inſigni laude ferebat, inquit.

& Cicero, *Te ipſo teſte iniquo, atque improbo: verum ad hanc rem ſatis idoneo: te iniqua eſſe, dicam*. IN ME INIQVA EST, AEQVA DE ME DIXERIT. Quia aduerſarij teſtimonium,

ſtimonium

ſtimonium, ſi contra ſe dicat, tam graue eſt, quàm vel boni viri.

NEQVE MEA CVLPA HOC DISSIDIVM EVENISSE MEA. Non ergo quid fiat, verum per quos fiat, quærendum eſt. Et nimis abrupte dixit *Euenisſe*, non *Euenire*. HOC EVENISSE DISSIDIVM. Ad confirmationem, non *Euenire*, ſed *Euenisſe* dixit.

SED QVANDO SESE INDIGNAM. Hoc ſic profert, vt eam oſtendat cauſam eſſe diſſidij: & hoc ipſo tentat vtrum dotem relinquere poſſit. Et ideo ſuprà, *Neque mea culpa hoc diſſidium euenisſe, Id teſtor deos*, inquit.

DEPVTAT MATRI MEAE, CVI CONCEDAT. Fortaſſe ergo indigna eſt. & rectè *Deputat*: mihi tamen mater colenda eſt. hoc ſentit. DEPVTAT MATRI MEAE, CVI CONCEDAT, *ἐν ὑποκρίσει matri meæ*, vt idonea ſit cauſa repudij.

CVIVSQVE MORES TOLERET. Hoc melius, quàm *obſequatur*, aut *inſeruiat*. MORES TOLERET. Bene *Mores*, vt aniculæ: non enim prauitatem. vnde ſenes, *moroſi* appellantur. Horatius, *Donec virenti canities abeſt Moroſa*. MORES TOLERET SVA MODESTIA, O temperamentum! *Mores* potius quàm *Iniurias* dixit.

NEQVE ALIO PACTO COMPONI POTEST. Niſi vt concedat matri, toleretque mores eius. SEGREGANDA AVT MATER EST A ME PHIDIPPE. Bene tanquam ex deliberatione colligit quod facturus eſt. Et mollius *Segreganda*, quàm *Excludenda*.

NVNC ME PIETAS MATRIS POTIVS COMMODVM SVADET SEQVI. Quàm mollibus verbis repudium nuntiatum eſt à Pamphilo.

AD AVRES HAVD INVITO. Optime dictum, *Haut inuito*. non enim in totum volenti: quippe de diſſidio. ſed tamen quia pie locutus eſt, mediocriter approbauit. PAMPHILE, AD AVRES HAVT INVITO. Grauis oratio eſt à nomine incœpta. Virgilius, *O præſtans animi iuuenis*. Et eſt figura λιτότης. Sic Virgilius, *Poſthabui tamen illorum mea ſeriis ludo*.

HAVT INVITO SERMO MIHI ACCESSIT TVVS. Senili loquacitate: pro, *Rectè locutus es*. OMNES RES. Plus dixit, quàm ſi *Vxorem* diceret.

PRAE PARENTE INTELLEGO. Bene *Parente*: quod nomen commune & cum patre eſt, & cum omnibus quos hæc neceſſitudo coniungit. Melius ergo, quàm ſi diceret *Matrem*. VERVM VIDE NE INPVLSVS IRA PRAVE INSISTAS PAMPHILE. Leniter & ſuadenter. IRA. Non ergo iudicio. INSISTAS PAMPHILE. Non enim *Incipere*, ſed *Inſiſtere* hîc malum eſt.

QVIBVS IRIS INPVLSVS. Non dixit *Qua ira*, ne ſuperbè loqueretur: ſed *Quibus iris*: vt hoc ipſum per εἰρωνείαν derideret, quod pater dixit, *Inpulſus ira*. An iris matris, an aut meæ vxoris, & mea? an omnium irium? QVIBVS IRIS INPVLSVS. Rectè non vult iram eſſe, ne peccaſſe videatur vxor. Sic enim quaſi nec ipſa peccauerit. QVIBVS IRIS. Ille *Iram* ſingulariter dixit: hic, *Iras* pluraliter: ne videatur vnius iræ cauſa mittere vxorē.

QVAE NVMQVAM QVIDQVAM ERGA ME COMMERITA EST PATER. Aduerte, proprietatem expreſſit commerendi & merendi.

ET SAEPE, QVOD VELLEM, MERITAM SCIO. *Mereri* bona dicimus: *Commereri* mala. id eſt delinquere, peccare. Ergo hic *Meritam*, pro Præſtitiſſe dixit. Virgilius,

——ego te quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam regina negabo Promeritam.

AMOQVE, ET LAVDO. Non ſtatim qui amantur, & laudantur: nec qui laudantur, etiam continuò deſiderantur. Multa ergo dixit, *Amóque, & laudo*, & vehementer deſidero. Et vide, amoris impulſus nimius hic eſt circa vxorem: & quaſi oblitus ſuæ matris & viriatæ, loquitur: ſed tali opus eſt Pamphilo ad eiuſmodi argumentum, donec perueniat ad καταστροφήν, in qua vxorem reduci neceſſe eſt.

NAM FVISSE ERGA ME. Quantum valet quod *Fuiſſe* dixit, & non *Eſſe*: quaſi re tranſacta. ERGA ME. Hoc totum repudiaturus inaniter diceret, niſi ad exitum fabulæ poeta reſpiciens, reducturi animum in Pamphilo reſeruaret. Et nota repudiantem eam, quam laudat, pietate ſola compulſum.

VT RELIQVAM VITAM EXIGAT. Satis flebiliter dixit, *Reliquam exigat*. Virgilius. *Omnes vt tecum, meritis pro talibus, annos Exigat*. CVM EO VIRO, Non inuidere iam. non ſu eſt mariti.

QVANDOQVIDEM ILLAM A ME DISTRAHIT NECESSITAS. Omnis concluſio verborum Pamphili, repudij confirmationem continet: plus tamen ſententia ſignificante, quàm verbis. QVANDOQVIDEM ILLAM A ME DISTRAHIT NECESSITAS. Excuſatio in neceſſitate, quæ eſt inexorabilis. Et *neceſſitas*, patris ſcilicet, quam neceſſitatem domi offendit: quòd ex alio ſcilicet peperit. Sed modo vult neceſſitatem, matris videri iracundiam, quæ à nuru ita offenſa ſit.

TIBI ID IN MANV EST, NE FIAT. Hoc oppoſuit quod minime vult Pamphilus videri, & quod prodeſt ſocero.

SI SANVS SIES, IVBE ILLAM REDIRE. Pro, *Si ſanus es*, nam aliter *Iubeas* dicere debuit. SI SANVS SIES, Bene pater ſuprà *Iram* dixit: nunc *inſaniam* ſignificat ineſſe Pamphilo. SI SANVS SIES. Non ergo culpa eſt, cui vt redeat iubere poteſt.

NON EST CONSILIVM. Durius erat, *Nolo reducere*. ergo hoc lenius dixit.

MATRIS SERVIBO COMMODIS. Hoc verbo neceſſitatem, qua cogatur, oſtendit.

QVO ABIS. Factum Pamphili ex patris verbis oſtenditur, quòd diſceſſit. & bene: nam vlterius præſente patre reſiſtere durum fuit.

MANE INQVAM, QVO ABIS. Bene *Quò abis*: quia patrem deſeris & vxorem.

QVAE HAEC EST PERTINACIA? Sicut decuit ſocerum. & ſubindignatur, quia coràm ſibi ſit contumelia.

DIXIN E PHIDIPPE. Artificioſe Laches, vt minus miretur, & minus indignetur ſocer, iraſci Pamphilum dicit: quando & prædictum eſt, & ſic oportuit. DIXIN E PHIDIPPE HANC REM AEGRE LATVRVM ESSE SVM. Renouauit verba ſua eidem perſonæ. nam ita dixerat, Neque adeò me clàm eſt, quàm eſſe eum grauiter laturum credam. *Hoc ſi reſ ierit.*

QVAMOBREM TE ORABAM, VT FILIAM REMITTERES. Inuidioſe aduerſum Phidippum, tanquam in illo ſit, vnde ſe purget, & non accuſet Pamphilum.

ADEO INHVMANVM FORE. Bene, quaſi iratus, inhumanum eſſe inquit. NON CREDIDI AEDEPOL ADEO. Potuit enim dicere, Non credidi inhumanum fore: ſed acerbe addidit *Adeò*.

ITA NVNC IS SIBI ME. *Sibi & Me*. magno pondere legendum eſt vtrumque pronomen: vt, *Cantando tu illum?* Id eſt, genero ſocerum, vel Pamphilo Phidippum, vel ſiquid tale inueneris.

SVPPLICATVRVM. Parum eſt *Satisfactum*, *Supplicaturum* addidit.

SIN ALIO EST ANIMO, RENVMERET DOTEM HVC, EAT. Hoc rectè ſocer, non tam vt hic dotē recipiat, quàm vt terreat, hoc dicit. Et *Renumeret*, proprie: quia dos, pecunia eſt. Et ἰδιωτισμὸς iraſcentis eſt, & exigentis debitum. *Eat* verò mire dictum: quaſi ipſe proiiciatur, qui iubetur ire. & ſimul in hoc verbo quaſi renuntiatio caritatis eſt. RENVMERET DOTEM HVC, EAT. Terrorem repetendæ dotis oſtendit, quum dicit, *Renumeret dotem*: ſimul cum iniuria, *Huc*: & iracunde, *Eat*.

ECCE AVTEM TV QVOQVE PROTERVE IRACVNDVS ES. Addendo *Quoque*, nonnihil aſſenſus eſt: quaſi dicat, *Quo modo Pamphilus*. PROTERVE IRACVNDVS ES. *Proterue*, immoderate, & ſuperbe, dictum eſt ideo, quòd proterat alium qui proteruus eſt. Nam *Proteruus* eſt, qui dum alius obuius eſt, proterit: quod faciunt & tauri in appetitu coitus fœminarum, in quas calent.

PERCONTVMAX REDISTI. Proprie *Contumax* dicitur contemptor potiorum. PERCONTVMAX REDISTI HVC NOBIS PAMPHILE. Magnæ indignationis eſt, abſentes alloqui: vt alibi, *O Aeſchine, pol haud paternum iſtuc dediſti.* NOBIS PAMPHILE. τῷ ἀττικισμῷ. nam aut abundat, aut ſignificatu adiuuat pronuntiationem.

DECEDET IAM IRA. Quaſi in ira ſit culpa: non, *Deponetur ira*, inquit: ſed *Decedet*.

QVIA PAVLVLVM VOBIS ACCESSIT PECVNIAE. Facete: quaſi dicat, Quia habetis vnde dotem reddatis. aut, Quaſi nullam cauſam habeatis repudij, ſed ditiorem quæratis

coniunctionem. QVIA PAVLVLVM VOBIS ACCESSIT PECVNIAE, SVBLATI ANIMI SVNT. Et non, Maior eſt factus Pamphilus. ſimul maiore ſtomacho, quod eum labore celabat, aperte oſtendit. SVBLATI ANIMI. Pro *Elati*, *Sublati* dixit. Et hoc proprie ferarum eſt. vt.

> *Attollitque animos: Pœnorum qualis in aruis,*
> *Saucius ille graui venantum vulnere pectus,*
> *Tum demum mouet arma leo, &c.*

Nam beſtiæ pro animi qualitate vel erigunt corpora, vel deponunt, ait Cicero.

ETIAM MECVM LITIGAS. Belle: & illum ex inuidia iracundiorem, & hoc ad ſe dicentem, quod propter Pamphilum dicebat, effecit. ETIAM MECVM LITIGAS. Inuidioſe, quaſi iam eum Pamphilo litigauerit.

DELIBERET, RENVNTIETQVE HODIE. Ferociùs quàm ſocerum deceret: attamen mature, quòd *Deliberet* dixit.

VT ALII, SI HVIC NON SIT, FIET. Magna fiducia conditionem filiæ aſſerit: quoniam iam ſi Pamphilus nolit, paratum alterum dicit eſſe. SI HVIC NON SIT. Subauditur *vxor*. Sed dura dictu reticuit vt debebat.

PHIDIPPE ADES. Nomine appellat: quod facere ſolemus, iratos mitigare conantes.

POSTREMO INTER SE TRANSIGANT. Non enim hæc votiua ſunt, quibus intereſſe delectet.

QVANDO NEC GNATVS, NEQVE HIC. Inuidioſe *Gnatus*: &, *Non obtemperant*, & *Hic non familiariter* dictum, quaſi ab irato.

QVAE DICO, PARVIPENDVNT. Quia obtemperamus etiam tacitæ voluntati.

PORRO HOC IVRGIVM AD VXOREM: CVIVS, &c. Bene rurſus in errorem reditur: ne quæ vera ſunt, contra fabulæ propoſitum cognoſcantur. PORRO HOC IVRGIVM. *Porro*, quaſi aliquid magnum.

CVIVS FIVNT HAEC CONSILIO OMNIA. Non tranſacta obiiciuntur vxori, ſed quæ nunc aguntur. CONSILIO. Vtrum diſpoſitione: an εἰρωνεία eſt in male conſulentem.

ATQVE IN EAM HOC OMNE, QVOD MIHI AEGRE EST. Non *Quod iraſcor*, ſed *Quod mihi ægrè eſt*. dixit.

EVOMAM. Bene: quia ægritudinem ſolet vomitus releuare. ſic Cicero in Catilinam, quum dicit, *Quæ quidem lætari mihi videtur, quòd tantam peſtem euomuerit, foráſque proiecerit.*

ACTVS QVARTI SCENA I.

MYRRHINA. PHIDIPPVS.

PERII, quid agam? quò me vortam? quid viro meo reſpondebo
Miſera? nam audiuiſſe vocem pueri viſuſt vagientis:
Ita corripuit derepente tacitus ſeſe ad filiam:
Quòd ſi reſcierit peperiſſe eam, id qua cauſa clàm me habuiſſe
Dicam, non ædepol ſcio.
Sed oſtium concrepuit: credo ipſum ad me exire: nulla ſum.
PH. Vxor vbi me ad filiam ire ſenſit, ſe duxit foras:

Atque eccam video. quid ais Myrrhina? heus, tibi dico. MYR. mihine mi vir?
PH. Vir ego tuus ſum! tun virum me, aut hominem deputas adeò eſſe?
Nam ſi vtrumuis horum, mulier, vmquam tibi viſus forem,
Non ſic ludibrio tuis factis habitus eſſem. MYR. quibus? PH. at rogitas?
Peperit filia; hem taces? ex quo? MYR. iſtuc patrem rogare eſt aequum?
Perij: ex quo cenſes, niſi ex illo, cui data eſt nuptum obſecro?
PH. Credo, neque adeò arbitrari patris eſt aliter: ſed demiror
Quid ſit quamobrem tantopere omnes nos celare volueris
Partum: praeſertim quum & rectè, & tempore ſuo pepererit.
Adeón peruicaci eſſe animo, vt puerum praeoptares perire,
Ex quo firmiorem inter nos fore amicitiam poſthac ſcires:
Potius quàm aduerſum animi tui lubidinem eſſet cum illo nupta?
Ego etiam illorum eſſe hanc culpam credidi, quae te eſt penes.
MYR. Miſera ſum. PH. vtinam ſciam ita eſſe iſtuc. ſed nunc mihi in mentem venit.
Ex hac re quod locuta es olim, quum illum generum cepimus.
Nam negabas nuptam poſſe filiam tuam te pati
Cum eo, qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris.
MYR. Quamuis cauſam hunc ſuſpicari, quàm ipſam verum mauolo.
PH. Multò prius ſciui, quàm tu, illum amicam habere Myrrhina:
Verum id vitium numquam decreui eſſe ego adoleſcentiae:
Nam id omnibus innatumſt: at pol iam aderit, ſe quoque etiam quum oderit.
Set vt olim te oſtendiſti, eadem eſſe, nihil ceſſauiſti vſque adhuc,
Vt filiam ab eo abduceres: ne, quod ego egiſſem, eſſet ratum:
Id nunc res indicium haec facit, quo pacto factum volueris.
MYR. Adeóne me eſſe peruicacem cenſes, cui mater ſiem,
Vt eo eſſem animo, ſi ex vſu eſſet noſtro hoc matrimonium?
PH. Túne proſpicere, aut iudicare noſtram in rem quod ſit, potes?
Audiſti ex aliquo fortaſſe, qui vidiſſe eum diceret
Exeuntem, aut introeuntem ad amicam: quid tum poſtea,
Si modeſtè ac rarò hoc fecit? nónne ea diſsimulare nos
Magis humanum eſt, quàm dare operam id ſcire, quî nos oderit?

Nam ſi is poſſet ab ea ſeſe derepente auellere,
Quacum tot conſueſſet annos: non eum hominem ducerem,
Nec virum ſatis firmum gnatae. MYR. mitte adoleſcentem obſecro,
Et quae me peccaſſe ais: abi, ſolum ſolus conueni:
Roga, velítne, an non, vxorem: ſi eſt, vt dicat velle ſe,
Redde: ſin eſt autem vt nolit, & rectè conſului meae.
PH. Si quidem ille ipſe non volt, & tu ſenſiſti eſſe in eo Myrrhina
Peccatum: aderam, cuius conſilio ea par fuerat proſpici.
Quamobrem incendor ira, eſſe auſam facere haec te iniuſſu meo.
Interdico, ne extuliſſe extra aedeis puerum vſquam velis.
Set ego ſtultior, meis dictis parere hanc qui poſtulem:
Ibo intrò, atque edicam ſeruis, ne quoquam ecferri ſinant.
MYR. Nullam pol credo mulierem me miſeriorem viuere:
Nam vt hic laturus hoc ſit, ſi ipſam rem, vt ſiet, reſciuerit,
Non aedepol clàm me eſt: quum hoc, quod leuiuſſt, tam animo iracundo tulit.
Nec qua via ſententia eius poſſit mutari, ſcio.
Hoc mihi vnum ex plurimis miſeriis relliquum fuerat malum:
Si puerum vt tollam cogit: cuius nos qui ſit neſcimus pater:
Nam quum compreſſa eſt gnata, forma in tenebris noſci non quita eſt:
Neque detractum ei eſt quidquam, quî pòſt poſſit noſcier qui ſiet.
Ipſe eripuit vi, in digito quem habuit, virgini abiens anulum:
Simul vereor Pamphilum, ne orata noſtra nequeat diutius
Celare, quum ſciet alienum puerum tolli pro ſuo.

PERII, QVID. Mire in hac ſcena iterum rixa eſt ſenis atque anus: & tamen variè & alio modo, vt mores inter ſe diuerſos, & tamen notos poſſimus agnoſcere. PERII, QVID AGAM. Hæc proloqui oportet Myrrhinam: vt ex eius perſona reminiſcatur ſpectator geſtæ rei: ſimúlque ex huius perſonæ verbis, quid agat altera perſona, monſtretur. Nam perſerutari Phidippum vniuerſa conclauia: & ire per totam domum cognito partu filiæ ſuæ, apparet ex præſentibus dictis. PERII, QVID AGAM. Singula ita pronuntia, vt perturbatum oſtendas. QVID AGAM? QVO ME VORTAM. Figura *διαπόρησις*, apta turbatis.

NAM AVDISSE VOCEM PVERI VISVS EST VAGIENTIS. Virgilius.

Continuò auditæ voces, vagitus & ingens,
Infantúmque animæ flentes in limine primo.

Et eſt ὀνοματοποιΐα. nam vox ipſa ſic eſt, vt quaſi vagitus ſæpius ſonet. PVERI VISVS EST VAGIENTIS. Proprie dixit *Vagientis*, & infantium eſt. VISVS EST. Quomodo, *Audire vocem viſa ſum modo militis.*

ITA CORRIPVIT DEREPENTE. Raptim intulit. Et *Derepente*, vna pars orationis eſt, vt *defeſſus*. aduerbiis enim præpoſitiones ſeparatim non adduntur. DEREPENTE. ἐφίν. Nam ſi ſeparaueris, non eſt Latinum, *Derepente*.

QVOD SI. *Quòd*, pro Nam, aut Itaque. ſed & nos in huiuſmodi ſignificatione ſic dicimus. QVOD SI RESCIERIT. *Scimus* manifeſta: *Reſcimus* occulta.

ID QVA CAVSA. *Id*, hoc ipſum, peperiſſe eam. NON AEDEPOL SCIO. Ideo quia vera cauſa dici non poteſt.

SED OSTIVM CONCREPVIT. Plus eſt quàm *Crepuit*: nam *con* modo auctiuum eſt.

AD ME. Bene *Ad me*, quaſi litigaturum.

VBI ME AD FILIAM IRE SENSIT. Hoc ante rem & ſimul argumentum delicti eſt, quod exiit à filia marito ingreſſo mulier. VXOR VBI ME AD FILIAM. Mirantis eſt geſtus & dictum.

SEDVXIT FORAS. Ordo, *Duxit ſe*. Et verbis vſus eſt, intra domeſticos parietes, attis. τῷ ἰδιωτισμῷ *Seduxit*, pro *Abijt*.

ATQVE ECCAM VIDEO. Apparet mulierem fugere. & viri auerſari præſentiam. & ideo hoc ſeparatim pronuntiandum.

HEVS TIBI DICO. Oſtendit Myrrhinam auertentem ſe: quaſi nihil inueniat quod dicat de filia.

MIHINE MI VIR. Sic & in Andria, *Nihil reſpondes*: quum turbatum ſe oſtendit Dauus. VIR. Ad maritalem conditionem retulit, non ad ſexum. vt Virgil. in Bucolicis, *Vir gregis ipſe caper*.

TVN VIRVM ME. Accuſatio ab increpatione incipiens. AVT HOMINEM DEPVTAS ADEO ESSE. ἀυξήσεις peruerſa. *Adeò* autem abundat. Virgilius.

Tuque adeò, quem mox quæ ſint habitura deorum Concilia, incertum eſt.

NAM SI VTRVMVIS HORVM. Vir aut homo. MVLIER, VNQVAM TIBI VISVS FOREM. Acerbe *Mulier*: vt ſuprà, *Tu inquam mulier, quæ me omnino lapidem, non hominem, putas.*

QVIBVS. Callide mulier, & quaſi nullius culpæ conſcia, *Quibus* dixit: Et *Quibus*, factis ſcilicet.

AT ROGITAS. Bene iraſcitur interroganti. nam interrogare quæ ſciat, impudentiæ eſt. PEPERIT FILIA. Propoſitio criminis.

HEM, TACES. Non *Taces* nunc: ſed *Taces*, celas

EX QVO. Bene *Ex quo*, quia argumentum impudicitiæ eſt, puerperium taciturnum.

ISTVC PATREM. Mira calliditas, Rea mulier hoc ſolo defenditur quòd accuſat. ISTVC PATREM ROGARE EST AEQVVM. Ex ſua interrogatione accuſauit accuſatorem.

PERII: EX QVO CENSES. Mire additum ad affectum, *Perij*. NISI EX ILLO, CVI DATA. A veriſimili argumentum. NISI EX ILLO, CVI DATA EST NVPTVM. Solutio criminis per fiduciam reſpondentis. Salluſtius, *Ita fiducia, quàm argumentis purgatior es.*

CREDO, NEQVE ADEO ARBITRARI. Ab accuſatione maritus ad defenſionem ſui conuerſus, omiſit quod cœperat.

SET DEMIROR QVID SIT. Mollior factus, iam non iraſcitur, ſed miratur. Adeò vides Phidippum nulla re alia, quàm mulieris correptione lenitum. DEMIROR. Valde miror: quod minus eſt quàm iraſcor.

QVAMOBREM TANTOPERE. Alia inſertio criminis.

OMNES NOS CELARE VOLVERIS. Recte: quia putat & Pamphilum eſſe celatum. OMNES NOS CELARE VOLVERIS. Antiqua locutio, *Illam rem celo te.*

PRAESERTIM QVVM ET RECTE, ET TEMPORE SVO PEPERERIT. Vide, duæ cauſæ ſunt celandi partus. ſi non tempore ſuo venerit, quod indicium ſtupri eſt: & ſi non recte euenerit: hoc eſt, monſtri aliquid natum fuerit. Hic autem & *Tempore ſuo*, & recte *Natum prædicat*. PRAESERTIM QVVM ET RECTE. Attollit mulieri compendium credulitas ſenis ſemel correpti, ne aliter ſuſpicetur. PRAESERTIM QVVM ET RECTE, ET TEMPORE SVO. *Recte*, ad illud pertinet, Quòd non monſtrum peperit. *Tempore ſuo*, ad ſpatium quo prægnantes eſſe conſueuerunt, id eſt ad menſium dinumerationem: quia & ſeptimo menſe naſci ſolent.

ADEON PERVICACI ESSE ANIMO. Inuectio. ADEON PERVICACI ESSE. *Peruicax* eſt perſeuerans cum quadam vi. VT PVERVM PRAEOPTARES PERIRE. Ab ætate infantis. inuidia.

EX QVO FIRMIOREM INTER NOS FORE AMICITIAM POSTHAC SCIRES. Ab accidentibus, inuidia. Et bene additur *Scires*: quia imprudentia in delicto veniam frequenter extorſit.

POTIVS, QVAM ADVERSVM ANIMI TVI LVBIDINEM. A voluntate peccantis, inuidia. *Animi tui lubidinem*, dixit, vt minima cauſa magnis ſceleribus ſubiecta eſſet.

ESSET CVM ILLO NVPTA. Antiqui non *Illi nupta*: ſed, *Cum illo nupta*. Ergo ambo ſibi inuicem nubunt.

EGO ETIAM ILLORVM ESSE HANC CVLPAM. Bene, *Etiam illorum*. non enim hoc ſe erraſſe ait. quòd illorum putauerit culpam, quæ minor eſt: ſed, *Etiam illorum*: vt commune peccatum fuerit. ſed nunc quidem totum credit eſſe Myrrhinæ. An *Etiam*, pro Adhuc, vt maior ſit dolor, qui nec opinanti acciderit?

VTINAM SCIAM ITA ESSE ISTVC. Te miſeram eſſe. Alibi, *Miſerum quem minus credere eſt*. Et erit ſenſus, Vtinam vere ſis miſera. VTINAM SCIAM ITA ESSE ISTVC. Hoc quidam ſic accipiunt, quaſi Phidippus dicat, Penes te culpa eſt, quam illorum eſſe credebam: & vtinam quod credo, penes te eſſe culpam, ita non eſſe certo ſciam. quia dixit, ſe miſeram: & miſeros non niſi innocentes dicimus. Ille enim hoc reſpondet. Vtinam in hoc negotio miſeram te, non ſceleſtam reperiam. Sic Salluſtius, *Atque ea cogentes, non coactos: ſceleſtos magis, quàm miſeros diſtringi*. Et ideò ſequitur. SET NVNC MIHI IN MENTEM VENIT. Argumentum ex antecedentibus dictis & factis. NVNC MIHI IN MENTEM VENIT. Recte *Nunc*: quaſi aliàs nihil ſuſpicanti. QVOD LOCVTA ES OLIM. Pro Antè. QVVM ILLVM GENERVM CEPIMVS. Vt *arbitrium capere* dicimus, id eſt eligere. & eum laude locutus eſt Pamphili. CEPIMVS. Elegimus. Virgilius *Ante locum capies oculis*.

CVM EO. Viro. QVI MERETRICEM AMARET: QVI PERNOCTARET FORIS. Non in hoc eſt accuſatio. quòd hæc locuta ſit: ſed argumentum eſt, quòd celare voluerit partum, quæ hoc *olim* dixerit. QVI PERNOCTARET. Propter illud quod dixerat, *Quid interea? ibátne ad Bacchidem? Quotidie*. Et nota familiariter hoc verbum poni à Terentio. Sic in Adelphis, *Sed ſi hic pernocto, cauſa quid dicam Syre?*

QVAMVIS CAVSAM. Hoc propter ſpectatorem dicitur, vt geſtorum meminerit.

QVAM IPSAM VERAM. Quia ſola ex omnibus defendi non poteſt.

MVLTO PRIVS SCIVI, QVAM TV. Bene pergit: quia taciturnitas pro cõfeſſione accepta eſt

VERVM ID VITIVM. Hoc intelligi non poteſt, niſi *vitium* bis numero ſubaudieris.

ADOLESCENTIAE. Melius dixit *Adoleſcentiæ*, quàm *Pamphili*: vt quod in ætate fuerat, non timeret in ingenio. NAM ID OMNIBVS INNATVM EST. Amare in adoleſcentia.

AT POL IAM ADERIT, SE QVOQVE QVVM ODERIT. Mire ſenectutem accuſat ſenex quum & veloeem oſtendit his verbis *Iam aderit*: & addit, *ſe quoque oderit*: quaſi dicat, Non ſolum non amabit, ſed & odio habebit: & non alienas mulieres modo, nec vxorem quoque, ſed etiam ſeipſum. Plus ergo illatum, quàm ratio depoſcebat: ſed mire ad affectum ſenis exprimendum. SE QVOQVE ETIAM QVVM ODERIT. Id eſt vt pœniteat eum ſui facti. Sed plus dixit quàm ſi diceret, *Facta ſua*.

SED VT OLIM TE OSTENDISTI. Quum ſuperiora dicta ſunt.

VT FILIAM AB EO ABDVCERES. Vehementius dixit, quàm ſi diceret. Vt filiam ei non redderes.

NE QVOD EGO EGISSEM, ESSET RATVM. Quòd ab eo abduceis, non bona ſocrus: quòd filiam, non bona mater: quòd irrita facis quæ geſſi, non bona vxor es, inquit.

NVNC RES INDICIVM FACIT. Hoc eſt, quòd celauiſti partum. ID NVNC RES. Quaſi dixerit, *Vnde ſcio*.

QVO PACTO FACTVM VOLVERIS. Non ſolum quod fecit, ſed etiam quod voluit, obiicit. QVO PACTO FACTVM VOLVERIS. Deeſt, *Fieri*.

PERVICACEM. Per vim agentem, pernicioſam me eſſe cenſes.

CVI. Deeſt *Ei*, vel *Circa eam*. CVI MATER SIEM. Rurſus à veriſimili: an mater con-

tra filiam faciat.

SI EX VSV ESSET NOSTRO HOC MATRIMONIVM. Callide mulier, ex his quæ dixit ſenex defenſionem arripit. Nam ille ſic ait, Negabas poſſe filiam tuam te pati cum eo, qui meretricem amaret qui peruoctaret foris. EX VSV NOSTRO. Modò, vtile: ſi pro noſtra eſſet vtilitate.

TVNE PROSPICERE. A perſona. AVT EVOCARE. *Proſpicere* futura: *Iudicare* præſentia,

AVDISTI EX ALIQVO FORTASSE. ἠθικῶς ſatis, & oratorie. ALIQVO. Non à certa perſona: Bene *Aliquo*: ademit indicibus authoritatem.

QVI VIDISSE CVM DICERET. Non *Qui vidiſſet*. EXEVNTEM, AVT INTROEVNTEM. Sic Cicero, *Tibi autem Balbe reſpondebo: primùm precario, ſi licet, ſi fas eſt defendi à me eum, qui in hortis fuerit, qui vnguenta ſumpſerit, qui Baias viderit.* Non enim dixit, *Amplectentem amicam*. AVT INTROEVNTEM. σύλληψις prima. *In ludum ducere & reducere.* EXEVNTEM, AVT INTROEVNTEM. Σύλληψις διανοίας & mollis eſt: quia luditur de ſequentibus ad amicam, ἐξουθενισμὸς criminis, de conſuetudine.

QVID TVM POSTEA. ἰδιωτισμὸς, quo contemnimus crimina leuiora.

SI MODESTE. Adhibito modo: vel certe cum pudore ac modeſtia: vt celatum voluerit.

NONNE EA DISSIMVLARE NOS. Duobus modis feruntur peccata: vel ignoſcendo, vel cohibendo. Modò diſſimulare, eſt ignorantiam fingere.

MAGIS HVMANVM EST. Bene, quia & illud humanum diſſimulare. an magis humanum diſſimulare: an quia & Iraſci, & Arguere humanum eſt? MAGIS HVMANVM. Nota, pro *Humanius*, Terentiano more.

QVI NOS ODERIT. *Qui*, vnde vel quamobrem. Et recte. nemo enim dolens quòd non ametur, id facit quo magis odio ſit.

NAM SI IS POSSET AB EA SESE DEREPENTE AVELLERE. Oratorie, non contentus defendiſſe Pamphilum, hoc ipſo illum, quo accuſatus eſt, laudat. DEREPENTE. *Vna pars orationis eſt.*

QVACVM TOT CONSVESSET ANNOS. Laudat vbique eos Terentius, qui conſuetudine vincuntur. vt alibi, *Hic paruæ conſuetudinis cauſa, huius mortem tam fert familiariter.* Et mox, *Vt neque me conſuetudo, neque amor, neque pudor commoueat, neque commoneat vt ſeruem fidem?* Ergo ferus quem longa conſuetudo non commouet. QVICVM TOT CONSVESSET ANNOS. Non *Quacum*, ſed *Quicum*: vt *A quibus*, & non *A quis*. Et *Conſueſſet* proprie dicitur in ſtupro.

NON EVM HOMINEM DVCEREM. Non ſolum, inquit, homo non eſſet, id quod forſitan nihil noſtra intereſſet: ſed quod nobis maximum eſt, vir ſtabilis filiæ eſſe non poſſet. NON EVM HOMINEM DVCEREM, NEC VIRVM SATIS FIRMVM GNATAE. Poteſt & ſic intelligi, Non eum hominem ducerem, qui conſuetudinem longi temporis temere abrumperet.

NEC VIRVM. *Vir* modo, maritus. NEC VIRVM SATIS FIRMVM GNATAE. Quem res venereæ non mouerent. nam *firmum* etiam hoc poſſumus intelligere, validum in officio coitus. Sic Horatius.

——*fortique marito Deſtinet vxorem.*

MITTE ADOLESCENTEM OBSECRO. His verbis ſolemus commentitia argumenta contemnere. vt, Miſericordia, *Animus maternus: ſino.* Et alibi, *Mitte omnia. Adde iſtuc, Imprudens timuit adoleſcens: ſino, tu ſeruas.* MITTE ADOLESCENTEM. Etenim ille dixerat,

Verum id vnum nunquam decreui eſſe ego adoleſcentiæ.
Adeon peruicaci eſſe animo, vt puerum præoptares perire
Potius, quàm aduerſus animi tui libidinem eſſet cum illo nupta?

ET QVAE ME PECCASSE AIS. ABI: SOLVS SOLVM CONVENI. Recte hæc dicit mulier, vtpote memor quòd cum Pamphilo ſit locuta. Et *Solus ſolum* ideo, quia metuit ne orata ſua non ſeruet Pamphilus: & ideo multi ſciant.

ROGA VELITNE, AN NON, VXOREM. Verba quibus cum Pamphilo loquatur ſocer: ne ſi aliter agat, reſpondeatur à genero.

Recte

RECTE CONSVLVI MEAE. Illum inquit nolle, ſignum erit me prouidiſſe filiæ.

SIQVIDEM ILLE IPSE NON VVLT, ET TV SENSISTI. Animaduertendum, quemadmodum omnia quibus ſe defenderit Myrrhina, in malam partem accipit Phidippus: & hinc magis accuſat, vnde illa ſe purgat.

CVIVS CONSILIO EA PAR FVERAT PROSPICI. Non dixit cuius conſilio repudium daretur Pamphilo. ita ad bonum omnia exitum ſpectant.

ESSE AVSAM FACERE HAEC TE INIVSSV MEO. Abducere filiam, celare partum, exponere puerum.

INTERDICO. Inter *Edico* & *Interdico* hoc intereſt: *Edicimus*, quod iubemus fieri: *Interdicimus*, quod vetamus fieri. *Edicimus* etiam vni generi hominum: *Interdicimus*, diuerſis. Itaque Prætoris edicta & interdicta dicuntur. *Interdico*, ſeparatim dicendum legendúmque: quia *Interdico ne velis*, non eſt integrum. INTERDICO NE EXTVLISSE EXTRA AEDES. Id agitur, ne ſub incerto intercipiatur puer: & tragœdia fiat ex comœdia.

MEIS DICTIS PARERE HANC QVI POSTVLEM. Demonſtratiue & accuſatorie dixit *Hanc*, quaſi tam contumacem. HANC QVI POSTVLEM. Quid eſt *Hanc*, verum mulierem? an vxorem? an contumacem fœminam?

IBO INTRO. Sibi ipſe hoc dicit τῷ ἰδιωτισμῷ.

EDICAM SERVIS, NE QVOQVAM EFFERRI SINANT. Et hoc recte poeta: quia ita opus eſt ne compleat Myrrhina quod promiſit de exponendo puero. Ait enim, *Dein continuò exponetur.*

NAM VT HIC LATVRVS HOC SIT. Sic oſtenditur cauſa, cur perpetuò celandum ſit ſeni vitium virginis. NAM VT HIC. Quantum iracundiæ habiturus ſit, quantum furoris: hoc enim ſignificat *vt*. & ſimul poeta, quod alibi obſcure facit, hic aperte demonſtrat, quod periculum ſit in fabula, niſi καταστροφὴ ſuccurrat.

NON AEDEPOL CLAM ME EST. Id eſt ſcio.

NEC QVA VIA SENTENTIA EIVS POSSIT MVTARI, SCIO. Neſcio quo modo ex iracundo placidus fiat SENTENTIA EIVS. De puero non exponendo.

HOC MIHI VNVM. Hoc adhuc, inquit, malum non mihi euenerat, quum euenerint multa. Et vide, an *Si puerum vt tollat cogit*, quaſi cum gemitu & percontatiue pronuntiandum ſit. etenim *ſi*, obſcuram locutionem facit: niſi forte *cum* vel *quod* ſignificat. HOC MIHI VNVM EX PLVRIMIS MISERIIS RELIQVVM FVERAT MALVM. Ex omnibus malis *Reliquum* quum dicat, maximum malum ſignificat. Nam non mediocre eſt, quod omnium miſeriarum eſt vltimum, & inter mala multa reliquum quod ſic accipimus. Poſſumus & nos interrogatiue pronuntiare. PVERVM VT TOLLAM COGIT. Recte *Tollam*. quæſtio, vnde ſit.

FORMA IN TENEBRIS NOSCI NON QVITA EST. Ab actiuo *Queo*, paſſiuum fecit *Queor*, retinendo participium, *Quita eſt*, ſed antiquè dixit.

NEQVE DETRACTVM. Solet enim fieri.

IPSE ERIPVIT. Hic ad exitum ſpectat παρασκευὴ: quia per annulum fiet cognitio.

IPSE ERIPVIT. Econtrario, inquit, factum eſt, ipſa vt non eriperet, ſed ipſi eriperetur.

SIMVL VEREOR PAMPHILVM, NE ORATA NOSTRA. Scilicet ſi ſuſtulerimus cogente ſene, eum puerum, quem expoſitum iri Pamphilo paulo antè promiſi.

QVVM SCIET ALIENVM PVERVM TOLLI PRO SVO. Non ſolum, inquit, tolli ægrè feret alienum, verum etiam pro ſuo.

ACTVS QVARTI SCENA II.

SOSTRATA. PAMPHILVS.

NON clam me eſt gnate mi, tibi me eſſe ſuſpectam, vxorem tuam
Propter meos mores hinc abiiſſe, etſi ea diſsimulas ſedulò:
Verum ita me di ament, itáque obtingant ex te, quae exopto mihi,
Vt numquam ſciens commerui, meritò vt caperet odium illa mei:
Téque antè quàm me amare rebar, ei rei firmaſti fidem.
Nam mihi intus tuus pater narrauit modò, quo pacto me habueris
Praepoſitam amori tuo: nunc tibi me certum eſt contrà gratiam
Referre, vt apud me praemium eſſe poſitum pietatis ſcias.
Mi Pamphile hoc & vobis, & meae commodum famae arbitror:
Ego rus abituram hinc cum tuo me eſſe certò decreui patre,
Ne mea praeſentia obſtet, neu cauſa vlla reſtet relliqua,
Quin tua Philumena ad te redeat. PAM. *quaeſo, quid iſtuc conſilij eſt?*
Illius ſtultitia victa, ex vrbe tu rus habitatum migres?
Non facies: neque ſinam, vt qui nobis mater maledictum velit,
Mea pertinaciae eſſe dicat factum, haut tua modeſtia.
Tum tuas amicas te, & cognatas deſerere, & feſtos dies
Mea cauſa, nolo. SO. *nihil iam mihi iſtaec res voluptatis ferunt:*
Dum aetatis tempus tulit, perfuncta ſatis ſum: ſatiâs iam tenet.
Studiorum iſtorum. haec mihi nunc cura eſt maxima, vt ne cui mea
Longinquitas aetatis obſtet, mortémve exſpectet meam.
Hîc video me eſſe inuiſam inmeritò: tempus eſt concedere:
Sic optimè, vt ego opinor, omnis cauſas praecidam omnibus:
Et me hac ſuſpicione exoluam: & illis morem geſſero.
Sine me obſecro hoc effugere, volgus quod male audit mulierum.
PAM. *Quàm fortunatus caeteris ſum rebus: abſque vna haec foret,*
Hanc matrem habens talem, illam autem vxorem. SO. *obſecro mi Pamphile,*
Non tute incommodam rem, vt quaeque eſt, in animum inducas pati.
Si caetera ita ſunt, vt vis, itáque vt eſſe ego illam exiſtimo,

Mi gnate da veniam hanc mihi : reduce illam. P A M. *vae miſero mihi.*

SO. *Et mihi quidem : nam haec res non minus me male habet, quàm te gnate mi.*

NON CLAM ME EST GNATE MI. In hac ſcena, velut qualitas negotialis in diſputationem venit iuſtúmne ſit repudiari coniugem cauſa matris: & omnino quid fieri debeat. NON CLAM. Vero ordine à purgatione ſui incipit mater abitura: ne quòd diſcedit, iracundiæ videatur.

TIBI ME ESSE SVSPECTAM. Id eſt in ſuſpicionem veniſſe.

VXOREM TVAM PROPTER MEOS MORES HINC ABISSE. Blandius *Vxorem* ſignificàuit, quàm ſi diceret *Philumenam.* Et *Mores*, proprie ſenum dicuntur: vnde *ſenectus moroſa* : & *Moroſi homines*, qui ſui cuiuſdam moris ſunt.

ETSI EA DISSIMVLAS SEDVLO. *Ea*, id eſt quæ ſcio. & *Ea*, pro *eam rem* : ſed abſolute occurrit ſuprà latæ ſententiæ, & genere neutro. & eſt ordo, Etſi ea diſſimulas ſedulò, non clam me eſt, &c.

VERVM ITA ME DI AMENT. Coniectura quæ ſoluitur inteiurando. ITAQVE OBTINGANT EX TE. Pro ſe iurat, & ita rem Pamphilo probat, vt blanda ſit. ITAQVE. Duæ partes orationis.

NVMQVAM SCIENS COMMERVI. Bona exceptio : quia poſſumus aliquem inſcienter lædere. quæ res ad veniam pertinet. VT NVMQVAM SCIENS. Hic ordo eſt iuriſiurandi, vt quum præpoſuerit *ita*, ſequatur *vt*. Cicero, *Ita velim mihi deos propitios, vt quum illius temporis mihi venit in mentem &c.*

MERITO VT CAPERET ODIVM ILLA MEI. Bene dixit *Meritò* : nam vt nos immeritò quis non oderit, non eſt in noſtra manu. hæc eſt exceptio. Plautus in Trinummo, *Quin dicant, non eſt : meritò ne dicant, id eſt.* MERITO VT CAPERET ODIVM ILLA MEI. Id enim eſt culpa ſine merito.

TEQVE ANTE QVAM ME. Deeſt *Tam* : vt ſit ordo. Et quàm te amare me rebar, tantum firmaſti fidem ei rei. TEQVE ANTE QVAM ME AMARE REBAR, EI REI FIRMASTI FIDEM. Ordo & ſenſus hic eſt, Et quod antè rebar, ei rei firmaſti fidem meam : neque me fefellit, quod antè rebar, te me amare. nam ei rei hodie firmaſti fidem, id eſt probationem attuliſti.

NAM MIHI INTVS TVVS PATER. Dixit enim ſuprà, Atque in eam hoc omne quod mihi ægrè eſt, euomam. potuit enim euomendo narraſſe quòd matrem filius præpoſuiſſet vxori. TVVS PATER. Familiarius quàm, ſi diceret, Laches.

PRAEPOSITAM AMORI TVO. Plus dixit, *Amori tuo*, quàm ſi *Vxori tuæ*, diceret.

VT APVD ME PREMIVM ESSE POSITVM PIETATIS SCIAS. Laborat mulier, ne quod dictura eſt, odio aut dolore, aut certe ira facere videatur. PRAEMIVM ESSE POSITVM PIETATIS. Sic Virgilius, *Hic pietatis honos, ſunt hic ſua præmia laudi.*

MI PAMPHILE, HOC ET VOBIS, ET MEAE COMMODVM. Rem duram dictura : vide quantis præblanditur verbis, rémque præmolliat, *Nunc tibi me certum eſt contrà gratiam.* *Contrà* nunc, viciſſim. ET MEAE COMMODVM FAMAE. Ab honeſto. MI PAMPHILE, HOC ET VOBIS ET MEAE. Principium hoc aliquid eſt precantis fœminæ. A blandimento ergo incipit, vt libenter audiat.

EGO RVS ABITVRAM HINC CVM TVO ME ESSE CERTO DECREVI PATRE. *Certò*. dixit, ne ſit diſſuadendi locus. CVM TVO ME ESSE CERTO DECREVI. Ad hoc addidit, *Certò decreui* : vt non audeat diſſuadere filius. NE MEA PRAESENTIA. Non dixit iam. *Culpa*, ſed *Præſentia*.

QVID ISTVC CONSILII EST. Bene : quia illa *Decreui* dixerat.

ILLIVS. A perſona. STVLTITIA. A cauſa. VICTA. Non enim volens. VRBE. A loco. TV. A perſona. HABITATVM. A facto. ILLIVS STVLTITIA VICTA, EX VRBE TV RVS HABITATVM MIGRES. Vide quàm oratorie omnia congeſſerit, à perſonis,

à cauſis, à locis, à factis. ILLIVS STVLTITIA. Ab vtili. Mire autem, & *Rus*, & *Ex Vrbe*, & *Habitatum*, dixit.

VT QVI NOBIS MATER MALEDICTVM VELIT. Ab honeſto.

NON FACIES: NEQVE SINAM. Primò, *Non facies*: deinde, Si facere perſeueraueris, non ſinam. Et, *Non facies*, non eſt interdicentis, ſed quaſi dicat, Scio te non facturam rem tam prauam. Sunt autem qui *Neque ſinam* iungant interioribus. ſunt qui totum contexte legant, *non facies* vſque, *Modeſtia*.

MEA PERTINACIA ESSE DICAT FACTVM. Bene retinet, quum vult ſua intereſſe ne fiat.

TVM TVAS AMICAS TE. In diſſuadendo commiſcuit & honeſtatem & vtilitatem.

MEA CAVSA NOLO. Non eſt ſuperbum *Nolo*: ſed conſuetudine dicitur.

NIHIL IAM MIHI ISTAEC RES. Contra omnia. Et ab vltimis incipit. ISTAEC RES. Amicæ, cognatæ, dies feſti.

DVM AETATIS TEMPVS TVLIT. *Tulit*, pro Paſſum eſt, Permiſit. & in bonis enim, & in malis dicitur DVM AETATIS, TEMPVS TVLIT. PERFVNCTA SATIS SVM. Si, inquit, me voluptatis cauſa exercenda ſunt, iam non delectant: ſi officij ac religionis, iam nō poſſum, quæ ſim anus. Neceſſaria diuiſio: quia ille & religionem incuſſerat feſtorum dierum. DVM AETATIS TEMPVS TVLIT. Non, inquit, reprehendar: quæ quum potuerim, perfuncta ſatis ſum. Sic Virgilius, *Sat patriæ, Priamóque datum.*

SATIAS ME TENET. Nimis materne atque aniliter.

HAEC MIHI NVNC CVRA EST MAXIMA. Hoc nimis ſerio pronuntiandum, Et *Vt cui* odioſe, ne *Tibi* diceret.

VT NE CVI MEAE LONGINQVITAS AETATIS OBSTET. Hoc ad nurum, expectationem ad filium refert. hinc enim odio digni parentes, *expectati* appellantur. LONGINQVITAS AETATIS OBSTET, MORTEMVE EXSPECTET MEAM. Quum ſedulo agat ſocrus nequid per iracundiam ſtatuiſſe videatur: vide tamen vt intermiſceatur indignatio, & multa dolore deprompta ſint: quod poëta non inuitus facit, ad mores exprimendos, perſonáſque reddendas.

HIC VIDEO ME ESSE INVISAM IMMERITO. Quia rus decreui pergere: non quaſi nurum vitatura, ſed locum. Et mire *Inuiſam*, & non addidit cui: ſed dixit, TEMPVS EST CONCEDERE. Quia anus ſum? an quia nurus in domo? OMNES CAVSAS PRAECIDAM OMNIBVS. Bene *Omnibus*: ne ſpecialiter læſiſſet nurum. & generaliter dixit. ET ILLIS MOREM GESSERO. Mire *Illis*, non *Nurui*. Et *Morem geſſero*, acriter dictum: vt oſtendat hoc illos olim voluiſſe vt expelleretur domo. vt ſi dicas, inimicum tibi morem geſſiſſe, quòd ſe ſuſpenderit.

SINE ME OBSECRO HOC EFFVGERE. Quia dixerat maritus eius, *Omnes ſocrus oderunt nurus.* SINE ME OBSECRO HOC EFFVGERE. Potentiſſimum eſt ad extorquendum aliquod argumentum, quum illis quibus chari eſſe debemus, noſtra cauſa potius, quàm illorum, dicimus velle nos, aut nolle quod facimus. Nam & Pamphilus ſuprà ſic dixit, *Non facies, neque ſinam.* QVOD MALE AVDIT. Suprà dixit, Ab honeſto.

ABSQVE VNA HAEC FORET. *Abſque*, extra: vt ſit aduerbium magis, quàm præpoſitio. & *vna*, *Res* ſubaudienda. Et totum ἐν ὑπερχείρῳ, ſtatímque iungendum, *Hanc matrem habens talem, illam autem vxorem.* Vel certe, *Abſque foret*, pro abeſſet. Alii *Hæc* de vxore dici putant, vt *Abſque*, ſit præpoſitio.

NON TVTE INCOMMODAM REM, VT QVAEQVE EST, IN ANIMVM INDVCAS PATI. Horatius, *Durum, ſed leuius fit patientia Quidquid corrigere eſt nefas.*

SI CAETERA SVNT. Bene *Cætera*, abſque vno dicenti.

ITAQVE VT ESSE EGO ILLAM EXISTIMO, Quia potuit dici ei, O *ſocrus*, ergo dubitas de integritate nurus: addidit, *Itaque vt eſſe ego illam exiſtimo.*

DA VENIAM HANC MIHI. *Mihi*, propter quam putas non reducendam.

VAE MISERO MIHI. Nec negat, nec promittit: ſed intumeſcit, vtpote qui penitus dolore commotus, æſtum animi diſſimulare iam non poteſt. VAE MISERO MIHI. Nihil potuit pro rerum qualitate reſpondere, niſi vt ingemiſceret.

ET MIHI QVIDEM: ἄχθος, quid enim, *Et mihi*? an ei? multa ſic in vſu noſtro ſunt.

ACTVS QVARTI SCENA III.

LACHES. SOSTRATA. PAMPHILVS.

QVEM cum iſtoc ſermonem habueris, procul hinc ſtans accepi vxor:
Iſtuc eſt ſapere, qui, vbicunque opus ſit, animum poſſis flectere,
Quod faciundum ſit pòſt fortaſſe, idem hoc nunc ſi feceris.
SO. Fors fuat pol. LA. abi ius ergo hinc: ibi ego te, & tu me feres.
SO. Spero ecaſtor. LA. i ergo intrò, & compone quæ ſimul tecum
Ferantur: dixi. SO. ita vt iubes, faciam. PAM. pater.
LA. Quid vis Pamphile? PAM. hinc abire matrem? minime.
LA. quid ita iſtuc vis?
PAM. Quia de vxore incertus ſum etiam quid ſim facturus.
LA. quid eſt?
Quid vis facere, niſi rèducere? PAM. equidem cupio, & vix contineor.
Set non minuam meum conſilium: ex vſu quod eſt, id perſequar.
Credo ea gratia concordes magis, ſi non reducam, fore.
LA. Neſcias: verum id tua refert nihil, vtrum illae fecerint.
Quando haec abierit: odioſa haec eſt aetas adoleſcentulis:
E medio aequum excedereſt: poſtremo iam nos fabulae
Sumus Pamphile, Senex atque anus.
Set video Phidippum egredi per tempus: accedamus.

QVEM CVM ISTOC SERMONEM HABVERIS. In hoc colloquio reconciliatio ſenum eſt poſt iurgium, miſta diſputatione Pamphili de non reducenda vxore. PROCVL. *Procul*, nunc prope. HINC STANS ACCEPI VXOR. *Accepi*, audiui. Et modo, *Vxor*: antè, *Mulier*. & de vxore, *Di mala prohibeant*

ISTVC EST SAPERE. τὸ *iſtuc*, exceptiue dictum: quaſi cætera ſtulte fecerit. & ſimul ſtomachum retinet quo reprehendat cætera.

QVI VBICVNQVE OPVS SIT. *Qui* pro *quæ*, interdum abundat.

ANIMVM POSSIS FLECTERE. Modo non alienum animum, ſed ſuum flectere. & vnde *flectere*? à iurgio ad modeſtiam, ex conceſſione, ex domo. ANIMVM FLECTERE. Ad hoc *Flectere animum* dixit, vt oſtenderet ne nunc quidem purgatam apud ſe Soſtratam de præterita culpa.

QVOD FACIVNDVM SIT POST FORTASSE. Hæc etiam ſententia videri poteſt generalis: & deeſt *ad id*: vt ſit, flectere ad id quod faciundum. Poteſt & abſolute accipi *quod*, pro quæ res facienda ſit. QVOD FACIVNDVM SIT POST. FORTASSE. Id eſt concedendum. & vim neceſſitatis hoc verbum exprimit.

FORS FVAT POL. Fortuna faueat: quaſi τῷ ἐυφημισμῷ aduerſus triſte dictum vſa eſt. nam

fors fortuna bona eſt. Et *Fuat*, *ſit* ſignificat. dixerat enim ille, *Quod faciundum ſit poſt fortaſſe.* Fors fvat pol. Id eſt bona eueniat. quaſi τῷ ἐυφημισμῷ dicat, Bona dicito potius. An bona fortuna ſit per Pollucem.

Abi rvs. Hortantis eſt ad celeritatem. Virgilius,

Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ.

Ibi ego te, et tv me feres. Non dixit, Ibi nos inuicem delectabimus: ſed quia ſenex atque anus eſt, *Ego te, & tu me feceres*, dixit. Et ſimul quia nuper incuſauerat mores ſenum, reuocare vult cauſam abſceſſionis ſuæ ad filij culpam aut nurus. Ibi ego te, et tv me feres, Aut quia noti inter nos ſunt mores noſtri: aut quia vtrique vna ætas eſt. & ſic pronuntia, quaſi hoc ipſum neceſſitate decernat ſenex, cum dicit, *Abimus*. Ergo hinc, *Ibi ego te, & tu me feres*, ipſa pronuntiatio querelam continet de filijs & ſenectute.

Spero ecastor. Mire non confirmauit mulier: ſed ſperare ſe dixit, memor iurgij priſtini, & ſenilis amaritudinis: maxime quod & ille non dixit, Ibi nobis iucunde erit: ſed, *Ibi ego te, & tu me feres.*

I ergo intro, et compone qvae simvl tecvm ferantvr. κωμικῷ χαρακτῆρι, & vſu quotidiano, ſatiſque moraliter: quia *Mulieres dum moliuntur, & dum conantur, annus eſt.*

Dixi. Denuntiatio eſt confirmandæ ſententiæ, nec mutandæ: & tranſlata eſt de foro & cauſidicis. Cicero, *Præco dixiſſe pronuntiat.* Dixi. Hoc verbum in fine additum ſuperiora confirmat: & eſt proprium his qui perorauerint cauſam.

Pater. Ipſum nomen dehortationem ſignificat, adiecta pronuntiatione. Pater. Sic pronuntia, vt hoc vultuoſe dictum ſit, *Hinc abire matrem?*

Qvid vis pamphile. Facete præſto *Quid vis*, reſpondit.

Qvid ita istvc vis. Rem ſuprà audiuit & perſonam: nunc cauſam quærit. quaſi dicat, *Eſto vt noſ: quid tantopere non vis?*

Incertvs svm etiam qvid sim factvrvs. Non, *Quid faciam*, dixit: ſed, *Quid ſim facturus*: vt incerta molimina etiam verbis poſſet oſtendere.

Qvid est. Et *Quid ita iſtuc vis*: & *Quod eſt*: eo vultu pronuntiantur, vt conſilium eius & verba videatur contemnere pater.

Qvid vis facere, nisi redvcere. Sic loquitur Laches, vt aliud Pamphilus reſpondere non a[illegible]eat. & ideo dicit.

Eqvidem cvpio, et vix contineor. Vt reducam ſcilicet. Adeò magna cauſa eſt non reducendi, vt cum velim, non poſſim.

Sed non minvam mevm consilivm. Caute ſatis, Reducendi, inquit, cupiditas eſt, non, reducendi conſilium.

Id persequar. Non *Sequar*, ſed *Perſequar* ait, vt conſtantiam demonſtraret.

Credo ea gratia concordes magis. Sententioſe dixit, tunc poſſe inter ſe congruere & concordare mulieres, quum & illa eſſe deſierit ſocrus, & illa nurus. hæc enim inter illas eſt diſſidioſa coniunctio: & ſatis ingenioſe dictum. Tolle enim inter mulieres proximitatem: & nulla cauſa diſcordiæ eſt. Concordes magis. Non magis concordes, verum pro minus diſcordibus dixit. an vt ſeruiret ſententiæ?

Nescias. Vtrum concordes futuræ ſint, an diſcordes.

Verum id tva refert nihil. Hoc verbum ex aliqua parte confirmantis eſt & conſentientis.

Vtrvm illae fecerint, Vtrum conſentientes ſint, aut diſſentientes. Vtrvm. Vnum de duobus ſignificat.

Odiosa haec est aetas adolescentvlis. Suprà in perſonam ſocrus culpam iratus contulerat diſcordiæ: nunc & vxori placatus, & nurui parcens, odiorum cauſam à perſonis tranſtulit ad ætates: ſed ita tamen, vt magis iuniores accuſaret, ei de adoleſcentibus queſtus, quum miſeratur ſenes. Odiosa haec est aetas. *Hæc*, cum gemitu pronuntiandum eſt.

E MEDIO AEQVVM EST EXCEDERE. Vtrum ex vrbe rus: an ex vita in mortem? Et ſatis moraliter. nam in *medio ſtare* dicitur ſuperuacuus vel moleſtus. Et cum ſtom acho dixit ſenili.

SENEX ATQVE ANVS. Hæc duo nomina, vt poſita ſunt, caput indicant, & inceptionem huiuſmodi fabularum.

IAM NOS FABVLAE SVMVS, SENEX ATQVE ANVS. Pronuntia *Senex atque anus*, quaſi initium fabulæ. τῷ ἰδιωτισμῷ additum, *Pamphile*.

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

PHIDIPPVS. LACHES. PAMPHILVS.

TIBI quoque aedepol ſum iratus Philumena
Grauiter quidem: nam hercle abs te factumſt turpiter,
Etſi tibi cauſa eſt de hac re. mater te impulit:
Huic verò nulla eſt. LA. opportunè te mihi
Phidippe in ipſo tempore oſtendis. PH. quid eſt?
PAM. Quid reſpondebo his? aut quo pacto hoc aperiam?
LA. Dic filiae rus conceſſuram hinc Soſtratam:
Ne reuereatur, minus iam quo redeat domum. PH. ah,
Nullam de his rebus culpam commeruit tua:
A Myrrhina haec ſunt mea vxore exorta omnia.
Mutatio fit: ea nos perturbat Laches.
PAM. Dum ne reducam, turbent porrò, quàm velint.
PH. Ego Pamphile eſſe inter nos, ſi fieri poteſt,
Adfinitatem hanc ſanè perpetuam volo:
Sin eſt, vt aliter tua ſiet ſententia,
Accipias puerum. PAM. ſenſit peperiſſe. óccidi.
LA. Puerum! quem puerum? PH. natus eſt nobis nepos.
Nam abducta à vobis praegnans fuerat filia,
Neque fuiſſe praegnantem vmquam ante hunc ſciui diem.
LA. Bene, ita me di ament, nuntias, & gaudeo
Natum illum, & tibi illam ſaluam: ſet quid mulieris
Vxorem habes? aut quibus moratam moribus?
Nóſne hoc celatos tam diu? nequeo ſatis,
Quàm hoc mihi videtur factum prauè, proloqui.
PH. Non tibi illud factum minus placet, quàm mihi, Laches.
PAM. Etiamſi dudum fuerat ambiguum hoc mihi:
Nunc non eſt, quum eam conſequitur alienus puer.
LA. Nulla tibi Pamphile hîc iam conſultatioſt.

PAM. Perij. LA. Hunc videre ſaepe optabamus diem,
Quum ex te eſſet aliquis, qui te appellaret patrem.
Euenit: habeo gratiam dis. PAM. nullus ſum.
LA. Reduc vxorem, ac noli aduerſari mihi.
PAM. Pater ſi ex me illa liberos vellet ſibi,
Aut ſe eſſe mecum nuptam: ſatis certò ſcio,
Non me clam haberet, quod celaſſe intellego.
Nunc, quum eius alienum eſſe à me animum ſentiam,
Nec conuenturum inter nos poſthac eſſe arbitror:
Quamobrem reducam: LA. mater quod ſuaſit ſua,
Adoleſcens mulier fecit: mirandúmne id eſt?
Cenſén' te poſſe reperire vllam mulierem,
Quae careat culpa? an quia non delinquunt viri?
PH. Voſmet videte iam Laches, & tu Pamphile,
Remiſſam opus ſit vobis, an reductam domum:
Vxor quid faciat, in manu non eſt mea:
Neutra in re vobis difficultas à me erit.
Sed quid faciemus puero? LA. ridiculè rogas:
Quidquid futurumſt, huic ſuum reddas ſcilicet:
Vt alamus noſtrum. PAM. quem ipſe neglexit, pater,
Ego alam? LA. quid dixti? eho an non alemus Pamphile?
Prodemus quaeſo potius? quae haec amentia eſt?
Enimuero prorſus iam tacere non queo:
Nam cogis ea, quae nolo, vt praeſente hoc loquar.
Ignarum cenſes tuarum lachrumarum eſſe me?
Aut quid ſit id, quod ſollicitêre ad hunc modum?
Primùm, hanc vbi dixti cauſam, te propter tuam
Matrem non poſſe habere hanc vxorem domi:
Pollicita eſt ea ſe conceſſuram ex aedibus.
Nunc poſtquam ademptam hanc quoque tibi cauſam vides:
Puer quia clam te eſt natus, nactus alteram es.
Erras, tui animi ſi me eſſe ignarum putas:
Aliquando tandem huc animum vt adiungas tuum.
Quàm longum ſpatium amandi amicam tibi dedi?
Sumptus, quos feciſti in eam, quàm animo aequo tuli?
Egi, atque oraui tecum, vxorem vt duceres:
Tempus dixi eſſe, inpulſu duxiſti meo:

Quae

Quae tum obſecutus mihi, feciſti vt decuerat.
Nunc animum rurſum ad meretricem induxti tuum,
Cui tu obſecutus, facis huic adeò iniuriam:
Nam in eandem vitam te reuolutum denuo
Video eſſe. P A M. *méne?* L A. *te ipſum. & facis iniuriam,*
Quum fingis falſas cauſas ad diſcordiam:
Vt cum illa viuas, teſtem hanc quum abs te amoueris.
Senſitque adeò vxor. nam ei cauſa alia quae fuit;
Quamobrem abs te abiret? P H. *planè hic diuinat: nam id eſt.*
P A M. *Dabo iuſiurandum, nihil eſſe iſtorum, tibi.* L A. *ah,*
Reduc vxorem: aut, quamobrem non opus ſit, cedò.
P A M. *Non eſt nunc tempus.* L A. *puerum accipias; nam is quidem*
In culpa non eſt: pòſt de matre videro.
P A M. *Omnibus modis miſer ſum: nec, quid agam, ſcio:*
Tot me nunc rebus miſerum concludit pater:
Abibo hinc, praeſens quando promoueo parum.
Nam puerum, iniuſſu credo non tollent meo,
Praeſertim in ea re quum ſit mihi adiutrix ſocrus.
L A. *Fugis? hem. nec quidquam certi reſpondes mihi?*
Num tibi videtur eſſe apud ſeſe? ſine:
Puerum Phidippe mihi cedò, ego alam. P H. *maxumè:*
Non mirum fecit vxor mea ſi hoc aegrè tulit:
Amarae mulieres ſunt: non facile haec ferunt.
Propterea haec iraſt: nam ipſa narrauit mihi:
Id ego hoc praeſente tibi nolebam dicere:
Neque illi credebam primo: nunc verò palàm eſt.
Nam omnino abhorrere animum huic video à nuptiis.
L A. *Quid ergo agam Phidippe? quid das conſili?*
P H. *Quid agas? meretricem hanc primùm adeundam cenſeo.*
Oremus: accuſemus grauius: denique
Minitemur, ſi cum illo habuerit rem poſtea.
L A. *Faciam vt mones: ehò puer, curre ad Bacchidem hanc*
Vicinam noſtram: huc euoca verbis meis.
Et te oro porrò in hac re adiutor ſis mihi. P H. *ah,*
Iamdudum dixi, idémque nunc dico Lache,
Manere adfinitatem hanc inter nos volo,

Si vllo modo eſt, vt poſsit, quod ſpero, fore.
Set vin adeſſe me vnà, dum iſtam conuenis?
LA. Immò verò abi: aliquam puero nutricem para.

TIBI QVOQVE AEDEPOL. In hac ſcena vltimus error eſt, vicinus καταστροφῇ. TIBI QVOQVE AEDEPOL SVM IRATVS. Quaſi dicat, Non ſolum matri tuæ, aut etiam ſocrui tuæ. TIBI QVOQVE AEDEPOL. Recte: nam & amicos incenſamus leniter incipientes, & grauiora inferentes. Hanc ergo partus cauſa leniter incuſat: deinde confirmat inferendo, *Grauiter* quidem. & ſtatim cauſam ſubiungit, cur quidem ei iraſcatur.

FACTVM EST TVRPITER. Quod abſceſſerit domo mariti.

ETSI TIBI CAVSA EST DE HAC RE. *Cauſam* more ſuo pro defenſione poſuit. Sic in Phormione, *Quid mihi dicent, aut quam cauſam reperient, demiror.* Et quæ cauſa fuerit, ipſe dicit.

MATER TE INPVLIT. *Mater te inpulit*, abſolute: deeſt enim *nam.* vt ſit, Nam mater te inpulit. MATER TE INPVLIT. Qualitas remotiua.

HVIC VERO. Ipſi matri ſcilicet.

OPPORTVNE TE MIHI PHIDIPPE IN IPSO TEMPORE. Vtrum ταυτολογία eſt? an *Opportune*, quia volebam: & in tempore, quomodo volebam? an, *Opportune*, mihi: *In ipſo tempore*, tibi: id eſt, & mihi, & tibi commode eueniſti? & ἀπὸ τοῦ *portu* dictum *oportune* IN IPSO TEMPORE OSTENDIS. Oſtenditur nobis id quod quærebamus. *Opportune*, & *In ipſo tempore*, non eſt idem. etenim *Opportune* dicimus, quum, verbi gratia, inuitati, ad ipſum tempus incipientis prandij venimus. *In ipſo tempore*, Cum iam prandio appoſito.

AVT QVO PACTO HOC APERIAM. Hoc modo oſtendit nec eſſe quod ſimulet: nec id quod verum eſt, dicendum ſibi eſſe.

DIC FILIAE RVS CONCESSVRAM HINC SOSTRATAM. Blande non addidit *Tuæ*: quaſi dicat communi filiæ. Et bene, non ſocrum, ſed Soſtratam.

NE REVERTATVR. Bene *Reuertatur*: ne odiſſe Soſtratam, ſed metuere videatur: & quaſi ipſa ſocrus non odium meruerit, ſed reuerentiam.

MINVS IAM QVO REDEAT DOMVM. τμῆσις cum ἀναστροφῇ. vt ſit ordo, Quo minus redeat.

NVLLAM DE HIS REBVS CVLPAM. Relatio criminis poteſt videri.

TVA. Deeſt *vxor*: quod nomen inferius poſuit. TVA. Cum percuſſione audiendum eſt, vt ſubaudiatur vxor, ab eo quod dicturus eſt, vxore.

MVTATIO FIT. Mutationem, ſuſpicionem dicit, errorémque iurgantium. MVTATIO. Deeſt *Quarum rerum mutatio.* ergo mutatio criminum, aut culparum. MVTATIO FIT. Criminis ſcilicet & peccati. id eſt vel mea vxor crimen tuæ ſuſtinet? vel tua ad meam tranſlata eſt culpa.

EA NOS PERTVRBAT LACHES. *Ea*: non ea mutatio, ſed vxor, hoc eſt Myrrhina.

TVRBENT PORRO QVAM VELINT. Quantum velint: aut eam, quam velint, mulierem. ſed melius eſt quod ſuprà diximus.

DVM NE REDVCAM, TVRBENT PORRO. Quomodo eſt pius erga matrem Pamphilus, ſi paruifacit vtrum ſocrus ſua perturbetur? an mater à ſenibus? Soluitur ſic. quia *Quam*, non eſt generis fœminini, ſed eſt *Quantum. Turbent*, errent & tumultuentur, ſignificat: vel turbentur.

EGO PAMPHILE. Hoc pronomen initium continet orationis grauiter inceptæ: vt *Ego poſtquam emi te à paruulo.*

SI FIERI POTEST. Interpoſuit, vt ſupercilium ſoceri demonſtraret. SI FIERI POTEST. Recte additum, *Si fieri poteſt*: quia non conuenit rogari à ſocero generum, vt ſuprà dixit.

HANC SANE PERPETVAM VOLO. Iam enim eſt confirmata: ſed perpetuam cupit.

SIN EST, VT ALITER TVA SIET SENTENTIA. τῷ εὐφημισμῷ vitauit illud quod eſt ominioſum, ne diſſidium diceret. vt Virgilius.

——*grauior ne nuntius aures Verberet.*

ACCIPIAS PVERVM. Iure: quia liberi patrem ſequuntur. Et mire hoc maxime adiecit, quod maxime recuſat Pamphilus: & propter quod vxor quoque non reducitur. Et *Accipias*, pro accipe: vt *Quieſcas*, pro quieſce.

SENSIT PEPERISSE OCCIDI. Hoc maxime inopinatum eſt Pamphilo: quia ſoerus promiſerat omnes ignoraturos. SENSIT. Proprie ſic.

PVERVM? QVEM PVERVM. Moraliter primo dubitat quid audierit: deinde quaſi certus quid audierit, admiratur, dicendo *Quem puerum?* PVERVM? QVEM PVERVM. Bene cum conſternatione animi: quod numquam fando acceperat.

NATVS EST NOBIS. Bene, quia ambo aui.

NAM ABDVCTA A VOBIS. Bene, non *abierat*, ſed *abducta fuerat*: vt magis ſit culpa matris. A VOBIS. Pro, à Pamphilo. NAM ABDVCTBA A VOBIS PRAEGNANS FVERAT. Hoc totum cum indignatione in vxorem pronuntiandum eſt.

NEQVE FVISSE PRAEGNANTEM. Prægnans eſt ante gnatum, vel ante genitricem. eſt enim *Præ, ante*.

BENE, ITA ME DI AMENT. Ait gratias nuntianti: gratulatur ob ſuſceptum nepotem: gaudet libera tam nurum.

NATVM ILLVM, ET TIBI ILLAM SALVAM. Proprium affectum refert, ſibi nepotem, illi filiam eſſe ſeruatam. ET TIBI ILLAM SALVAM. Rectè *Tibi*, quia pater puerperæ eſt cui dicit.

SET QVID MVLIERIS VXOREM HABES. *Quid mulieris*, dixit: ne diceret, qualem mulierem, aut aliquid grauius. & totum percunctatiue potius, quàm pronuntiaret, & diceret, Peſſimam mulierem, & male moratam vxorem habes. Et reprehenſio eſt cum contemptu: ſic &, *Quid hominis?* vt Virgilius. *Tu mihi quodcumque hoc regni*. At contrà cum honore ſic dicimus, *Quem hominem habes?*

MORATAM. Id eſt inſtitutam. & eſt participium ſine verbo.

NOSNE HOC CELATOS. Non partum celatos dicit: ſed, Prægnantem filiam fuiſſe.

NEQVEO SATIS, &c. PROLOQVI. Magna exaggeratio.

QVAM HOC MIHI VIDETVR FACTVM PRAVE. Totum modeſte, quamuis indignetur: quia apud maritum vxor non eſt vehementius accuſanda. QVAM HOC MIHI. Quod prægnans fuerit filia: non quòd natus eſt puer.

NON TIBI ILLVD FACTVM MINVS PLACET, QVAM MIHI, LACHES. Vtrum quia minus & magis, quoniam ſequitur: an εἰρωνεία eſt, vt ſit ordo, Non minus mihi placet, quàm tibi. Et *placet*, pro diſplicet intelligamus: vt alibi, *Nunc me hoſpitem lites ſequi, quàm hic mihi ſit facile atque vtile, aliorum exempla commonent.* NON TIBI ILLVD FACTVM. Sub εἰρωνείᾳ eſt dictum. hoc enim ait, Tantundem tibi placet hoc factum, quàm mihi. Alibi, *Nunc me hoſpitem lites ſequi, &c.*

QVVM EAM CONSEQVITVR ALIENVS PVER. *Alienus*: quòd ſenes gratulantur, id maxime lædit Pamphilum. CONSEQVITVR ALIENVS PVER. μεταφορὰ à pecoribus, quæ vt mox nati fuerint, matres ſequuntur. Virgilius, *Atque ipſæ memores redeunt in tecta, ſubſque Deducunt.*

NVLLA TIBI PAMPHILE HIC IAM CONSVLTATIO EST. De reducenda ſcilicet vxore.

PERII. Hoc ſibi ipſe Pamphilus dicit.

CVM EX TE ESSET ALIQVIS QVI TE APPELLARET PATREM. Bene hoc putauit, quod Pamphilo non videtur: hoc eſt, ex illo eſſe quod natum eſt.

EVENIT. Proprie *Euenit*. ideo & bonorum euentus dicitur.

NVLLVS SVM. Ipſe ſibi iterum. hoc vlterius eſt, quàm *Perii*: quia quum aliquis pe-

ſit, reliquum vel cadauer eſt.

AC NOLI ADVERSARI MIHI. Cauſam interpoſuit ſenex, quo magis ſacere filius non recuſet.

SI EX ME ILLA LIBEROS VELLET SIBI. Vt apparet, tantum commentus eſt cauſam. SI EX ME ILLA LIBEROS VELLET SIBI. Nactus eſt Pamphilus ex verbis ſenis cauſam aliam diſſidij.

AVT SE ESSE MECVM NVPTAM. Veruſte *Mecum nuptam*, dixit. Et recte: quia partus confirmat nuptias. Et melius, *Nuptam mecum*: quaſi tectam & opertam vno cubiculo mecum. *Nubere* enim, eſt operiri tegique. vnde & *nubes*, quòd tegere ſolent cælum, dicuntur. Virgilius, *Arſuráſque comas obnubit amictu.*

NON ME CLAM HABERET. Id eſt, non tacuiſſet, partúmque celaſſet. QVOD CELASSE INTELLEGO. Non dixit natum filium: ne interpoſito affectu molliretur iratus.

NVNC QVVM EIVS ALIENVM ESSE A ME ANIMVM SENTIAM. A præſenti tempore. NEC CONVENTVRVM. A futuro. QVAMOBREM REDVCAM. Firmior concluſio facta eſt per interrogationem, quàm ſi eſſet pronuntiatiua.

MATER QVOD SVASIT SVA. A deriuatione cauſæ defenſio: & præterea ſtatus eſt venialis, ab imprudentia deſcendens. SVA. Pro *eius*: vt, *Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat.* ADOLESCENS MVLIER FECIT. Multa dixit: & *Mater ſua*, & *Adoleſcens mulier*. & quaſi docet hoc exemplo parendum patri eſſe.

MIRANDVMNE ID EST. Bene *Mirandum*, non *Iraſcendum*, dixit. Miramur enim magis ſi amici peccauerint, quàm iraſcimur.

REPERIRE VLLAM MVLIEREM. Quaſi dicat, ſi hanc repudiaueris.

AN QVIA NON DELINQVVNT VIRI. εἰρωνικῶς dictum. non enim non delinquunt.

VOSMET VIDETE IAM, LACHES, ET TV PAMPHILE. Nec rogare ſocerum, nec intereſſe conuenit, vbi certior ſit ad repudiandum gener. VOSMET VIDETE IAM, LACHES. Virgilius, *Vos ô Calliope precor, aſpirate canenti.*

REMISSAM OPVS SIT VOBIS, AN REDVCTAM DOMVM. In veteris codicibus ſic eſt, *Remiſſan', an reducta*. vt ſit, *Remiſſáne, an reducta.*

VXOR QVID FACIAT, IN MANV NON EST MEA. Ordo, Vxor mea quid faciat, in manu non eſt. deeſt *eius*. vt ſit, in manu eius non eſt: ſed in mea poteſtate poſitum eſt. IN MANV NON EST. Vxoris ſcilicet. Et eſt ordo, Vxor mea quid faciat, in manu eius non eſt.

NEVTRA IN RE VOBIS DIFFICVLTAS. Promittit facilitatem ſuam: vt tamen vxor roganda ſit. An aliter, & vt ſuprà annotauimus?

SED QVID FACIEMVS PVERO *Quid me fiet & quid fiet mihi* dicitur. SED QVID FACIEMVS PVERO. Qui vtique quicquid erit, patri reddendus eſt.

RIDICVLE ROGAS. *Ridicule*, vel aduerbium eſſe poteſt, vel nomen: ſi nomen eſt, ſubdiſtingue ridicule: & ſic interroga, cum vi pronuntiationis.

HVIC REDDAS. Pamphilo ſcilicet. HVIC SVVM REDDAS SCILICET. Sic dixit, *Huic ſuum*; & *Reddas*; quaſi repoſcat Pamphilus. Et non ſubiunxit, *vt alat*, ſed, *vt alamus*: vt ſua quoque intereſſe monſtraret.

VT ALAMVS NOSTRVM. Scilicet Pamphili filium, nepotem meum, vtrumque noſtrum.

QVEM IPSE NEGLEXIT. Si *ipſe* legeris: clare dictum eſt. ſi *ipſa*, lenius eſt: & videbitur ſenex ob murmurationem eius intellexiſſe quòd nolit puerum tolli: & ideo appoſitum, *Quid dixit eho, an non alemus Pamphile.* QVEM IPSE NEGLEXIT. Legitur & *ipſa*: & hoc eſt melius: vt ſit *Pater* vocatiuus caſus. QVEM IPSA NEGLEXIT, PATER EGO ALAM. Hic ſibi obmurmurans, vultu & verbis oſtendit nolle ſuſcipere filium.

AN NON ALEMVS PAMPHILE. Quod faciendum ſit, à contrario vult ſenex pronuntiatione demonſtrare, quòd ſcelus ſit non feciſſe.

PRODEMVS QVAESO POTIVS. Deſeremus, proiiciemus, porro dabimus? Virgilius,

——— *vnius ob iram Prodimur.* Nam à quo defendendi ſumus, ſi nos deſerit pater?

ENIMVERO PRORSVS IAM TACERE. Multa reticentia de filiorum vitiis, & defenſione quoque apud ſoceros vti parentes, ſæpe Terentius demonſtrauit: & præcipue in Andria, quum dicit, *Ego illud ſedulo negare factum, ille inſtat factum.* IAM TACERE NON

QVEO. Quamuis tacendum ſit.

IGNARVM CENSES TVARVM LACHRVMARVM ESSE ME. Coniectura quòd amet meretricem Pamphilus. TVARVM LACRVMARVM ESSE ME. Apparet illum à Soſtrata hoc audiuiſſe. nam ipſe filium deprehenderat flentem.

SOLLICITERE. Perturberis, commoueare. AD HVNC MODVM. Id eſt immoderate.

PRIMVM, HANC VBI DIXTI CAVSAM. A ſummo ad imum.

NACTVS ALTERAM ES. *Nanciſci* proprie dicitur, qui paratus ad tenendum antè, quàm poſſit reperire quod teneat, ſtatim, quod occurrerit, prehendit.

ALIQVANDO TANDEM HVC ANIMVM VT ADIVNGAS TVVM. Mire eſt temporis iſ-nectio. Et *aliquando tandem vt adiungas*, deeſt *fac* : ſed plenum pronuntiatione eſt.

QVAM LONGVM SPATIVM. Ab antè actis.

SVMPTVS, QVOS FECISTI IN EAM. Recte hoc dixit : quia imperabilior eſſe debet indulgentiſſimus pater. vt alibi, *Tum patris pudor, qui me tam leni paſſus eſt animo vſque adhuc, Quæ meo cumque animo libitum eſt facere : eine ego vt aduerſer ?*

EGI ATQVE ORAVI. *Agit*, qui inſtam rem dicit : *Orat*, qui animo demiſſo precatur, vt quaſi beneficium præſtetur ſibi.

TEMPVS DIXI ESSE. *Tempus* : quia diu multúmque ſuſtinuit.

INPVLSV DVXISTI MEO. Multum valet ad ſuadendum laudatio eius apud quem agimus : & ex ea parte laudatio qua illum volumus inflecti.

QVAE TVM OBSECVTVS MIHI, FECISTI VT DECVERAT. Ordo, Quæ feciſti tum obſecutus mihi, vt decuerat. QVAE TVM OBSECVTVS MIHI, FECISTI. Iuueniliter ſatis quia non dixit, Multum amans.

NVNC ANIMVM RVRSVM AD MERETRICEM. Hoc vultuoſe & demiſſo labro : vt appareat inuitum adduci ad reprehendendum, qui laudauerit modo.

CVI TV OBSECVTVS. O meretricis ſuperbiam non ferendam.

FACIT HVIC. Scilicet vxori.

NAM IN EANDEM VITAM. Parcius *vitam* dixit, quàm flagitium atque libidinem.

TE REVOLVTVM DENVO. Non *Rediſſe*, ſed *Reuolutum eſſe* : tanquam inuitum aut neſcium. relinquit enim quandam veniam, vt velit eſſe correctior.

MENE. Hoc genus interrogationis negatiuam habet ſignificationem.

ET FACIS INIVRIAM. Pro, *facis iniuſte*.

VT CVM ILLA VIVAS. Grauius eſt cum meretrice viuere, quàm meretricem amare.

TESTEM HANC QVVM ABS TE AMOVERIS. Laudata eſt hic vxor modeſta, quum illam teſtem, non impeditricem appellet ſocer.

SENSITQVE ADEO VXOR. Aliud argumentum quo vult in Pamphilum referre non ſolum illius, ſed etiam vxoris culpam. Et hic vide non accuſari ſocrum.

PLANE HIC DIVINAT. *Diuinat* dixit, pro verum dixit. & nota *Diuinat*, de præterito dictum. Vnde prouerbium, *Aiunt diuinare ſapientem* quia qui dicit verum, diuinus eſt.

DABO IVSIVRANDVM. Vbi argumenta & teſtimonia deficiunt, ibi iureiurando opus eſt : & id eſt ἄτεχνος πίστις.

NIHIL ESSE ISTORVM. Satis concinne dixit *iſtorum*, ne in ſingulis commoraretur.

REDVC VXOREM : AVT QVAMOBREM NON OPVS SIT, CEDO. Quia Pamphilus hoc ſolum defendit, non id eſſe, quod pater putat : nec cauſam, quæ vera ſit, protulit : ideo ſenex relicta tota quæſtione, rediit ad id quod agitur, & ait, *Reduc vxorem* : aut dic, quæ res vetat. NON OPVS SIT. Reducta ſcilicet.

NON EST NVNC TEMPVS. Quia ſocer adeſt. Et oratorie confugit ad deditionem, defenſione titubante. ACCIPIAS. Pro *accipe*. Cauſa cur accipiat. NAM IS QVIDEM IN CVLPA NON EST. In hoc dicto eſt quædam faceta irriſio eius, qui nimis iracundus ſit. POST DE MATRE VIDERO. Bene de matre concedit, vt de puero extorqueat : quia ſcit parentum concordiam firmam eſſe per filios.

OMNIBVS MODIS MISER SVM. Quid eſt, *Omnibus modis* ? vtrum & circa parentem, & circa vxorem ? an & in reducenda, & in non reducenda ? MISER SVM. An miſer ſum,

cui maxime obtuditur, quod maxime fugio, id eſt puer? CONCLVDIT PATER. Tranſlatio de fera indagata. Sic Cicero, *circundatos Verri cancellos ait.*

NAM PVERVM, CREDO. Omnia facit poeta, ne aut rem palàm faciat, aut intercedat diuortium.

ADIVTRIX SOCRVS. Quæ dixit, *Continuo exponetur.*

FVGIS? HEM. Ex verbis patris oſtendere voluit quid agat Pamphilus. & ille *Ambo* dixit, hic *Fugis.*

NVM TIBI VIDETVR ESSE APVT SESE. Quaſi ob amorem meretricis inſanus.

SINE. *Sine,* ſeparatim accipe: quia vim habet comminantis.

AMARAE MVLIERES. Quaſi vir, dixit amaras mulieres. non enim laudat: ſed cauſam dicit, vnde vxor offenderit Pamphilum. NON FACILE HAEC FERVNT. Non facilè ferunt pellicatum, neque amorem aliarum in viris.

NAM IPSA NARRAVIT MIHI. Vtrum finxit hæc dixiſſe filiam ſibi? an vero κατὰ τὸ σιωπώμενον factum eſt? Ego neutrum puto: & ſic intelligo, quòd de vxore ſua dicat, Ipſa narrauit mihi: ſecundum illud quod ſuprà dixit, Nunc mihi in mentem venit, de hac re quod locuta es olim quum illum generum cepimus. nam negabas nuptam filiam tuam poſſe te pati cum eo, qui meretricem amaret: qui pernoctaret foris.

NEQVE ILLI CREDEBAM PRIMO. Quare non credebas? namque amaræ ad hanc rem mulieres ſunt: & ſæpe de nihilo ſuſpicioſæ. Et bene hoc addidit, ne timuiſſe generum videretur.

A NVPTIIS. Non dixit *A filia mea:* ſed quod patet Pamphili magis doleat, *A nuptiis* inquit. nam Philumenam nolle, irati eſt: odiſſe nuptias, amatoris.

QVID ERGO AGAM PHIDIPPE. Mire conturbatur pater, quaſi res ſua tantum agatur. Et vide quemadmodum poeta latenter feſtinet ad rerum cognitionem.

MERETRICEM HANC. Bene *Hanc*, quaſi eam quæ interturbat. ſic enim ſumitur hoc pronomen: vt, *Hancine ego vitam parſi perdere?* Et, *Tuáque animam hanc effundere dextra,* id eſt malam. HANC. Quaſi dicat, quæ nos perturbat.

PRIMVM. Bene *Primùm*: vt intelligamus. deinde Pamphilum.

OREMVS. Vtrum rogemus? an, quod eſt verius, omni genere eloquij commoneamus? vnde *oratores, orare & perorare* dicuntur: & *orator* nomen accepit. Virgilius, *Talibus orabat dictis.* Nam qui orat, accuſaturus, aut commoniturus orat. OREMVS. Id eſt eloquamur. Poteſt intelligi, & *Rogemus*: ſed non conuenit perſonæ potiori, & cauſæ, & ipſi verborum ordini.

SI CVM ILLO HABVERIT REM POSTEA. Vt in Eunucho, *Quorum vno tum rem habebam hoſpite.*

BACCHIDEM HANC VICINAM NOSTRAM. Sic maluit, quàm meretricem dicere: ne graue ſit cum ea ſeni loqui, niſi quia vicina eſt.

HVC EVOCA VERBIS MEIS. Bene ſeruata ſunt perſonis congruentia. Nam ſocerum monere hanc rem tantum decuit, non etiam facere: vt cum pellice filiæ ſuæ mitius ſermocinaretur. Et *Huc euoca verbis meis.* deeſt *eam.*

SI VLLO MODO EST VT POSSIT. Manere ſcilicet, vel fieri vt maneat.

SED VISNE ADESSE ME VNA DVM ISTAM CONVENIS. Melius pronuntiaueris, ſi renitente & improbante hoc vultu dicere acceperis Phidippum: quaſi non oporteat intereſſe ſocerum. Ideò mutat ſententiam Laches, & relegat eum in procurationem alterius rei.

NVTRICEM PARA. Pro, quære.

ACTVS QVINTI SCENA I.

BACCHIS. LACHES.

NON hoc de nihiloſt, quòd Laches nunc me conuentam eſſe expetit:
Nec pol me multum fallit, quin quod ſuſpicor, ſit quod velit.
LA: Videndum eſt ne minus propter iram hanc impetrem, quàm poſsiem:
Aut ne quid faciam plus, quòd me pòſt minus feciſſe ſatius ſit.
Adgrediar. Bacchis ſalue. BA. ſalue Laches. LA. credo aedepol te
Nonnihil mirari Bacchis, quid ſit, quapropter te huc foras puerum euocare iuſsi.
BA. Ego pol quoque etiam timida ſum: quum venit mihi in mentem quae ſim:
Ne nomen mihi quaeſtus obſtet apud te: nam mores facilè tutor.
LA. Si vera dicis, nihil tîbi pericli eſt à me mulier:
Nam iam aetate ea ſum, vt non ſiet peccato mihi ignoſci aequum:
Quo magis omnis res cautius, ne temerè faciam, adcuro.
Nam ſi id facis, factura've es, bonas quod par eſt facere: inſcitum
Offerre iniuriam tibi me inmerenti, iniquum eſt.
BA. Eſt magna ecaſtor gratia, de iſtac re, quam tibi habeam.
Nam qui poſt factam iniuriam ſe expurget, parum mihi proſit:
Set quid iſtuc eſt? LA. meum receptas filium ad te Pamphilum. BA. ah.
LA. Sine dicam: vxorem hanc prius quàm duxit, voſtrum amorem pertuli:
Mane, nondum etiam dixi id quod volui: hic nunc vxorem habet:
Quaere alium tibi amicum firmiorem, dum tempus conſulendi eſt.
Nam neque ille hoc animo erit aetatem: neque pol tu eadem iſtac aetate.
BA. Quis id ait? LA. ſocrus. BA. méne? LA. teipſam: & filiam abduxit ſuam:
Puerúmque ob eam rem clàm voluit, natus qui eſt, extinguere.
BA. Aliud ſi ſcirem, quî firmare meam aput vos poſſem fidem,
Sanctius quàm iuſiurandum, id pollicerer tibi Laches,

Me ſegregatum habuiſſe, uxorem vt duxit, à me Pamphilum.
LA. Lepida es: ſet ſcin' quid volo potius ſodes facias? BA. quis vis? cedò.
LA. Eas ad mulieres huc intrò, atque iſtuc iuſiurandum idem
Pollicearе illis: exple animum ijs: téque hoc crimine expedi.
BA. Faciam: quòd pol, ſi eſſet alia ex hoc quaeſtu, haut faceret, ſcio:
Vt de tali cauſa nuptae mulieri ſe oſtenderet.
Set nolo falſa fama eſſe gnatum ſuſpectum tuum:
Nec leuiorem vobis, quibus eſt minimè aequum, viderier
Immeritò: nam meritus de me eſt, quòd queam, illi vt commodem.
LA. Facilem, beneuolúmque lingua tua iam tibi me reddidit.
Nam non ſunt ſolae arbitratae hae: ego quoque etiam credidi.
Nunc quum ego te eſſe praeter noſtram opinionem comperi,
Fac eadem vt ſis porrò: noſtra vtere amicitia, vt voles.
Aliter ſi facias: ſet reprimam me, ne aegrè quidquam ex me audias.
Verùm te hoc moneo vnum: qualis ſim amicus, aut quid poſsiem,
Potius quàm inimicus, periculum facias.

NON HOC DE NIHILO EST. Raros vitæ color in hac locutione miſcetur à poeta. Nam meretrix loquitur & ſenex: & quod eſt mirabilius, bona meretrix mitis ſenex: vt intelligas laboraſſe Terentium, vt & à lege comicorum recederet, & in actu tantùm conſuetudinem retineret. NON HOC DE NIHILO EST. Debet mirari meretrix, quum ad ſenem ducitur: debet timere, quum ad patrem: debet ſuſpicari aliquid cuius amator iam maritus eſt. NON HOC DE NIHILO. Coniecturalis cauſa eſt, Recipis Pamphilum non Recipio.

NEC POL ME MVLTVM FALLIT, QVIN QVOD SVSPICOR. Ordo & ſenſus hic eſt, Nec pol me multum fallit, quin quod velit, hoc ſit quod ſuſpicor, vel quin quod ſuſpicor, ſit hoc quod velit. Ordo, Quin quod velit, ſit quod ſuſpicor. NEC POL ME MVLTVM FALLIT. Non me fallit, quo minus id ſit, quòd me vocat, quod ſuſpicor.

NE MINVS PROPTER IRAM. Quia non erat veriſimile bonum eſſe patrem meretrici interturbanti: reddit rationem ſenex cur agat mitius: ne videatur perſonæ modus non eſſe ſeruatus.

VIDENDVM EST. Prouidendum, cauendum.

IMPETREM. Perficiam. dictum à patrando: cuius rei difficultas ob tarditatem complendarum nuptiarum, etiam ad alia negotia quæ ſunt ardua, verbum hoc commodauit, ac dedit.

QVOD POST ME MINVS FECISSE SATIVS SIT. Satisfaciendo minuiſſe. QVOD POST ME MINVS FECISSE SATIVS SIT. Si *ſit* pro videatur acceperis, erit ſenſus, Ne quid faciam plus, quod pòſt, dum pœniteat me, videatur ſatius minus feciſſe. Si *ſit* pro erit acceperis, erit ſenſus, Videndum eſt ne quid plus faciam: quod quum fecero, poſt ea ſatius ſit me non feciſſe & ſatisfacere. Aut certe duas res ſignificat, quibus inter vtrumque temperandum eſſe demonſtrat: vt per illud ſuprà, lenitatem tenendam: per hoc infrà, authoritatē defendendam eſſe commoneat. An *Minus feciſſe*, pro pœnitere: ſic enim veteres

dicebant,

dicebant, *Nolo factum, & nolo factum*: quum alicuius rei eos pœnitebat. SIT. Modo *ſit* pro videatur poſuit.

AGGREDIAR. BACCHIS SALVE. Bene *Aggrediar*, quaſi rem arduam, & incongruam ſeni. vel *aggrediar*, vt meretricem circumueniam. Virgilius, *Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.* BACCHIS SALVE. Non ita meretrici obſequitur ſenex: quamquam vult illi adimere timorem perſonæ ſuæ.

CREDO AEDEPOL TE NONNIHIL MIRARI. Ipſum prooemium mollius & lenius eſt vt oſtendat ſe non iurgaturum ſenex.

QVID SIT. Deeſt *rei*: vt ſit, *Quid ſit rei.*

EGO POL QVOQVE ETIAM TIMIDA SVM. περίλκον tertium. Vt, *Multa quoque & bello paſſus.* Et obſequenter poſuit non ſolum ſe mirari, ſed etiam pauere. EGO POL QVOQVE ETIAM TIMIDA SVM. Bene *Etiam*: vt hoc dicat, non ſolum miror, ſed etiam timeo. Et noue, *Timida ſum*, pro timeo.

NE NOMEN MIHI QVAESTVS. Id eſt nomen quod ineſt meo quæſtui. NOMEN QVAESTVI OBSTET. Quem exerceo ſcilicet. Et deeſt, *Quod eſt.* NE NOMEN MIHI QVAESTVS. Id eſt quòd meretrix ſum. Legitur &, *Nomen meo quæſtui obſtet.*

SI VERA DICIS. Interrogabo ſcilicet.

NON SIT. Non videatur.

IAM EA AETATE SVM, VT NON SIT PECCATO MIHI IGNOSCI AEQVVM. Quia ipſe non do veniam. an quia iam mihi peccanti non danda eſt? Et eſt ordo, Vt non ſit mihi æquum peccato ignoſci. Neceſſaria igitur ambiguitas. aut enim *ſit* pro videatur. aut *Peccato*, pro peccatorum. aut *Peccato mihi*, pro peccanti mihi. aut *Pecato meo.* aut deeſt *in*, vt ſit, in peccato.

CAVTIVS, NE TEMERE FACIAM. Seniliter additum pòſt, *Cautius, ne temere faciam.*

FACTVRAVE ES. Etiam, ſi non facies.

INSCITVM Me ſcilicet, ſi iniuriam faciam. INSCITVM. Inelegans, non bonum. Et bene non dixit *Durum*, aut quid tale, ſed *Inſcitum*: quo verbo maxime mulieres, & meretrices vtuntur. *Scitum* enim dicunt quod placet: *Inſcitum* quod diſplicet. vt, *Per ecaſtor ſcitus puer natus eſt è Pamphilo* Hoc tale eſt quod dixit *Inſcitum* ex abundanti: quale eſt apud Virgilium, ——— *Nec pòſt arma vlla rebelles Aeneadæ referent.*

OFFERRE INIVRIAM. *Offerrimus* iniuriam non merenti: *Reddimus* ei qui meretur.

EST MAGNA ECASTOR GRATIA, DE ISTAC RE, QVAM TIBI HABEAM. Imitatur hic & ſenile, & fœmineum tardiloquium. Suffecerat enim, *Ago gratias.*

NAM QVI POST FACTAM INIVRIAM SE EXPVRGET. Sic Adelphis ait, *Indignum te eſſe iniuria hac, indignus quum egomet ſim acceptus modò.*

PARVM MIHI PROSIT. Si ſic accipiatur, vt ſcriptum eſt, λιτότης aut ταπείνωσις. & ita intelligendum, quaſi dixerit, Multum mihi nocuerit, imò me euerterit.

SED QVID ISTVC EST. Nunc demum ad rem redit.

MEVM RECEPTAS FILIVM. Intenſio criminis. Et non *Recepis*, ſed *Receptas*. Et ne diceret, Quid tua? *Meum filium.* MEVM RECEPTAS FILIVM. Propoſitio accuſatoria eſt. & breuiter propoſuit crimen, quod poſtea dilatatur. Et frequentatiuo vſus eſt verbo, quòd non raro, ſed frequenter receptet. MEVM RECEPTAS FILIVM AD TE. Status coniecturalis, quæ coniectura diluitur per ἄτεχνον πίστιν, id eſt iuſiurandum, ac tormenta ſeruorum.

AH. Quòd falſum eſt reclamauit meretrix ſtatim: & voluit contradicere, ſi permitteret ſenex.

SINE DICAM. Virgilius. ——— *ſine me hæc haud mollia fatu, Sublatis aperire dolis.*

VXOREM HANC PRIVS QVAM DVXIT. Hanc quaſi moleſtam, & quæ hæc nolit pati. VXOREM HANC PRIVS QVAM A perſona ſua, Prius quàm hanc duxit, veſtrum amorem pertuli. Et quia multum diúque amauerit, *Pertuli* dixit, quæ eſt longi temporis ſignificatio. HANC PRIVS QVAM DVXIT. Ante rem: à præteritis & antè actis.

VESTRVM AMOREM PERTVLI. ἀποσιώπησις, vt in Heautontim. *At ne illud haud inultum, ſi viuo, ferent. Non iam, non tute cohibes?* VESTRVM. Non, ipſius Pamphili. Ergo

blande & honorifice. non enim illius amorem, & tuum quæſtum: ſed, amorem veſtrum, nihil potuit dici familiarius. *Pertuli* autem, quantam vim patientiæ habet, quantúmque ponderis, ne lædi mereatur vlterius.

NONDVM ETIAM DIXI ID QVOD VOLVI. Apparet ſenem tarde, & longe loquentem interpellari vultu reſponſuræ meretricis: quum ille ſibi ſilentium præberi velit. Sic Virgilius Latinum inducit dicentem,

Sine me hæc haud mollia fatu,
Sublatis aperire dolis: ſimul hoc animo hauri. Et ad poſtremum de Turno.
Vt primùm fari potuit, ſic incipit ore.

MANE, NONDVM ETIAM. ἀποσιώπησις tertia. HIC NVNC VXOREM HABET. Cum denuntiatione pronuntiandum eſt: quaſi dicat, Alia res eſt. QVAERE ALIVM TIBI AMICVM FIRMIOREM. Magna moralitas in denuntiatione, magna proprietas. ſic enim dicimus, *Quære tibi.* Virgilius, *Quærat ſibi fœdera Turnus.* QVAERE ALIVM TIBI AMICVM FIRMIOREM. *Firmiorem* pro firmo. non enim firmum concedit eſſe Pamphilum: quem vult intelligi deceptorem eſſe Bacchidis, non iam amatorem ſtabilem. QVAERE ALIVM TIBI AMICVM FIRMIOREM. Oratorie ſenex quaſi conſulit meretrici, quam vocauerat incuſandam. QVAERE ALIVM. A præſentibus & à futuris. AMICVM FIRMIOREM. Callide ſenex, quaſi iam non Pamphilo conſulat, ſed Bacchidi, *Quære alium*, dixit.

DVM TEMPVS CONSVLENDI EST. Senſus, Dum ætas in flore poſita eſt. facies vendibilis etiam nunc eſt. Et ordo, Dum tempus eſt conſulendi tibi. & bis ſubaudiendum eſt *tibi*.

NAM NEQVE ILLE HOC ANIMO ERIT AETATEM. *Aetatem*, pro, tam diu quàm longa eſt ætas. NEQVE POL TV EADEM ISTAC AETATE. σχῆμα λόγου πλοκή. prius *Aetatem* aduerbium, & poſterius nomen.

QVIS ID AIT. Non interrogatio, ſed firma negatio eſt. QVIS ID AIT. Quum dicat ſenex, *Meum receptas filium*: mirum eſt illam dicere, *Quis id ait?* Sed ab accuſatore teſtimonium quærit. Et bene *ait*, quaſi vanum. ſic enim dicimus, *ait aio*, de rebus nugatoriis. QVIS ID AIT. Moraliter meretrix miſſa fecit omnia quæ in medium ſenex contulit: & ſoli intentioni, Meum receptas filium ad te Pamphilum: quis id ait? reſpondit.

SOCRVS. Terribiliter, quaſi quæ maxime ſciat, & quæ maxime doleat. Ergo & oculis & labris pronuntiandum eſt.

ET FILIAM ABDVXIT SVAM. Addidit ad perſonam teſtis, & facta: quia minus idoneum videbatur, ſocrum dixiſſe de pellice. & ſimul oſtendit quantopere hoc animaduertendum ſit, ex quo tantæ turbæ ſint concitatæ. ABDVXIT SVAM. *Abduxit*, proprie. *Accerſi* enim dicitur ad maritum: *Abduci* à marito ad diuortium. Sic Virgilius, *Et gremiis abducere pactas.*

PVERVMQVE OB EAM REM. Hoc ſic pronuntiat ſenex, quaſi qui dicat, Ecce quarum rerum tu cauſa. Et hæc oratio de iis eſt, quibus oſtendimus nos poſſe grauiter accuſare, ſed nolle.

APVT VOS POSSEM FIDEM. Bene *vos*: quia & *Hic* dicit, & *Socrus*.

ALIVD SI SCIREM, QVI FIRMARE. Mire, dum quærit quo firmet fidem, fidem ſibi acquiſiuit atque aſcripſit.

SANCTIVS QVAM IVSIVRANDVM. Bene dum aliud agit, etiam perſonam commendat nam non eſt leuis, quæ iureiurando nihil ſanctius ſciat. SANCTIVS. Firmius.

ME SEGREGATVM HABVISSE. Bono ſignificato vſa eſt: quaſi ipſa hæc fecerit. Et bene *Segregatum*: non enim disiunctum aut repudiatum proprie diceret.

VXOREM VT DVXIT. *Vt* aduerbium eſt temporis, pro *Ex quo*.

LEPIDA ES. Senex cum meretrice loquens, eo potius nomine laudauit eam quo meretrices ſolent laudari, quàm quo matresfamilias. ſic & ſuprà, quum inſcitum ſe diceret, rationem habuit, quæ eſſet cum qua loqueretur.

SED SCIN' QVID VOLO POTIVS. Hinc deliberatiua incipit. SODES. Si audes, ſi vis. EAS AD MVLIERES HVC INTRO. Non dixit ad ſocrum & ad vxorem, terribilia nomina & inimica meretrici: ſed quod facile eſt, *Ad mulieres*. Sic alibi, *Mulier mulieri congruit*.

Et ne longe videretur, addidit, *Huc intro.*

ATQVE ISTVC IVSIVRANDVM. Id eſt quod tu mihi pollicebaris.

EXPLE ANIMVM HIS, TEQVE HOC CRIMINE EXPEDI. *Explere*, pro *Exinanire*, Terentianum eſt. *Expedire* dicitur, qui pedem retentum liberat. EXPLE ANIMVM. Quòd illis proſis.

QVOD POL SI ESSET ALIA EX HOC QVAESTV, Vigilanter poeta, ne non veriſimile videretur, id vllam feciſſe meretricem, ipſe lectorem præuenit. & ſic ferè in omnibus Terentius, quæ minus peruulgata ſunt, quæque abhorrent à conſuetudine, agit.

VT DE TALI CAVSA. Id eſt amore mariti eius & pellicatu.

NVPTAE MVLIERI SE OSTENDERET. Plus dixit, quàm, *Nuptam alloqueretur.*

SET ESSE FALSA FAMA NOLO GNATVM. Bene, quo ſit gratioſior, non propter ſe dicit, quod facit, facere.

NEC LEVIOREM VOBIS. Quid *Leniorem*? an minus charum? vt contrà grauis intelligitur. Virgilius, *Ferit enſe grauem Tymbreus Oſirim.* *Grauis* etiam moleſtus intelligitur. vt Salluſtius, *Grauiore bello qui prohibituri venerant ſocij, frigere.* *Grauis* etiam languidus. Virgilius, ——*vbi aut morbo grauis, aut iam ſegnior annis Deficit, abde domo.* NEC LEVIOREM. Vt contrà, *grauis*, honore dignus & charus.

QVIBVS EST MINIME AEQVVM. Parentibus ſcilicet.

IMMERITO. Bona exceptio. hoc enim & cauere nobis, & præſtare aliis poſſumus.

IMMERITO. Nam *Meritus eſt de me.* παρόμοιον.

NAM MERITVS DE ME EST QVOD QVEAM, ILLI VT COMMODEM. Et hoc artificioſe Terentius, ne vel meretricem dure à Pamphilo ſegregaret. QVOD QVEAM, ILLI VT COMMODEM. Sic in Andria, *Magis id adeò mihi vt incommodet, quam vt obſequatur gnato.*

FACILEM, BENEVOLVMQVE LINGVA TVA. *Facilem* ad peccatum, *Beneuolum* ad iracundiam retulit. LINGVA TVA. Conſuetudine magis, quàm ratione dicit, *Tua lingua.* ergo pro homine ipſo. LINGVA TVA IAM. Subdiſtingue *Iam*: vt appareat, Si lingua tua iam, quanto magis facta.

NAM NON SVNT SOLAE ARBITRATAE HAE. Nunc fatetur ſe quoque accuſatorem fuiſſe: nunc verò beneuolum factum. HAE. Cum ἀποστροφῇ.

EGO QVOQVE HOC ETIAM CREDIDI. *Quoque* & *etiam* ſuperuacue poſita ſunt: ſed hîc confirmationem oſtendunt.

PRAETER NOSTRAM OPINIONEM. Pro Contra. PRAETER NOSTRAM OPINIONEM. Hoc eſt innoxiam.

FAC EADEM VT SIS PORRO. Hoc eſt perſeuera purgata eſſe. vult enim & de futuro cautum eſſe: vt ſuprà, *Nam ſi id facis, facturáve es.*

NOSTRA VTERE AMICITIA. Non iam *Amore*, ſed *Amicitia.*

ALITER SI FACIAS. ἀποσιώπησις.

NE AEGRE QVICQVAM EX ME AVDIAS. Vtrum *Aegrè* pro *Male*? an *Aegrè* pro *Inuita?*

VERVM HOC TE MONEO VNVM. Hæc figura oratoria, παραίνεσις dicitur.

QVALIS SIM AMICVS, AVT QVID POSSIEM. In ſecunda ratione Salluſt. ad Iugurtham, *Nam vim magis, quàm beneuolentiam eius, experiri mallem.* QVALIS SIM AMICVS, AVT QVID POSSIEM. Hoc genus comminationis minus habet amaritudinis, ſed plurimum grauitatis.

ACTVS QVINTI SCENA II.

PHIDIPPVS. LACHES. BACCHIS.

NIHIL apud me tibi
Deſieri patiar, quin quod opus ſit, benignè præbeatur.
Set quum tu ſatura, atque ebria eris, puer vt ſatur ſit, facito.
LA. Noſter ſocer, video, venit: puero nutricem adduxit.
Phidippe, Bacchis deierat perſanctè. PH. haecine eaſt? LA. haec eſt.
PH. Nec pol iſtae metuunt deos: neque has reſpicere deos opinor.
BA. Ancillas dedo: quo lubet cruciatu per me exquire,
Haec res hîc agitur, Pamphilo me facere vt redeat vxor
Oportet: quod ſi perficio, non poenitet me famae:
Solam feciſſe id, quod aliae meretrices facere fugitant.
LA. Phidippe, noſtras mulieres ſuſpectas fuiſſe falsò
Nobis, in re ipſa inuenimus. porrò hanc nunc experiamur.
Nam ſi compererit crimini tua ſe falsò vxor crediſſe,
Miſſam iram faciet. ſin autem eſt ob eam rem iratus gnatus,
Quòd peperit vxor clàm, id leue eſt: citò ab eo haec ira abſcedet.
Profectò in hac re nihil mali eſt, quod ſit diſsidio dignum.
PH. Velim quidem hercle. LA. exquire: adeſt, quod ſatis ſit faciet ipſa.
PH. Quid iſtaec mihi narras? an quia non tu ipſe dudum audiſti,
De hac re animus meus vt ſit Laches? illis modò exple animum.
LA. Quaeſo aedepol Bacchis, quod mihi es pollicita, tute vt ſerues.
BA. Ob eam rem vin ergo introeam? LA. i, atque exple animum ijs, vt credant.
BA. Eo: etſi ſcio pol ijs fore meum conſpectum inuiſum hodie:
Nam nupta meretrici hoſtis eſt, à viro vbi ſegregata eſt.
LA. At hae amicae erunt, vbi, quamobrem adueneris, reſciſcent.
PH. At eaſdem amicas fore tibi promitto, rem vbi cognouerint:
Nam illas errore, & te ſimul ſuſpicione exolues.
BA. Perij, pudet Philumenae: ſequimini me huc intrò ambae.
LA. Quid eſt quod mihi malim, quàm quod huic intelligo euenire:
Vt gratiam ineat ſine ſuo diſpendio, & mihi proſit?
Nam ſi eſt, vt haec nunc Pamphilum verè ab ſe ſegregarit:
Scit ſibi nobilitatem ex eo, & rem natam, & gloriam eſſe:
Referétque gratiam ei: vnáque nos ſibi opera amicos iunget.

NIHIL APVT ME TIBI DEFIERI PATIAR. Verba nutricis fuiſſe poeta demonſtrat, petentis ordine longo, quæ ſibi præbenda ſint. vnde quaſi tædio ſingulorum, generaliter hæc reſpondit. NIHIL APVT ME TIBI DEFIERI PATIAR, *Apud me*, dixit, pro *Apud eum*, vbi futura es. DEFIERI PATIAR. Noluit dicere *Deeſſe*: ſed *Defieri* dixit. vt id quod minus vſitatum eſt, magis delectet auditum.

BENIGNE PRAEBEATVR. *Benignè*, largè. hoc enim eſt gratius, non ſolum præbere, ſed benigne præbere.

SET QVVM TV SATVRA, ATQVE EBRIA ERIS. Hoc eſt in nutricibus non ſolum non turpe, ſed etiam neceſſarium. Et, *Hic ſatur, & hæc ſatura* fecit.

NOSTER SOCER VIDEO VENIT. *Noſter*, blandientis dictum eſt. Virgilius, *Noſter eris.* Et magis hoc conſuetudine dictum eſt, quàm integritate. Aut certe ordo eſt, Noſter ſocer venit: & deinde, video. Aut deeſt *vt*: vt ſit. *Vt video.*

DEIERAT. Deos iurat. vt, *Maria omnia iuro.* Aut valde iurat. BACCHIS DEIERAT. Sic correpte, *Deierat*, deos iurat ſi producte, valde iurat. Et bene ſenem iratum præoccupauit, dicendo, *Deierat ſanctè*: ne confligeret cum meretrice, & fieret fabula longior.

HABCINE EA EST. Imitanda irati contemplatio: quaſi dicat, Hæc eſt, quam vxori Pamphilus antepoont?

NEC POL ISTAE METVVNT DEOS. Hoc argumentum eſt non illam vera iurare. Sanctum, ait, iuſiurandum eſt, aut metu religioſo, aut ſupplicijs ſacrilegorum. At verò nec religioſæ ſunt meretrices, inquit, nec dant pœnas: quippe quæ à diis contemnantur. Tale eſt apud Virgilium de violato Luco, qui vindicatus non eſt.

Nonimus & qui te, tranſuerſa tuentibus hirquis:
Et quo ſed faciles nymphæ riſere ſacello.

NEQVE HAS RESPICERE DEOS OPINOR. Et inferiores ſunt, inquit, quàm in quas dij vindicent. Neque has reſpicere deos Nec mereotur vt dijs pœnas reſerant, quia nec curæ dijs eſſe dignæ ſunt. Et eſt ἀμφιβολία, quæ ſenſu manifeſta eſt.

ANCILLAS DEDO. Repudiato iureiurando ad aliud tranſit firmius documentum.

QVOLIBET CRVCIATV PER ME EXQVIRE, *Per me*, hoc eſt, me permittente: vt quod per legem tibi non licet, per me liceat. *Per me* ergo, me authore & permittente.

HAEC RES HIC AGITVR. Aut ſic intelligendum eſt, quaſi dicat, Hoc agebamus quum tu aduenires. aut cum aſſeueratione pronuntiandum eſt: vt ſit *Res* veritas: quaſi dicat, Hîc non verba ſunt, ſed res agitur. HAEC RES HIC AGITVR. Propoſitio eorum quæ dictura eſt, hoc modo, Hæc res hic agitur. quæ res? Pamphilo me facere, vt redeat vxor, oportet: quod ſi perficio, non pœnitet me famæ, ſolam feciſſe id, quod aliæ meretrices facere fugitant. Multa Terentius fœliciter auſus eſt, arte fretus. nam & ſocrus bonas, & meretrices honeſtè cupidas, præter quam peruulgatum eſt, facit: ſed tanta vigilantia cauſarum & rationum momenta ſubiungit, vt ei ſoli meritò videantur omnia licere. Nam hoc contra illud eſt, quod alibi ait, commune eſſe iam omnibus comicis bonas matronas facere, meretrices verò malas.

NON POENITET ME FAMAE. Hæc figura λιτότης dicitur. minus enim dicit quàm ſignificat. nam, *Non pœnitet me famæ*: pro eo quod eſt, Magnam famam cupidè acquiſiuerim, ſignificat. NON POENITET ME FAMAE. Ne quæreremus, qui hoc meretrici prodeſſe poſſet.

SOLAM FECISSE. Bene *Solam*: ne neſciſſe officium meretricis poeta videretur. SOLAM FECISSE ID QVOD ALIAE MERETRICES FACERE FVGITANT. Id eſt reconciliaſſe vxorem marito.

NOSTRAS MVLIERES SVSPECTAS FVISSE. Id eſt in ſuſpicione poſitas. Nam eſſe ſuſpectas, ambiguum eſt. & nunc eius partem manifeſtam videmus.

NOBIS, IN RE IPSA. *Nobis*, aut abundat, aut cum moleſtia noſtra ſignificat.

PORRO HANC NVNC EXPERIAMVR. *Porrò nunc*, futurum tempus oſtendit. nam ſi iam inueniſti quid, experiaris & ea, quæ reſtant in reliquum tempus: quia iam de præteri-

tis purgata eſt. HANC EXPERIAMVR. Id eſt vtamur opera eius.

CRIMINI TVA SE FALSO VXOR CREDIDISSE. *Crimen* proprie dicitur id, quod factum eſt, Cicero, *Veruntamen fac tametſi, criminoſum id eſt.* Id eſt, falſa inſimulatio eſt.

CRIMINI. *Crimen* nunc pro falſa ſuſpicione. Virgilius. *Formidine crimen acerbat.* Et.

——— *Sempérque odiis, ſed crimine Drances Infenſus iuueni Turno.*

Id eſt, & quòd eum odiſſe, & quòd ſe illi odio eſſe ſuſpicaretur.

CITO AB EO HAEC IRA ABSCEDET. Bene; in duabus enim perſonis cauſa videtur eſſe turbarum, ſocrus & Pamphili.

PROFECTO IN HAC RE NIHIL MALI EST, QVOD SIT DISSIDIO DIGNVM. Moraliter, quaſi quærendo & diſcutiendo hoc intulit. DISSIDIO. Diuortio.

VELIM QVIDEM HERCLE. Vt nihil ſit dignum: hoc eſt non peccauerit Pamphilus.

QVOD SATIS SIT, FACIET IPSA. Id eſt, quicquid ad plenam ducit purgationem, faciet.

QVID ISTAEC MIHI NARRAS. Reprehenſio eſt quaſi longorum verborum Lacheús.

AN QVIA NON TV IPSE DVDVM. Correptio eſt. nam audiuit, Manere affinitatem hanc inter nos volo. AN QVIA NON TV IPSE AVDISTI DVDVM, DE HAC RE ANIMVS MEVS VT SIT LACHES? Vtrum quia dixit, *Manere affinitatem hanc inter nos perpetuam volo*: an quia apud vxorem defendit adoleſcentem in amore meretricis.

ILLIS MODO EXPLE ANIMVM. Quaſi dicat, quæ amaræ ſunt & moleſtæ.

QVOD MIHI ES POLLICITA, TVTE VT SERVES. Id eſt iuſiurandum apud mulieres.

OB EAM REM VIN ERGO INTROEAM. Vis dicit: vt oſtendat in hac re cunctationem ſuam.

NAM NVPTA, MERETRICI HOSTIS EST. Caute etiam hoc præſtruit poeta, ne non veriſimile videatur potuiſſe meretricem concorditer cum pellice agere. Nam nupta meretrici hoſtis alia, ſcilicet inimica.

AT EASDEM AMICAS FORE TIBI. Hic quidem ſenes: verum aliæ cauſæ ſunt, quæ mulieres faciunt moleſtas: & hæ autem ſpectatoribus notæ ſunt ex argumento.

ET SIMVL SVSPICIONE EXOLVES. Hoc eſt quod ſuprà dixit, *Crimen*: nos quoque ſuſpicionem interpretati ſumus. EXOLVES. Expedies.

PVDET PHILVMENAE. *Pudet* duo ſignificat: ſiue ille peccarit quem pudet, ſiue ille cuius pudet. Et familiariter *Philumenæ*, tanquam notæ ex Pamphilo. PVDET PHILVMENAE. Conſcientia communis viri & pellicatus.

SEQVIMINI ME INTRO HVC AMBAE. Ancillis dicit, quæ ſunt κωφὰ πρόσωπα.

QVID EST QVOD MIHI MALIM, QVAM QVOD HVIC. Senſus hic eſt, Quid eſt quod magis optem mihi euenire, quàm quod ſimul proderit etiam meretrici? QVID EST QVOD MIHI. &c. Sic hoc ergo intulit pro nouo. Mirandum eſt enim euenire potuiſſe, vt idem & ſeni & patri proſit, quod meretrici. QVID EST QVOD MIHI MALIM. Vt amicitia mihi & ſibi proſit. Et oſtendit commune ſibi bonum eſſe.

EVENIRE. *Euenire*, bis ſubaudiendum.

VT GRATIAM INEAT SINE SVO DISPENDIO. Recte. Difficile eſt enim gratiam inire ſine damno.

ET MIHI PROSIT. Mire: quia difficile eſt amicum ſine dámno acquirere. Et quia cum lucro non potuit dicere: & hoc ipſum bonum fecit, quia ſine damno. Ergo velut tria ſunt: vt gratiam ineat, vt ſine damno, & vt mihi proſit.

PAMPHILVM VERE AB SE SEGREGARIT. Proprie ab meretrice, *ſegregari* dicitur: ab vxore, diſiungi.

SCIT SIBI NOBILITATEM EX EO, ET REM NATAM. Quaſi dicatur, Ecce quam amatur Pamphilus. Sed hoc ſentire & dicere, patris eſt ſtulta pietate magnificantis filium. Vt,

Meum gnatum rumor eſt amare. Et proprie *Nobilitatem* dixit. nam *& meretrix & gladiator nobiles* dici ſolent. SCIT SIBI. Quod nimis amat, ait *Nobilitatem*. EX EO Virum ex Pamphilo? an *Ex eo*, ex ea re: id eſt, quòd ſegregauerit verè ab ſe Pamphilum? & hoc eſt melius. Nam nobilis meretricis eſt non timere, ne alterum non inueniat. aut nobilis eſt, cognitam fieri etiam ſenibus. REM NATAM. Ex patrocinio & amicitia ſenis. ET REM NATAM. Quia multa in eam contulit.

GLORIAM. Ex facto raro in meretricibus. ET GLORIAM ESSE. Quia defendit eum apud ſoceros & vxorem: & quòd marito meretrix coniugem reddit.

ACTVS QVINTI SCENA III.

PARMENO. BACCHIS.

AEDEPOL ne meam erus eſſe operam deputat parui pretij,
Qui ob rem nullam miſit, fruſtra vbi totum deſedi diem,
Myconium hoſpitem dum expecto in arce Callidemidem?
Itaque ineptus hodie dum illic ſedeo, vt quiſque venerat,
Accedebam: Adoleſcens dicdum quaeſo, es tu Myconius?
Non ſum. at Callidemides? non. hoſpitem ecquem Pamphilum
Hîc habes? omnes negabant: neque eum quemquam eſſe arbitror.
Denique hercle iam pudebat: abii. ſet quid Bacchidem
Ab noſtro adfine exeuntem video? quid huic hîc eſt rei?
BA. Parmeno, opportunè te offers: properè curre ad Pamphilum.
PAR. Quid eò? BA. dic me orare vt veniat. PAR. ad te? BA. immò ad Philumenam.
PAR. Quid rei eſt? BA. tua quod nihil refert, percuntari deſinas.
PAR. Nihil aliud dicam? BA. etiam, cogneſſe annulum illum Myrrhinam
Gnatae ſuæ fuiſſe, quem ipſus mihi olim dederat. PAR. ſcio.
Tantúmne eſt? BA. tantum: aderit continuò hoc vbi ex te audierit.
Set ceſſas? PAR. minime equidem: nam hodie mihi poteſtas haut dataſt:
Ita curſando, atque ambulando totum hunc contriui diem.
BA. Quantam obtuli aduentu meo laetitiam Pamphilo hodie!
Quot commodas res adtuli! quot autem ademi curas!
Gnatum ei reſtituo, qui penè harum ipſiúſque opera perijt:
Vxorem, quam numquam eſt ratus poſthac ſe habiturum, reddo:

Qua re ſuſpectus ſuo patri, & Phidippo fuit, exſolui:
Hic adeò his rebus anulus fuit initium inueniundis.
Nam memini, abhinc menſes decem ferè, ad me nocte prima
Confugere anhelantem domum, ſine comite, vini plenum,
Cum hoc anulo: extimui ilico. Mi Pamphile, inquam, amâbo,
Quid exanimatus es obſecro? aut vnde anulum iſtum nactus?
Dic mihi. ille alias res agere ſe ſimulare. poſtquam video,
Neſcio quid ſuſpicarier, magis coepi inſtare vt dicat.
Homo ſe fatetur vi in via neſcio quam compreſiſſe,
Dicitque ſeſe illi anulum, dum luctat, detraxiſſe.
Eum haec cognouit Myrrhina in digito modo me habentem.
Rogat vnde ſit: narro omnia haec. inde eſt cognitio facta,
Philumenam compreſſam eſſe ab eo, & filium inde hunc natum.
Haec tot propter me gaudia illi contigiſſe laetor:
Etſi hoc meretrices aliae nolunt: neque enim eſt in rem noſtram
Vt quiſquam amator nuptijs laetetur. verùm ecaſtor
Numquam animum quaeſti gratia ad malas adducam partis.
Ego, dum illo licitumſt, vſa ſum benigno, & lepido, & comi:
Incommodè mihi nuptijs euenit, factum fateor:
At pol me feciſſe arbitror, ne id meritò mihi eueniret.
Multa ex quo fuerint commoda, eius incommoda aequum eſt ferre.

AEDEPOL NE MEAM ERUS ESSE OPERAM DEPVTAT PARVI PRETII. In tota hac fabula ſeruus piger & curioſus inducitur: neque quidquam illi euenit ex ſententia ſua. AEDEPOL NE MEAM. Totum à ſtomachante dicitur: quaſi qui nunc maxime iniuriam perſenſerit. AEDEPOL NE MEAM. In hac ſcena καταστροφὴ populo exponitur. DEPVTAT PARVI PRETII. Quia ſic ſcilicet abutitur. Deputat parui eam, qui deputat eam, in re nullius pretij conſumendam.

FRVSTRA VBI TOTVM DESEDI DIEM. Deeſt *Illuc*, vt ſit, illuc, vbi fruſtra totum deſedi diem. TOTVM DESEDI DIEM. Nota accuſatiuo caſu vſum eſſe.

MYCONIVM HOSPITEM DVM EXPECTO. Memoriter & vigilanter ſeruus Myconium hoſpitem & Callidemidem dixit: ne videretur negligentia, vel obliuione ſua non inueniſſe ad quem miſſus eſt. MYCONIVM HOSPITEM. Bene oſtendit ſe memorem & ſignorum & nominum, vt videatur verè illuſus quum operam dederit.

ITAQVE INEPTVS. Moraliter addidit *Ineptus*. Et *Ineptus*, quaſi inaptus.

ADOLESCENS DIC DVM QVAESO Verniliter & comicè ſeipſum ſeruus imitatur. & eſt μίμησις. ES TV MYCONIVS. Nam veteria mandata ſunt inquirenda: etia inquiſita ſunt ordine. OMNES NEGABANT. Bene tranſit à μιμητικῷ ad διηγηματικὸν, & συντόμως. NEQVE ENIM QVEMQVAM ESSE ARBITROR. Id eſt, non puto eum eſſe in mundo. IAM PVDEBAT. Sedere, an interrogare?

AB NOSTRO ADFINE EXEVNTEM VIDEO. Satis moraliter inducitur ſeruus dicere *Ab noſtro adfine*: quum domini eius ſit, non ipſius Sic & prius, *Noſter ſocer video venit*, pro, Pamphili ſocer. EXEVNTEM VIDEO. Doctè poeta præmonſtrat locuturam perſonam.

QVID

Qvid hvic hic est rei. Rurſus curioſus nihil ſciturus eſt: & excurſurus piger.

Parmeno opportvne te offers. Attendendum quòd ab initio comœdiæ vſque ad finem Parmeno mittitur vt currat: & celatur, vt neſciat quod curioſe deſiderat.

Propere cvrre ad Pamphilvm. Facetè poeta inde incipientem facit, quod ille minime vult, dicendo, *Curre*.

Qvid eo. Id eſt ad Pamphilum.

Ad te. Vide curioſum non recuſare laborem, quo cauſam ſciat. Ad te. Non ad te conueniendam: ſed domum, *ad te* ſignificat.

Imò ad Philvmenam. Mire tota fabula inuenit quamobrem currat Parmeno.

Qvid rei est. Totum pro perſona.

Tva qvod nihil refert, percontari desinas. οἰκονομικῆ διατοία & eximiè dixit, quaſi minus ſit iniurium prohibere interrogare, quàm interroganti non reſpondere. Et memento hanc eſſe cui in principio nihil celauerit Parmeno.

Nihil altvd dicam. Vult rem per mandata colligere.

Etiam; cognosse annvlvm illvm myrrhinam. *Etiam*, aduerbium eſt, vel conſentientis, vel reminiſcentia, ſed magis reminiſcentis modò. Sic Cicero, *Etiam quod penè præterij capella quedam, eſt mire facta*. Scio. Non *Audio*, inquit: ſed *Scio*.

Sed cessas. Hoc eſt tardas & quieſcis. vrget autem cum curſu.

Minime eqvidem. Ceſſo ſubauditur. Potestas havt data est. Ceſſandi ſcilicet.

Ita cvrsando atqve ambvlando. Eſt enim curſus & nauigantis & equitantis.

Qvantam obtvli adventv meo. Reliqua pars argumenti per μονῳδίαν narratur.

Qvot commodas res attvli. *Quot*, tam multas. Et more ſuo *Attuli* dixit.

Qvot avtem ademi cvras. Sic antè, *Vt metum, in quo nunc eſt, adimam: atque expleam animum gaudio*. Qvot commodas res attvli! qvot avtem ademi cvras. Hæc omnia admirantis ſunt. vt Virgilius, *Quis nouus hic noſtris ſucceſſit ſedibus hoſpes*.

Gnatvm ei restitvo, &c. ἐξαρίθμησις. Reddo. *Redditur* nobis quod noſtri cupidum eſt: *Reſtituitur* nobis, cuius cupidi ſumus. Bene ergo *Gnatum reſtituo, vxorem reddo*.

Qva re svspectvs svo patri et Phidippo fvit. Ergo non vnum beneficium, ſed tria ſunt.

Exolvi. Variauit tempora, *reſtituo, reddo, exolui*.

Nam meminit ab hinc menses decem. *Menſes decem* dixit, & rectè, vt de hoc peperiſſe demonſtret.

Nocte prima. Primis partibus noctis, vel primore: vt, *Vidimus obſcuris primam ſub vallibus vrbem*. Confvgere. Ex his argumentis poteſt colligi, hunc eſſe qui virginem vitiauerit. Confvgere anhelantem. Vide ſigna coniecturalia: quòd Confugere vidit, timebat: quòd Anhelantem, colluctatus fuerat: quòd Domum, celari volebat: quòd Sine comite, pudendum fuerat facinus: quòd Vini plenum, temerarium: quòd Annulum habebat, partum indicat. Vides igitur his indiciis vt virginem apparet vitiatam.

Mi Pamphile, inqvam amabo. Hæc blandimenta ſunt muliebria. Qvid exanimatvs es obsecro? avt vnde annvlvm istvm nactvs. Principalia ſigna vitij illati, perturbatio & annulus. Qvid exanimatvs es obsecro? avt vnde annvlvm istvm nactvs. Breuitati conſuluit Terentius. nam in Græca hæc aguntur, non narrantur.

Simvlare. Fingere, ac pro vero falſum tradere. Ille alias res agere se simvlare. Id eſt alias res agentem ſe fingere. pudebat enim amicæ de alterius ſtupro fateri: & ei amicæ, quam tum deperibat.

Nescio qvid svspicarier. Pro aliquid.

Homo se fatetvr vi in via virginem nescio qvam compressisse. Bene additum *Homo*. Et oratorie *Neſcio quam*. ex quo dicto omnis error eſt natus: nam appone nomen, & nulla fabula eſt. Nescio qvam. Vel quia verè neſciebat: vel quia ſic di-

cendum fuit, ne amare illam videretur.

HAEC TOT PROPTER ME GAVDIA. Incluſit narrationem fabulæ more ſuo: ne hæc in futuro actu expectaremus.

ETSI HOC MERETRICES ALIAE NOLVNT. Color neceſſarius à veriſimili. Se enim alibi dixiſſe, *Bonas matronas facere, meretrices malas*, meminit.

EGO, DVM ILLO LICITVM EST. An metuerit Pamphilus.

NEQVE ENIM EST IN REM NOSTRAM. *In rem*, in vtilitatem, id eſt pro commodo.

INCOMMODE MIHI NVPTIIS EVENIT. Sic dixit, quemadmodum dicimus. *Et male euenit*, aut *bene ei contigit*. INCOMMODE MIHI NVPTIIS EVENIT. ἀνθυποφορὰ. Et eſt ordo, Incommode mihi euenit ex nuptiis. & *Incommode*, pro incommodo. NVPTIIS. Deeſt ex. vt ſit, *Ex nuptiis*.

FACTVM, FATEOR. ἀνθυποφορὰ. NE ID MERITO MIHI EVENIRET. Ergo hæc dolemus quæ meritò contingunt.

MVLTA EX QVO FVERINT COMMODA EIVS. Ratio cur noua omnia fiant & contra officium meretricis. MVLTA EX QVO FVERINT COMMODA, EIVS INCOMMODA AEQVVM EST FERRE Hoc eo tractu vocis, & ea æquanimitate dicendum, quale in Adelphis,

——— *quando eum quæſtum occœperis, Accipunda & muſſitanda iniuria adoleſcentum eſt.*

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

PAMPHILVS. PARMENO. BACCHIS.

VIDE mi Parmeno etiam ſodes, vt mihi haec certa & clara attuleris:
Ne me in breue hoc conicias tempus gaudio hoc falſo frui.
PAR. Viſum eſt. PAM. certene? PAR. certè.
PAM. deus ſum, ſi hoc ita eſt. PAR. verum reperies.
PAM. Mane dum ſodes: timeo ne aliud credam, atque aliud nunties.
PAR. Maneo. PAM. ſic te dixiſſe opinor, inueniſſe Myrrhinam
Bacchidem anulum ſuum habere. PAR. factum. PAM. eum, quem olim ei dedi,
Eáque hoc te mihi nuntiare iuſsit: itáne eſt factum. PAR. ita inquam.
PAM. Quis me eſt fortunatior? venuſtatíſque adeò plenior?
Egon te pro hoc nuntio quid donem? quid? quid? neſcio.
PAR. At ego ſcio. PAM. Quid? PAR. nihil enim;
Nam neque in nuntio, neque in me ipſo tibi boni, quid ſit ſcio.
PAM. Egóne, qui ab Orco mortuum me reducem in lucem feceris,
Sinam ſine munere à me abire? ah nimium me ingratum putas.
Set Bacchidem eccam video ſtare ante oſtium:
Me expectat credo: adibo. BA. ſalue Pamphile.
PAM. O Bacchis, ô mea Bacchis, ſeruatrix mea.

B A. Bene factum, & volupeſt. P A M. factu ut credam facis:
Antiquámque adeò tuam venuſtatem obtines,
Vt voluptati obitus, ſermo, aduentus tuus, quocunque adueneris,
Semper ſiet. B A. ac tu ecaſtor morem antiquom atque ingenium obtines,
Vt unus hominum homo te viuat numquam quiſquam blandior.
P A M. Ha ha he, túne mihi iſtuc? B A. rectè amaſti Pamphile uxorem tuam:
Nam numquam ante hunc diem meis oculis eam, quod noſſem, videram.
Perliberalis viſaſt. P A M. dic verum. B A. ita me di ament Pamphile.
P A M. Dic mihi, harum rerum numquid dixti iam patri? B A. nihil. P A M. neque opus eſt,
Adeò mutito: placet non fieri hoc itidem, ut in comœdiis,
Omnia omnes ubi reſciſcunt: hic, quos par fuerat reſciſcere,
Sciunt: quos non autem aequumſt ſcire, neque reſciſcent, neque ſcient.
B A. Immò etiam, qui hoc occultari facilius credas, dabo.
Myrrhina ita Phidippo dixit, iuriiurando meo
Se fidem habuiſſe, & propterea te ſibi purgatum. P A M. optumeſt:
Speróque hanc rem eſſe euenturam nobis ex ſententia.
P A R. ere, licétne ſcire ex te, hodie quid ſit quod feci boni?
Aut quid iſtuc eſt, quod vos agitis? P A M. non licet. P A R. tamen ſuſpicor:
Egóne hunc ab Orco mortuum? quo pacto? P A M. neſcis Parmeno
Quantum hodie profueris mihi, & ex quanta aerumna extraxeris.
P A R. Immò verò ſcio, neque hoc inprudens feci. P A M. ego iſtuc ſatis ſcio.
P A R. An temerè quidquam Parmenonem praetereat, quod facto vſus ſit?
P A M. Sequere me intrò Parmeno. P A R. ſequor: equidem plus hodie boni
Feci inprudens, quàm ſciens ante hunc diem umquam. Ω. Plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

VIDE MI PARMENO ETIAM SODES, VT MIHI HAEC CERTA. Bene Haec repetit. verum eſt enim, vt quod miſere cupimus, id etiam tardius credamus effectum. Sic & in Heauton. *Ego vereor magis.*

MANE DVM. *Dum*, abundat. SIC TE DIXISSE OPINOR. Miro affectu inducitur vix adduci ad credendum quod gaudet Pamphilus.

ITA INQVAM. Quaſi, iam ante faſſus, dico.

QVIS ME EST FORTVNATIOR, VENVSTATISQVE ADEO PLENIOR. Ob beneficia Veneris. cui contrarium inuenuſtus cui contrà reciderit quod amat.

QVID DONEM? QVID? QVID NESCIO. μελαγχολικός. vt,

——— pelagine venis erroribus actus,
An monitu diuûm: an quæ te fortuna fatigat,
Vt triſtes ſine ſole domos, loca turbida adires?

NAM NEQVE IN NVNTIO. Magis ſcire vult, quàm munus accipere. NAM NEQVE IN NVNTIO, NEQVE IN ME IPSO BONI QVID SIT, SCIO. Facete agit Terentius, quanto magis Parmeno curioſus eſt, tanto magis neſcit illa quæ cupit.

O BACCHIS, ô MEA BACCHIS, SERVATRIX MEA. Bene additum eſt, *Seruatrix mea*. Et *Mea* quod ſuprà dixit, amatoris eſt.

FACTIS VT CREDAM FACIS. Difficile enim erat credere his rebus gaudere meretricē.

VT VOLVPTATI OBITVS. *Obitus* occurſus. *Ob* enim, ſignificat contrà. Ergo *Obitus*, aditus. Legitur &, *Voluntate obitus:* OBITVS, SERMO, ADVENTVS TVVS. Inter *Obitum*, & *Aduentum* hoc intereſt: quòd *Obitus* eſt, quem caſus affert: *Aduentus*, quem voluntas, & deſtinatus locus.

TVNE MIHI ISTVC. Quia blandimentum magis meretricium eſt.

NVMQVAM ANTE HVNC DIEM MEIS OCVLIS EAM, QVOD NOSSEM, VIDERAM. Hoc eſt, numquam ſic videram, vt eam noſſem. QVOD NOSSEM. Id eſt quod meminiſſem, quod ſcirem: ac per hoc numquam videram. vt alibi, *Non equidem iſtuc, quod ſciam:*

DIC VERVM. Bene inſtanter ex meretrice quærit, quid de forma vxoris ſentiat. ſcit enim hanc iudicem eſſe pulchritudinis poſſe: vel quòd fœmina, vel quòd æmula. NVMQVID. Num aliquid. acuendum ergo *Quid*.

NEQVE OPVS EST, ADEO MVTITO. Vel tenui dicto.

NON FIERI HOC ITIDEM, VT IN COMOEDIIS. Mire: quaſi hæc comœdia non ſit, ſed veritas. Aut deeſt *Alias*. VT IN COMOEDIIS. Deeſt *Fit*. OMNIA OMNES VBI RESCISCVNT. In fine enim comœdiæ nihil cuiquam celari ſolet.

HIC, QVOS PAR FVERAT. *Hic*, in hac comœdia, aut in hac re.

NEQVE RESCISCENT, NEQVE SCIENT. *Reſciſcunt* ad quos pertinet: & *reſciſcunt*, qui neſciunt: *Sciunt*, qui negligunt. Et *reſciſcimus* ex alio: *Scimus* etiam per noſtram opinationem. *Reſcire*, eſt recognoſcere, & vix inuenire quod quis neſcierit.

HERE, LICETNE SCIRE EX TE. Ridicule inſtar ſcire, ignoraturus Parmeno.

EGONE HVNC AB ORCO MORTVVM. Verba ſunt cogitâtis. ideo & ἰδιωτικῶς loquitur.

NESCIS PARMENO. Addidit ſtimulos curioſitati eius.

IMMO VERO SCIO, NEQVE HOC INPRVDENS FECI. Recte. paruum enim beneficij meritum, ſi ab imprudente. præſtitum videatur.

TEMERE QVICQVAM PARMENONEM PRAETEREAT. Quòd interdum non temerè prætereat, quod habet faciendi neceſſitatem. TEMERE QVICQVAM PARMENONEM PRAETEREAT. Sibi ipſi hoc dicit, & ſe nominat: vt, *Degenerémque Neoptolemum narrare memento!* Et, *Age nunc: Phormionem, qui volet, laceſſito.* TEMERE QVICQVAM. Verum hoc dicit, Non temerè, neque per imprudentiam geritur quicquid vtile eſt. an hoc dicit, Nihil poteſt tranſire temerè, quod vtile factu eſt, quin gratiam ſui habeat? An hoc dicit, *An* quicquam Pamphilus prætereat temerè: ita vt non remuneret bonum factum Parmenonis, quod ſibi vtile fuerit? Et conuenit hoc dictum meretrici abeunti.

FECI INPRVDENS, QVAM SCIENS ANTE HVNC DIEM VNQVAM. Quia non conuenit ſeruo ſcienti rectè facere, bene addidit imprudenti ſibi euenisse, vt bene faceret: quod prudens nunquam fecerit. IMPRVDENS QVAM SCIENS. ἀντίθετον ſecundum. nam imprudentem ſcienti reddit, non prudentem.

AELII DONATI VC. ORATORIS VRBIS ROMAE COMMENT. IN TERENTII HECYRAM EXPLICIT.

C. SVLPITII APOLLIN. PERIOCHA IN TERENT. PHORMIONEM.

CHREMETIS *frater aberat peregrè Demipho,*
Relicto Athenis Antiphone filio.
Chremes clàm habebat Lemni vxorem & filiam,
Athenis aliam coniugem, & amantem vnicè
Gnatum fidicinam. mater è Lemno aduenit
Athenas: moritur. virgo ſola aberat Chremes,
Funus procurat. ibi eam viſam Antipho
Quum amaret, opera paraſiti vxorem accipit.
Pater & Chremes reuerſi fremere: dein minas
Triginta dant paraſito, vt illam coniugem
Haberet ipſe. argento hoc emitur fidicina.
Vxorem retinet Antipho à patruo agnitam.

AELII DONATI, VC. ORATORIS VRBIS Romæ, Præfatio in Phormionem Terentij.

HANC Comœdiam, manifeſtum eſt prius ab Apollodoro ſub alio nomine, hoc eſt ἐπιδικαζόμενον Græcè ſcriptam eſſe, quàm Latinè à Terentio Phormionem. Quamobrem nulla dubitatio eſt; hanc ſolam eſſe cui nomen poëta mutauerit: & errare eos qui in hac Phormionē paraſitū putant à formula litis, quam intenderit, nominatum: quum Græca lingua fiſcus ſparteus &

ſtramen nauticum ſic dicatur: à cuius rei vel capacitate, vel vtilitate etiam ab Apollodoro paraſitus Phormionis nomine nuncupatur. Hæc igitur proprie tota motoria eſt, & in affectibus conſtituta penè maioribus, quàm comicus ſtilus poſceret: niſi quòd arte poetæ omnia moderata ſunt. Primas in ea partes, vt ipſe poeta profeſſus eſt, tenet Phormio: ſecundas Geta: tertias Demipho: ſubinde cæteri, prout cuiuſque actus oſtendit. Prologus Phormionis nimis concitatus eſt, adeò vt ipſe ſemet veluti reprehendat ob hanc ipſam peruicaciam, & ſimul argumentum ſuæ purgationis inducat. Atque in ea quum & Protaſis, & Epitaſis, & Cataſtrophe magni moliminis & negotij ſint: ita varijs leporibus aſperguntur, vt etiam rerum triſtium grauitatem poeta lepidus comica ſerenitate tranquillet. Hæc acta eſt ludis Megalenſibus, Lucio Cornelio Merula AEdili Curuli, & L. Poſthumio Albino: agentibus L. Caſſio Attilio, & L. Ambiuio: modos faciente Flacco Claudij filio tibijs ſerranis, totáque diuerbijs faceti ſſimis, & geſtum deſiderantibus ſcenicum, & ſuauiſſimis ornata canticis fuit. Editáque eſt quarto loco, M. Valerio, & C. Fannio c o s s. Perſona etiam in huius protaſi non vna eſt, ſed duæ: quarum altera extra argumentum poſita eſt, cui narratur fabula: altera in argumento quæ narrat fabulam. Argumentum quoque non ſimplicis negotij habet: nec vnius adoleſcentis, vt in Hecyra: ſed duorum, vt in cæteris fabulis. Scire autem conuenit vno die tranſigi Phormionem: non vt Heautontimorumenon duobus. Prologus correpte ἀπὸ τοῦ προλέγειν dicitur, non producte ἀπὸ τοῦ πρωτολογεῖν. nam officium prologi ante actionem quidem rei ſemper eſt: verumtamen & poſt principium fabulæ inducitur, vt apud Plautum in Milite glorioſo: & apud cæteros magnæ authoritatis veteres poetas.

ARGVMENTVM.

QVVM Chremes Demiphonis frater adſcito ſibi ad fallaciam nomine, quo Stilphonem ſe dici fecerat, duas eodem tempore habuiſſet vxores, Athenis diuitem, pauperem Lemni: ex diuite ſuſtulit filium, qui dictus eſt Phædria: ex paupere furtim ſuſcepit atque educauit filiam, Phanium nomine, eámque conſilio cum fratre habito deſtinauit filio eius Antiphoni vxorem dare. Quibus complacitis, vno tempore profecti Athenis ſenes, Demipho in Ciliciam, Chremes Lemnum ad accerſendam filiam, quæ iam illinc cum matre nauigauerat, occaſionem dederunt amandi adoleſcentibus. Nam ſtatim Phædria Cithariſtriam ſub lenone cœpit ardere: Antipho illam filiam patrui Phanium deſponſatam ſibi, neſciens neſcientem, mox vt Athenas venit, nec patrem reperit falſa duplici eius nomine, matrem mortuam dum lamentatur, adamauit, conſilióque & opera paraſiti, ſecundum leges Athenienſium, quaſi ſibi cognata eſſet, tanquam in iure victus & velut coactus, eam accepit vxorem per abſentiam patris. Qui quum aduenisſet, & vellet eam expellere: primò confutatur per impudentiam paraſiti. pòſt cum ſuo fratre ſic decipitur, vt dum

eam credit ab Antiphone poſſe diſiungi, eam paraſitus ipſe ducat vxorem: & det ducturo xxx. minas præſenteis dotis, puellæ nomine, quas Phormio acceptas Phædriæ dedit: ille lenoni ad Cithariſtriam redimendam. Quibus geſtis tandem Chremes agnoſcit filiam ſuam coniunctam eſſe fratris filio. Quare dum mutato conſilio xxx. minas à Phormione per rixam conatur exigere: per eundem proditus vxori ſuæ Nauſiſtratæ eſt: & factus libidinis reus, non antè veniam meruit à matrefamilias, quàm & xxx. minarum, & amoris Cithariſtriæ veniam dediſſet filio. Primus actus eſt in colloquio Daui & Getæ: per quos diſcit populus argumentum. Secundi actus tenor continet aduentum ſenis turbulentum, & eiuſdem iurgium aduerſus Getam & Phædriam. Tertio actui attribuitur litigium ſenis & Phormionis: tum conſultatio cum aduocatis. tum Antiphonis in ſcenam reditus: colloquiúmque cum Geta. tum lenonis & Phædriæ colluctatio. tum adhortatio Getæ de inueniendo argento ad redimendam Phædriæ Cithariſtriam. Quartum actum iſta concelebrant: aduentus Chremetis, eiuſdémque cum fratre deliberatio per errorem de eiicienda Phanio. Getæ verba de fallendis ſenibus. Antiphonis oratio apud ſemetipſum de amore tractantis. Getæ rurſus cum ſenibus callida, & mox cum Antiphone de eadem cauſa ſimplex diſputatio: ſenum ſe inter colloquium de expulſione mulieris. & ad extremum verba Chremetis agnoſcentis nutricem, ac per eam filiam ſuam cum Antiphone coniunctam. In quinto actu per Demiphonis errorem Phormio accipit argentum dotis nomine: & conuenitur Nauſiſtrata vt exire domo compellat Phanium. nuntiatur Antiphoni & Phormioni per Getam, Phanium à patre agnitam, permiſſámque vt vxor habeatur. quæ quum ita nupta ſit, expoſcitur argentum à Phormione per rixam ſenum: à quibus ille oppreſſus, rem omnem aperit Nauſiſtratæ. ad quod primum irata, vt in tali re vxor, mox lenitur in fine fabulæ: & tutiſſimum à patris iracundia præſtat Phædriam.

FABVLÆ INTERLOCVTORES.

Antipho *adoleſcens.*
Chremes *ſenex.*
Cratinus *aduocatus.*
Crito *aduocatus.*
Dauus *ſeruus.*
Demipho *ſenex.*
Dorio *leno.*
Geta *ſeruus.*
Hegio *aduocatus.*
Nauſiſtrata *matrona.*
Phædria *adoleſcens.*
Phormio *paraſitus.*
Sophrona *nutrix.*

PVBLII TERENTII CARTHAGINIENSIS AFRI

PHORMIO.

ACTA LVDIS ROMANIS; L. POSTHVMIO ALBINO, L. CORNELIO MERVLA AEDILIB. CVRVLIB. EGERE L. AMBIVIVS TVRPIO, L. ATILIVS PRAENESTINVS. MODOS FECIT FLACCVS CLAVDI, TIBIIS INPARIBVS. TOTA GRAECA APOLLODORV. EPIDICAZOMENOS. FACTA EST IIII. C. FANNIO, M. VALERIO COSS.

PROLOGVS.

POSTQVAM poeta vetus poetam non poteſt
Retrahere à ſtudio, & tranſdere hominem in otium:
Maledictis deterrere, ne ſcribat, parat.
Qui ita dictitat, quas antehac fecit fabulas,
Tenui eſſe oratione, & ſcriptura leui:
Quia nuſquam inſanum ſcripſit adulescentulum,
Ceruam videre fugere, & ſectari canes.
Et eam plorare vt ſubueniat ſibi.
Quòd ſi intelligeret, quum ſtetit olim noua,
Actoris opera magis ſtetiſſe, quàm ſua:
Minus multò audacter, quàm nunc laedit, laederet:
Et magis placerent, quas feciſſet fabulas.
Nunc ſi quis eſt; qui hoc dicat, aut ſic cogitet:
Vetus ſi poeta non laceſsiſſet prior,
Nullum inuenire prologum potuiſſet nouus

Quem diceret, niſi haberet cui malediceret:
Is ſibi reſponſum hoc habeat: in medio omnibus
Palmam eſſe poſitam, qui artem tractant muſicam.
Ille ad famem hunc ab ſtudio ſtuduit reicere:
Hic reſpondere voluit, non laceſſere.
Bene dictis ſi certaſſet, audiſſet bene:
Quod ab ipſo allatumſt, id ſibi eſſe rellatum putet.
De illo iam finem faciam dicundi mihi,
Peccandi quum ipſe de ſe finem non facit.
Nunc quid velim, animum adtendite. Adporto nouam,
Epidicazomenon quam vocant comoediam
Graeci, Latini Phormionem nominant:
Quia primas partis qui aget, is erit Phormio
Paraſitus, per quem res agetur maxumè.
Voluntas voſtra ſi ad poetam acceſſerit,
Date operam: adeſte aequo animo per ſilentium:
Ne ſimili vtamur fortuna, atque vſi ſumus,
Quum per tumultum noſter grex motus locoſt.
Quem actoris virtus nobis reſtituit locum,
Bonitáſque veſtra adiutans, atque aequanimitas.

POSTQVAM POETA VETVS POETAM, NON POTEST. Hoc initium à deſtructione perſonæ aduerſarij ſumitur, coniunctum cum inſinuatione perſonæ Terentianæ. POSTQVAM POETA VETVS POETAM NON POTEST. Nota *Poſtquam* apud veteres non prætento modò, ſed etiam præſenti tempori adiungi. Vt, *Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.* Quamquam ſunt qui *Poſtquam* ſimpliciter, pro *Quoniam* accipi velint. POSTQVAM POETA VETVS. Qui iam diu eſt, non qui iam diu fuit. Ergo vt vinum, *vetus*: non vetus, vt Ennius. POSTQVAM POETA VETVS POETAM. Iocunda repetitio: vt, *Dinadeam*, --- &, *Notos pueri puer indue vultus.* POSTQVAM POETA VETVS POETAM NON POTEST. ἀντίθετον primum per σύλληψιν primam, ita vt extrinſecus nouum audiri poetam oporteat.

RETRAHERE A STVDIO. Sic loquitur, quaſi rem ſcenicam magis lædere voluerit Luſcius, quàm Terentium.

TRANSDERE. *Tranſdere* veteres ſonantius, quod nos lenius dicimus *Tradere*: vt *Tralatum*, nos *Tranſlatum* è contrario. ET TRANSDERE HOMINEM. Comice & venuſte inſeruit *Hominem*: vt,

Leuibus huic hamis conſertam, auróque trilicem
Loricam: quam Demoleo detraxerat ipſe
Victor, apud rapidum Simoenta ſub Ilio alto:
Donat habere viro, decus, & tutamen in armis.

MALEDICTIS DETERRERE. Senſus hic eſt, Ipſe ſe, inquit, aduerſarius fatetur victum, qui à rebus excluſus, ad verba delapſus eſt. MALEDICTIS DETERRERE. Deeſt *Eum*. vt.
——— *Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam.*
Connubio iungam ſtabili. ———

QVI ITA DICTITAT. Impudentiam oſtendit per frequentatiuum verbum.

QVAS ANTEHAC FECIT FABVLAS. Et hic lentum accuſatorem facit, qui præterita ingerat, & de quibus iam ſit iudicatum in melius.

TENVI ESSE ORATIONE, ET SCRIPTVRA LEVI. Imperitum inducit criminatorem, qui hoc obiiciat, quod proprium debet eſſe comici ſtili. Reuera autem hoc deterior Menandro Terentius iudicabatur, quòd minus ſublimi oratione vteretur. quod ipſum nunc purgat, dicens in tragœdia altiora tranſire poſſe.

QVIA NVSQVAM INSANVM SCRIPSIT ADOLESCENTVLVM. Ideo videmur leues, tenuéſque inquit: quia non in comœdia prodigia facta ſunt, & tragœdias conciitauimus. Et callide hic non ſolum errorem reprehendentis, ſed etiam imperitè ſcripſiſſe ipſum oſtendit Luſcium Lauinium. SCRIPSIT. Legitur & *fecit:* ADOLESCENTVLVM. Vt comicam perſonam oſtenderet; artificioſe imminuit adoleſcentulum, quò magis perſona à ſublimitate tragica diſcederet.

CERVAM VIDERE FVGERE, ET SECTARI CANES. Hic affectus à comœdiis remouendus eſt. CERVAM VIDERE, FVGERE, ET SECTARI CANES. Ambiguitas per accuſatiuum caſum, perſeuerans vſque ad vltimum de induſtria, vt etiam ipſa perplexitas odioſa ſit.

ET EAM PLORARE, ORARE, VT SVBVENIAT SIBI. Hæc omnis περίστασις tragica eſt: & ideo in comœdia vitioſe inducitur.

QVVM STETIT OLIM NOVA. Bene hoc poſitum eſt. potuit enim reſponderi, Cur igitur ſtetit, & non exacta eſt à populo? QVVM STETIT OLIM NOVA. Recte *Olim*: quaſi dicat, Quum adhuc Terentius non ſcriberet, penuria meliorum eſt probata. Deinde quòd ait *Noua*, hoc ſignificat, omnia carmina nouitate ipſa commendari, etiamſi nullius momenti ſint.

ACTORIS OPERA MAGIS STETISSE. Vna opera & ſuffragium ſcenicorum comparat, & lædit aduerſarium.

MINVS MVLTO AVDACTER. Noue dictum, *Minus multo audacter*: vt eum dicamus nos, *minus audacter*.

NVNC SI QVIS EST QVI HOC DICAT, AVT SIC COGITET. Omne quod in mentem venit, aut cogitamus, aut dicimus. vt Virgilius,

——— *Et mihi iam multi crudele canebant*
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.

Hic ſenſus eſt, Nunc ſiquis eſt, qui hoc dicat, aut cenſeat, Improbus eſt Terentius qui omnes prologos de maledictis facit: habeat is hoc reſponſum ſibi, aduerſarium coegiſſe qui prouocauerit. Nam quid faceret Terentius, quum de palma artis muſicæ certandum videat eſſe ſibi?

LACESSISSET PRIOR. Aut *Laceſſiſſet* abundat, aut *Prior*.

NVLLVM INVENIRE PROLOGVM. *Prologum* modò, non hominem, ſed verba ſignificat.

NOVVS. Hic quod ſuprà prætermiſit, veteri ſuppoſuit nouum.

NISI HABERET CVI MALEDICERET. Mire *haberet*: quaſi dubium non ſit maledicendum eſſe Luſcio.

IS SIBI RESPONSVM HOC HABEAT. Huic rei per qualitatem reſpondet, aduerſarium cogere, vt ſic agat.

IN MEDIO OMNIBVS PALMAM ESSE POSITAM. Senſus hic eſt, Inueniret, inquit: ſed maluit, quum de palma certandum ſit, aduerſario reſpondere lædenti. Verum oratorie manifeſta ſoluere non curauit, hoc eſt, nullum inuenire prologum potuiſſe Terentium. & hoc enim obiiciendum fuit omnibus & nouis, & veteribus poetis. *Palmam* pro cauſa certaminis poſuit. Et ideo non eſt mirandum, ſi pugnant quibus cauſa certaminis præſto eſt.

QVI ARTEM TRACTANT MVSICAM. Virgilius, ——— *nec quicquid vbique eſt Gentis Dardaniæ magnum quæ ſparſa per orbem.* Et περιφραστικῶς, qui comœdias ſcribunt.

ILLE AD FAMEM HVNC AB STVDIO. Hic maxime incipit ſoluere quod ſibi ſuperius ipſe propoſuit. ILLE AD FAMEM HVNC AB STVDIO. Nunc quid eſt, inquit, poetam

vituperare, niſi ad famem reiicere? quam poetæ probi ſuas vendebant fabulas: & harum prætiis alebantur. ILLE AD FAMEM HVNC AB STVDIO. Cur laceſſitus reſpondes? certamen, eſt inquit. AB STVDIO STVDVIT. Venuſte: vt, *Luſerat ludum, & pugnam pugnauit.*

BENEDICTIS SI CERTASSET. Quia ſuprà dixit, *In medio omnibus palmam eſſe poſitam.* quaſi dicat, quicquid in certamen venerit, in eo vincendos æmulos eſſe. SI CERTASSET. *Certaſſet* ἀντὶ τῦ prouocaſſet: ab eo quod præcedit, id quod ſequitur. Virgilius,

——— *nec te certaſſe priorem Pœniteat.*

AVDISSET BENE. Bene audire, eſt bene dici, laudari.

QVOD AB IPSO ALLATVM EST. Id eſt maledictum. QVOD AB IPSO ALLATVM EST, SIBI ESSE ID RELATVM PVTET. Prouerbiale eſt, *Quod dedit recepit.* Et geminauit *l*: vt *Relliquias Danaûm.*

DE ILLO IAM FINEM FACIAM DICVNDI MIHI. ἀπὸ τῆς ἐπαναλήψεως τῦ λέγοντος. DICVNDI MIHI, PECCANDI QVVM IPSE DE SE FINEM NON FACIT. Et *Mihi*, & *De ſe* proprie poſitum eſt: & præterea ἀμφιβολία. PECCANDI. Maledicendi. PECCANDI QVVM IPSE DE SE FINEM. Prius inquit, Ego de illo finem faciam, quàm ipſe de ſe. An prius dicendi ego faciam, quàm ille peccandi finem? *non facit*, pro non faciat: vt, *Mirum ni ego me turpiter hodie dabo.*

NVNC QVID VELIM, ANIMVM ATTENDITE. Deeſt, *Quæritis.* vt ſit, Nunc quid velim, quæritis? animum attendite.

APPORTO NOVAM. *Nouam* latinam dicit. EPIDICAZOMENON QVAM VOCANT COMOEDIAM. Hic manifeſte errat Terentius. nam hæc fabula quam tranſtulit, *Epidicazomene* dicta eſt à puella de qua iudicium eſt: qui ſit alia *Epidicazomenos* eiuſdem Apollodori. Debuit ergo dicere *Epidicazomenen* Græce.

LATINI PHORMIONEM NOMINANT. φόρμιον tegiculum dicunt Græci, quo inſternitur pauimentum: vnde Phormio correpta prima ſyllaba apud Apollodorum eſt. Non ergo à formula, vt quidam putant, dictum eſt. Ergo inde paraſitus viliſſimæ conditionis homo, nomen accepit.

QVIA PRIMAS PARTES QVI AGET. *Primas* nunc, maximas. ad actorem enim retulit. Cicero, *Sæpe illum qui eſt ſecundarum aut tertiarum partium.*

PHORMIO PARASITVS. Si à formula eſſet nomen comœdiæ, primam produceremus ſyllabam: ſi à Phormione, corripere debemus.

PER QVEM RES AGETVR MAXIME. Quia primæ partes etiam aliud ſignificant. non ergo nunc primum actum dicit, ſed ſummas partes. Et bene *maxime*: quia & per alios.

VOLVNTAS VESTRA SI AD POETAM ACCESSERIT, DATE OPERAM. *Si voluntas acceſſerit*: pro, ſi fauerits. Noue ſic *Voluntatem*, pro fauore poſuit.

ADESTE AEQVO ANIMO. Fauor in comœdia ſilentium ſpectatoris eſt. Recte ergo addidit *per ſilentium.* AEQVO ANIMO. Nunc propoſitio eſt.

NE SIMILI VTAMVR FORTVNA ATQVE VSI SVMVS. Ne populum læderet, fortunam maluit accuſare.

QVVM PER TVMVLTVM NOSTER. Apparet Hecyram ante Phormionem actam eſſe: cui contigit id quod queritur, populum ſubaccuſans.

NOSTER GREX MOTVS LOCO EST. *Locus*, eſt diſtributio temporum, quæ cuique in ſpectaculum venturo attribuuntur ab AEdilibus. Vnde *loco motus* dicitur, qui ſuas horas non obtinuerit inter præcedentes & conſecuturos. Ergo proprie. Sic & Cicero, *Loco ille motus eſt, quum eſt ex vrbe pulſus.*

QVEM ACTORIS VIRTVS. Vbique laudat actorem. eſt enim poetæ vtile. QVEM ACTORIS VIRTVS. Qui excluſus toties, animum non abiecerit, ſed perſeuerauerit agere. ideo *virtus.*

RESTITVIT LOCVM. Bene repetiuit locum, vt ἀμφιβολίαν vitaret: ne *quem tumultum* dicere videretur.

BONITASQVE VESTRA ADIVTANS, ATQVE AEQVANIMITAS. *Bonitas* in omnibus generaliter rebus eſt: *Aequanimitas* in ſpectando. An *bonitas* in probandis his quæ bona ſunt, *Aequanimitas* in ignoſcendis vitiis atque delictis? An ταυτολογία eſt? An *bonitas* circa om-

res: *Aequanimitas* circa Terentium? Bonitasqve vestra. Ne totum actori tribuens, nihil populo præter culpam reliquiſſe videretur, honoris cauſa hoc addidit. Adivtans. Sic veteres dicere maluerunt, quàm *Adiuuans*.

ACTVS PRIMI SCENA I.

DAVVS.

AMICVS ſummus meus, & popularis Geta
Heri ad me venit: erat ei de ratiuncula
Iam pridem apud me relliquum pauxillulum
Nummorum: id vt conficerem. confeci: adfero.
Nam erilem filium eius duxiſſe audio
Vxorem: ei credo munus hoc corraditur.
Qvam iniqve *comparatumſt, hi qui minus habent,*
Vt ſemper aliquid addant diuitioribus?
Quod ille vnciatim, vix de demenſo ſuo,
Suum defrudans genium, comparſit miſer,
Id illa vniuerſum abripiet: haut exiſtimans
Quanto labore partum. porrò autem Geta
Ferietur alio munere, vbi era pepererit:
Porrò autem alio, vbi erit puero natalis dies:
Vbi initiabunt, omne hoc mater auferet:
Puer cauſa erit mittundi: ſet videòn' Getam?

Amicvs svmmvs mevs, et popularis. Quod in omnibus ferè comœdiis, in quibus perplexa argumenta ſunt, fieri ſolet: id in hac quoque Terentius ſeruat: vt προτατικὸν πρόσωπον, id eſt perſonam extra argumentum, inducat: cui dum ob hoc ipſum, quod veluti aliena tota fabula eſt, geſta res narratur: diſcat populus textum ex continentia rerum, ſitque inſtructus ad cætera. Amicvs svmmvs mevs, et popularis geta. In hac ſcena, quæ docendi atque inſtruendi ſpectatoris cauſa inducitur, mire extrinſecus lepóres facetiæque cernuntur, & ſales comici. Id enim eſt artis poeticæ, vt quum narrationi argumenti detur opera: iam tamen res agi, & comœdia ſpectari videatur. Amicvs svmmvs mevs, et popularis getera. Inſinuatio perſonæ eius, quæ inducitur ad audiendum argumentum. Et vide ſeruum oſtendi Dauum: & non oſtendi cuius ſeruus ſit. Amicvs svmmvs mevs. Cauſa cur in ſcenam procedat Dauus. Amicvs. A voluntate. Popvlaris. A fortuna. *Popularis*, eiuſdem conditionis gentiſque. Salluſtius, *Popularis ſui ſceleris*. Et *popularis*, populo amatus. & *popularis* ciuis. & *popularis* humilis. & *popularis* vilis, è populoque factus: vt ſiquis dicat *ſordidum*, *popularem ciuem*. Amicvs svmmvs mevs. Dauus extra duas familias inducitur, quæ in hac ſunt fabula, alienus, ac per hoc ignarus, cui narret Geta argumentum.

Heri ad me venit. Apparet here fuiſſe nuptias. Heri ad me venit. Propter cognationem E & I literarum, non dubitauerunt antiqui & *here* & *heri* dicere, & *mane* & *mani*, & *veſpere* & *veſperi*.

Erat ei de ratiuncula. Deeſt *nam*; ſed mire ſubtractum eſt. Erat ei de ra-

TIVNCVLA. Opportuna diminutio in re ſeruili, *Ratiuncula*, & *Pauxillulum*. ERAT EI DE RATIVNCVLA. Moraliter intulit. *erat ei*. magis enim facetum & comicum eſt, quum ἀσυνδέτως infertur, quàm ſi diceret, *Nam erat ei*.

IAMPRIDEM APVT ME RELIQVVM. De argumento ſumitur cauſa colloquii. Nam debui, inquit, Getæ: & ille me exigit, vt numeretur domino ob nuptias factas.

PAVXILLVLVM. Quartus gradus diminutionis, *paulum. paululum, pauxillum. pauxillulum*.

ID VT CONFICEREM. ἔκλειψις prima. Et *Conficerem* propriè. nam *fieri pecunia* dicebatur. Salluſtius. *Quæ pecunia ad Hiſpanienſe bellum Metello facta erat*. CONFICEREM. Quia in promptu non erat.

CONFECI: AFFERO. Bene: quaſi reddendi moræ non habere cauſa fuerit.

NAM HERILEM FILIVM. τρόφιμον Græci dicunt. atque haud ſcio, an Latini quoque *alumnum* dicere poterant, niſi hoc mallent. NAM HERILEM FILIVM EIVS DVXISSE AVDIO VXOREM. Mire ſe applicat argumento.

ET CREDO MVNVS HOC CONRADITVR. Mire: Heri quidem fuerunt nuptiæ, ſed adhuc munus conraditur: quia in nuptiis etiam ſeptimus dies inſtaurationem voti habet, vt in funere nonus dies, quo parentalia concluduntur. ET CREDO. Vxori ſcilicet. MVNVS HOC CONRADITVR. *Hoc*, pecuniæ ſcilicet, munus erit. & eſt figura ἐπεξήγησις. CREDO. Pro vere ſcio. Et *ei*, an vxori, an abſolute? vt ſit, *ei rei*? CONRADITVR. Apta in verbo difficultas. vt in Adelphis, *Minas decem conradet alicunde*. &, *Conraſi omnia*.

QVAM INIQVE COMPARATVM EST. Miro ἰδιωτισμῷ morem pro lege conqueritur. COMPARATVM. Conſtitutum eſt lege. Et *Hi qui minus habent*, & *diuitioribus* dixit: ne diceret, ſerui dominis: vult enim latius patère quod dicit: & generalem eſſe ſententiam. QVAM INIQVE COMPARATVM EST, HI QVI MINVS HABENT. Garrulos ſeruos & ſententioſos amat Comœdia: triſtes & parce loquentes Tragœdia. VT SEMPER ALIQVID ADDANT. Mire non *Dent*, ſed *Addant*. & non, *Aliquando*: ſed, *Semper*. DIVITIORIBVS. Pro, minus pauperibus.

QVOD ILLE. Docte ad ſingularem numerum tranſit à plurali. QVOD ILLE. Redit ad Getam. VNCIATIM. Sic veteres, *Multa vnciatim*. Cum expenſa pecunia ferretur more veterum: non vt nunc annumeraretur: *Aſſis*, libra erat: eiuſque partes, *vnciæ*. Rurſus vnciæ vnius duodecima pars, *libella* dicebatur. Merito ergo non per ſingulos ſeſtertios, neque per ſingulos denarios, neq; per ſingulos aſſes: ſed id quod ὑπερβολικῶς minimum fuit, per ſingulas vncias, *vnciatim* dixit. Et Cicero, *Ecquis Volcatio, ſi ſua ſponte veniſſet, libellam vnam dediſſet?* VNCIATIM. VIX potuit & vnciatim, & cito conflari peculium. vt multa pauxillatim; & cito fiunt maxima. Merito ergo additum eſt *vix*. Sed quid ſi & *Vnciatim*, & *Vix*, & tamen de lucro dedit? *De demenſo ſuo*, inquit. Quid ſi ex abundanti? *ſuum defrudans genium*. Deinde, non *Acquiſiuit*, ſed, *comparſit*. Et ad poſtremum, *miſer*: vt iniquitas conſuetudinis, comploratione finiretur.

DE DEMENSO SVO. Serui quaternos modios accipiebant frumenti in menſem: & id *demenſum* dicebatur. & vtrum à menſe, an à metiendo, incertum eſt.

SVVM DEFRVDANS GENIVM. Vt contrà, *Genialis curare* dicitur, qui viuit lautius.

ID ILLA Nupta ſcilicet. VNIVERSVM ABRIPIET. Contra illud quod *Vnciatim* dixerat. VNIVERSVM ABRIPIET. Magna virtus penè in ſingulis ſyllabis: contra illud quod ait *ille*, *illa* retulit. contra *Vnciatim*, *vix*. & *Demenſo ſuo*, *vniuerſum*. Contra id quod ait, *Munus conraditur*, *Abripiet*. Contra, *Suum defrudans genium*, & *Comparſit miſer*, *Haud exiſtimans quanto labore partum*.

HAVT EXISTIMANS. *Haut exiſtimans*, vel intelligens, vel recogitans, ac reputans.

HAVD AXISTIMANS. Pro, æſtimans. Salluſtius, *Si Quinctei pacem exiſtimaretis*.

QVANTO LABORE PARTVM. Hoc ſic pronuntiandum eſt, quaſi nunc ei venerit in mentem ſæpius paſſurum Getam, quod ſemel tolerare grauiſſimum iudicauerit. QVANTO LABORE. Vt, *Reliquias Troiæ ex ardente receptas*. PARTVM. Propriè dicitur *Partum*, de eo quod labore quæſitum eſt: quia nullus partus ſine dolore eſt ac labore.

PORRO AVTEM GETA FERIETVR. Ad paupertatem retulit *Ferietur*. nam & dam-

num, *plaga*: & res, *ſanguis* noſter dicitur. FERIETVR ALIO MVNERE. Significanter, non *Fungetur* munere, ſed *Ferietur*, dixit. FERIETVR ALIO MVNERE. Ex conſuetudine, *Ferietur*. Nam & *plagam*, damnum: & ſumptum, *ſanguinem* noſtrum dicimus.

VBI HERA PEPERERIT. Quæ ſuprà *illa* dicta eſt.

PORRO ALIO AVTEM. Et *alio* quod dicit, pro mulus pronuntiandum eſt. VBI ERIT PVERO NATALIS DIES. Cum adiectione temporis, cuiuslibet natalis dies melius dicitur: vt *natalis locus*. & *natale aſtrum*. ſed Virgilius ſeruiens perſonæ ruſticæ, *Meus eſt natalis Iola*, inquit: nec addidit, *Dies*.

VBI INITIABVNT. Hoc vultuoſe pronuntiandum. VBI INITIABVNT. Vt quidam, cibo & potu: vt quidam, ſacris. VBI INITIABVNT. Legitur apud Varronem, initiari pueros Edulicæ, & Poticæ, & Cubæ, diuis edendi & potandi & cubandi: vbi primùm à lacte & à cunis transierunt. quod Virgilius, *Nec deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt*, hoc adnotauit Probus. Sed Terentius Apollodorum ſequitur: apud quem legitur in inſula Samothraeum, à certo tempore pueros initiari, more Athenienſiũ: quod, vt in Palliata, probandum eſt magis. VBI INITIABVNT. Hoc ſic inferendum eſt: non quaſi hoc ſolum ſit, ſed quaſi defatigatus ſit enumerando occaſiones dandorum munerum.

OMNE HOC MATER AVFERET. Hoc retulit ad offerentis irriſionem, qui putat ſe puero dare. MATER AVFERET. An nutrix? an vera mater? PVER CAVSA ERIT MITTVNDI. Proprie dixit *Mittundi*, de muneribus.

SET VIDEON GETAM? Locuturum oſtendit Getam. SET VIDEON GETAM. Apparet poetam nihil putaſſe amplius addendum ad inſinuandam populo perſonam Daui: & ideo iam induxit exeuntem Getam, vt ſit cauſa commutandæ orationis.

ACTVS PRIMI SCENA II.

GETA. DAVVS.

SI quis me quaeret rufus. D. praeſtò eſt, deſine. GE. oh,
At ego obuiam conabar tibi Daue. D. accipe, em,
Lectum eſt, conueniet numerus quantum debui.
GE. Amo te, & non neclexiſſe habeo gratiam.
D. Praeſertim vt nunc ſunt mores, adeò res redit,
Si quis quid reddit, magna habendaſt gratia.
Set quid tu es triſtis? GE. egóne! neſcis quo in metu, &
Quanto in periculo ſimus. D. quid iſtuc eſt? GE. ſcies:
Modò vt tacere poſsis. D. abi ſis, inſciens:
Cuius tu fidem in pecunia perſpexeris,
Verere verba ei credere? vbi quid mihi lucri eſt
Te fallere? GE. ergo auſculta. D. hanc operam tibi dico.
GE. Senis noſtri Daue fratrem maiorem Chremem
Noſtin'? D. quidni? GE. quid eius gnatum Phaedriam?
D. Tamquam te. GE. euenit ſenibus ambobus ſimul,
Iter illi in Lemnum vt eſſet, noſtro in Ciliciam

Ad hoſpitem antiquum: is ſenem per epiſtolas
Pellexit, modonon montes auri pollicens.
D. Cui tanta res erat, & ſupererat? GE. deſinas:
Sic eſt ingenium. D. oh, regem me eſſe oportuit.
GE. Abeuntes ambo hîc tum ſenes, me filijs
Relinquont quaſi magiſtrum. D. ô Geta, prouinciam
Cepiſti duram. GE. mihi vſus venit, hoc ſcio:
Memini relinqui me, deo irato meo.
Coepi aduerſari primò. quid verbis opuſt?
Seni fidelis dum ſum, ſcapulas perdidi.
D. Venere in mentem mihi iſtaec: namquae inſcitia eſt,
Advorſum ſtimulum calces? GE. coepi ijs omnia
Facere, obſequi quae vellent. D. ſciſti vti foro.
GE. Noſter mali nihil quidquam primò. hic Phaedria
Continuò quamdam nactus eſt puellulam
Citharistriam: hanc amare coepit perdite.
Ea ſeruiebat lenoni impuriſsimo:
Neque quod daretur quidquam, id curarant patres:
Reſtabat aliud nihil, niſi oculos paſcere,
Sectari, in ludum ducere & reducere:
Nos otioſi operam dabamus Phaedriae.
In quo haec diſcebat ludo, ex aduorſum ei loco
Tonſtrina erat quaedam: hic ſolebamus ferè
Plerumque eam opperiri, dum inde iret domum.
Interea dum ſedemus illi, interuenit
Aduleſcens quidam lacrumans: nos mirarier.
Rogamus quid ſit: Numquam aequè, inquit, ac modò,
Paupertas mihi onus viſumſt & miſerum, & graue.
Modò quamdam vidi virginem hîc viciniae
Miſeram, ſuam matrem lamentari mortuam.
Ea ſita exaduorſum: neque illi beneuolens,
Neque notus, neque cognatus, extra vnam aniculam,
Quiſquam aderat, qui adiutaret funus: miſeritumſt.
Virgo ipſa facie egregia: quid verbis opuſt?
Commorat omnes nos: ibi continuò Antipho,
Voltiſne eamus viſere? alius, Cenſeo,
Eamus. duc nos ſodes. Imus, venimus:

Videmus

Videmus: virgo pulchra, & quò magis diceres,
Nihil aderat adiumenti ad pulchritudinem:
Capillus paſſus, nudus pes, ipſa horrida:
Lacrumae, veſtitus turpis: vt, ni vis boni
In ipſa ineſſet forma, haec formam extinguerent.
Ille, qui illam amabat fidicinam, tantummodò
Satis, inquit, ſcitaſt: noſter verò. D. iam ſcio
Amare coepit. GE. Scin quàm? quò euadat, vide.
Poſtridie ad anum rectà pergit: obſecrat
Vt ſibi eius faciat copiam. illa enim ſe negat:
Neque eum aequum ait facere. illam ciuem eſſe Atticam
Bonam, bonis prognatam. ſi vxorem velit,
Lege id licere facere: ſin aliter, negat.
Noſter, quid ageret, neſcire: & illam ducere
Cupiebat, & metuebat abſentem patrem.
D. Non ſi rediſſet pater, ei veniam daret?
GE. Ille indotatam virginem, atque ignobilem
Daret illi? numquam faceret. D. quid fit denique?
GE. Quid fiat? eſt paraſitus quidam Phormio,
Homo confidens: qui, illum di omnes perduint,
D. Quid is fecit? GE. hoc conſilium, quod dicam, dedit:
Lex eſt, vt orbae qui ſint genere proximi,
Eis nubant: & illos ducere eadem haec lex iubet.
Ego te cognatum dicam, & tibi ſcribam dicam:
Paternum amicum me aſſimulabo virginis:
Ad iudices veniemus: qui fuerit pater,
Quae mater, quî cognata tibi ſit, omnia haec
Confingam: quod erit mihi bonum, atque commodum.
Quum tu horum nihil refelles, vincam ſcilicet.
Pater aderit: mihi paratae lites: quid mea?
Illa quidem noſtra erit. D. iocularem audaciam.
GE. Perſuaſit homini, factumſt: ventumſt: vincimur:
Duxit. D. quid narras? GE. hoc quod audis. D. ô Geta,
Quid te futurumſt? GE. neſcio hercle. vnum hoc ſcio:
Quod fors feret, feremus aequo animo. D. placet:
Hem iſtuc viriſt officium. GE. in me omnis ſpes mihi eſt.
D. Laudo. GE. ad precatorem adeam credo, qui mihi

Sic oret: Nunc amitte quaeſo hunc: ceterum
Poſthac ſi quidquam, nihil precor: tantum modo
Non addit. vbi ego hinc abiero, vel occidito.
D. Quid ille paedagogus? ille qui cithariſtriam,
Quid rei gerit? GE. ſic tenuiter. D. non multum habet
Quod det fortaſſe. GE. imò nihil, niſi ſpem meram.
D. Pater eius rediÿt, an non? GE. non dum. D. quid? ſenem
Quoad expectatis veſtrum? GE. non certum ſcio:
Set epiſtolam ab eo allatam eſſe audiui modo,
Et ad portitores eſſe delatam: hanc petam.
D. Numquid Geta aliud me vis? GE. vt bene ſit tibi.
Puer heus: nemón' huc prodit? cape, da hoc Dorcio.

SI QVIS ME QVAERET RVFVS Mire Poeta deſideratum Getæ oſtendit Dauum. SI QVIS ME QVAERET RVFVS. De ipſo loquitur, à quo reddi ſibi debitum ſperat. SI QVIS ME QVAERET RVFVS. ἀποσιώπησις ſecunda. nam apparet plura dicturum fuiſſe.

PRAESTO EST, DESINE. Tertia perſona de ſe loquens vſus eſt: quia ille nominatiuum prætulit.

AT EGO OBVIAM CONABAR TIBI DAVE, *Conabar*, abſolute. an ἔλλειψις eſt, vt deſit, *ire*, Et eſt aduerbium loci *obuiam*.

ACCIPE. Præuenit petitionem, dicendo *Accipe*: & hoc cum geſtu offerentis dicitur. Et hoc eſt quod ait, *Confeci, affero*.

LECTVM EST. Abſolute. nam non dicit quid: vtrum debitum, an argentum lectum. Lucilius, *Lecti omnes: Atticum hoc eſt*. LECTVM EST, CONVENIET NVMERVS. Ordinem ſeruauit. prius enim qualitas, deinde numerus pecuniæ ſpectari ſolet. LECTVM EST, CONVENIET NVMERVS QVANTVM DEBVI. Quippe tribus modis debitum pecuniarium ſoluitur: penſione, Accipe. ſpectatione, Lectum eſt. numero, Conueniet numerus quantum debui. LECTVM EST. *Lectum*, bonum, vel ſplendidum. Vt, ——— *arma Sereſtus Lecta refert humeris*. Quamuis quidam putant *Lecta*, ab eo quod eſt lego, dictum. QVANTVM DEBVI. Pro, debitum tibi à me eſt.

AMO TE, ET NON NEGLEXISSE HABEO GRATIAM. Amat quòd reddiderit pecuniam: Agit gratias, quòd diligenter. Et quare? vtrum quia condictum non fefellerit? an quia lectum attulerit, & numero congruenti? Et rectè dixit: nam redhibitio debiti hoc agit, vt etiam gratias agamus. AMO TE, ET NON NEGLEXISSE HABEO GRATIAM. Hoc pro gratiarum actione ponitur: & oſtenditur verè neceſſariam fuiſſe pecuniam. NON NEGLEXISSE. In Andria, *Et id gratum fuiſſe aduerſum te, habeo gratiam*.

PRAESERTIM VT NVNC SVNT MORES. Sic & illud dictum eſt, ——— *namque hoc tempore Obſequium amicos, veritas odium parit*. Quia conſuetudinis imago eſt, vituperare præſentia.

ADEO RES REDIT. Figurate, pro Ita loqueris, *Adeò res redit*, dixit. Et proprie *rediſſe res* dicitur, quum aliquid peius expectatione contigit.

SIQVIS QVID REDDIT, MAGNA HABENDA EST GRATIA. Id eſt, etſi rem non magnam, tamen magna habẽda eſt gratia: hoc enim ſignificat *quid reddit*. SIQVIS QVID REDDIT. Qui hoc interrogatiue pronuntiauerit, parum belle explicat conceptam ſententiam. HABENDA EST GRATIA. Deeſt, *ei*.

SET QVID TV ES TRISTIS. Hîc admonemur omnem ab initio ſermonem Getæ, quaſi ſatagentis & anxij pronuntiare, accommodatis præſertim ad vultum ver-

bis. nam &, *Siquis me quærit*: &, *At ego obuiam tibi conabar Daue*: &, *Amo te, & non neglexiſſe habeo gratiam*: in ſe quoddam contractioris animi occupatique ſignum habent. SET QVID TV ES TRISTIS. *Sed* particula, tranſitum ſignificat ad mentionem alterius rei.

SET QVID TV ES TRISTIS. EGONE? NESCIS QVO IN METV. Deſcenſus ad argumentum ab eo ſermone qui extrinſecus à poeta informatus eſt, iam manifeſte apparet. EGONE! NESCIS QVO IN METV. ὑπόθεσις comœdiæ, ne nuda appareat θέσις. NESCIS QVO IN METV, ET QVANTO IN PERICVLO SIM. Pronuntiantis & interrogantis eſſe poteſt. NESCIS QVO IN METV. Duæ perturbationum bigæ ſunt: à malo vna: ex cupitis, altera. Ergo à malis bigis, præſentis temporis periculum eſſe dicimus, & futuri metum. NESCIS QVO IN METV. Pronuntiatiue magis quàm percontatiue efferendum eſt. ſic enim ſolemus de magnis rebus dicere. NESCIS QVO IN METV, ET QVANTO IN PERICVLO SIM. Vix alterum ſuſtineri poteſt eorum, quæ vtraque poſuit nunc, & Metum & Periculum.

QVID ISTVC EST. Fac hunc ſcire: & narrandi non erit locus. neceſſario igitur ignarus inducitur Dauus.

MODO VT TACERE POSSIS. *Vt*, pro ne non. quod ſi eſt, ſubaudiendum eſt, *Vide*, aut quid tale. MODO VT TACERE POSSIS. Vere argumentum eſt celari, id quòd Antipho non coactus, ſed volens duxit vxorem. MODO VT TACERE POSSIS. *Modò*, pro Tantummodo: vt, *Modò Iuppiter adſit.*

ABI SIS INSCIENS. Nunc pro inſcito poſuit. vel *inſcientem* modò ſtultum dicit: aliàs ignarum.

CVIVS TV FIDEM IN PECVNIA PERSPEXERIS. Sententioſe dixit: quaſi in omnibus credendum ſit ſeruaturum fidem eſſe eum, qui in pecunia ſeruauerit. Et hoc ideo interpoſuit, ne longus eſſet, dum ſuadet vt dicat: quemadmodum in alijs fabulis. CVIVS TV FIDEM IN PECVNIA PERSPEXERIS. Proprie locutus eſt de pecunia, & *fidem* dicendo, & *credere*. Nam fides, eſt eorum, quibus datur. *Creditores* dicuntur ipſi qui dant. IN PECVNIA. A maiore ad minus. PERSPEXERIS. Non *Inſpexeris*: ſed *Perſpexeris*, quod plus eſt. dixit.

VERERE VERBA EI CREDERE. Verba cum pronuntiatione dicit, vt oſtendat multum diſtare inter pecuniam & verba.

VBI QVID MIHI LVCRI EST TE FALLERE. Ab vtili coniectura. & bene: quia ſeruus nihil de honeſto dicit. VBI QVID. Significantius dixit *quid*, quàm ſi diceret, *nihil*.

ERGO AVSCVLTA. *Ergo* nunc velut increpatio tarde facientis eſt. Quia hic igitur obloquendo impediuerat narraturum, *ergo* dixit. Sic Virgilius, *Ergo age chare pater, ceruici imponere noſtræ.*

HANC OPERAM TIBI DICO. Auſcultandi ſcilicet & audiendi. HANC OPERAM TIBI DICO. Plùs eſt *dico*, quàm *do*. *Dicatur* perpetuo: *Datur* ad tempus.

SENIS NOSTRI DAVE FRATREM MAIOREM. Dicendo *Senis*, oſtendit & adoleſcentem ſe dominum habere. dicendo *Noſtri*, oſtendit eſſe & alienum. dicendo *Fratrem*, non vnum eſſe monſtrauit. dicendo *Maiorem*, etiam minoris fecit indicium. Sic argumenti partem maximam nondum narrans, iam in ipſa interrogatione tranſegit. Hæc autem omnia propter populum ſic aguntur. Ideo ille, *Quidni* dixit, ne ſit opus pluribus verbis. SENIS NOSTRI DAVE FRATREM. Mirum compendium narrationis. quaſi per interrogationem fecit, ne ex alto repeteret. Sic Virgilius.

Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures,
Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama.
Et, *Noſtin hanc quam amat frater?* in Eunucho.

QVID EIVS GNATVM PHAEDRIAM. Non dixit, quid Phædriam: ſed addidit, *Eius gnatum*: vt magis docere, quàm interrogare videretur. QVID EIVS GNATVM PHAEDRIAM. Deeſt, *noſti*.

TANQVAM TE. O varietas. quidni? tanquam te.

EVENIT SENIBVS AMBOBVS SIMVL, ITER. Non euenit iter: ſed, euenit vt iter eſſet. SIMVL. Vno tempore. ILLI IN LEMNVM VT ESSET. Recte tacetur cur Chremes ierit & dicitur cur Demipho. vtrunque pro argumento eſt. AD HOSPITEM ANTIQVVM. Sic Virgilius. *Veterémque Anthijem agnouit amicum.* Hoc autem addidit, vt eſſet idonea cauſa nauigandi ſeni. SENEM PER EPISTOLAS PELLEXIT. *Epiſtolas* dicendo, oſtendit eum non ſemel ſcripſiſſe. PELLEXIT Induxit ſic Virgilius. *Pellacis Vlyſſi.* MODO NON MONTES AVRI POLLICENS. Prouerbialis ὑπερβολὴ facta per exceptionem, aut per ſuperlationem, aut æquam collationem. Eiuſmodi eſt illud Demoſthenis, μονονουχὶ φωνὴν ἀφιείς. MODO NON MONTES AVRI. Salluſtius, *Maria monteſque polliceri cœpit.* MODO NON MONTES AVRI POLLICENS. More veterum: quia hoſpites hoſpitibus multa donabant.

CVI TANTA ERAT RES. *Cui*, datiuus caſus eſt: Dominóne tuo, inquit, pollicebatur hæc, cui tanta res erat? CVI TANTA ERAT RES. Deeſt *eum*. vt ſit, Eum pellexit, cui tanta res erat? ET SVPERERAT. Plus eſt *Supereſſe*, quàm *eſſe*.

DESINAS, SIC EST INGENIVM. Neceſſaria eſt ad fabulæ ἐπίτασιν auaritia Demiphonis: vt maiore periculo illo abſente duxerit filius indotatam. nam mox dicturus eſt, illéne indotatam virginem, atque ignobilem daret illi? Sic eſt ingenium. Præparatio bona, qua & diues, & auarus deſcribitur Demipho, vt indotatas nuptias filij ferre non poſſit. SIC EST INGENIVM. Recte. non enim, inquit, fortuna auarus eſt, ſed natura. SIC EST INGENIVM. Omnium, an Domini? ſed magis Domini.

OH, REGEM ME ESSE OPORTVIT. Oſtendit pauperum affectiones, qui ſe ſolos vti diuitiis ſcire aiunt, ſi eas habeant. OH, REGEM ME ESSE OPORTVIT. Acue *me*.

ABEVNTES AMBO HINC TVM. *Hinc* & *hic* legitur. & eſt ordo, Hic reliquunt filiis.

FILIIS. Propter filios. RELINQVVNT. Id eſt, non ſecum abducunt. QVASI MAGISTRVM. Bene *quaſi*: qui non compleuit hoc ipſum, nec vult eſſe. MAGISTRVM. Sic Latini: quem Græci παιδαγωγὸν appellant.

O GETA, PROVINCIAM CEPISTI DVRAM. Acquiſitæ bello longe ab Italia regiones, *prouinciæ* dictæ ſunt, à porro vel procul & vincendo ad quas quia Prætores cum officio mittebantur, officia quoque *prouinciæ* nominantur. O GETA, PROVINCIAM. Splendide *Prouinciam* dixit.

MEMINI RELINQVI ME, DEO IRATO MEO. Sic Virgilius. ——— *nec di texere Cupencum AEnea veniente ſui.* Hoc Aper. ſed mihi videtur ad hoc addidiſſe *meo*, ne eſſet ἀμφίβολον, cui diceret, *Irato deo.* Næuius in Stalagmo, *Deo meo propitio, meus homo eſt.* MEMINI RELINQVI ME, DEO IRATO MEO. *Domino* dixit: an verè deo? Et bene *meo*, ne eſſet ἀμφίβολον Et ſic dixit, *Memini relinqui*, vt in Andria, *Memini me videre.* Et, *Memini me fieri pauum.* Ennius.

QVID VERBIS OPVS EST. Repente infertur, *Quid opus eſt verbis?* & ſatis moraliter. SENI FIDELIS DVM SVM. Opportune *Seni* dixit, vt oſtendat quàm ſtultum eſt, ſeni aduerſus iuuenes fidelem eſſe. SENI FIDELIS DVM SVM. *Fidus* eſt amicus: *Fidelis* eſt ſeruus. SCAPVLAS PERDIDI. Plus eſt *Perdidi*. quàm ſi diceret, *Dolui*. Et bene retulit *perdidi* πρὸς τὸ *fidelis*. Fidelis enim officium eſt, ſeruare aliquid.

VENERE IN MENTEM ISTAEC MIHI *Venire in mentem*, non ad recordationem tantum dicitur: ſed ad reputationem & intelligentiam.

NAM QVAE INSCITIA EST ADVERSVM STIMVLVM CALCES. Hoc dictum & ſuperiori perſonæ eſſe poteſt, & alteri. ADVERSVS STIMVLVM CALCES. παροιμία cum ἐλλείψει. deeſt enim, *iactare. Stimulum* pro domino adoleſcente poſuit. CALCIS. Modo *calces*, non partes plantæ, ſed percuſſiones pedum plagáque ſignificat. Aliter Virgilius.

——— *Calcémque terit iam calce Diores.*

SCISTI VTI FORO. Secundum illos negotiatores, qui ante locum commercij, non præſcribunt quanti vendant quæ aduehunt: ſed ſecundum annonam fori quam deprehenderint, conſilium de vendendis aut non vendendis mercibus ſumunt. SCISTI VTI FORO. *Forum* pro tribus intelligitur: loco, tempore, & perſona. Sciſtis, inquit, his vti. & eſt vulgare prouerbium. Senſus hic eſt, Sciſti, inquit, quid facere te oporteret.

Primo hic Phaedria. Bene additum *primo*: quia non perpetuo.

¶ Noster mali nihil quidquam. Quartum παρέλκον. Vt in Hecyra, *Nam nemo illorum quiſquam, ſcito, ad te venit.* Noster mali nihil quidquam. *Noſter* πρὸς ἀντιδιαστολὴν Phædriæ: qui non noſter eſt.

Continuo quandam. Bene *Continuo*: quaſi vix expectauerit profectionem patris.

Pusellulam citharistriam. Iſtis nominibus hoc agit, vt cauſa amoris & ex ætate, & ex arte puellæ videretur: nam ideo puellam dixit.

Amare coepit perditus. Legitur & *Perdite*. Et *Amare perdite*, vt puta puellulam & Citharistriam.

Ea serviebat lenoni. Et honeſte, & cito dixit *Seruiebat*. Lenoni inpurissimo. Et quare non fuiſſet libera: & cuius fuiſſet ancilla: & qualis hominis fuerit, demonſtrauit. Ea serviebat leoni inpurissimo. Magna præparatio ad rerum difficultatem imminentium: Puellula Citharistria, Auarus leno, Amator perditus, Inopia.

Id curarant patres. Expedite dixit *Patres*. ſi enim Patrem eius tantum dixiſſet: id reſtabat, vt ei per patrui filium ſuccurreretur. ideo dixit ambos non habuiſſe.

Nisi oculos pascere. Hoc enim ſolum erat quod leno non venderet.

Sectari, in ludum ducere et reducere. Bene cauillatus eſt & iòculariter in adoleſcentem, cui ætas ad ſectandos philoſophos apta erat. Hinc etiam philoſophorum ſectæ. Sed *Sectari* proprie eſt, vt taurus buculam, vt aries ouem. Virgilius, *Trahit ſua quemque voluptas.* Reducere. ἔλλειψις à ludo enim ſubauditur.

Nos otiosi operam dabamus Phaedriae. Cum τύπῳ dixit *nos*: velut magiſtrum excuſans obſequentem ei, cui cuſtos ſit datus. & ideo addidit *Otioſi*. Nos otiosi operam dabamus Phaedriae. Relatio ad illud quod mox, Otioſi non erunt. Nos otiosi operam dabamus Phaedriae. Aut ad pudorem ſumitur hoc pronomen in ſingulari numero: aut ad dignitatem. ſed non poteſt *nos*, & propter Antiphonem dixiſſe. Nos otiosi operam dabamus Phaedriae. Apollodor. ΝΑΛΚΕΙΣ δισωωεμαλιμεοα* Operam dabamus Phaedriae. Ille amicæ, nos illi.

In quo haec discebat ludo. Figurate *in quo hæc diſcebat ludo*, eſt additum.

Ex advorsum ei loco. *Ei loco*, legitur & *ilico*. Et adnotatur ex abundanti additum, vt apud veteres multa ſunt. Ex advorsum ei loco. παρέλκον quartum. Tonstrina erat. Apta ſedes otioſis. Tonstrina erat quaedam. παρέλκον tertium, *quædam*.

Hic solebamus fere plerumque παρέλκον tertium, *Ferè plerumque* Dum inde iret domum. Ad ſe ſcilicet *Iret domum*, pro rediret, vel certe iter. παρέλκον figura.

Dum sedemus. Proprie, *Sedemus*: vt in tonſtrina. Illi intervenit. *Illi*, pro *ibi*. vt *Illi mea triſtia facta*. Et nota *Illi*, pro illic.

Intervenit adulescens quidam lacrumans. Apollodorus tonſorem ipſum nuntium facit, qui dicat ſe nuper puellæ comam ob luctum abſtuliſſe: quod ſcio mutaſſe Terentium, ne externis motibus ſpectatorem Romanum offenderet.

Nos mirarier. Recte: mirum enim in adoleſcentibus lachrumæ: vt contrà, *Triſtiſque ſenectus*. Nos mirarier. vt, —— *ſolam nam perfidus ille Te colere.*

Rogamus quid sit. Quid lachrumet: non, Quid ſit ipſe, vt ſtulti putant.

Numquam aeque, inquit, ac modo. Mire oſtendit ſemper ſibi hoc viſum quod dicit: ſed numquam æquè. Paupertas mihi onus visum est. Statim fit mentio paupertatis, vt ſit cauſa fallaciæ Phormionis.

Modo quandam vidi virginem Bene *Quandam*: ne ob familiaritatem laudari videretur Modo quandam vidi virginem. Vide ſic agi, vt non tam morte mulieris, quàm ſolitudine pulchræ virginis moueatur affectus. Simul & ea deſcribi, quæ matronæ futuræ magis conueniant, quàm quæ temere amanda ſit. Nam hic obitus fœminæ ad comicum exitum ſpectat: quandoquidem plus ex eius morte ſecuritatis, quàm moleſtiæ, ſentiat argumentum.

Hic viciniae. Aduerbium in loco eſt, *Hic viciniæ*: cuius ad locum, *Huc viciniæ*. Et ſtatim proximitas inſinuatur, vt ſit ſpes & cauſa videndi.

MISERAM. Ab affectu: & ſubſtinguendum eſt, vt ad virginem referatur. LAMENTARI MORTVAM. A probitate, quæ piis attribuitur. Et *Lamentari mortuam*, ambiguitas, ſed ſenſu manifeſta.

EA SITA ERAT. *Sita*, pro poſita. Salluſtius cum adiectione in H. *cum prædixero poſitum inſulæ*. Et hoc ei reciprocum eſt. EA SITA ERAT EX ADVERSO. Expoſitio paupertatis, & quàm facilè virgo videri poſſit.

NEQVE NOTVS, NEQVE COGNATVS. ἀν᾽νοις fit: quia res minuitur, creſcit ſententia. Salluſtius, *Non repugnantibus modo: ſed ne deditis quidem* a b c m.

NEQVE NOTVS, NEQVE COGNATVS, EXTRA VNAM ANICVLAM. Hæc præſtruuntur: vt ſit ſpes potiundæ virginis. NEQVE NOTVS NEQVE COGNATVS. Hæc deſcriptio paupertatis adiuuat argumentum, vt & viſere audeant adoleſcentes virginem, & amet Antipho.

QVI ADIVTARET FVNVS. Ipſum officium *Funus* dixit.

MISERITVM EST. Hoc eſt miſertus ſum eius. Et hic videtur oſtēdiſſe cur lachrumauerit.

VIRGO IPSA FACIE EGREGIA. A forma indignatio. VIRGO IPSA. Bene *Ipſa*: quia quæ ſuprà dixit, non ad ipſam, ſed ad euentum eius pertinebant.

QVID VERBIS OPVS EST. Sic dicit Terentius vbi ad eff:ctum properat.

COMMORAT OMNES NOS. Figura συγκοπὴ, pro *commouerat*. Et bene *Omnes*: quia res ad Antiphonem tantum ſpectat.

IBI CONTINVO ANTIPHO. Hic redditur nomen adoleſcentis. & eſt παρέγχυσις.

VOLTISNE EAMVS VISERE. Vt, ——— *populare penates Venimus*. VOLTISNE EAMVS VISERE. Ipſe hortari inducitur, qui amaturus eſt.

ALIVS, CENSEO. EAMVS. DVC NOS SODES. Hæc omnia diuerſi dicunt. Et apparet tot eſſe homines, quot per μίμησιν ἀσύνδετα demonſtrantur. ALIVS CENSEO. Phædria, vel quilibet.

IMVS: VENIMVS: VIDEMVS. ἀσύνδετον primum, per βραχυλογίαν IMVS, VENIMVS VIDEMVS. μετ᾽ ἐνέργειας. &, VIRGO PVLCHRA. συντομία mirantis. Duo ingentia, & *Virgo* & *Pulchra*. VIRGO PVLCHRA. Bene non dixit, Videmus virginem pulchram: ſed ὑπὸ τῆς καταπλήξεως, *Virgo pulchra*. Illud enim frigidius: hoc concitatius. & hoc magis demonſtratur δράματι, quàm relatione.

ET QVO MAGIS DICERES. *Diceres*, pro crederes. vt, *Audacter dicito*. Sæpe Plautus.

NIHIL ADERAT ADIVMENTI. Proprie *Aderat*. *Adeſt* enim id, quod adiuuat.

CAPILLVS PASSVS. Singularem numerum, pro plurali poſuit. Sic & alibi, *Capillus pexus, prolixus, circum caput reiectus negligenter*. PASSVS. Temere diſperſus. Vt magna pars, à Græca oratione profluxit hæc dictio. CAPILLVS PASSVS, NVDVS PES Facetius, quàm ſi pluraliter dixiſſet. Virgilius, ——— *quibus acer Eryx in prælia ſuetus Ferre manum*.

IPSA HORRIDA. Quaſi extra ipſam ſit id quod dixit. *Capillus paſſus, nudus pes*. Tale eſt apud Virgilium, *Illum autem quamuis aries ſit candidus ipſe,*
Nigra ſubeſt vdo, cui tantum lingua palato,
Reiice. ——— Et alibi de arbore,
Tum fortes late ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipſa ingentem ſuſtinet vmbram.
Et, ——— *domus ſanie, dapibúſque cruentis*
Intus opaca, ingens: ipſe arduus, altáque pulſat
Sydera. ——— LACRVMAE, VESTITVS TVRPIS. ἀσύνδετον tertium. *Ipſa horrida* & *lacrumæ* ad luctum pertinent, *nudus pes* & *veſtitus turpis* ad pauperiem.

VT NI VIS BONI. Plus eſt *vis boni*, quàm *bonum*. VT NI VIS BONI IN IPSA INESSET FORMA. Veteres ignem & calorem quemdam, quaſi feruorem, dixerunt *Formam*: & ideo *Fornaces, forcipes, formam & formoſos*: ex quibus ignis amoris exoritur. Laudandus eſt ergo Terentius proprietate ſeruata: qui quum formam prætuliſſet, ſubiecit *extinguerent*. Ideo & Virgilius ſic ait, *At mihi ſeſe offert vltro meus ignis Amyntas*. IN IPSA INESSET FORMA, HAEC FORMAM EXTINGVERENT. Figura πλοκὴ. aliud enim ſuprà, aliud infra *Forma* repetita ſignificat. IN IPSA INESSET FORMA. Geminauit præpoſitionem. vt alibi, *In amore hæc omnia inſunt vitia*. EXTINGVERENT. Bene *Extinguerent*: quia ab igne & calore forma dicta eſt.

ILLE, QVI ILLAM AMABAT. Bene *illam* : quia iam ſuprà inſinuauit perſonam Citbariſtriæ. ILLE, QVI ILLAM AMABAT. Ratio cur amauerit virginem. FIDICINAM. Suprà, *Citharistriam*, ergo indifferenter.

TANTVMMODO, SATIS INQVIT, SCITA EST. Senſus eſt, Laudauit tantummodo, non etiam captus eſt in amorem. SATIS, INQVIT SCITA. Magna laus formæ: amanti aliam placuiſſe. SATIS, INQVIT, SCITA. *Scita*, bella. vt in Andria, *Scitus puer eſt natus è Pamphilo.*

NOSTER VERO. ἀποσιώπησις tertia : quæ ſuccurrit quotiens verba rebus minora ſunt.

AMARE COEPIT. Ille, inquit, laudauit tantum : Hic amare cœpit. Et bene *Cœpit*, non *Amauit* : vt oſtendat vim amoris non parum eſſe : & rem quæ ſemel ſuſcipi poſſit.

SCIN' QVAM. ἀποσιώπησις, qua in narrationibus in compendium Terentius vti ſolet. SCIN' QVAM. Amare cœpit, ſubauditur.

QVO EVADAT, VIDE. *Euadat*, perueniat. Nam *euadere*, eſt per obſtantia peruenire.

POSTERIORE AD ANVM RECTA PERGIT. Hoc præſtruens, aniculæ ſuprà mentionem.

fecerat. Et bene memor & virginis & honeſtæ, non ipſam adiri facit, ſed anum : neque ab ipſa peti fructum voluptatis, ex cuius perſona maior deſperatio naſcebatur : ſed à nutrice potius, per quam ſuaderi puellæ poſſe creditur quicquid libet. POSTRIDIE AD ANVM RECTA. ἐμφατικῶς, ad anum ſtatim : vt qui poſt habuerit omnia alia. RECTA. Quia non per nuntium.

VT SIBI EIVS FACIAT COPIAM. Vide vt nihil de virgine ſperet, qui omnia ab anicula petat.

ILLA ENIM SE NEGAT. Copiam facturam, ſubauditur. NEQVE EVM AEQVVM AIT FACERE. Non quòd amet, ſed quòd hoc petat. NEQVE EVM. Quod peteret ſcilicet.

ILLAM CIVEM ESSE ATTICAM. *Illam* cum ἐμφάσει dixit: quaſi dicat, quam ſic contemnat. CIVEM BONAM ESSE. Ciuem, quod ad iura pertinet: bonam quòd ad ipſam. BONAM. Non vilem: quia boni non viles ſunt. vnde ſuperlatiuus gradus *Optimates* facit : quia *bonus melior optimus* dicitur. BONIS PROGNATAM. Quod ad maiores eius.

SI VXOREM VELIT. Recte ſubiunxit, *ſi vxorem velit* : poſtquam ea in virgine prætulit, quæ ſolent ornare nuptias. LEGE ID LICERE FACERE. Incerta diſtinctio eſt : vtrum *vxorem velit lege* : an *lege id licere facere*. SIN ALITER, NEGAT. Et pudice Anus, & tamen illecebroſe, *Licere facere* dixit, quod ille impudentius petit, vt ſibi eius faciat copiam.

SIN ALITER, NEGAT. σύλληψις facta ex eo quod ſequitur, facere.

NOSTER QVID AGERET, NESCIRE. Propoſita deliberatio : cuius tamen altera pars vincet. nam ducturus eſt per abſentiam patris. QVID AGERET, NESCIRE. Pro *Neſciebat*. ſed recte ſic ait : quia ſubiuncturus eſt.

CVPIEBAT ET METVEBAT. *Metuebat* proprie dixit. *Metuimus* enim eos qui nos amant: *Timemus* etiam inimicos. ILLAM DVCERE CVPIEBAT, ET METVEBAT. Vide ambiguitatem, quam tamen ſequentia tollunt.

NON SI REDISSET PATER, SI VENIAM DARET. Bene interrogat Dauus. hoc enim ſperari ſi poſſet, non opus erat fraudibus Phormionis. NON SI REDISSET. Si pro poſtquam. Virgilius, *Præterea ſi nona diem mortalibus almum Aurora extulerit.*

ILLENE INDOTATAM VIRGINEM. ἐμφατικῶς *ille*, de quo dixerat, *Deſinas, ſic eſt ingenium* : & qui propter ſpem lucri nauigerat ſenex. Inſinuandum igitur fuit: hîc enim erit omne periculum fabulæ. Ex ordine Terentius prius inſinuauit perſonam ſenis, vt grauiora fierent quæ dirimebant nuptias. ILLENE INDOTATAM VIRGINEM, ATQVE IGNOBILEM. Duo dixit: & *Indotatam*, & *Ignobilem*. Hæc enim duo principaliter petuntur, cum ſint quatuor, quæ in ſponſis quæruntur : forma, probitas, dos, nobilitas. Et manifeſtum eſt, cur de forma & probitate nihil dicat : quippe cum ſuprà magnopere ea laudauerit in puella. VIRGINEM. Simpliciter accipimus, *Virginem* ? an ſubaudimus, *Quamuis*: vt ſit, *Quamuis virginem* ?

DARET ILLI. Bono affectu dixit, *Daret illi* ? Filius enim familiæ non tam ducit vxorem, quàm à patre accipit : quippe cum patri committatur puella potius in huiuſmodi conditionibus, quàm marito. DARET ILLI. NVMQVAM FACERET. ἀποσιώπησις ſecun-

da. hic enim non tranſit ad aliud: ſed inſtat incœpto: vt & per interrogationem diceret, *Daret illi* & per reſponſionem inferret, *Nunquam faceret*. Et nota *numquam* pro *non*, in maiorem negationis ſignificationem poni ſemper. DARET ILLI. Mire *Daret*: vt oſtenderet nihil eſſe poteſtatis in filio.

QVID SIT DENIQVE. More ſuo Terentius, *Denique* poſuit in fine ſenſus. & eſt aduerbium ordinis. Sic in Heautontimorumeno, *Fodere, aut arare, aut aliquid facere denique.* vt ſit *denique*, vel deinde, vel ad poſtremum.

QVID FIAT. Deeſt, *Rogitas?* & eſt ἀποσιώπησις quarta.

EST PARASITVS QVIDAM PHORMIO. *Phormio*, non à formula: ſed phormione dicitur ſparteo, quem nos *eronem* dicimus triuialiter, & pro conſuetudine.

QVID IS FECIT. Seruatur affectus triſtis hominis. vt ſuprà ait, *Sed quid tu es triſtis?*

HOMO CONFIDENS. *Homo* comice additum: nam quis ignoret paraſitum hominem eſſe? CONFIDENS. Hic *confidens*, pro improbo, audaci ac temerario poſuit. vt, *O ingentem confidentiam.*

QVI, ILLVM. *Qui*, vtinam eſt. vt Lucilius in ſecundo, *Qui te Momentane malum iam cetera perdat.* Aut, *Qui hoc conſilium, quod dicam, dedit?* QVI, ILLVM DI OMNES PERDVINT. *Qui* aut expletiuum, aut pronomen: quo incipiens Phormionem deſcribere, cohorruit conſideratione eius: & in hanc vocem, quaſi confuſus erupit. hoc autem certum genus eſt παρενθέσεως. QVID IS FECIT. Correxit interrogatione errantem: vt rediret ad nominatiuum caſum *Qui*, vnde aberrauerat, & *illum* dixerat.

HOC CONSILIVM, QVOD DICAM DEDIT. Secundum quoſdam ordo eſt, Qui hoc conſilium, quod dicam, dedit.

LEX EST. *Lex*, vt in Palliata, recte ponitur: nam Græcorum fuit. ideo & in Andria ſic ait, *Inopia, & cognatorum negligentia coacta.* LEX EST. Alia narratio interponitur. & dicitur παρεκφώνησις. LEX EST. A cauſa litis. potuit enim dici, non habes cauſam.

VT ORBAE, QVI SINT GENERE PROXIMI, EIS NVBANT. Orba proximo nubat, Orbam proximus ducat, Atticum ius eſt. Et eſt ordo, Lex eſt, vt orbæ eis nubant qui ſint proximi.

ET ILLOS DVCERE. Bene additum: nihil enim ad rem, ſi ducendi neceſſitas non fuiſſet.

EADEM HAEC LEX IVBET. Non duas res iubet hæc vna lex: ſed puellis permittit nubere: cognatos cogit ducere. EADEM HAEC LEX IVBET. Bene *Iubet*: minorem enim vim habet ea lex, quæ aliquid permittit, quàm illa quæ aliquid iubet.

EGO TE COGNATVM DICAM, ET TIBI SCRIBAM DICAM. A perſona eius cum quo agitur. Potuit enim dici, *Quid mecum eſt tibi.* EGO TE COGNATVM DICAM, ET TIBI SCRIBAM DICAM. ἀποστροφὴ & ὑπόθεσις. Hæc narratio eſt, quam dicit Tullius conſtitutam. Et ipſe, *Tibi vni parcam*, inquit in Verrinis repente enim tráſitur ad verba perſonarum ab earum deſcriptione: ſed hoc ipſum ad commouendos auditores valet plurimum. ET TIBI SCRIBAM DICAM. A denuntiatione in perſonam: ne diceret, Non mihi denuntiaſti. ET TIBI SCRIBAM DICAM. Cicero, *Scribitur Heraclio dica.* DICAM. Suprà, verbum: infrà, nomen eſt totidem literis, diuerſo accentu.

PATERNVM AMICVM ME ASSIMVLABO VIRGINIS. A perſona litigantis: potuit enim opponi, Perſonam non habes.

QVI FVERIT PATER. *Qui* hic, pronomen eſt: infrà, quomodo ſignificat. QVAE MATER. Virginis ſcilicet. QVI COGNATA TIBI SIT. *Qui*, quomodo, & qua ratione.

OMNIA HAEC CONFINGAM. *Omnia hæc*, non ex abundanti poſuit: ſed oratorie, quaſi tam multa. & eſt ἀρχαϊσμός. nam poſt enumerationem veteres hoc dicebant. Salluſtius in Iugurtha; *Hæc omnia præſidio adſunt.* QVOD ERIT. tuto confingam.

QVOD ERIT MIHI BONVM ATQVE COMMODVM. εὐφημία Quod mihi inquit, fauſtum ac fœlix erit: hoc eſt, confingere atque mentiri. QVOD ERIT MIHI BONVM, ATQVE COMMODVM. Totum iculariter paraſitus: quippe qui *Confingam* dicens, non ſolum non erubuerit de falſiloquio, ſed quaſi præclari facinoris incœptionem etiam auſpicatus ſit, oménque ſuſceperit, dicendo, *Quod erit mihi bonum atque commodum.* Sic enim veteres, QVOD FAVSTVM FOELIXQVE SIT, dicebant, aliquid aggreſſuri.

QVVM

QVVM TV HORVM NIHIL REFELLES. Hoc interrogatiue pronuntiandum eſt. REFELLES. Refutabis, redargues. Nam prorſus *refellere*, eſt redarguere falſitatem.

PATER ADERIT: MIHI PARATAE LITES: QVID MEA. Mire ὁ συκοφάντης, quod maximè alter metueret, hoc pro ridicula re contempſit, *Pater adierit: mihi parata lites.* Exquiſite autem ſubiectum eſt, quum ſuprà dixerit, *Mihi parata lites: quid mea.* PATER ADERIT: MIHI PARATAE LITES. Vt Antiphoni formidanda iſta ſunt, ita ridicula paraſito.

ILLA QVIDEM NOSTRA ERIT. ἀδικῶς *noſtra*, quum Antiphonis tantum eſſe debeat.

IOCVLAREM AVDACIAM. ἀφωνία κατ' ἀντίφρασιν: hoc eſt, minime iocularem. An quæ ex ludo & ioco in periculum veniat? IOCVLAREM AVDACIAM. Deeſt, *Audio ex te*, aut, *Dicis.*

PERSVASIT HOMINI. Hîc iam de Antiphone quæritur, cui perſuaſum ſit. FACTVM EST. Adeò audax Phormio. VENTVM EST. ἐπεξήγησις· Quo modo factum eſt? Ventum eſt: vincimur: duxit. FACTVM EST: VENTVM EST: VINCIMVR: DVXIT. ἀσύνδετον. vt ſuprà, *Imus, venimus, videmus.* FACTVM EST: VENTVM EST: VINCIMVR: DVXIT. Amat hoc Terentius: vt, *It, lauit, redit.* &, *Imus, venimus, videmus.* &, *Funus interim procedit: ſequimur: ad ſepulchrum venimus. in ignem poſita eſt. fletur.* His non modo breuis & comis oratio eſt: ſed etiam auditoris animum, ad id quod reſtat, intendit.

QVID NARRAS. Admirantis vox eſt, non interrogantis.

O GETA, QVID TE FVTVRVM EST. Sic pronuntia, quaſi periturum contempletis Getam, & iam eum in certo interitu defleas. O GETA, QVID TE FVTVRVM EST. Scilicet qui magiſter relictus ſis Antiphoni.

NESCIO HERCLE: VNVM HOC SCIO, QVOD FORS FERET FERSMVS AEQVO ANIMO. ἠθικῶς deſperatione rerum fortis eſt ſeruus. & ſimul vigilauit poeta, ne ſi & hic eiularet, res tota migraret in tragœdiam. QVOD FORS FERET FEREMVS AEQVO ANIMO. Hæ graues ſententiæ, ex perſona ſeruorum quum dicuntur, ridiculæ ſunt: & eo conſilio interponuntur. FERSMVS AEQVO ANIMO. Hoc ſecundum ſeruos, qui futura contemnunt. Et mire meritum culpæ ſuæ ad fortunam retulit.

HEM, ISTVC EST VIRI OFFICIVM. Compendium conſolationis eſt. quod hic libenter accepit. & ideo ſtatim approbat.

IN ME OMNIS SPES EST MIHI. Quo modo? an vt ſtrenue ſe defendat? an vt fugiat? an vt patiens ſit plagarum?

AD PRECATOREM ADEAM CRSDO. Bene poeta omnia tractat, quæ in tali re tacenda ſeruo eſſent, niſi aliud poſceret argumentum. AD PRECATOREM ADEAM. Sic in Heautontimorumeno, *Nec tu aram tibi, nec precatorem pararis.*

QVI MIHI SIC ORET. Id eſt, pro me oret.

NVNC AMITTE QVAESO HVNC. μίμησις dicitur, vbi non verba modo, verum etiam geſtum vocémque fingimus alienam. NVNC AMITTE QVAESO. Hoc quod nos dicimus *Dimitte*, antiqui etiam dicebant *Amitte.* Virgilius. *Amiſſos hinc iam obliuiſcere Graios.* Et Salluſtius, *Pactione amiſſo Publio legato.*

POST HAC SI QVIDQVAM, NIHIL PRECOR. Facilè impetrat, qui non omnia extorquet. Ergo ars precatoria eſt, mitigare præſentia, futura permittere. Simul etiam quia omnis cauſa in hoc eſt, ne videatur ſeruus ob impunitatem in delictis amplius peccaturus. POST HAC SI QVIDQVAM, Vt ſolet eleganter per ἔλλειψιν. Et ſimul, non ſi tantundem peccauerit: ſed ſi vel minimum. tale eſt & illud, *Si ſenſero hodie quicquam in his te nuptiis fallacia conari.* &, *Si quicquam inuenies mentitum, occidito.* NIHIL PRECOR. *Nihil*, pro non: ſed plena negatio, *Nihil.*

VBI EGO HINC ABIERO. Hîc oſtendit nullum precatorem ex animo poſtulare veniam ſeruo.

VEL OCCIDITO. *Vel*, pro etiam. OCCIDITO. Tu tantum cædere vo-

lebas: ego dico, *Etiam occidito.*

QVID ILLE PAEDAGOGVS, QVI CITHARISTRIAM. Moraliter quærit, volens audire de Phædria, poſtquam de Antiphona cognouit: maxime quia hæc interrogatio reſponſionem elicit, qua ſpectator inſtruitur ad cognoſcenda cætera. QVID ILLE PAEDAGOGVS, QVI CITHARISTRIAM. Quia dixit, *Sectari, in ludum ducere & reducere*: & quia *Puellulam* dixit: ab ætate, *pædagogus eſt illi*, ait. QVID ILLE PAEDAGOGVS, QVI CITHARISTRIAM. ille autem Phædria ſcilicet, qui neque abſcedit à cuſtodia puellæ: neque illam ipſe contingit. QVI CITHARISTIAM. ἰδιωτικῶς. *Sectatur*, amat, vel quid tale ſubaudiendum eſt.

SIC TENVITER. δεικτικῶς *ſic* dicendum eſt, cum aliquo geſtu.

NON MVLTVM HABET QVOD DET FORTASSE. Cum commiſeratione amatoris adoleſcentis pronuntiandum eſt.

IMMO NIHIL, NISI SPEM MERAM. Bene *Spem*: quia amat. nemo enim ſine ſpe amat. MERAM. Solam.

PATER EIVS REDIIT, AN NON. Chremes ſcilicet.

NONDVM. Subaudi *Venit.* Iam *non* plena negatio eſt.

QVID? SENEM QVOAD EXPECTATIS VESTRVM. Animaduertite, *Quid* ſecundum morem quotidianum ſum dici, quum fit tranſitus à mentione alterius rei ad alteram. Sic & ſuprà, *Quid pædagogus ille?* QVOAD EXPECTATIS VESTRVM. *Quoad*, quandiu. Et recte locutus eſt: quia aduentus, finis eſt expectationis.

SET EPISTOLAM AB EO ALLATAM ESSB AVDIVI. Mire paratur inopinatus ſubito aduentus ſenis. nam ipſe veniet, cuius epiſtolam ſperat.

ET AD PORTITORES ESSE DELATAM. More veterum, Magiſtri tributorum, id eſt publicani, operam in portu dabant, inferendarum rerum, & efferendarum vectigal exigentes. AD PORTITORES. Ad eos qui in portu ſunt. Et quo more hoc dixerit, vide, Attico, an Romano.

NVMQVID GETA ALIVD ME VIS. Abſque illo argento, quo tibi à me opus fuit.

VT BENE SIT TIBI. ἀρχαϊσμὸς, pro nihil.

PVER HEVS: NEMON HVC PRODIT. Moralis expreſſio. nam eos vocat, quibus initio egrediens, dicebat, *Siquis me quæret rufum.*

CAPE, DA HOC DORCIO. Ad κωφὸν πρόσωπον loquitur. DORCIO. *Dorcium*, fœmininum nomen eſt, vt *Planeſium, Glycerium.*

ACTVS PRIMI SCENA III.

ANTIPHO. PHAEDRIA.

ADEON' rem rediſſe, vt qui mihi conſultum optimè velit eſſe
Phaedria, patrem vt extimeſcam, vbi in mentem eius aduenti venit?
Quòd ni fuiſſem incogitans, ita eum expectarem, vt par fuit.
PH. Quid iſtuc eſt? A. rogitas, qui tam audacis facinoris mihi conſcius ſis?
Quod vtinam ne Phormioni id ſuadere in mentem incidiſſet?
Neu me cupidum eò inpuliſſet, quod mihi principium eſt mali.
Non potitus eſſem: fuiſſet tum illos mihi aegrè aliquot dies.

At non cotidiana cura haec angeret animum. PA. audio.
A. Dum exſpecto, quàm mox veniat, qui adimat hanc mihi conſuetudinem.
PH. Alijs quia deſit, quod amant, aegreſt: tibi quia ſupereſt, dolet.
Amore abundas Antipho.
Nam tua quidem hèrcle certò vita haec expetenda optandáque eſt:
Ita me di bene ament, vt mihi liceat tam diu quod amo frui:
Iam depeciſci morte cupio: tu conijcito cetera,
Quid ego ex hac inopia nunc capiam, & quid tu ex iſtac copia.
Vt ne addam, quòd ſine ſumptu ingenuam, liberalem nactus es:
Quòd habes, ita vt voluiſti, vxorem ſine mala fama. palàm
Beatus: ni vnum hoc deſit, animus qui modeſtè iſtaec ferat.
Quòd ſi tibi res ſit cum eo lenone, quocum mihi eſt, tum ſentias.
Ita plerique ingenio ſumus omnes, NOSTRI NOSMET POENITET.
A. At tu mihi contrà nunc videre fortunatus Phaedria,
Cui deintegro eſt poteſtas etiam conſulendi, quid velis
Retinere, amare, amittere: ego in eum incidi infelix locum,
Vt neque mihi eius ſit amittendi, nec retinendi copia.
Set quid hoc eſt? videón ego Getam currentem huc aduenire?
Is eſt ipſus: ei timeo miſer, quam hic nunc mihi nuntiet rem.

ADEON' REM REDISSE, VT QVI MIHI CONSVLTVM OPTVME VELIT ESSE. In hac ſcena color vitæ eſt eorum qui id, quod immodice concupierint, ſpernunt poſtquam euenerit. quod apertiore ſententia oſtendit poeta, dicendo, *Noſtri noſmet pænitet.* ADEON' REM REDISSE. Comparatiua qualitas in hac ſcena eſt inter Antiphonis vitam, & Phædriæ. Genus cauſæ demonſtratiuum. Contendunt autem, vter magis miſer ſit.

VT QVI MIHI CONSVLTVM OPTIME VELIT ESSE PHAEDRIA. Mirà ſententia, qua oſtendit adoleſcentulos in peccatis neminem magis metuere, quàm eos à quibus maxime diliguntur. Simúlque inducitur rerum imminentium præſtructio: in qua ſic audax inducitur Phædria, vt defenſor futurus ſit: ſic timidus Antipho, vt fugiturus ſit. VT QVI MIHI CONSVLTVM OPTIME VELIT ESSE PHAEDRIA, PATREM EXTIMESCAM. Ferienda pronuntiatio in eo quod ait, *Qui mihi conſultum optime velit eſſe.* hoc enim magis mirum eſt. ideo patrem timeri, quia conſultum optime velit.

VBI IN MENTEM EIVS ADVENTI VENIT. Nota, *venire in mentem* veteres non recordationis cauſa tantum, ſed etiam recogitationis conſiderationiſque poſuiſſe. VBI IN MENTEM EIVS ADVENTI VENIT. Sic veteres genitiuo caſu proferebant. IN MENTEM EIVS ADVENTI VENIT. Cicero, *Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem.* ADVENTI VENIT. Multipliciter declinatur, & *Aduenti* & *aduentus.* ſic & in Andria, *Nihil ornati, nihil tumulti.* VENIT. Legitur & *Aduenit.*

INCOGITANS Temerarius. Probus, *Incogitans,* inquit, *in vſu eſt: at non eodem modo Cogitans.*

ITA EVM EXPECTAREM, VT PAR FVIT. *Expectarem* nunc opperirer: aliàs ſpetarem.

QVID ISTVC EST. Hæc interrogatio ſtomachoſa eſt, extenuare volentis metum fratris, diuerſa enim ſentit ob diuerſum amoris euentum.

Qvi tam avdacis facinoris mihi conscivs sis. Proprie ad terrorem, qui de facinore loquitur, *Conſcium* dixit. Rogitas, qvi tam avdacis facinoris. Bene timens inducitur Antipho, vt ſit cauſa fugiendi. Ad hoc enim fugiet, ne ad amittendam coniugem cogatur à patre ante errorem fabulæ patefactum.

Qvod vtinam ne Phormioni. Gratiſſime non Phormioni ſuccenſet, ſed Phormionis inuento. Et vide vt & ipſe ſe culpæ ſubtrahat. Qvod vtinam. Et familiare eſt initia rerum accuſare eos, quos alicuius negotii pœnitet. Qvod vtinam ne Phormioni. Vetus elocutio, *Vtinam ne*. Ennius in Medea, *Vtinam ne in nemore Pelio ſecuribus cæſa cecidiſſet abiegna ad terram trabes*. Et *ne*, non accipiendum.

Nev me cvpidvm eo compvlisset. Bene hoc addidit ad excuſationem, potuit enim dici, *Non conſentires*. Eo compvlisset. *Eò*. ad vxorem ducendam. an eò intantium.

Qvod mihi principivm est mali. Bene, quaſi caput mali non id amore ſit, ſed in nuptiis.

Non potivs essem. More hominum loquitur : eredit enim ex ſequenti ſatietate, quòd potuerit abſtinere amoribus ſuis. Non potivs essem. ἀνθυποφορὰ μονομερής. Non enim, *Sed potius voluiſti*, poſuit : vt ille, *Verùm anceps pugnæ fuerat fortuna : Fuiſſet*. hic enim vtraque pars ponitur.

Fvisset tvm illos mihi aegre alíqvot dies. Quidam totum interrogatiue pronuntiant : nempe, *Fuiſſet tum illos mihi ægrè aliquot dies*.

At non qvotidiana cvra haec angeret animvm. Quum amatorie loquatur Antipho. errant qui putant eum pœnitere ſui deſiderij. nam ſi hoc eſt : nec maritus firmus videbitur fore. ſed hoc dicit, facilius fuiſſe abſtinere virgine intacta, quàm ea cum qua iam conſueuerit. & ideo ſubiungit, Dum expecto quàm mox veniat, qui hanc mihi adimat conſuetudinem.

Avdio. *Audio* per εἰρωνείαν dicitur modo, à contemnente dictum Antiphonis. Avdio. Omnia deridet Phædria, cupiens fructum amoris vel periculis adipiſci. Eſt ergo *Audio* εἰρωνεία, pro *Non audio*, hoc eſt, nihil dicis.

Dvm expecto, qvam mox veniat. Non *Quando*, ſed *Quam cito* : quia timet.

Qvi adimat hanc mihi consvetvdinem. Mire non amorem : tanquam amore carere potuerit, conſuetudine non poſſit. Et nota proprietatem. nam *Conſuetudo* ſpecialiter de coitu dicitur.

Aliis qvia desit, qvod amant Magnificentius *Aliis* dixit, quàm ſi diceret *Mihi*.

Tibi qvia svperest, dolet. Laborauit vt oſtenderet plus eſſe *Dolet*, quàm *Aegrè eſt*. & ideo inſanum ait Antiphonem : qui in ea fortuna poſitus, quæ aduerſa & contraria eſt, idem patiatur quod miſer. & eſt figura ὑπαλλαγή. Nam ad vtrumque *Aegrè eſt*, ſufficere potuit. Scire autem debemus & pronuntiatiue, & per interrogationem hoc ipſum pronuntiari poſſe. Tibi qvia svperest. Id eſt, eo quod deſideras, abundas. Ordo eſt, Tibi dolet, quia ſupereſt.

Amore abvndas Antipho. Sic hoc pronuntiandum, quemadmodum ſolet cum ſtomacho dici vituperanti cibum *Non eſuris*, aut *pleno ventre es*. vult enim oſtendere ſatietatis hoc eſſe, non ratiocinationis quod nunc queritur Antipho. Amore abvndas Antipho. *Abundare* dicitur, qui ſucceſſu proſpero affluit. Lucilius libro tertio,

——— *Ille alter abundans Cum ſeptem in lecum Hiſpanus* r a r p *

Amore abvndas Antipho. Hoc cum pronuntiatione infert.

Nam tva qvidem hercle certo vita haec expetenda. Bene *Certò* : quia ſuprà omnia cum εἰρωνείᾳ dixit. Vita haec expetenda. *Vita* dixit, vt oſtenderet etiam ſi non fœlicitas. ſed vita dicatur, optandam eſſe. *Vita* autem & mores ſignificat, & animam, & alimentum, & ſpatium viuendi : & fortunam accidētem viuentibus : vt modo. Expetenda optandaqve. Proprie dixit *Expetenda, optandáque*. omnia enim quæ amemus, aut induſtria, aut voto proueniunt : hoc eſt, aut in nobis ſunt, aut in fortuna poſita.

Ita me di bene ament, vt mihi liceat. Neceſſario iurat : quia quod dicturus eſt, ſolis amatoribus videtur eſſe credendum. Ita me di bene ament, vt mihi liceat tam div qvod amo, frvi. Opportunus locus, in quo oſtendatur quàm ma-

gno amore ſit poſſeſſus Phædria, cui par impenditur argumentum. TAM DIV QVOD AMO, FRVI. Quandiu vxore fruitur Antipho. An *tam diu*, δεικτικῶς. TAM DIV. Tantiſper, hoc eſt vel tantillo tempore. QVOD AMO, FRVI. Deeſt *Eo*: vt ſit, *eo quod amo, frui.* IAM DEPECISCI MORTE CVPIO. Pactionem tranſigere.

TV CONIICITO CETERA. Aut *Cætera* abundat: aut deeſt *Per*: vt ſit, *Per cætera.* QVID EGO EX HAC INOPIA NVNC CAPIAM. Infortunium ſcilicet. ET QVID TV EX ISTAC COPIA. Fructum ac fœlicitatem.

VT NE ADDAM. παράλειψις figura, in qua velut ex abundanti enumerantur adiecta. VT NE ADDAM. σχῆμα παράλειψις. VT NE. Quod Græci ἵνα μὴ.

INGENVAM, LIBERALEM NACTVS ES. Hoc natalium: illud morum eſt. SINE SVMPTV, INGENVAM, LIBERALEM NACTVS ES. Contra ea quæ patitur, iſta poſuit omnia. huius in amore copiam: ſuam inopiam. huius deſiderium nullo conſtitiſſe ſumptu: ſibi à lenone fuiſſe emendam puellam. Huius ingenuam: ſuam ſeruam huius liberalem: ſuam Cithariſtriam. hunc nactum eſſe: ſe ſectari tantum. huius vxorem: amicam ſuam. huius amorem maritalem eſſe: ſuum velut prodigi, velut ſcortatoris.

QVOD HABES, ITA VT VOLVISTI. *Voluiſti* ſubdiſtinguendum eſt, & ſic legendum *vxorem*. Erit enim ἐμφατικώτερον.

VT VOLVISTI, VXOREM. Bona præparatio vxoris futuræ.

NI VNVM HOC DESIT, ANIMVS QVI MODESTE ISTAEC FERAT. *Modeſtè* moderatè. Salluſtius libro ſecundo, *Modeſtus ad omnia alia, niſi ad dominationem*. MODESTE. Cum modo.

ET SI TIBI RES SIT CVM EO LENONE. *Et* modò non connexiua, ſed incœptiua coniunctio eſt. Salluſtius libro ſecundo, *Et Pœni ferunt aduerſus a n c m* *

SENTIAS. Sic alibi, *Sit rogas? ſenſi.*

ITA PLERIQVE INGENIO SVMVS OMNES, NOSTRI NOSMET POENITET. παρέλκον tertium. In Andria, *Quod plerique omnes faciunt adoleſcentuli.* & eſt ἀρχαϊσμὸς: vt, *Accede ad ignem hunc, iam caleſces plus ſatis* NOSTRI NOSMET POENITET. eum qui parum putat. ergo ipſi nos, inquit, noſtra contemnimus. Sic & in Heautontimorumeno, *At enim hic dices, Me quantum hîc operis fiat, pœnitet.*

CVI DEINTEGRO EST POTESTAS. Pòſt, deinceps. An *deintegro*, id eſt integris rebus. QVID VELIS RETINERE, AMARE, AMITTERE. An coniunctè legendum eſt, *Quid velis retinere?* vt duo ſint, *Amare, Amittere*: quia & infra duo reddit, *Vt neque mihi ſit eius amittendi, neque retinendi copia. Amittendi* propter amorem: *Retinendi*, propter patrem.

HEI TIMEO MISER. Quàm rectè iam timet: quia in metu ſemper eſt præſaga mali mens. Et *Hei* interiectio ingemiſcentis eſt. vt, ——— *hei mihi, quantum Præſidium Auſonia, & quantum tu perdis Iule.*

ACTVS PRIMI SCENA IIII.

GETA. ANTIPHO. PHAEDRIA.

NVLLVS es Geta, niſi iam aliquod tibi conſilium celere reppereris:
Ita nunc inparatum ſubito tanta te inpendent mala:
Quae neque vti deuitem ſcio: neque quo modo me inde extraham:
Nam non poteſt celari noſtra diutius iam audacia:
Quae ſi non aſtu prouidentur, me aut erum peſſumdabunt.

A. Quidnam ille commotus venit?

G. Tum, temporis mihi punctum ad hanc rem eſt: erus adeſt. A. quid iſtuc maliſt?

G. Quod quum audierit, quod eius remedium inueniam iracundiae?
Loquárne? incendam. taceam? inſtigem. purgem me? Laterem lauem.
Eheu me miſerum: quum mihi paueo, tum Antipho me excruciat animi:
Eius me miſeret: ei nunc timeo: is nunc me retinet: nam abſque eo eſſet,
Rectè ego mihi vidiſſem, & ſenis eſſem vultus iracundiam.
Aliquid conuaſiſſem, atque hinc me conijcerem protinus in pedes.

A. Quam hic fugam, aut furtum parat?

G. Sed vbi Antiphonem repperiam? aut qua quaerere inſiſtam via?

PH. Te nominat. A. neſcio quod magnum hoc nuntio expecto malum.

PH. Ah, ſanúſne es? G. domum ire pergam: ibi plurimum eſt. PH. reuocemus
Hominem. A. ſta ilico. G. hem,
Satis pro imperio quiſquis es. A. Geta. G. ipſe eſt, quem volui obuiam.

A. Cedò, quid portas obſecro? atque id, ſi potes, verbo expedi.

G. Faciam. A. eloquere. G. modò apud portum? A. meúmne. G. intellexti. A. óccidi. G. hem.

A. Quid agam? PH. quid ais? G. huius patrem vidiſſe me, patruum tuum.

A. Nam quod ego huic nunc ſubito exitio remedium inueniam miſer?
Quòd ſi eò meae fortunae redeunt Phanium, abs te vt diſtrahar,
Nullaſt mihi vita expetenda. G. ergo iſtaec quum ita ſint Antipho,
Tanto magis te aduigilare aequum eſt: FORTIS *fortuna adiuuat.*

A. Non ſum apud me. G. atqui opus eſt nunc, quum maximè, vt ſis Antipho:
Nam ſi ſenſerit te timidum pater eſſe, arbitrabitur
Commeruiſſe culpam. PH. hoc verumſt. A. non poſſum inmutarier.

G. Quid faceres, ſi aliud grauius tibi nunc faciundum foret?

A. Quum hoc non poſſum, illud minus poſſem. G. hoc nihil eſt Phaedria: ilicet.
Quid conterimus operam fruſtra? quin abeo? PH. & quidem ego. A. obſecro:
Quid ſi aſsimulo, ſatin' eſt? G. garris. A. voltum contemplamini: em,
Satin' ſic eſt? G. non. A. quid ſi ſic? G. propemodum. A. quid ſi ſic? G. ſat eſt:

Em iſtuc ſerua: & verbum verbo par pari vt reſpondeas,
Ne te iratus ſuis ſaeuidicis dictis protelet. A. ſcio.
G. Vt coactum te eſſe inuitum, lege, iudicio: tenes?
Set quis hic eſt ſenex, quem video in vltima platea? A. ipſus eſt:
Non poſſum adeſſe. G. ah, quid agis? quò abis Antipho? mane,
Mane inquam. A. egomet me noui, & peccatum meum:
Vobis commendo Phanium, & vitam meam.
PH. Geta, quid nunc fiet? G. tu iam lites audies:
Ego plectar pendens, niſi quid me fefellerit.
Set quod modò hîc nos Antiphonem monuimus,
Id noſmetipſos facere oportet Phaedria.
PH. Aufer mihi, oportet: quin tu quod faciam, impera.
G. Meminiſtin olim vt fuerit veſtra oratio,
In re incipiunda ad defendendam noxiam,
Iuſtam illam cauſam, facilem, vincibilem, optumam?
PH. Memini. G. em, nunc ipſaſt opus ea: aut, ſi quid poteſt,
Meliore & callidiore. PH. fiet ſedulo.
G. Nunc prior adito tu: ego in inſidiis hîc ero
Succenturiatus, ſi quid deficies. PH. age.

NVLLVS ES GETA. In hac ſcena ſerui concurrentis officium eſt, tendens ad perturbationem Antiphonis, quem oportet abeſſe à conſpectu patris vſque ad cognitionem rerum, & καταστροφὴν fabulæ.

CONSILIVM CELERE. *Hoc celere* neutraliter dicitur.

SVBITO TANTA TE INPENDENT MALA. Accuſatiuo caſu *Inpendent.* ἀντὶ ἀναστροφῆς, pro, *In te pendent mala.* Quum ſuprà *Nullus es Geta*, dixerit: hîc tranſitum fecit ad primam perſonam.

QVAE NEQVE VTI DEVITEM, SCIO. Ruina aut vitanda eſt, aut extrahenda ſunt ex ea, corpora, quæ oppreſſerit. DEVITEM. Antè quàm irruant.

INDE EXTRAHAM. Quum irruerint.

NAM NON POTEST CELARI NOSTRA DIVTIVS IAM AVDACIA. Bene *Noſtra*: quia ipſe partem maximam culpæ ſuſtinet, vt magiſter. CELARI. Nigidius *celari* quærit, vtrum plenum ſit, an preſſum?

QVIDNAM ILLE COMMOTVS VENIT. Modo *Commotus*, perturbatus atque conterritus. QVIDNAM ILLE COMMOTVS. Hîc oſtendit poeta idcirco confuſum Getam induci, vt de eius metu Antipho terreatur.

TVM, TEMPORIS PVNCTVM MIHI. *Punctum*, pro momentum. vt Lucilius in decimoquarto, *Puncto vno, hora* * & qui quoque inuaſit. PVNCTVM. Anguſtiſſimum ſpatium. AD HANC REM. Ad deliberandum quod ago.

ERVS ADEST. Vultu triſti ac ſuperciliis arduis hoc dicendum eſt.

QVID ISTVD MALI EST. Mire πρὸς τὸ, *Erus adeſt*, *Quid iſtuc mali eſt*, poſuit, ex perſona Antiphonis: cui pro calamitate eſt patris aduentus.

QVOD QVVM AVDIERIT. Scilicet quòd vxorem duxit Antipho. QVOD QVVM AVDIERIT. Bene non addidit *quid*. ſecum enim loquitur,

QVOD EIVS REMEDIVM INVENIAM IRACVNDIAE. Plus eſt, quàm ſi diceret *Nullum*. QVOD EIVS REMEDIVM INVENIAM IRACVNDIAE. Proprie *Remedium*, quaſi iracundia morbus ſit.

LOQVARNE? INCENDAM. Quia iracundia ignis eſt. TACEAM INSTIGEM. *Inſtigari* proprie fera dicitur. LOQVARNE? INCENDAM, TACEAM? INSTIGEM. χῦμα διανοίας. Duo ſunt quæ fieri in placando ſolent: aut loqui, aut tacere. Sed quid vult ſibi *Purgem me*, quum idem ſit *Loquar*? an quia poteſt purgatio & per defenſorem, patronúmve induci? ſic quidam putant. Sed melius eſt hoc, vt perturbatæ & ſeruilis imperitæque perſonæ verba ſine arte eſſe, & vim ſignificati non habere.

PVRGEM ME? LATEREM LAVEM. παροιμία, πλίνθον πλύνεις.

QVVM MIHI PAVEO. *Quum*, *præter quam quòd* ſignificat modò.

TVM ANTIPHO ME EXCRVCIAT ANIMI τῷ ἰδιωτισμῷ, pro eo quod eſt, Propter Antiphonem me excrucio. ME EXCRVCIAT ANIMI. Sic in Hecyra, *Facit, animi vt incertus foret*. genitiuo enim caſu veteres figurabant hanc locutionem.

EIVS ME MISERET: EI NVNC TIMEO. *Miſeret* præteritorum, *Timeo* de futuris. EIVS ME MISERET: EI NVNC TIMEO: IS NVNC ME RETINET. Figura πολύπτωτον, *eius*. IS NVNC ME RETINET. Si *Retinet*, quomodo *Excruciat*?

NAM ABSQVE EO ESSET. Si ad eum res non pertineret: id eſt ſi meum tantummodo peccatum eſſet hoc ipſum.

RECTE EGO MIHI VIDISSEM, ET SENIS ESSEM VLTVS IRACVNDIAM. Facere ſeruus occaſionem melioris conditionis eſſe exiſtimat fugæ cauſam, tanquam ſibi per eam & libertatis genus præſtare poſſet, & prædam. RECTE EGO MIHI VIDISSEM. Vt dicimus, *Vide tibi*, & *videto vobis*. Et rectè *Vidiſſem*, ἀντὶ τοῦ *Prouidiſſem*. ET SENIS ESSEM VLTVS IRACVNDIAM. *Senis* maluit, quàm *Domini*, dicere: vt in ipſo nomine & hortamentum impune fugiendi appareat. & ſimul quia non *Iram*, ſed *Iracundiam* dicturus erat. nam *Ira*, de cauſa: *Iracundia*, de moribus. ET SENIS VLTVS ESSEM IRACVNDIAM. Non dixit *Euaſiſſem*. ſed *Vltus eſſem*. faciunt enim ſerui fugiendo, vt dominos pœniteat iratos fuiſſe. VLTVS ESSEM. Sic Virgilius. *Vlta virum, pœnas inimico à fratre recepi*. ALIQVID CONVASSISEM. Figuratum eſt à colligendis vaſis. HINC ME CONICEREM. Rectè ego mihi vidiſſem. PROTINVS IN PEDES. *Protinam* fuit: & ſic Nigidius legit.

QVAM HIC FVGAM. *Conicerem in pedes*. AVT FVRTVM PARAT. *Aliquid conuaſaſſem*. QVAM HIC FVGAM, AVT FVRTVM PARAT. Secunda ἀπόδοσις. prius enim furtum, quàm fuga occurrere debuit.

SET VBI ANTIPHONEM REPERIAM. *Set*, pro ergo: vt ſit, Ergo vbi Antiphonem reperiam. an *ſet*, finis ſuperioris ſententiæ eſt? vt Salluſtius, *Sed Metellus in vlteriore prouincia*. REPERIAM. Si alicubi ceſſat.

AVT QVA QVAERERE INSISTAM VIA. Si alicubi ambulet: omnis enim qui quæritur, aut ceſſat, aut ambulat.

TE NOMINAT. Ad hoc diu auditur Geta, & ipſe non videt adoleſcentes: vt plus illis terroris incutiat, dum ſecum loquitur.

NESCIO QVOD MAGNVM HOC NVNTIO EXPECTO MALVM. Diſerte locutus eſt, *Neſcio quod magnum hoc nuntio expecto malum*: pro eo quod eſt, *Neſcio quod magnum malum hunc mihi nuntiaturum arbitror*.

DOMVM IRE PERGAM. Hoc nos ἰδιωτικῶς dicimus, *Domum pergam*.

IBI PLVRIMVM EST. Oſtendit ab initio ſe domum pergere, & ſic videtur deliberaſſe. IBI PLVRIMVM EST. Scilicet propter amorem vxoris ſuæ. *Plurimum*. τὸ πλεῖστον.

REVOCEMVS HOMINEM. Comice & moraliter addidit *Hominem*.

STA ILLICO. Ille, *Reuocemus hominem*, dixit: hic, non progredi iuſſit.

SATIS PRO IMPERIO QVISQVIS ES. Hic oſtendit culpæ conſcientia nullam authoritatem reliquam in magiſtro Geta. SATIS PRO IMPERIO. Id eſt imperioſe.

CEDO, QVID PORTAS OBSECRO? ATQVE ID SI POTES, VERBO EXPEDI. Mire expreſſit affectum de timore properantis. CEDO, QVID PORTAS OBSECRO. Vt, *Si vera*

feram,

feram, ſi magnâ rependam. Nam *Ferre* & *Portare*, de negotiis maioribus dicitur. VERBO EXPEDI. Deeſt, *Vno.*

ELOQVERE. Aliter oſtendit quid eſt, *Verbo expedi*, dicendo *Eloquere.*

MODO APVT PORTVM. *Patrem vidi*, dicturus Geta, præuentus eſt ab eo quem timor intelligentem fecerat.

HEM. Propria, & ſua cuique perſonæ exhibuit: celeritatem ex præſagio metuenti Antiphoni: & tarditatem intellectus quieti pectoris ſecurio Phædriæ.

QVID AGAM. Iam flet Antipho, & adhuc non intelligit Phædria.

HVIVS PATREM VIDISSE ME, PATRVVM TVVM. Mire poeta Antiphoni minus quàm oportet, & Phædriæ plus quàm oportet, fecit loqui nuntium. Ille enim penè diuinat ex metu: hunc tardum ſecuritas facit. HVIVS PATREM VIDISSE ME, PATRVVM TVVM. Reddit vtrique proprium: vt & ille qui timebat, paucis intelligeret: & ille qui ſecurus erat, pluribus edoceretur.

NAM QVOD EGO HVIC NVNC SVBITO. *Nam* aut ſubiunctiua coniunctio eſt ſuperiori dicto, quod ait, *Quid agam?* aut ἀναστροφὴ eſt *nam quod*, pro *Quod nam.* HVIC SVBITO EXITIO REMEDIVM. *Subito*, & aduerbium, & nomen eſt. *Quum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus Orion.*

INVENIAM MISER. Quum ego ſuprà dixerit, ἐμφατικῶς addidit, *Miſer.*

QVOD SI EO MEAE FORTVNAE REDEVNT. Tragice amator hoc negotium fortunas omnes dixit eſſe. FORTVNAE REDEVNT. Bene *Redeunt*: quaſi in peius, & à proceſſu retro, & in deterius.

PHANIVM ABS TE VT DISTRAHAR. Amatoria περιφώνησις per ἀποστροφήν. ABS TE VT DISTRAHAR. Non dixit, *A me diſtraharis.* Et vide verbum vim cohærentis oſtendere.

NVLLA EST MIHI VITA EXPETENDA. *Nulla*, pro *Non*: aut nullius conditionis. quaſi dicat, Ne deorum quidem vita mihi dulcis eſt ſine te. NVLLA EST MIHI VITA EXPETENDA. Sine Phanio.

TANTO MAGIS TE ADVIGILARE. *Ad*, vim auctiuam nunc habet: vt *Adlaudabile, Admirabile.*

FORTIS FORTVNA ADIVVAT. παροιμία. Et *Fortis* accuſatiuus pluralis eſt.

NON SVM APVT ME. Id agitur, vt ſuprà diximus, quemadmodum Antipho præſens non ſit: quem neque conuenit contra patrem aliquid dicere: neque rurſum præſentem opprimi à patre ex argumento eſt.

ATQVI OPVS EST NVNC QVVM MAXIME, VT SIS ANTIPHO. *Apud te*, ſubauditur.

NAM SI SENSERIT TE TIMIDVM PATER ESSE, ARBITRABITVR COMMERVISSE CVLPAM. Sic Salluſtius in hiſtoria, *Ita fiducia, quàm argumentis purgationes dimittuntur.* NAM SI TE SENSERIT TIMIDVM. *Timidum*, pro timentem. Vt, *Addit ſe ſociam, timidiſque ſuperuenit Aegle* Virgilius. COMMERVISSE CVLPAM. Pro *Commiſiſſe.*

HOC VERVM EST. Congrue fit, vt & Geta & Phædria audaciores ſint, qui & abſque amore ſunt: & hos oportet obiici pro Antiphone irato ſeni.

NON POSSVM IMMVTARIER. Vim negantis hoc habet, quod ait, *Immutarier*: oſtendit enim naturæ ſuæ timiditatem nullis adhortationibus eiici poſſe.

QVID FACERES, SI ALIVD GRAVIVS TIBI NVNC FACIVNDVM FORET. Benè *Grauius*: quia hoc graue. vt videas ipſam abhortationem vim habere concedentis graue eſſe quod geritur.

QVVM HOC NON POSSVM, ILLVD MINVS POSSEM. Hoc intulit παρὰ προσδοκίαν, Nam videbatur hac interrogatione adduci poſſe ad ſententiam percontantis. & hæc ars eſt dialectica contra ἐπαγωγήν, quum male reſpondendo callide interrogantis interrumpimus argumentum.

HOC NIHIL EST PHAEDRIA: ILICET. Vtrum *hoc* relatiuum? an *hoc* cum contemptu, pro Hic Antipho nihil eſt. Sic Cicero in Verrinis, *Etſi hoc neſcio quid nugatorem ſciebam*, pro *Hunc.* ILICET. Semper *Ilicet* finem rei ſignificat, vt *Actum eſt.* ILICET. Per συγκοπήν. Sic iudices de conſilio dimittebantur, ſuprema dicta quum præco pronuntiaſſet *Ilicet*: quod ſignificat *Ire licet.*

QVIN ABEAM? Hic terrore commouet Antiphonem. & *Quin* dicit, pro *Cur non*.

ET QVIDEM EGO. Ordo, Et ego quidem. & deeſt *Abeo*.

QVID SI ASSIMVLO. Audacem ſcilicet. OBSECRO, QVID SI ASSIMVLO, SATIN' EST. Adeò morale vitium eſt, ex conſcientia pauor: vt ipſe quoque Antipho nitatur contrà: neque quicquam promoueat. SATIN' EST. Hic locus actoris magis, quàm lectoris eſt. oſtenditur enim conari ad ſimulandam audaciam, quo magis ridicula eſt, formidoloſa perſona.

PROPEMODVM. Et hoc non plenæ conſentionis eſt, quod ait *Propemodum*.

SAT EST. Non dixit, *Bene eſt*: ſed, *Sat eſt*. & vide vix ad hoc ipſum eſſe peruentum.

HEM ISTVC SERVA. Dicendo *Serua*, oſtendit iam incipere deperire, quod finxit atque aſſimulauit audaciæ. HEM ISTVC SERVA: ET VERBVM VERBO PAR PARI VT RESPONDEAS. Animaduerte, & quid doceat, & commachinetur artifex poeta, qui debitum reddat rebus atque perſonis. VERBVM VERBO PAR PARI. Duo dixit: non tantum *Verbum verbo*, ſed *Par pari*.

NE TE IRATVS SVIS SAEVIS DICIS DICTIS PROTELET. Cauſalem vim habet quod ait hoc, *Iratus*: hoc eſt, qui ob præſentem iram vehementius tecum agat *Protelet* & *Protelum* à πρὸ & ἑλκεῖν dictum eſt, quod eſt ante & trahere. Alij ab aſſiduo telorum iactu exiſtimant dici. vt Lucretius, *Vndique protelo plagarum continuato*. hoc eſt tenore. PROTELET. Protrahat. præueniat, exagitet.

VI COACTVM TE ESSE INVITVM. Mira breuitas in qua tota deferſio continetur. & ſubauditur *Fac reſpondeas*, aut quid tale. INVITVM. Bene idem repetit ad confirmandam memoriam trepidantis. non enim diuerſa ſunt, ſed repetuntur, vt teneri poſſit id quod cauſæ opus eſt. Nam *Vi coactum eſſe*, idem ſignificat quod *Inuitum*. An ideo *Vi coactum inuitum*, iungendum eſt, quia interdum etiam ipſi nos cogimus propria voluntate: vt ipſe in Andria, *Tu coactus tua voluntate es*.

SCIO. Apparet hoc verbum eo vultu dici, vt manifeſtum ſit abſenti animo eſſe eum qui loquitur.

TENES. Exquiſite addidit *Tenes*: vt appareat Antiphonem vultu oſtendere, quòd horum nihil perturbatus aduertat.

SED QVIS HIC EST SENEX. *Sed*, vt diximus, tranſitum ſignificat ad aliam rem, ab ea quæ agebatur.

QVEM VIDEO IN VLTIMA PLATEA. Sic dixit *Vltima platea*, quemadmodum Virg. ——— *imas Obſedêre fores*.

IPSVS EST. Et quia timidior eſt: & quia poſtea de proximo ipſe agnoſcit magis.

NON POSSVM ADESSE. Apparet ex conſpectu patris magis confundi, quàm ex nuntio aduentus eius, filium.

QVO ABIS ANTIPHO. Sic Virgilius. *Quo fugis Aenea?* &, *Quò fugitis ſocij?* Sic enim loquitur, qui vult oſtendere conditionem locorum, in qua peruerſo modo alius petatur, alius linquatur.

MANE, MANE INQVAM. Omnia hæc habent ſingularem vim in ſe reuocantis.

AH, QVID AGIS. Et perturbati interceſſoris eſt dicere, *Quid agis?* vt in Andria, *Mea Glycerium, inquit, quid agis? cur te is perditum?*

EGOMET ME NOVI, ET PECCATVM MEVM. Duo dixit: & *Hominem pauidum, & Peccatum graue*.

VOBIS COMMENDO PHANIVM, ET VITAM MEAM. Comice duobus duo retulit: Me, & peccatum meum: Phanium, & vitam meam. Et animaduerte quòd amator prius ponit Phanium, quàm Vitam ſuam.

GETA QVID NVNC FIET. Apparet hæc ſic pronuntianda quaſi adhuc toto dicantur.

TV IAM LITES AVDIES: EGO PLECTAR PENDENS. Non intulit quod quærebatur: ſed verba ſunt hominis omnia deſperantis. TV IAM LITES AVDIES: EGO PLECTAR PENDENS. Tu audies: ego verberabor. vt alibi, *Tibi erunt parata verba huic demum verbera*. Quod ipſum mire: non, *Facies lites*: ſed, *Audies*. EGO PLECTAR PENDENS. *Plectar*, fe-

ziæ: vnde & *plectrum*, & *plaga* dictæ.

SET QVOD MODO HIC NOS. Deeſt *Tamen*: vt ſit, *Sed tamen*.

ID NOSMETIPSOS FACERE OPORTET. Quia *Nos* ſuprà dixit in ſignificatione actus proprij, *Ipſos* addit.

AVFER MIHI OPORTET. τῷ ἀττικισμῷ addidit *mihi*. ſine hoc enim plena ſententia eſt.

QVIN TV QVOD FACIAM, IMPERA. Mire ad omnia paratum ſe indicat, qui *Impera* dicat ſeruo.

MEMINISTIN OLIM VT FVERIT VESTRA ORATIO. Mire & conſilio & oratione compendioſus eſt: quo magis Phædriam proprijs conſilijs ac domeſticis permoueret. VT FVERIT VESTRA ORATIO. Vt magis excitaret, non *noſtra* dixit, ſed *veſtra*.

IN RE INCIPIVNDA. *Incipiunda* proprie, quaſi de re magna, dixit. Sic alibi, *Vide quod inceptet facinus*.

AD DEFENDENDAM NOXIAM. *Noxiam* nunc culpam: aliàs pœnam. Et eſt ἐπένθεσις, ab eo quod eſt *Noxam*: & hoc factum eſt propter iambum.

IVSTAM ILLAM CAVSAM, FACILEM, VINCIBILEM, OPTVMAM. Conſidera ſingula, & inuenies & naturali ordine, & per αὔξησιν dicta. *Cauſam* pro defenſione poſuit. Et *Vincibilem*, quæ facile vincat.

NVNC IPSA EST OPVS EA. Cauſa ſcilicet.

MELIORE ET CALLIDIORE. Bene *Meliore & callidiore*: quia tunc proluſio fuit, nunc ipſum prælium.

FIET SEDVLO. παρέλκον *Sedulo*, nam ſuffecerat *Fiet*.

NVNC PRIOR ADITO TV. *Adito*, quaſi ad prælium. Virgilius,

——— *nec quiſquam ex agmine tanto Audet adire virum.*

EGO IN INSIDIIS HIC ERO. Tota μεταφορὰ de re militari eſt. SVCCENTVRIATVS. *Succenturiari* dicuntur, qui explendæ centuriæ gratia ſubijciunt ſe ad ſupplementum ordinum. Et eſt tranſlatio à re militari.

AGE. Potuit dicere, *Verò*, aut *Ita*. ſed *Age* dixit, quod verbum vim hortantis maximam præbet.

ACTVS SECVNDI SCENA I.

DEMIPHO GETA. PHÆDRIA.

ITANE tandem vxorem duxit Antipho iniuſſu meo?
Nec meum imperium. age, mitto imperium: non ſimultatem meam
Reuereri ſaltem? non pudere? ô facinus audax! ô Geta
Monitor! G. vix tandem. D. quid mihi dicent? aut quam cauſam reperient?
Demiror. G. atqui reperi iam: aliud cura. D. anne hoc dicent mihi,
Inuitus fecit: lex coegit? audio, & fateor. G. places.
D. Verùm ſcientem, tacitum, cauſam tradere aduerſarijs:
Etiámne id lex coegit? PH. illud durum. G. ego expediam: ſine.

D. Incertumſt quid agam: quia praeter ſpem, atque incredibile hoc mihi obtigit:

Ita ſum inritatus, animum ut nequeam ad cogitandum inſtituere.

Quamobrem OMNES, QVVM SECVNDAE *res ſunt maximè, tum maximè*

Meditari ſecum oportet, quo pacto aduorſam aerumnam ferant,

Pericla, damna, exilia. peregrè rediens ſemper cogitet

Aut filij peccatum, aut vxoris mortem, aut morbum filiae.

Communia eſſe haec: fieri poſſe: ut ne quid animo ſit nouum.

Quidquid praeter ſpem eueniat, omne id deputare eſſe in lucro.

G. O Phaedria incredibileſt, quantum erum anteeo ſapientia:

Meditata mihi ſunt omnia mea incommoda, erus ſi redierit:

Molendum vſque in piſtrino: vapulandum: habendae compedes.

Opus ruri faciundum: horum nihil quidquam accidet animo nouom.

Quicquid præter ſpem eueniet, omne id deputabo eſſe in lucro.

Set quid ceſſas hominem adire, & blandè in principio adloqui?

D. Phaedriam mei fratris video filium mihi ire obuiam.

PH. Mi patrue ſalue. D. ſalue: ſet vbi eſt Antipho?

PH. Saluum aduenire. D. credo: hoc reſponde mihi.

PH. Valet: hic eſt. ſet ſatin' omnia ex ſententia?

D. Vellem quidem. PH. quid iſtuc? D. rogitas Phaedria?

Bonas me abſente hîc confeciſtis nuptias.

PH. Eho an id ſuccenſes nunc illi? G. ô artificem probum!

D. Egóne illi non ſuſcenſeam? ipſum geſtio

Dari mihi in conſpectum, nunc ſua culpa ut ſciat

Lenem patrem illum factum me eſſe acerrimum.

PH. Atqui nihil fecit patrue, quod ſuſcenſeas.

D. Ecce autem ſimilia omnia: omnes congruunt:

Vnum cognoris, omnes noris, PH. haut itaſt.

D. Hic in noxaeſt: ille ad defendendam cauſam adeſt:

Quum ille eſt, hic praeſto eſt. tradunt operas mutuas.

G. Probè eorum facta inprudens depinxit ſenex.

D. Nam ni haec ita eſſent, cum illo haut ſtares Phaedria.

PH. Si eſt patrue, culpam ut Antipho in ſe admiſerit,

Ex qua re, minus rei foret aut famae temperans:

Non cauſam dico, quin quod meritus ſit ferat:

Set ſi quis fortè malitia fretus ſua,

Inſidias noſtrae fecit adoleſcentiae,
Ac vicit: noſtráne culpa ea eſt, AN IVDICVM,
Qui ſaepe propter inuidiam adimunt diuiti,
Aut propter miſericordiam addunt pauperi?
G. Ni noſſem cauſam, crederem vera hunc loqui.
D. An quiſquam iudex eſt, qui poſsit noſcere
Tua iuſta, vbi tute verbum non reſpondeas,
Ita vt ille fecit? PH. functus aduleſcentuli eſt
Officium liberalis: poſtquam ad iudices
Ventumſt, non potuit cogitata proloqui:
Ita eum tum timidum obſtupefecit pudor.
G. Laudo hunc: ſet ceſſo adire quam primum ſenem?
Ere ſalue: ſaluum te adueniſſe gaudeo. D. oh
Bone cuſtos ſalue: columen verò familiae,
Cui commendaui filium hinc abiens meum.
G. Iam dudum te omnis nos accuſare audio
Immeritò, & me omnium horum immeritiſsimò.
Nam quid me in hac re facere voluiſti tibi?
Seruom hominem cauſam orare leges non ſinunt.
Neque teſtimonij dictio eſt. D. mitto omnia:
Addo iſtuc: imprudens timuit aduleſcens: ſino:
Tu ſeruus! Verum ſi cognata eſt maxumè,
Non fuit neceſſe habere: ſet, id quod lex iubet,
Dotem daretis: quaereret alium virum.
Qua ratione inopem potius ducebat domum?
G. Non ratio, verùm argentum deerat. D. ſumeret
Alicunde. G. alicunde! nihil eſt dictu facilius.
D. Poſtremò, ſi nullo alio pacto, foenore.
G. Hui, dixti pulchre, ſiquidem quiſquam crederet
Te viuo. D. non, non ſic futurumſt: non poteſt.
Egón illam cum illo vt patiar nuptam vnum diem?
Nihil ſuaue meritumſt. hominem commonſtrarier
Mihi iſtum volo: aut vbi habitet, demonſtrarier.
G. Nempe Phormionem. D. iſtum patronum mulieris.
G. Iam faxo hic aderit. D. Antipho vbi nunc eſt? PH. foris.
D. Abi Phaedria: eum require, atque adduce huc. PH. eo
Recta via equidem illuc. G. nempe ad Pamphilam.

D. At ego deos penatis hinc ſalutatum domum
Deuortar: inde ibo ad forum, atque aliquot mihi
Amicos aduocabo, ad hanc rem qui adſient,
Vt ne inparatus ſim, quum adueniat Phormio.

ITANE TANDEM VXOREM DVXIT ANTIPHO INIVSSV MEO. In hac ſcena accuſatio eſt & contradictio, per remotiuam qnalitatem. ergo controuerſia. ITANE TANDEM VXOREM DVXIT ANTIPHO. Hîc exemplum vitæ eſt: in quo ſpectatur nullam eſſe tam iuſtam, & grauem iracundiam patris, quæ non & fiducia defenſoris, & interuallo temporis euaneſcat. ITANE TANDEM VXOREM DVXIT ANTIPHO INIVSSV MEO. Non potuit vehementius incipere, quàm vt ipſe crimen, quod obijcit, miraretur. ITANE TANDEM VXOREM DVXIT. *Tandem*, hîc expletiua coniunctio. vt Cicero, *Quouſque tandem abutere Catilina patientia noſtra?* ITANE TANDEM. Hic totus verſus in hoc eſt, an factum ſit: quid factum ſit: à quo factum ſit: in cuius iniuriam factum ſit.

NEC MEVM IMPERIVM. Rara ἀποσιώπησις. Nam non ſequitur *ſed.* intulit enim *Age.* Subauditur autem *Rereri.* Sic Lucretius, *Nónne videre.* *

AGE, MITTO IMPERIVM: NON SIMVLTATEM MEAM. χῆμα διανοίας μηεοαοθμοις * Vt Virgilius, *Cuius ob auſpicium infauſtum, moréſque ſiniſtros.* AGE, MITTO. Legitur & *Taceo.* SIMVLTATEM. Iurgium, contentionem.

NON PVDERE. Hoc abſolutum eſt, & nulli adnexum. NON PVDERE, Hic Nigidius adnotauit, neminem videri pudere ante delictum.

VIX tandem. Conuenit hoc dictum ei, qui iam pridem ſe male audire putat: & ideo ſero videtur ad hunc ſenex perueniſſe: quum ille metuens, ſe primum ad accuſationem crederet. An *vix tandem*, ad hoc pertinet: quia ille monitor dixit: quaſi dicat, Vix tandem factum eſt, vt me ſenex laudare cœpiſſet: quia *Monitor*, quamuis in contrarium dixerit, tamen eſt nomen laudis. VIX TANDEM. εἰρωνεία, quaſi dicat, Penè mei oblitus eſt. An: quia tarde ad ipſum peruenit ſenex: quem ille ob conſcientiam à ſe cœpturum eſſe credebat.

QVID MIHI DICENT? AVT QVAM CAVSAM REPERIENT. Quid dicent? ſi negare voluerint. quam cauſam reperient? ſi purgare. Omne enim crimen à defenſore aut negatur, aut purgatur.

DEMIROR. Pro Neſcio. nam admirationem ignorantia facit.

ATQVI REPERI IAM: ALIVD CVRA. Eo animo hoc dicit, quo ſuprà dixit *vix tandem.* Et quum ille pluraliter *Reperient* dixerit: hic ſingulariter *Reperi* reſpondit: quaſi in ſe ſolo ſit crimen.

INVITVS FECIT: LEX COEGIT. Bene poetam iam ſcire facit ſenem, quid iſti dicturi ſint. vt videatur frangi poſſe, qui iam partem defenſionis admittit.

ILLVD DVRVM. *Illud durum*, dicit, qui ſuprà dixit, *Atqui reperi iam.* CAVSAM TRADERE ADVERSARIIS. Hoc cum maiore exclamatione dicitur. non enim dixit *concedere aduerſariis*, ſed quod prius eſſet, *cauſam tradere.*

EGO EXPEDIAM: SINE. Vide præparationem futuræ defenſionis: quam niſi hoc modo Terentius intuliſſet, incredibile videretur ſubito ſedatum ſenem.

INCERTVM EST QVID AGAM. Nonnihil iam fracta indignatio eſt. Nam in his verbis, non iam ira, ſed admodum mœror eſt.

QVIA PRAETER SPEM, ATQVE INCREDIBILE HOC. Virgilius. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem: Et perferre ſoror potero.* ATQVE INCREDIBILE HOC MIHI OBTIGIT. Grauius eſt *Incredibile*, quàm *Præter ſpem*: & ideo poſterius & in auctu eſt. OBTIGIT. Pro *Accidit*: cuius reciprocum eſt, ſiquis bonum accidiſſe dicat, non obtigiſſe.

ITA SVM IRRITATVS. *Irritatus*, prouocatus, in iram impulſus: hoc eſt commotus & perturbatus.

ANIMVM VT NEQVEAM AD COGITANDVM INSTITVERE. Bene *Inſtituere* dixit: quo

verbo quies oſtenditur cogitatiuæ mentis, quæ non adeſt.

QVVM SECVNDAE RES SVNT MAXIME, TVM MAXIME. Vt, *Nudus ara, ſere nudus: hyems ignaua colono* Et bona ſententia, tum maxime ſapienti metuendum, quo tempore maxime ſecurus eſt ſtultus.

MEDITARI SECVM OPORTET. Bene additum *Secum*. inſani enim videbitur hoc palàm agere. ADVERSAM AERVMNAM FERANT. Abundat *Aduerſam*.

PERICLA, DAMNA, EXILIA PEREGRE REDIENS. Superiora ἀσύνδετα ſunt inferiora intermiſtis coniunctionibus. Salluſtius, *Nam quidem à Pyrrho, Hannibale, æquore & terra.* PEREGRE REDIENS SEMPER COGITET. Mire à genere ad ſpeciem non ſemel tranſit. Nam quum dicit, *Peregre rediens*, iam de ſe loquitur, ſed latenter. SEMPER COGITET. A ſingulari ad pluralem tranſit. ſuprà dixit *Omnes*: at nunc *Cogitet*. Et eſt ordo, Semper peregre rediens, quicunque peregre redit. AVT FILII PECCATVM, AVT VXORIS MORTEM, AVT MORBVM FILIAE. Quamuis iratus filio, non potuit tamen dicere, *Filij mortem*. Conuenit autem ſeni vxoris mortem non putare magnum incommodum. AVT FILII PECCATVM, AVT VXORIS MORTEM, AVT MORBVM FILIAE. Varie, poſt enumerationem concluſam, hæc etiam intulit. Virgilius.

Sed neque Medorum ſylua, ditiſsima terra,
Nec pulcher Ganges, atque auro turbidus Hermus
Laudibus Italia certent: non Bactra, nec Indi,
Totáque thuriferis Panchaia pinguis arenis.

COMMVNIA ESSE HAEC, FIERI POSSE. Ordo eſt, Semper cogitet communia eſſe, & fieri poſſe peccatum filij, vxoris mortem, filiæ morbum. COMMVNIA ESSE. Commune eſt quod accidere omnibus poteſt.

QVIDQVID PRAETER SPEM EVENIAT, OMNE ID DEPVTARE ESSE IN LVCRO. Vide iam ſenem fractum non culpam filij magnam ducere: ſed ideo indignari, quòd non crediderit peccaturum, in quo ipſe ſe reprehendit: & quod à peccatoribus dici ſolebat, hoc dicit, *Communia eſſe, & fieri poſſe.*

ERVM ANTEEO SAPIENTIA. Legitur & *Anteo*: ſed pro coniunctiuo pronuntiandum, *Anteeo* pro *Anteeam*.

MEDITATA MIHI SVNT OMNIA MEA INCOMMODA. Nimis comice non clades, aut ærumnas poſuit ſeruus, ſed Incommoda: molere in piſtrino, vapulare, habere compedes, & cætera: quum hoc nomen leue quiddam ſignificet. vt ipſe in Eunucho, *Imò enim infælici-ter: nam incommoda alia ſunt dicenda Parmeno.*

ERVS SI REDIERIT. Si aut pro *cum*: aut ſeruiliter, vt dubitet ex voto ſuo vtrum dominus redeat, an non: quod cupit.

MOLENDVM VSQVE IN PISTRINO. Facete enumerat ſeruus vniuerſa ſupplicia ſuæ conditionis, excipit crucem & furcam: quarum pœnam verbis extenuare non potuit.

HABENDAE COMPEDES. Vitioſam locutionem ſeruili perſonæ dedit Terentius. nam integra eſſet, ſi diceret, *Habendas compedes.* vnde quidam non *eſſe*, ſed *vſque* legunt.

OPVS RVRI FACIVNDVM. Varie, *molendum, vapulandum, compedes habendæ, opus ruri faciundum*: & ſuprà, verba gerundia ſunt: infrà, participia.

HORVM NIHIL QVIDQVAM ACCIDET ANIMO NOVVM. Recte addidit *Animo*. omne enim quidquid acciderit, nouum erit, ſed non animo. HORVM NIHIL QVIDQVAM. παρέλκον quartum. HORVM NIHIL QVIDQVAM ACCIDET ANIMO NOVVM. Tale eſt illud ſapientis AEneæ. —— *non vlla laborum*

O virgo noua mi facies, inopináue ſurgit.
Et. *Arma parare animis, & ſpe præſumite bellum.*
Et. *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem,*
Et perferre ſoror potero.

QVICQVID PRAETER SPEM EVENIET, OMNE ID DEPVTABO ESSE IN LVCRO. Totidem verbis eſt vſus, quot ſenex, ad irriſionem eius. Sic & in Adelphis, *Poſtremo tanquam in ſpeculum, in patinas Demea inſpicere iubeo* OMNE ID DEPVTABO IN ESSE LVCRO. Hoc idem ſenex oportere fieri dixit, quod hic facit: ergo ſapientior Geta.

Set qvid cessas hominem adire. Bene *Adire*, quaſi terribilem, & pugnaturum vt Virgilius, *Audet adire virum.* Et *Hominem* comice addidit.

Et blande in principio alloqvi. Recte monuit. non perpetuo *Blandè*, ſed in principio agendum, ſecundum præceptum Socratis, qui ait, μηδὲ πρὸς τοὺς τῇ πλημμελοῦντας ὀργὰς τραχέως ἀπαντᾶν, ἀλλὰ ἐμμελῶς μὲν αὐτοὺς ἄγειν, πλημμελοῦσι δὲ τῆς ὀργῆς ἐπιπλήττειν.

Phaedriam mei fratris. Hæc verba oſtendunt quàm miti pectore ſuſcipiatur Phædria.

Mi patrve salve. *Mi*, vim blandimenti habet. nam ſignificat, *meus*.

Salve: set vbi est Antipho. Bene expreſſit proptum animum ad litigandum, partim addita ſalute, & potius ad iurgium præuertendo.

Salvvm advenire. ἔλλειψις, vel ἀποσιώπησις ſecunda: *gaudeo* enim ſubauditur: quod niſi acceperis, non intelliges cur hic reſpõderit, *Credo*. Salvvm advenire. Iracundiam frangere conatur obſequio & mora. Salvvm advenire. Altera ſalutatio & ad leniendum, & ad criminis diſſimulationem: ſed & tertio addit, *Satin' omnia ex ſententia?*

Credo: hoc responde mihi. *Hoc*, incerta diſtinctione pronuntiatur.

Valet. Hic oratorie diſſimulat: atque ita reſpondet, quaſi ſenex non iratus quærat: ſed de ſalute ſolicitus ſit Antiphonis.

Set satin' omnia ex sententia. Quod vulgo, *Omnia recte?* Et deeſt *Quæro*, aut quid tale.

Vellem qvidem. Semper hoc verbum dolentis eſt. ac negãtis euenire quod voti ſit.

Qvid istvc. Magnam vim habet contra iram huiuſmodi interrogatio.

Bonas me absente. Mire conſuetudinem expreſſit, dicendo *Bonas*. Me absente. Summa criminis. Bonas me absente hic confecistis nvptias. Crimen in duobus eſſe demonſtrat: quòd non *Bonas*. & quòd *Abſente* patre.

Eho, an id svccenses nvnc illi. Huc tendebat interrogatio: vt tam integris rebus admiraretur iraſci ſenem.

O artificem probvm. εἰρωνεία. nam non eſt artifex, cuius deprehenditur iocus.

Gestio. Plus *Geſtio*, quàm *Volo*.

Dari mihi in conspectvm. Non dixit *Venire*, vt filium: ſed *Dari*, vt reum.

Lenem patrem illvm. O artificium poetæ. in media patris ſæuitia mentionem lenitatis induxit: vt oſtendat quàm facilè placari poſſit. Lenem patrem illvm, factvm me esse acerrimvm. Nota ἀντίθετον. non enim leni aſperrimum, ſed acerrimum reddidit. & mutauit gradum, poſitiuo ſuperlatiuum opponens. Lenem patrem illvm, factvm. Sic Virgilius, ——— *Quantum mutatus ab illo Hectore.*

Atqvi nihil fecit patrve. Summa contradictionis. & non dixit, *Leniter peccauit*: ſed, *Nihil fecit*. neque quod punias: ſed, quod ſucceneſeas: id quod leuiſſimum eſt.

Ecce avtem similia omnia. *Ecce autem*, vox eſt apta his quæ noua & improuiſa animo accidunt. Sic Virgilius, *Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta.* Similia omnia: omnes congrvvnt. More ſtomachantis, *Omnia* & *Omnes*, de his dicit quæ ad duos pertinent.

Vnvm cognoris, omnes noris. Iterum non *Duos*, ſed *Omnes*. & varie, *Cognoris*, *Noris*. Vnvm cognoris, omnes noris. Sic Virgilius, *Accipe nunc Danaûm inſidias: & crimine ab vno Diſce omnes.*

Hic in noxa est, ille ad defendendam cavsam adest. Hoc Demipho non ſine quadam delectatione dixit: quam tamen premit ob iram præſentem.

Qvvm ille est, hic praesto est. Huic loco reddidit Cicero illum locum in Verrinis: *Qui ciues Romani erant, ſi Siculi eſſent, tum ſi eorum legibus dari oporteret: qui Siculi, ſi ciues Romani eſſent.* Nam ſubauditur ad *Qui ciues Romani erant*, *iudices dabantur*. ad *Si Siculi eſſent*, ſubauditur *rei*. Qvvm ille est. ζεῦγμα ſecundum. nam & hîc ſubaudiendum eſt, in noxia. Hic Praesto est. Ad defendendam cauſam, ſubauditur.

Probe eorvm facta inprvdens. Ideo *Imprudens*: quia neſcit in amore Citharistriæ eſſe Phædriam. Inprvdens. Modo inſciens.

Nam

NAM NI HAEC ITA ESSENT, CVM ILLO HAVT STARES PHAEDRIA. Vide quemadmodum iam præſtruat poeta ad ea quæ futura ſunt, ad adiuuandum amorem Phædriæ. CVM ILLO HAVT STARES PHAEDRIA. Cum Antiphone ſcilicet. Et *cum illo*, ἀντὶ τοῦ *pro illo*. In eius parte ſtamus, pro quo facimus. Sic Virgilius, *Iuppiter hic ſtat*.

SI EST PATRVE, CVLPAM VT ANTIPHO IN SE ADMISERIT. Principium, per inſinuationem ſubtilem. Et honeſta locutio, *Si eſt vt admiſerit*: pro, ſi admiſit. SI EST PATRVE, CVLPAM VT ANTIPHO. Oratorium principium ἀπὸ τῆς ἰσχνῆς ... αἰδοῦς. IN SE ADMISERIT. Bono ornatu addidit, *In ſe*: quum & ſine hoc plenum videri poſſit. Et hic eſt, quem Cicero ſuccum orationis appellat.

EX QVA RE MINVS, REI FORET AVT FAMAE. Nota. hic comparatiua qualitas eſt pauperis neque ſtrenui. Et docuit in negotio nuptiarum duabus rebus conſuli: rei & famæ: hoc eſt facultatibus dotis, honeſtatiſque natalium. EX QVA RE MINVS, REI FORET. Hæc tractatio eſt criminis oratoria: in qua defenſor accuſat crimen, reúmque purgat. EX QVA RE. Haud venuſte inſertum *re*, cum præpoſuiſſet *culpam*. MINVS, REI FORET, Quia pauperem. FAMAE. Quia ignobilem. TEMPERANS. Conſulens, prouidens, moderatus. vt, *Iam ſibi tum curuis malè temperat vnda carinis*.

NON CAVSAM DICO. Non recuſo, non deprecor. QVIN QVOD MERITVS EST, FERAT. Rhetoricum θεώρημα in huiuſmodi exceptionibus: quo vti ſoler qui propoſitæ cauſæ fiduciam gerit, Si hoc, aut illud: non oro veniam. non deprecor pœnam. QVIN QVOD MERITVS SIT. Hunc defenſorem magis & non iudicem dicam. ſed hic colligitur patrocinantis authoritas: non enim dixit, *Quod voluerit*, ſed. *Quod meritus ſit*, manente eo, ſi peccauerit tamen.

SET SIQVIS FORTE MALITIA FRETVS SVA. *Fortè*, quaſi non defenſurus, ſed ſimul cauſam cogniturus aduenerit. nec contendit verum eſſe quod dicit, ne ſollicitum faciat ad credendum. Sic apud Virgilium Sinon, *Dum vela darent, ſi fortè dediſſent*.

INSIDIAS NOSTRAE FECIT ADOLESCENTIAE. Bene ſe adiungit ad crimen, vt eleuet culpam. INSIDIAS NOSTRAE FECIT ADOLESCENTIAE. Mire *Inſidias* dixit: vt diu comparata cauſa, per ignorantiam dolóſque capti videantur. ADOLESCENTIAE. Opportuna ætatis commemoratio, πρὸς τὴν συγγνώμην.

NOSTRANE EA CVLPA EST, AN IVDICVM, &c. Potentior facta ſentẽtia eſt τῇ ἐρωτήσει. Et oratorie, *Noſtráne culpa, an iudicum*? duplex μετάθεσις. altera in accuſatorem, altera in iudices. Et bene ſuam miſcuit perſonam, vt reum ſubleuet & ſuo merito, & multitudine reorum. NOSTRANE EA CVLPA, AN IVDICVM. Mire aſſurrexit in fiduciam defenſoris. nam quum ſuprà de Antiphone dixerit, nunc intulit *Noſtra*.

QVI SAEPE PROPTER INVIDIAM ADIMVNT DIVITI. Notum alteri * qui inuident.

AVT PROPTER MISERICORDIAM ADDVNT PAVPERI. Poſteriorem cauſam honeſtiorem poſuit, ne non Antiphonem defendere, ſed accuſare iudices videretur. AVT PROPTER MISERICORDIAM. Primum ἀντίθετον. Et oratorie naturam iudicum τῷ διασυρμῷ expediuit.

NI NOSSEM CAVSAM, CREDEREM VERA HVNC LOQVI. Suauiſſime laudauit oratorem: qui omnia ad perſuadendum idonea aduocans, ſolum conſcium non adduxit ad credendum. NI NOSSEM CAVSAM, CREDEREM VERA HVNC LOQVI. Oblique poeta ſe laudauit.

AN QVISQVAM IVDEX EST, QVI POSSIT, &c. Apparet iam perſuaſum ſeni eſſe, verum aduerſarium fuiſſe Phormionem, non ſubiectum atque appoſitum ſycophantam. vnde ad aliud tranſit, vt accuſet ſegnitiem in reſpondendo. quæ leuior culpa eſt. Ita vt cedentibus mos eſt, paulatim ſeni ſingula extorquentur è manibus.

TVA IVSTA. Diſerte magis & abſolute, *Tua iuſta*: quàm ſi aliter diceret. VBI TVTE VERBVM. Non dixit, *Parum dicas*: ſed *Verbum*.

ITA VT ILLE FECIT. Vnde ſcit? an illa poetæ virtus eſt, quòd omnia antè inducit cognouiſſe: ne in ſcena hæc vt noua audiens, tragicis moribus inſaniret.

FVNCTVS ADOLESCENTVLI EST OFFICIVM. Oratorie quod obiectum eſt, non purgauit modo, ſed etiam ad laudem conuertit. quod Rhetores περίστασιν dicunt. Et hoc de-

Apollodoro. FVNCTVS ADOLESCENTVLI EST OFFICIVM LIBERALIS. Deriuatio cauſæ. & eſt venialis ſtatus. FVNCTVS ADOLESCENTVLI EST OFFICIVM LIBERALIS. Ingenioſe non negauit hoc crimen, occaſionem laudis de confeſſione ſumpturus. OFFICIVM LIBERALIS. Potenter *Officium* nominat, quod ille *crimen* appellat. Et nota, *Functus officium*, accuſatiuo caſu, quod nos ablatiuo.

POSTQVAM AD IVDICES VENTVM EST, NON POTVIT COGITATA PROLOQVI. Hæc apud oratores *μετάθεσις αἰτίας* dicitur, hoc eſt tranſlatio cauſæ facti: quem vulgo *colorem* nominant. NON POTVIT COGITATA PROLOQVI. Ergo quod cogitauit, induſtriæ eſt: quod nihil dixit, pudoris.

ITA EVM TVM TIMIDVM. *Timidum*, perturbatum. Plautus, *Nam vt ex mari timida es.* Et ipſe in Adelphis, *Me miſeram, quidnam eſt quod ſic video timidum, & properantem Getam.*

LAVDO HVNC: SET CESSO ADIRE. Satis defenſionis eſt vbi Geta iam adire non timeat dominum.

HERE SALVE: SALVVM TE ADVENISSE GAVDEO. Principium à beneuolentia. Et vide vernalitatem aptiſſimam ſeruo callido. credáſne hunc eſſe, qui ſuprà dixerit, *Herus ſi redierit, molendum eſſe in piſtrino, vapulandum*, & cætera.

OH, BONE CVSTOS SALVE. Ab initio idem motus ſeruatus eſt ſeni. nam idem hoc eſt quod ſuprà dixit, *O Geta monitor.* quamquam per ἄυξησιν plus ſignificat quod dicit, *Bone cuſtos*: quàm quod ſuprà, *Monitor.*

COLVMEN VERO FAMILIAE. *Columen*, culmen. an *columen*, columna? vnde *columellæ* apud veteres. dicti ſerui maiores domus. Lucil. XXII.

Seruus neque infidus domino, neque inutilis cuiquam,

Lucili columella, hic ſitu Metrophanes. Tubero, *Hinc in milleſimum annum eorum columine ciuitas continebitur.* Horatius contrà pro columine columnam, *Iniurioſo ne pede proruas ſtantem columnam.* Ennius X.

Regni verſatum ſummamve columnam.

COLVMEN VERO FAMILIAE. Suſtentatio vel decus. vnde *columnæ* dictæ. & moralis *ἄυξησις ἐν εἰρωνείᾳ.*

CVI COMMENDAVI FILIVM HINC ABIENS MEVM. Duplex excuſatio eſt de eo quod fecerit. Hæc conueniunt in eas perſonas, quas ſpectare non oportuerit.

IAMDVDVM TE OMNES NOS ACCVSARE AVDIO INMERITO. Vide quàm in his verbis etiam vultus quidam ſerui contumacis appareat, & verſute mali. Et hoc eſt quod dixerat, *Ego in inſidiis hîc ero ſuccenturiatus.* INMERITO, ET ME; OMNIVM HARVM INMERITISSIMO. Tantum impudentiæ ſupereſt: vt non ſolum ſe, ſed alios etiam defendat. Horum omnium immeritiſſimò ὁπλήρης *horum* & ſic nos *hanc* & *hunc* dicimus. INMERITISSIMO. Vt paruò, falsò, de aduerbiis eſt in o deſinentibus.

NAM QVID ME IN HAC RE FACERE VOLVISTI. Bona exceptione locutus eſt, quaſi in aliis omnia fecerit. IN HAC RE VOLVISTI TIBI. Quàm contemnat iram domini, vt hoc ipſo purgatior videatur, ex hoc apparet, quòd addidit *tibi.* Sic enim dicere ſolemus, *Quid tibi vis faciam?* quum alieno negotio fruſtrà nos oſtendimus laborare.

SERVVM HOMINEM CAVSAM ORARE LEGES NON SINVNT. Hoc enim quaſi ignoranti dicit: ſed ſtomachoſe admonet, velut ſtultum, qui rem manifeſtam non cogitet. SERVVM HOMINEM CAVSAM ORARE LEGES NON SINVNT. Vetuſte *Hominem.* Salluſtius in Iugurtha, *Quum interim Hiempſal reperiretur occultans ſe in tugurio mulieris ancillæ.* SERVVM HOMINEM CAVSAM ORARE LEGES NON SINVNT. Mire extenuauit conditionem ſuam, dicendo, non *Me*, ſed *Seruum.* Et addendo *Hominem*, moraliter locutus eſt. Sic Virgilius, *Venerat antiquis Coriti de finibus Acron, Graius homo* CAVSAM ORARE. Non improprie. ſic Virgilius. *Orabunt cauſas melius.*

NEQVE TESTIMONII DICTIO EST. Vis ſcire, inquit, quàm non liceat ſeruo pro domino dicere? nec teſtis loco produci poteſt. NEQVE TESTIMONII DICTIO EST. Varie: non enim dixit, *Neque teſtimonium dicere.*

MITTO OMNIA. Etiam hoc perdidit ſenex, quod videbatur validum ad accuſationem. Ita gradatim illi ſingula ſubducuntur, & accuſationis impetus euaneſcit.

Addo istvc, inprvdens timvit adolescens. Hæc omnia verba cauſalem ad argumentandum vim habent. Inprvdens timvit adolescens, sino. σχῆμα διανοίας συγχώρησις. Et ſingula pronuntianda, vt plura videantur. *Mitto*, *Sino*, vim habent contra voluntatem concedentis.

Tv servvs: verum si cognata est maxime. Sub obtentu huius propoſitionis, in qua pars legis oſtenditur, iam poeta præparat locum fallaciæ Phormionis, de dote accipienda. Verum si cognata est maxime. τῷ ἰδιωτισμῷ τὸ addit *Maxime*. nam ſiue eſt cognata, ſiue non eſt, non recipit τὸ μᾶλλον καὶ τὸ ἧττον. hoc eſt, non dicitur maxime cognata, & cognata minime: Sed aut eſt, aut non eſt. Alij ſic ordinant, Non fuit neceſſe maxime habere. alij, ſed id quod lex iubet, maxime dotem daretis.

Set id qvod lex ivbet, dotem daretis. Id quod lex iubet: ordo. ſic Virgilius.

Verum, id quod multo tute ipſe fatebere maius.

Qvaereret alivm virvm. Quæreret, quàm idoneum eſt ad ſignificationem odiorum? Virgilius. *Quærat ſibi fœdera Turnus.*

Qva ratione inopem, potivs dvcebat domvm. Magno ſonitu intulit quod minus momenti habet aduerſus eos qui accuſantur, quàm illa ſuperiora. Inopem, potivs dvcebat domvm. Non *Inopem potius*: ſed *Potius ducebat* ſubdiſtinguendum eſt.

Non ratio, verum argentum deerat. Hoc ita ludibundus abſoluit Geta, vt etiam quaſi per iocum reſpondeat.

Alicvnde! nihil est dictv facilivs. Hoc quaſi ſubridens, & auerſo ab illo vultu pronũtiauit Geta. quod genus actionis, ſecuritatem oſtendit hominis, manifeſta dicentis. Alicvnde. Demipho *Alicunde* ad facilitatem retulit: hic ſic intelligere ſe fingit, vt quaſi non habens ipſe Demipho de proximo à quo dicere incipiat, dixerit *alicunde*. Nihil est dictv facilivs. Mire, vt ſolet, prouerbio vno diſſoluit totam ſenis intentionem. vt in Heautont. *Quid ſi hoc pater reſciuerit? Quid ſi redeo ad illos qui aiunt, Quid ſi nunc cœlum ruat?*

Postremo, si nvllo alio pacto, vel foenore. Oſtendit ſe ſenex hæc perdere: quum ab his ad alia tranſcendit excluſus.

Dixti pvlchre, siqvidem qvisqvam crederet. Vide quàm non laboret ad reſpondendum Geta: ſiquidem illi per εἰρωνείαν reſpondit. Crederet. Pecuniam committeret.

Non, non sic fvtvrvm est: non potest. Hic iam palmæ locus eſt debitæ poetæ, ſiquidem & omnia obiecerit Demipho, & omnia ſoluerit Geta: quibus actis ſola irrationabilis exclamatio relinquetur ſeni. Non, non sic fvtvrvm est: non potest. Moralis abnegatio frequenti repetitione firmata.

Egone illam cvm illo vt patiar nvptam vnvm diem. Hic eſt de quo ſuprà dictum eſt. *Illéne indotatam virginem, atque ignobilem daret illi? numquam faceret.* Egone illam cvm illo vt patiar nvptam. Hic iam præſtruitur, quàm facile triginta minas perditurus ſit Demipho, dum illam vult excludere.

Nihil svave meritvm est. Ordo & ſenſus hic eſt, Nihil mihi mercedis ſuaue eſt, vt ego illam cum illo nuptam feram. *Suaue meritum* enim, ſuauem mercedem ſignificat.

Hominem commonstrarier. Bono ordine peruenit ad Phormionem: à quo magis confutabitur. Avt vbi habitet, demonstrarier. Mire oſtendit quàm hic ſenex contemnat Phormionem modo, à quo mox ſuperabitur.

Istvm patronvm mvlieris. Hic & contemptum aduerſarij, & ſui fiduciam monſtrat.

Iam faxo hic aderit. Virgilius. *Haud ſibi cum Danais rem faxo, & pube Pelaſga.*

Antipho vbi nvnc est. Mirius nunc quærit vbi ſit Antipho: & vtrum amatæ adhæreat, ſubtiliter quærit. quod ſeruus intelligens, reſpondit *Foris*. Foris. *Foris* dixit quum fugiſſe eum ſciat.

Abi phaedria: evm reqvire, atqve addvce hvc. Opportuna & apta ſimplicitas attribuitur Demiphoni, nihil tale de Phædria ſuſpicanti.

Eo recta via equidem illuc. Et amatorem oſtendit Phædriam: & ſimul id agit, ne in conſpectum patris veniat Antipho.

Nempe ad Pamphilam. Niſi hoc Geta dixiſſet, non intelligerent ſpectatores quid dixiſſet Phædria.

At ego deos penates hinc ſalutatum domum devortar. Nulla mentio fit vxoris apud Demiphonem. non enim conuenit argumento vt habeat. neque quid in Cilicia geſſerit, demonſtratur ideo, quia iam dictũ eſt, *Noſter in Ciliciam ad hoſpitem antiquum*. cauſa enim quæſita eſt cur abeſſet, dum vxorem ducat Antipho: & cauſa ex argento, id eſt auaritia, quo minus videatur pati nurum pauperem, qui ob ſpem lucri ab Attica in Ciliciam nauigarit. Hinc salutatum Ab hoc loco. Salutatum. Adoratum prima poſt reditum prece. Devortan. Bene *Deuortar*, quaſi de via.

Atque aliquot mihi amicos advocabo. Iam præparat tidiculam aduocationem: qua plures adhibendo iuriſconſultos incertior reddetur. Amicos advocabo. *Amicos* & pro teſtibus, & pro aduocatis veteres poſuerunt. Adsient. Proprie *Adſient*. *Adeſſe* enim dicuntur. Ut ne inparatus. Pro non.

Actus secundi scena II.

PHORMIO. GETA.

ITANE patris ais conſpectum veritum hinc abiſſe?
G. admodum.
PHO. Phanium relictam ſolam? G. ſic. PHA. & iratum ſenem?
G. Oppido. PHO. ad te ſumma ſolùm Phormio rerum redit:
Tute hoc intriſti, tibi omne eſt exedendum: accingere.
G. Obſecro te. PHO. ſi rogabit? G. in te ſpes eſt. PHO. eccere.
Quid ſi reddet? G. tu inpuliſti. PHO. ſic opinor. G. ſubueni.
PHO. Cedo ſenem: iam inſtructa ſunt mihi corde conſilia omnia.
G. Quid ages? PHO. quid vis, niſi vt maneat Phanium, atque ex crimine hoc
Antiphonem eripiam, atque in me omnem iram deriuem ſenis?
G. O vir fortis atque amicus! verùm hoc ſaepe Phormio
Vereor, ne iſtaec fortitudo in neruom erumpat denique. PHO. ah
Non ita eſt: factum eſt periculum: iam Pedum viſaſt via:
Quot me cenſes homines iam deuerberaſſe vſque ad necem
Hoſpites, tum ciues: quò magis noui, tantò ſaepius?
Cedò dum, en vnquam iniuriarum audiſti mihi ſcriptam dicam?
G. Qui iſtuc? PHO. quia Non rete accipitri tenditur neque miluo,
Qui male faciunt nobis: illis qui nihil faciunt, tenditur:

Quia enim in illis fructus eſt, in illis opera luditur.
Alijs aliunde eſt periclum, vnde aliquid abradi poteſt:
Mihi ſciunt nihil eſſe. dices, ducent damnatum domum:
Alere nolunt hominem edacem: & ſapiunt mea quidem ſententia.
Pro maleficio ſi beneficium ſummum nolunt reddere.
G. Non poteſt ſatis pro merito ab illo tibi referri gratia.
PHO. Immò enim nemo ſatis pro merito gratiam regi refert.
Tén aſymbolum venire vnctum atque lautum è balneis,
Otioſum ab animo: quum ille & cura, & ſumptu abſumitur:
Dum tibi ſit quod placeat: ille ringitur; tu rideas,
Prior bibas, prior decumbas: coena dubia adponitur?
G. Quid iſtuc verbi eſt? PHO. vbi tu dubites, quid ſumas potiſſimum.
Haec, cum rationem ineas, quam ſint ſuauia, & quàm cara ſint,
Ea qui praebet, non tu hunc habeas planè praeſentem deum?
G. Senex adeſt: vide quid agas: prima coitio eſt accerrima.
Si eam ſuſtinueris, pòſtilla iam, vt lubet, ludas licet.

ITANE PATRIS AIS CONSPECTVM VERITVM HINC ABIISSE. In hac ſcena de paraſitis vilioribus Terentius proponit imaginem vitæ: vt in Eunucho de potioribus, & his qui nuper proceſſerint, id eſt de aſſentatoribus. Animaduertendum autem huiuſmodi genus hominum magis à Terentio laceſſi. ITANE PATRIS AIS CONSPECTVM VERITVM HINC ABIISSE. Adhuc narratur fabula de Terentio & Ambiuio ebrio: qui acturus hanc fabulam, oſcitans temulenter, atque aurem minimo inſcalpens digitulo, hos Terentio pronuntiauit verſus. quibus auditis exclamauerit poeta, ſe talem quum ſcriberet, cogitaſſe paraſitum: & ex indignatione, quòd eum ſaturum potúmque deprehenderat, delinitus ſtatim ſit. ITANE PATRIS AIS. Hæc & labia lingens, vt ebrius: & ructans, vtpote ſatur, pronuntiauit actor bonus.

ADMODVM. *Admodum* annuendi vim habet duntaxat modo: & ſubauditur veritum. PHANIVM RELICTAM SOLAM. Subauditur, *an*. OPPIDO. Non *aio*, ſed iratum intellige. IRATVM SENEM. Iterum *an* ſubauditur.

AD TE SVMMA SOLVM PHORMIO RERVM REDIT. Ideo velut experge factus ad has cauſas accedit Phormio, quia non diu ſollicitum conuenit eſſe paraſitum; nec quidquam aliud, niſi de conuiuio, vel propter conuiuium cogitare. adeò, niſi à Geta cogatur, modo etiam negotiorum Antiphonis negligens eſt, atque ſecurus.

TVTE HOC INTRISTI, TIBI OMNE EST EXEDENDVM. παροιμία apta paraſito: quæ de cibo eſt. Hoc autem inter ruſticos de alliato moretario dici ſolet. Et bene *Intriſti*. proprie enim *intrita*, dicitur huiuſmodi cibus.

ACCINGERE. Appara te, atque expedi.

ECCERE. QVID SI REDDET. Totum hoc quaſi alia agens loquitur paraſitus: vt ex hoc appareat quid interſit inter audaciam ſycophantæ improbi, & patrisfamilas perturbationem minime litigioſi. nam ille in bona cauſa aduocatos quærit, & ipſe ſollicitus in toto actu eſt: hic in puncto temporis ſe ad calumniam præparauit. QVID SI REDDET. Bene iam ad illud reſpicit fabula, quod futurum eſt, propter Phædriam. QVID SI REDDET. Hoc eſt, quid ſi reſpondebit? An, quid ſi mulierem reddet?

SIC OPINOR. Non ad *tu impuliſti* hoc pertinet: ſed ad id, quod ſecum tacitus voluit Phormio.

CEDO SENEM. Hic alij excluſiſſe torporem ſomni inducunt paraſitum. alij tranſglutiſſe quod in ore mandebat: quaſi hoc moræ fuerit ad vincendum ſenem. CEDO SENEM. Non parui moliminis certamen impendet, quum ſenex dixerit, *Hominem commonſtrarier mihi iſtum volo*: paraſitus dicat, *Cedo ſenem.*

QVID AGES. Non interrogantis, ſed metuentis hoc dictum eſt.

QVID VIS, NISI VT MANEAT PHANIVM. Tria promittit, in quibus omnis cauſa Antiphonis eſt conſtituta. ATQVE EX CRIMINE HOC. Sic dixit Ex crimine eripiam, quaſi ex incendio. Conſidera trium rerum, quas promittit, gradus per αὔξησιν eſſe ſeruatos. PHANIVM. Vxorem ſcilicet Antiphonis. ANTIPHONEM ERIPIAM. Bene *Eripiam* dixit: quo vim ſignificat doli, pro eo qui iam teneatur oppreſſus. Virgilius, ——— *tune hinc ſpoliis indute meorum Eripiare mihi.* IN ME OMNEM IRAM DERIVEM SENIS. *Deriuatio* dicitur inflexio criminis ab eo ad quem pertinebat, ad eum ad quem non pertinet.

O VIR FORTIS ATQVE AMICVS. Ordine laudauit. plus eſt enim *Amicus*, quàm *Vir fortis*. Et apparet aduerſum Getam exclamaſſe: quod maiorem vim habet, quàm ſi *amice* dixiſſet. O VIR FORTIS, ATQVE AMICVS. Nominatiuum pro vocatiuo poſuit.

VERVM HOC SAEPE PHORMIO. Bene *ſæpe* addidit, vt ſententiam faceret de ſpeciali dicto.

VEREOR NE ISTAEC FORTITVDO IN NERVVM ERVMPAT DENIQVE. Quid eſt *iſtæc*? nimium audax ſcilicet, Et conuenit hoc dictum Getæ: qui & ſuprà dixerat, Eſt paraſitus quidam Phormio, homo confidens. VERVM HOC SAEPE PHORMIO VEREOR, NE ISTAEC FORTITVDO IN NERVVM ERVMPAT. Et conſuetudine Romana dixit: quia ſæpe in neruum coniiciebantur, ex aliquo maleficio in carcerem miſſi. An numquid prouerbium à ſagittariis datum eſt: quòd immoderatæ plerumque vires, adducendo arcu non telum incitent, ſed neruum rumpant? An ex eo, quòd ſæpe fortius ferientes, neruum ſibi aliquem lædant? Ergo fortitudine nimia ſæpe vinci, ſæpe decipi contigit. IN NERVVM ERVMPAT DENIQVE. *Denique* modo παρέλκον Terentiana conſuetudine, qui hanc particulam in vltima ponit ſententia.

IAM PEDVM VISA EST VIA. *Pedum.* pro pedibus. & *viſa* ἀντὶ τοῦ *prouiſa*. Et totum μεταφορικῶς.

QVOT ME CENSES HOMINES IAM DEVERBERASSE VSQVE AD NECEM. Paraſitice totum tranſlationibus loquitur. huiuſmodi eſt enim vis vmbraticorum hominum, ſcurrilis oratio.

HOSPITES, TVM CIVES. ἀνακόλουθον ſecundum: deeſt enim ſuprà, *cum*. Et bene poſterius poſuit id quod maius eſt.

CEDO DVM, EN VNQVAM INIVRIARVM AVDISTI MIHI SCRIPTAM DICAM? Plus eſt hoc per interrogationem intuliſſe, quàm ſi diceret, Nunquam mihi ſcripta eſt iniuriarum dica. INIVRIARVM AVDISTI MIHI SCRIPTAM DICAM. ἀκυρολογία. ſic enim & Tullius, *Scribitur Heraclio dica.* DICA. *Dice* cauſa eſt Græce: quæ fit Latine *dica*: vt *Acte Acta, Calliope Calliopa.*

QVID ISTVC. Interrogare dicitur & fingitur Geta, vt paraſitica progrediatur oratio?

QVIA NON RETE ACCIPITRI TENDITVR, NEQVE MILVIO. Rurſus per ἀλληγορίαν loquitur paraſitus: vt totum triuiale ſit, à conuiuiis electiſque tranſitum. QVIA NON RETE ACCIPITRI TENDITVR, NEQVE MILVIO. Legitur & *tenditur*. habet enim *n* litera cum *d* communionem. QVI MALEFACIVNT NOBIS. Ore, & vnguibus ſcilicet.

ILLIS QVI NIHIL FACIVNT, TENDITVR. Non ſic accipe, *Nihil faciunt*, quaſi dicat, nec bene nec male: ſed quum legeris *Nihil faciunt*: ſubaudito, *nobis male.*

QVIA ENIM IN ILLIS FRVCTVS EST. παρέλκον tertium: quo aut *Quia* (& ſic *enim* ſubiugatur) aut ipſum *enim* ſuperuacuum eſt. IN ILLIS FRVCTVS EST. Quia nihil faciunt nobis male. QVIA ENIM IN ILLIS FRVCTVS EST. *Fructus*, cibus: quia *frumen* dicitur tractus gulæ, quà cibus in aluum demittitur.

IN ILLIS OPERA LVDITVR. Qui male faciunt nobis. LVDITVR. Exercetur. An illuditur, id eſt fruſtratur?

ALIIS ALIVNDE EST PERICVLVM, VNDE ALIQVID ABRADI POTEST. Verum hic

ſenſus eſt, quaſi dixerit, Aliud aliis periculum affertur, à quibus aliquid auferri poteſt: an, alij aliunde periclitantur, quàm creduntur? eſt enim illis cauſa periculi, non quæ videtur, ſed quia ab his aliquid auferri poteſt. VNDE ALIQVID ABRADI. *Abradi*, per vim auferri.

MIHI SCIVNT NIHIL ESSE. Rei ſcilicet. DVCENT DAMNATVM DOMVM. Secundum ius ſcilicet, quo obærati, quum ſoluendo non eſſent, ipſi manu capiebantur. DVCENT DAMNATVM DOMVM. Miris vſus eſt verbis ad extenuandam pœnam, & rem ad commodum transferendam. nam quod obæratis inimicum eſt, id paraſitus maxime optat, duci ab aliquo domum. Addidit autem *Damnatum*, quaſi qui irrideat genus damnationis, in qua victor paſcere compellitur, & paſcitur victus.

ALERE NOLVNT HOMINEM EDACEM. Senſus eſt, Sciunt edacem, & ideo nolunt alere. Et hoc ſic pronuntiandum, vt facete totum videatur illatum, Quando obæratus, ſit huiuſmodi pœna: nec accuſari ab aliquo ſe queritur, neque damnari. HOMINEM EDACEM. Se ſignificat.

SAPIVNT. Sibi conſulunt. PRO MALEFICIO SI BENEFICIVM SVMMVM NOLVNT REDDERE. Paraſitice *Beneficium ſummum* dixit alere. PRO MALEFICIO. Pro iniuria. REDDERE. Retribuere, reponere.

NON POTEST SATIS PRO MERITO AB ILLO TIBI REFERRI GRATIA. Multum promittit Geta paraſito, quum dicat, nihil futurum, quod pro merito poſſit accipere. NON POTEST SATIS PRO MERITO AB ILLO. Huiuſmodi ſententias inferunt poetæ parentheſi, cum his quæ volunt inferre. AB ILLO TIBI REFERRI GRATIA. Non ab eo, qui te damnatum duxerit: ſed Antiphone, de quo ſermo eſt.

IMO ENIM NEMO SATIS PRO MERITO GRATIAM REGI REFERT. Bene paraſitus, quidquid præſtat, debere ſe dicit. Et eſt proprium perſonæ inferioris. Virgilius.

Tu mihi quodcunque hoc regni, tu ſceptra Iouémque
Concilias, tu das epulis accumbere diuum.

GRATIAM. Vicem. NEMO SATIS PRO MERITO GRATIAM REGI REFERT. *Rex* aliàs regnator, aliàs dominus, aliàs diues ſignificat. Sed nunc rationem habet nominis ad aliquid dicti, ad ſignificandum paraſitum. vt enim paraſitus regis eſt, & libertus patroni: ſic è contrario rex paraſiti eſt, & patronus liberti. quod ſi non eſſet, non *nemo* tantummodo, ſed *nemo paraſitus* diceret.

TENE ASYMBOLVM VENIRE VNCTVM, ATQVE LAVTVM E BALNEIS. Hæc non ab Apollodoro, ſed è ſexto ſatyrarum Ennij tranſlata ſunt omnia, *Quippe ſine cura, lætus, lautus quum aduenis, infertis malis, & expedito brachio, alacer, celſus, lupino impetu, expectans mox dum alterius abligurias bona: quid cenſes domini eſſe animi? Pro diuum fidem! ille triſtis cibum dum ſeruat, tu ridens voras.* TENE ASYMBOLVM VENIRE. Et hoc nomen conſtat inter paraſitos confictum, atque compoſitum eſſe. Contrà illud in Andria, *Symbolum dedit, cœnauit.*

OTIOSVM AB ANIMO. πλεονασμὸς. Nam addidit *ab*, quum ſufficeret *animo*.

QVVM ILLE CVRA ET SVMPTV ABSVMITVR. *Cura* in apparando, *Sumptu* in coemendo.

DVM TIBI SIT QVOD PLACEAT. Acuenda vox in eo, quod ait *tibi*. Et hoc eminenter adiectum eſt, non ſui curam, ſed conuiuarum gerere illum qui vocat.

ILLE RINGITVR, TV RIDEAS. Poetico lepôre & iiſdem ſyllabis diuerſa ſignificantia propè inuicem poſuit, *Ringitur & Rideas.* ILLE RINGITVR, TV RIDEAS. Varie nam pronuntiatiuo coniunctiuum miſcuit. Non enim dixit, *Ringatur.* *Ringi* eſt ſtomachari tacitum. eſt enim tranſlatio à canibus latraturis.

PRIOR BIBAS, PRIOR DECVMBAS. Hoc ad procacitatem paraſitorum retulit. PRIOR DECVMBAS. Sic alibi, *Matura veniunt, diſcumbitur*, inquit.

COENA DVBIA APPONITVR. Et hoc adeò paraſiticum verbum eſt, vt id non intelligat Geta.

QVID ISTVC VERBI EST. Vt intelligat populus, idcirco non intelligit, & vult doceri Geta. Oſtendit autem poeta pro vnaquaque re verba propria eſſe, neque communia cum iis, qui diuerſi ſunt actus.

VBI TV DVBITES, QVID SVMAS POTISSIMVM. Non *Potius*, ſed *Potiſſimum* dixit: vt in

re omni alijs alia monſtraret potiora. Plautus, *Standum eſt in lecto, ſi quid de ſumma petas.*

HAEC CVM RATIONE INEAS. *Intelligas*, æſtimes.

QVAM SINT SVAVIA, ET QVAM CARA SINT. Nonnihil philoſophatus eſt poeta, oſtendendo multis ſuauia eſſe quæ cara ſint. CARA Magni pretij.

EA QVI PRAEBET, NON TV HVNC HABEAS PLANE PRAESENTEM DEVM. Hoc eſt quod ait, *Imò enimuerò nemo ſatis pro merito gratiam regi refert.* NON TV HVNC HABEAS PLANE PRAESENTEM DEVM. *Præſentes* dij ſunt, vel qui ſtatim præſtant: vel qui coluntur, & videntur, vt Sol & Luna. Alij *præſentem* pro potentiſſimo accipiunt. vt Virgilius,

——— *Quo non præſentius vllum.*

SENEX ADEST: VIDE QVID AGAS. Interuenit ſenex vltimo. & quidem quod extra argumentum per inuentionem dici potuit, conſumptum eſt. VIDE QVID AGAS. Non terrentis eſt, ſed excitantis.

PRIMA COITIO EST ACERRIMA. Tranſlatio eſt à prælio. nam & congredi milites, & coire dicuntur. SI EAM SVSTINVERIS. Multum de illo exigit, quando non dicit, ſi eum repuleris; ſed potius ſi eam ſuſtinueris. POST ILLA IAM, VT LVBET, LVDAS LICET. In officio militari omne negotium vel pugna, vel ludus.

ACTVS SECVNDI SCENA III.

DEMIPHO. GETA. PHORMIO.

EN, vnquam cuiquam contumelioſius
Audiſtis factam iniuriam, quàm haec eſt mihi?
Adeſte quaeſo. G. iratus eſt. PH. quin tu hoc age ſt:
Iam ego hunc agitabo: prò deum inmortalium!
Negat Phanium eſſe hanc ſibi cognatam Demipho?
Hanc Demipho negat eſſe cognatam? G. negat.
D. Ipſum eſſe opinor, de quo agebam: ſequimini.
PHO. Neque eius patrem ſe ſcire quî fuerit? G. negat.
PHO. Nec Stilphonem ipſum ſcire qui fuerit? G. negat.
PHO. Quia egens relicta eſt miſera, ignoratur parens,
Neclegitur ipſa: vide AVARITIA *quid facit.*
G. Si herum inſimulabis auaritiæ, male audies.
D. O audaciam! etiam me vltrò accuſatum aduenit.
PHO. Nam iam adule ſcenti nihil eſt quod ſuccenſeam,
Si illum minus norat: quippe homo iam grandior,
Pauper, cui opera vita erat, ruri ferè
Se continebat: ibi agrum de noſtro patre
Colendum habebat: ſaepe interea mihi ſenex
Narrabat, ſe hunc neclegere cognatum ſuum:
At quem virum? quem ego viderim in vita optumum.
G. Videas te, atque illum, vt narras. PHO. in malam crucem:
Nam ni ita eum exiſtumaſſem, numquam tam graueis

Ob hanc

Ob hanc inimicitias caperem in noſtram familiam,
Quam is aſpernatur nunc tam inliberaliter.
G. Pergin' ero abſenti male loqui impuriſsime?
PHO. Dignum autem hoc illo eſt. G. ain' tandem carcer? D. Geta.
G. Bonorum extortor, legum contortor. D. Geta.
PHO. Reſponde. G. quis homo eſt? ehem. D. tace. G. abſenti tibi
Te indignas, ſeque dignas contumelias
Numquam ceſſauit dicere hodie. D. ohe deſine.
Adoleſcens, primùm abs te hoc bona venia peto:
Si tibi placere potis eſt, mihi vt reſpondeas,
Quem amicum tuum ais fuiſſe iſtum, explana mihi:
Et qui cognatum me ſibi eſſe diceret.
PHO. Proinde expiſcare, quaſi non noſſes. D. noſſem? PHO. ita.
D. Ego me nego: tu, qui ais, redige in memoriam.
PHO. Eho tu ſobrinum tuum non noras? D. enicas:
Dic nomen. PHO. nomen? maxumè. D. quid nunc taces?
PHO. Peri hercle: nomen perdidi. D. hem, quid ais? PHO. Geta,
Si meminiſti quod olim dictum eſt, ſubice. hem,
Non dico: quaſi non noris, temptatum aduenis.
D. Egóne autem tempto? G. Stilpho. PHO. atque adeò quid mea?
Stilpho eſt. D. quem dixti? PHO. Stilphonem inquam noueras?
D. Neque ego illum noram: neque mihi cognatus fuit
Quiſquam iſtoc nomine. PHO. ita ne? non te horum pudet?
At ſi talentum rem reliquiſſet decem.
D. Di tibi malefaciant. PHO. primus eſſes memoriter
Progeniem veſtram vſque ab auo, atque atauo proferens.
D. Ita vt dicis. ego tum ſi aduenissem, qui mihi
Cognata ea eſſet dicerem: itidem tu face.
Cedo, qui eſt cognata? G. eu noſter, rectè: heus tu, caue.
PHO. Dilucidè expediui, quibus me oportuit
Iudicibus: tum ſi id falſum fuerat, filius
Cur non refellit? D. filium narras mihi?
Cuius de ſtultitia dici, vt dignum eſt, non poteſt.
PHO. At tu, qui ſapiens es, magiſtratus adi,
Iudicium de eadem cauſa iterum vt reddant tibi:
Quandoquidem ſolus regnas, & ſoli licet
Hic de eadem cauſa bis iudicium adipiſcier.
D. Etſi mihi facta iniuria eſt, verumtamen

Potius quàm lites ſecter, aut quàm te audiam:
Itidem vt cognata ſi ſit, id quod lex iubet
Dotem dare, abduce hanc; minas quinque accipe.
PHO. Ha ha he, homo ſuauis. D. quid eſt? num iniquum poſtulo?
An ne hoc quidem adipiſcar ego, quod ius publicumſt?
PHO. Itáne tandem quaeſo, item vt meretricem vbi abuſus ſis,
Mercedem dare lex iubet ei, atque amittere?
An, vt ne quid turpe ciuis in ſe admitteret
Propter egeſtatem, proximo iuſſa eſt dari,
Vt cum vno aetatem degeret? quod tu vetas.
D. Ita, proximo quidem: at nos vnde? aut quamobrem? PHO. ohe,
Actum, aiunt, ne agas. D. non agam? imò haut deſinam,
Donec perfecero hoc. PHO. ineptis. D. ſine modò.
PHO. Poſtremò tecum nihil rei nobis Demiphoſt:
Tuus eſt damnatus gnatus, non tu: nam tua
Praeterierat iam ad ducendum aetas. D. omnia haec.
Illum putato, quae ego nunc dico, dicere:
Aut quidem cum vxore hac, ipſum prohibebo domo.
G. Iratus eſt. PHO. tute idem feceris melius.
D. Itáne es paratus facere me aduorſum omnia
Infelix? PHO. metuit hic nos, tametſi ſedulò
Diſsimulat. G. bene habent tibi principia. PHO. quin quod eſt
Ferendum, fers: tuis dignum factis feceris,
Vt amici inter nos ſimus. D. egóne tuam expetam
Amicitiam? aut te viſum, aut auditum velim?
PHO. Si concordabis cum illa, habebis quae tuam
Senectutem oblectet: reſpice aetatem tuam.
D. Te oblectet: tibi habe. PHO. minue verò iram. D. hoc age:
Satis iam verborumſt: niſi tu properas mulierem
Abducere, ego illam eiciam: dixi Phormio.
PHO. Si tu illam attigeris, ſecus quàm dignum eſt, liberam,
Dicam tibi impingam grandem: dixi Demipho.
Si quid opus fuerit, heus, domo me. G. intellego.

EN, VNQVAM CVIQVAM CONTVMELIOSIVS AVDISTIS FACTAM INIVRIAM. In hac ſcena, vt rhetoribus placet, veluti quædam controuerſia eſt, quæ vno tempore ex vtraque parte tractatur. Vt, ſi quis dicat legem eſſe, ne de eadem re bis agatur: & item, vt orbam proximus ducat. quidam abſente patre ſub hoc nomine vxorem coactus eſt ducere. vult illam pater adueniens eiicere matrimonio: contradicitur. Meminiſſe autem

debemus, in omni contentione ea maxime dici, quæ ſimplici patrifamilias & calumnioſo ſycophantæ, improbiſſimóque paraſito congruere, poetæ viſa ſunt. EN, VNQVAM CVIQVAM CONTVMELIOSIVS AVDISTIS FACTAM INIVRIAM. Iam instructi ſunt aduocati. & recte. longum enim fuerat omnia hæc poſt ſcenam geri. EN, VNQVAM. *En* vim habet indignationis poſt enarratam iniuriam.

QVAM HAEC EST MIHI. *Facta iniuria*, ſubauditur.

ADESTE QVAESO. Interim aduocati κῶφα πρόσωπα inducuntur. & ridicule tacent prius, poſtea locuturi. Et *Adeſte* proprie. *adeſſe* enim cauſæ, proprie dicuntur patroni & amici. ADESTE QVAESO. Proprie aduocatis *Adeſte* dixit. Et quia ipſe properantius pergit, rogat vt aſſequerentur.

IRATVS EST. Hoc ad excitandum Phormionem dicitur.

QVIN TV HOC AGE. Annuit vt taceat: & ſignificat ſilentium.

* IAM EGO HVNC AGITABO. Modo *iam* celeritatis eſt ſignum. *Hunc*, cum contemptu dixit. *Agitabo*: Perturbabo.

PRO DEVM IMMORTALIVM. ἔλλειψις, deeſt *Fidem*, aut quid tale. Cicero in OEconomico, *Quid igitur, pro deum immortalium! primùm eam docebas quæſo?* PRO DEVM IMMORTALIVM. Artificioſe prior exclamat: vt Demipho qui iniuriam paſſus eſt, vltro impetum accuſationis incurrat.

NEGAT PHANIVM ESSE HANC SIBI COGNATAM. Additum pronomen eſt: quaſi notam omnibus diceret. PHANIVM ESSE HANC SIBI COGNATAM. Magno ingenio Terentius impudentiam calumniatoris expreſſit. nam & prior incipit, & prior accuſat. Et quia non poteſt dicere, expellit Phanium Demipho: negat cognatam, inquit. NEGAT. Vna opera Geta in duplici verſatur dolo. nam & audiente iam ſene, ſe eius defenſorem tanquam abſentis, aſſimulat: & irritat ad vociferationem Phormionem, qui clamandi vlterius cauſam non haberet, ſi taceret Geta. COGNATAM DEMIPHO. Hæc eſt flagitatio, quæ etiam nomen tumultuoſe perſequitur atque exagitat. Ideo callidus ſycophanta patrisfamilias proprium nomen non ſolum inuidioſe infert, ſed etiam repetit.

NEQVE EIVS PATREM SE SCIRE, QVI FVERIT. Ambiguitas: quæ tamen ſenſu diſcernitur.

SEQVIMINI. Apparet Demiphonem, vt patremfamilias, perturbari non mediocriter: quippe qui & aduocatos conquiſierit aduerſus hominem ſine aduocatis agentem, & progredi non audeat, niſi illi ſequantur. SEQVIMINI. *Sequimini* dicit, qui properantius & concitatiore gradu pergit iratus.

NEC STILPHONEM IPSVM SCIRE QVI FVERIT. Hæc aſſeueratio mentientis eſt, imitata veritatem. NEC STILPHONEM IPSVM SCIRE. Quàm multa calumniatores clamandi cauſa dicunt, & vociferandi: vt ipſo ſtrepitu terreant. NEC STILPHONEM IPSVM. Tantundem quod ſuprà, *Neque eius patrem*. Scite debemus hoc nomen, non fictum à paraſito, ſed auditum à puella, quæ vxor ducta ſit, dici.

NEGAT. οὐδέτερος prima. nam extrinſecus audiendum eſt, *Pater*.

QVIA EGENS RELICTA EST MISERA. Communis locus in auaritiæ generalitate approbatior. facilius enim hoc de omnibus, quàm de Demiphone credatur: & ideo *ignoratur* dixit, & *negligitur*: non Ignorat, nec Negligit Demipho.

IGNORATVR. Non agnoſcitur, ignoratúſque fingitur. hoc enim ſignificat modò.

PARENS. Pater. nam vt variaret, *Parentem* dixit, quem ſuprà dixerat *Patrem*. Patrem ergo dicit puellæ à Demiphone ignorari.

NEGLEGITVR IPSA. Quia fieri poteſt, vt qui ignoret parentes puellæ, id eſt ignorare ſe dicat, tamen ipſam non negligat puellam: vtrumque conqueſtus eſt.

AVARITIA VIDE QVID FACIT. Hæc conuerſus ad circulum, & coronam circunſtantium dicit, & conqueritur. Nulla enim re magis populus concitatur, quàm ſiquis egenum contemnat: inde & Salluſt. *bonis inuident, & malos extollunt*. AVARITIA VIDE. Proprie *vide* ſtomachantibus conuenit, qui indignatione coguntur quaſi cum aliquo colloqui. Sic in Adelphis, *Illud ſis vide, exemplum diſciplinæ*. Sunt qui putent illum alicui de corona circunſtantium dicere moraliter.

SI HERVM INSIMVLABIS AVARITIAE. *Inſimulare*, eſt crimen ingerere. SI HERVM INSIMVLABIS. Inſimulatio eſt & falſi & veri criminis incuſatio. ſic Cicero, *Nihil eorum quæ Galli inſimulabant*, *negarunt*. *Inſimulo* genitiuo iungitur. MALE AVDIES. Scilicet à me.

O AVDACIAM. Hæc exclamatio oſtendit quid abſente patre defenderit filius. O AVDACIAM, ETIAM ME VLTRO ACCVSATVM ADVENIT. Hic iam oſtenditur perſuaſum eſſe Demiphoni, vim adhibitam filio ſuo vxorem ducere: vno, quum hunc audacem appellat: altero, quòd dicit *etiam*, quæ coniunctio & Antiphonem complectitur: & ſic, *Accuſatum*.

NAM IAM ADOLESCENTI NIHIL EST QVOD SVCCENSEAM. Sic ſubtiliter ac latenter purgatur à Phormione, apud patrem Antipho. nam quum dicit, *Nihil eſt quod ſuccenſeam adoleſcenti*: oſtenditur adhuc ſuccenſuiſſe, & inimico fuiſſe animo. Quum autem addit, *Si illum minus norat*: oſtenditur contradixiſſe ſibi, & reſtitiſſe iudicio. & ſic dicit, quòd ſi adoleſcens non agnoſcens puellam, veniam non metuerit: pater negata cognata ferri non poſſit. NIHIL SIT QVOD SVCCENSEAM. *Succenſere* dicimus eum, qui quum amare debeat, læſus iraſcitur. Et vide, vt veteratorie oſtendat contradixiſſe adoleſcentem.

SI ILLVM MINVS NORAT. Non dixit non *Norat*: ſed, *Minus norat*: quaſi & ipſe noſſe debuerit.

QVIPPE HOMO. Repente tranſit ad nominatiuum, quum ſuprà dixerit *illam*: & deeſt *erat*, quod aſſumitur ab inferiore.

IAM GRANDIOR. Hic comparatiuus non habet ſignificationem à poſitiuo. Vt, *Iam ſenior*, *ſed cruda deo*, *viridiſque ſenectus*. QVIPPE HOMO IAM GRANDIOR. Argumentalis narratio dicitur, quæ nunc ſubiecta eſt ad fidem faciendam, & conſtituendam perſonam defenſoris. Et *Grandior*, non *grandis*: quaſi dicat, qui grandior fuit, quàm vt illum adoleſcens optime noſſe poſſet. IAM GRANDIOR. Propriè *grandis* ad ſpeciem refertur ætatis, vt *Grandis puer*, & *grandis virgo*, *grandis natu* ſenex dicitur.

CVI OPERA, VITA ERAT. Hic oſtendit quàm pauper fuerit. & *opera* ſeptimi caſus eſt: & *vita* nominatiui. CVI OPERA, VITA ERAT. *Opera* pro victu poſuit. & *Opera* hic ablatiuus caſus eſt.

RVRI FERE. Id eſt, Ruri opera faciendo quærebat cibum. Et bene addidit *fere*. non enim ſemper, ſed plerunque. RVRI FERE SE CONTINEBAT. Expreſſe oſtendit miſeriam hominis, qui in vrbe natus interdixerat ſibi acceſſu eius, ob pudorem inopiæ. nam hoc ſignificat *continebat*. vnde *contenti* dicuntur, in malis durantes. Hoc autem veteres faciebant nobiles, quum ad paupertatem redacti eſſent. RVRI FERE SE CONTINEBAT. *Continere ſe* dicitur, qui contra voluntatem ſe continet.

COLENDVM HABEBAT. Virg. *Coductáque pater tellure ſerebat*.

SAEPE INTEREA MIHI SENEX NARRABAT. Miſerabiliter & inuidioſe poſitum *ſenex*: & maiore fide *Narrabat* dixit, non *Querebatur*. Et vide congeſtionem argumentorum. Et ordo eſt, *Sæpe narrabat ſenex hunc ſuum cognatum ſe neglegere*. SAEPE INTEREA MIHI SENEX NARRABAT. Habet miſericordiam odioſa narratio.

SE HVNC NEGLEGERE COGNATVM SVVM. ἀμφιβολία. ſed in ſenſu diſſoluitur. COGNATVM SVVM. Hoc crimen & cauſa eſt, quòd *Cognatum* addidit.

AT QVEM VIRVM. Qualitas iniuriæ à dignitate perſonæ. multi enim tales ſunt, vt cognitione abdicandi ſint.

QVEM EGO VIDERIM IN VITA OPTIMVM. Modo in vita ac moribus. Et *in vita*, hoc eſt quum viueret, & in eo quod à viuo ſit. QVEM EGO VIDERIM IN VITA OPTIMVM. Modo *in vita*, in actu, in moribus.

VIDEAS TE, ATQVE ILLVM. Melius hoc clare dictum à ſeruo accipimus, vt defendiſſe dominum videretur. VIDEAS TE, ATQVE ILLVM, VT NARRAS. Hoc eſt, parentem te illi exiſtimo, atque illum tibi. An potius ſeruus ſciens hanc perſonam fingi, vel certe etiam mortuum hominem induci, male precatur paraſito: vt etiam ipſe, aut nuſquam ſit, vt fictus: aut pereat, vt mortuus. An ſic accipiendum, vt ſeruus ſubmiſſa voce hoc per

iocum dixerit, Tantum in vita te videas optimum, quam fuit ille quem narras? An ſic intelligendum, vt ſeruus hoc dicat, Si optimum eſt, victum opera quærere, & in alieno agro eſſe: ita te videas, atque illum vidiſti, quem ad hunc modum narras viuere. & alluſit ad illud quod ait, *Quem ego viderim in vita optimum.* VIDEAS TE, ATQVE ILLVM. Deeſt, *Vidiſti.* ſcit enim illum non vera dicere.

IN MALAM CRVCEM. Aduerbialiter, vt *Huc viciniæ.*

NAM NI ITA EVM EXISTIMASSEM. Vt vita optimum indicarem.

NVMQVAM TAM GRAVES. Hoc non quaſi timidus, ſed quaſi religioſus & fidelis loquitur Phormio.

OB HANC. Tanquam præſens ſit mulier de qua lis eſt: ſic demonſtratiua particula vſus eſt dicendo *Hanc.* OB HANC. Id eſt, pro filia ipſius.

INIMICITIAS CAPEREM. *Capere* dicimus, quum id quod in nobis eſt, aſſumimus. vnde *capere* pro eligendo ponitur.

QVAM IS ASPERNATVR. Ordo eſt: ob hanc quam hic aſpernatur. ἀπὸ κοινοῦ *quam* enim ſuprà reuocauit, ad puellam referens. vt, *Quem regno Heſperio fraudo.* Et Salluſtius, *Nam Syllæ dominationem audebat.* Et interpoſitis quibuſdam, *Neque eſt offenſus dominationem Syllæ.* QVAM IS ASPERNATVR NVNC TAM INLIBERALITER. *Aſpernari* eſt auerti, non ſolum corpore, ſed etiam animo. *Aſpernari*, recuſare, auertere, non agnoſcere. Eſt autem dictum à ſperno. INLIBERALITER. Apud veteres *Inliberaliter* dicebant *factum*, ſiquis exceſſiſſet omne genus maleficij. Sic in Adelphis, ——— *factum à vobis duriter, Immiſericorditérque: atque etiam, ſi eſt pater Dicendum magis aperte, inliberaliter.* Vides more αὐξήσεως *inliberaliter* pro magno hîc, vltimum poni.

PERGIN' HERO ABSENTI MALE LOQVI. ἀπόστροφος per παρέντασιν. *Male loqui*, pro male dicere. Et quærit Probus, quis ante Terentium dixerit. HERO ABSENTI. Argute *Hero abſenti*: vt videatur fidelior qui defendat abſentem: quod præſtans argumentum eſt, id in animo habuiſſe Getam, etiam peregrinante domino. INPVRISSIME. Improbiſſime.

DIGNVM AVTEM HOC ILLO EST. Non negat male loqui: ſed hoc eſſe dignum contendit malo homine.

AIN'. ἀπόστροφος nota eſt quæ ſeparat *e* ab *n*, & intermittit *s* literæ ſonum. eſt enim integrum, aiſne? AIN' TANDEM CARCER. Non carcerarium, ſed carcerem aſperius appellauit. ſic Lucilius, *Carcer vix carcere dignus.* Et *Vix* pro *Non.*

BONORVM EXTORTOR. Ingenioſe de ipſo negotio ſunt inuenta conuitia. BONORVM EXTORTOR, LEGVM CONTORTOR. Fingit illi crimina de cauſa, & de negotio.

RESPONDE. Timuit poeta, ne huiuſmodi vociferatio Getæ quaſi veram diſcordiam apud populum fingeret: & ideo facit iam à Phormione ipſum admoneri.

QVIS HOMO EST. Mire ſeruus finxit ſe non vidiſſe ſenem: vt ea quæ dixerit, in Phormionem ſincere dixiſſe credatur. Et mira diſſimulatione addidit *Homo*: vt videatur nihil de præſentia domini cogitaſſe.

ABSENTI TIBI. Tunc fidelis opera eſt, ſi abſens aliquis defendatur. hoc ergo confirmat, velut indicando. Sic in Andria, *O Chreme per tempus hic aduenis, auſculta.*

SEQVE DIGNAS CONTVMELIAS. Id eſt quas ipſe debet audire.

OHE DESINE. Hac voce oſtendit plus iuſto pro ſe locutum videri Getam. nam *Ohe* interiectio eſt, ſatietatem vſque ad faſtidium deſignans. DESINE. Imponit ſilentium Getæ: quaſi validiora dicturus ſit. & ſupra, *tace* dixit ſenex.

ADOLESCENS PRIMVM ABS TE. Et hæc authoritas in ſenibus, vt qui minoris ætatis fuerint, illos appellatione pueri, vel adoleſcentis, vel iuuenis etiam oſtendant: vt hoc de nomine illis quidem detrahant, ſibi verò authoritatem attribuant. Sic Virgilius.

——— *O præſtans animi iuuenis, quantum ipſe feroci Virtute exuperas.* BONA VENIA. Sine ira, ſine diſcordia. SI TIBI PLACERE POTIS EST. Pro *Poteſt.* MIHI VT RESPONDEAS. Bene *Mihi*: vtpote patri adoleſcentis, vel domino Getæ, vel etiam ſeni. Et verbum eſt ſcrupuloſe aliquid interrogantium. Sic Virgilius,

Mihique hæc ediſſere vera roganti. Et, *Dic mihi Damœta, cuium pecus?*

QVEM AMICVM TVVM AIS FVISSE. *Ait* dicimus de iis, qui vana loquuntur: *Dicere* autem dicimus de iis, qui validiora. EXPLANA. Manifeſta, expone. ET QVI COGNATVM. *Qui*, quomodo, vnde.

PROINDE EXPISCARE, QVASI NON NOSSES. *Proinde*, ita ſimilitudinis aduerbium eſt modo, non coniunctio. vt, *Proinde tona eloquio ſolitum tibi. Expiſcari*, eſt diligentiſſimè quærere, vbinam piſces lateant: ergo verbum eſt tractum à piſcatoribus.

EGO ME NEGO TV QVI AIS. Subauditur ad omnia *noſſe*.

EHO TV SOBRINVM TVVM. Populari quadam, vulgarique fatigatione. vtpote ſcurra reſpondit.

NOMEN? MAXIME. Falſa non habent memoriam. hic ergo deeſt, Neſcio, vel neceſſarium eſt.

QVID NVNC TACES. Vrget ſenex: quia intelligit eum nomen neſcire.

SVBIICE. Suggere. NON DICO: QVASI NON NORIS. Mire nam videtur arte celare id quod inuitus neſciebat.

STILPHO σύλληψις. nam reddit ad nominatiuum, *eſt*: vtique Stilpho: vt rurſus ad accuſatiuum, *Noueras*, *Stilphonem* ſcilicet.

STILPHONEM INQVAM NOVERAS. Figura ἐπιτροχασμὸς est autem ἐπιτροχασμὸς verborum ſuper ſe inuicem effuſio: quæ fit aduerſarij cauſa turbandi: ſic Cicero *Conuiuium. &* * & Virgil. ——— *nec longe ſcilicet hoſtes*

Quærendi nobis, circunſtant vndique muros.
Imus in aduerſos? quid ceſſas? an tibi Mauors
Ventoſa in lingua, pedibuſque fugacibus iſtis
Semper erit? ———. STILPHONEM INQVAM NOVERAS. Quaſi dicat, Conuincam, ſi neges.

AT SI TALENTVM REM RELIQVISSET. ἀξιόπιστον illud fecit. AT SI TALENTVM REM RELIQVISSET DECEM. More Romanorum, apud quos hæreditas pecuniæ erat. *Talentum* autem quòd dixit, more Græcorum admiſcuit.

ITA VT DICIS. Ita ſum, inquit, vt dicis, auarus & ſuperbus. Et vide ſenem de iniuria non agere: quia iuſtè confidit, & nititur cauſæ. Plerumque enim hac conſtantia, animi fulciuntur, qui iuri confidunt. at contrà, qui nullo iure freti ſunt, litigant, & ad iniurias proſiliunt: vt his ſaltem perturbent aduerſarium qui iure non valent. Condono igitur, inquit, tibi omne contumeliæ genus.

EGO TVM SI ADVENISSEM. Deeſt *Ad iudicium*: vt ſit, Quum ad iudicium veniſſem.

QVI MIHI COGNATA. *Qui*, vnde, quomodo.

EV NOSTER RECTE. Geta ſic laudat ſenem, vt optet vincere Phormionem. EV NOSTER RECTE. Plaudit ſibi Terentius, ſuppoſita perſona: quaſi *Recte* dixiſſet.

QVIBVS ME OPORTVIT IVDICIBVS. Probaui iudicibus, inquit. FILIVS CVR NON REFELLIT. *Refellere*, eſt arguendo falſum oſtendere.

CVIVS DE STVLTITIA DICI, VT DIGNVM EST. Compendium conuitiorum eſt, Nihil dignum inuenire, pro magna iniuria quod reſpondeas.

QVANDO QVIDEM SOLVS REGNAS. Quoniam regnum ſolutum legibus eſt, & opprimens libertatem. Sic alibi, *Regnúmne hic Aeſchine poſſides*? HIC DE EADEM CAVSA. Hic, videlicet apud Athenas, vbi leges, vbi libertas omnibus communis eſt.

POTIVS QVAM LITES SECTER, AVT QVAM TE AVDIAM. Bis poſuit *Quàm*. quod genus figuræ primo ζεύγματι contrarium eſt. vt in Heautontimorumeno, *Propter quam in ſummis infamia ſum, & meo patri minus obſequens.* Item, *Cepi rationem, vt neque tu egeres, neque hoc poſſes perdire.*

ID QVOD LEX IVBET DOTEM DARE. *Id*, pro Ob id.

ABDVCE HANC, MINAS QVINQVE ACCIPE. Modo id agit, quod reprehendit à filio non eſſe factum, *Dotem dareti, quæreret alium.* Et dotem voluit cuſtodem eſſe pudoris.

HA HA HE. Hic riſu deſtruxit, quod ſerio intendebat ſenex. HOMO SVAVIS. Præſcriptio, quum iam alterum factum ſit, fieri vtrumque non poſſe.

AN, NE HOC QVIDEM ADIPISCAR EGO. Quia enim à lege ſtat, recitat tantum id quod

ſcriptum eſt.

Itane tandem qvaeso. Maiora argumenta ſunt quæ per interrogationem proferuntur. Vbi abvsvs sis. A ſcripti voluntate. *Vtimur* cum honore. *Abutimur* cum iniuria. Atqve amittere. Bene *Amittere*: quia finis cupiditatis amiſſio eſt.

An, vt ne qvid tvrpe civis in se admitteret. Idoneum teſtimonium eſt bonorum eſſe natalium, Ciuem dixiſſe. nam apud veteres peregrinæ mulieres in meretricū numero habebantur. Sic ipſe alibi, *Adeóne eſt demens ex peregrina?* Et alibi, *Samia mihi mater fuit, ea habitabat Rhodi*. Et Parmeno comprobans reſpondit, *Poteſt taceri hoc*. id eſt meretricem matrem te habuiſſe. An, vt neqvid civis tvrpe in se admitteret. A voluntate.

Vt cvm vno aetatem degeret. Quid enim eſt pudicitia, niſi vnius ſcientia, viri?

Actvm aivnt ne agas. *Aiunt* dicimus, quum prouerbium ſignificamus. *Acta res* eſt, de qua ſententia prolata ſit.

Donec perfecero hoc. Virgilius. ——— *donec me flumine viuo Abluero*. Perfecero. Pro *Perficiam*.

Ineptis. Vt à *Sapientia*, *Sapis* dicimus: ita ab *Ineptia*, *Ineptis*.

Sine modo. Hæc minantis ſunt verba. & bene: imitatus eſt enim comminantem.

Tvvs est damnatvs gnatvs, non tv. Ludit Phormio quum dicit, *Non tu*, & contemptibiliorem in hac cauſa ſibi ſeuemquàm Antiphonem fuiſſe, dicit: ſimúlque ætatem illius eſſe deſpectam. Tvvs est damnatvs gnatvs, non tv. Pro voluntate contendentis eſt prolatio ſententiæ.

Illvm pvtato, qvae ego nvnc dico, dicere. Definitiue reſpondit.

Cvm vxore hac. Id eſt tali.

Tvte idem melivs feceris. Locus eſt hic, vt oſtendat Phormio de compacto egiſſe cum Antiphone. Tvte idem melivs feceris. Quidam ſic intelligunt, Tute idem melius feceris, vt ſenex potius exeat, quàm eiiciat filium. Artificioſe autem loquitur Phormio vt adimat ſuſpicionem ſeni conſenſionis & conuentionis inter paraſitum & filium.

Sedvlo. Sine dolo, inſtanter. Dissimvlat. Fingit, mentitur.

Qvin qvod est ferendvm, feras. Cur non, inquit, accommodas neceſſitati voluntatem? Qvae tvam senectvtem oblectet. Non *te*, ſed *Senectutem tuam*. Minve vero iram. Contemnentis eſt diſſuadere iracundiam. Hoc age. Annuentis eſt.

Dixi phormio. *Dixi* ſolent dicere perorata cauſa.

Dixi demipho. Mire comminationem, & ferocitatem eius imitatus eſt ſimili verbo. Siqvid opvs fverit. Hæc repentina diſceſſio habet aliquam maiorem litigaturi denuntiationem. Et bene breuiter: ne multiloquio infringeretur ſuperior comminatio.

Actvs secvndi scena IIII.

DEMIPHO GETA, HEGIO.
CRATINVS, CRITO.

QVANTA me cura & ſollicitudine afficit
Gnatus, qui me, & ſe hiſce impediuit nuptiis!
Neque mihi in conſpectum prodit, vt ſaltem ſciam
Quid de hac re dicat, quidve ſit ſententiae.
Abi tu, viſe redieritne iam, an nondum, domum.
G. Eo. D. videtis quo in loco res haec ſiet:
Quid ago? dic Hegio. H. ego Cratinum cenſeo,

Si tibi videtur. D. dic Cratine. CRA. méne vis?
D. Te. CRA. ego quae in rem tuam ſint, ea velim facias: mihi
Sic hoc videtur: quod te abſente hic filius
Egit, reſtitui in integrum aequum eſt & bonum:
Et id impetrabis. dixi. D. dic nunc Hegio.
H. Ego ſedulò hunc dixiſſe credo. verùm ita eſt,
QVOT HOMINES, tot ſententiæ. ſuus cuique mos.
Mihi non videtur, quod ſit factum legibus,
Reſcindi poſſe: & turpe incoeptu eſt. D. dic Crito.
CRI. Ego amplius deliberandum cenſeo:
Res magna eſt. H. nunc quid nos vis? D. feciſtis probé:
Incertior ſum multò quàm dudum. G. negant
Rediſſe. D. frater eſt expectandus mihi:
Is quod mihi dederit de hac re conſilium, id ſequar.
Percontatum ibo ad portum, quoad ſe recipiat.
G. At ego Antiphonem quaeram, vt quae acta hic ſint, ſciat.
Set eccum ipſum video in tempore huc ſe recipere.

QVANTA ME CVRA ET SOLICITVDINE AFFICIT GNATVS. *Cura* eſt in ſpe bonorum: *Solicitudo* in metu malorum. QVANTA ME CVRA ET SOLICITVDINE. Hæc deliberatiua eſt, in qua tres aduocati ſunt: quorum vnus ſuadet: alter diſſuadet: tertius qui ſe alterutri addere debuiſſet, eiuſmodi ſententiam dicit, vt rurſum deliberatione opus eſſe videatur.

EGO CRATINVM CENSEO. Poteſt *Ego* ſub diſtingui: vt ſubaudiatur, *Ego dicam.*

QVAE IN REM TVAM SINT. Bene principio, ἀπὸ τῆς ΤΗΟΛΚΙΣ * ΚΑΙ ΤΟΥ συμβουλεύοντος, beneuolentiam ſuam commendauit: & ſic conſilium dedit.

AEQVVM EST. Ab honeſto. ET BONVM. Ab vtili. ET ID IMPETRABIS. A poſſibili. Et breuiter deliberatiuæ tres locos tetigit, Iuſtum, vtile, & poſſibile.

EGO SEDVLO HVNC DIXISSE CREDO. Artificioſe perſonam defendit, ſententiam reprehenſurus: ne ſi inimicus ſit, adimat authoritatem ſententiæ ſuæ.

VERVM ITA EST. Subiunxit locum ἀποχείρωσις oratorie: vt inuidiæ contradicturus occurreret.

MIHI NON VIDETVR. A poſſibili. QVOD SIT FACTVM LEGIBVS. Hic alio ordine locos ſuaſoriæ tetigit. primum à poſſibili: ſecundum ab honeſto. ET TVRPE INCOEPTV EST. Ab honeſto. Vtilitatem autem prætermiſit per artem, quæ, vbi non poteſt fieri, fruſtra ſpectatur.

RES MAGNA EST. Cauſa ampliandi ſententiam.

INCERTIOR SVM MVLTO QVAM DVDVM. Ex tribus enim vnus ſuaſit, alter diſſuaſit, tertius nihil dixit. IN TEMPORE HVC SE RECIPERE. εὐκαίρως. Salluſtius, *Maximéque ferocia regis Mithridatis in tempore bellaturi.*

ACTVS TERTII SCENA I.

ANTIPHO. GETA.

ENIMVERO Antipho multimodis cum iſtoc animo es vituperandus:
Itáne hinc abiſſe, & vitam tuam tutandam alijs dediſſe?
Alios tuam rem credidiſti magis, quàm te te, animaduerſuros?
Nam vtut erant alia, illi certè, quae nunc tibi domi ſt, conſuleres,
Ne quid propter tuam fidem decepta pateretur mali,
Cuius nunc miſerae ſpes, opéſque ſunt in te vno omnes ſitae.
G. Et quidem ere nos iam dudum hîc te abſentem incuſamus, qui abieris.
A. Teipſum quaerebam. G. ſet ea cauſa nihilo magis defecimus.
A. Loquere obſecro, quonam in loco ſunt res, & fortunae meae?
Numquid patri ſubolet? G. nihil etiam. A. ecquid ſpei porrò ſt? G. neſcio, A. ah.
G. Niſi Phaedria haut ceſſauit pro te eniti. A. nihil fecit noui.
G. Tum Phormio itidem in hac re, vt in alijs, ſtrenuum hominem praebuit.
A. Quid is fecit? G. confutauit verbis admodum iratum patrem.
A. Eu Phormio. G. ego quod potui porrò. A. mi Geta omnis vos amo.
G. Sic habent principia ſeſe, vt dico: adhuc tranquilla res eſt:
Manſurúſque patruum pater eſt dum huc adueniat. A. quid eum? G. vt aiebat,
De eius conſilio ſeſe velle facere, quod ad hanc rem adtinet.
A. Quantus metus eſt mihi venire huc nunc ſaluum patruum Geta!
Nam per eius vnam, vt audio, aut viuam, aut moriar, ſententiam.
G. Phaedria tibi adeſt. A. vbinam? G. eccum à ſua palaeſtra exit foras.

ENIMVERO ANTIPHO MVLTIS MODIS CVM ISTOC ANIMO. *Cum iſtoc animo*: pro, *Huius animi*. Ennius, *Omnia cum pulchris animis Romana iuuentus.*

ITANE HINC ABISSE, ET VITAM TVAM, ἐν ὑπεγγύῳ. vt,

Inuidiſſe deos, patriis vt redditus oris
Coniugium optatum & pulchram Calydona viderem,
Et, *Seruón' fortunas meas commiſiſſe futili?*

Alios tvam rem. Ab infinitiuo ad indicatiuum tranſitum fecit. Credidisti. Pro Putaſti.

Pateretvr mali. Legitur & *Potiretur:* quia *potiri τῶν μέσων* fuit. Plautus, *Hoſtium potius eſt.*

Spes, opesqve svnt. Hæc quidem de his ſunt, quæ amant iungi. Spes, opesqve svnt. Vt, *Res fortuneque.*

Qvi abieris. Mollius, quàm *Fugeris.* Set ea cavsa. Quia abieris. Nvmqvid patri svbolet. Sub conuenientia ſua & Phormionis dicit.

Confvtavit verbis. Conuicit: vt ſi diceret, Refutauit. ſed *Refutatio* in rem eſt: *Confutatio* in perſonam.

Ego qvod potvi porro. De ſe mediocriter per ἦθος, moraliter ſatis. Ego qvod potvi porro. Ordine. primò dominum, pòſt Phormionem, vltimum ſe poſuit.

Hvc salvvm nvnc patrvvm Geta. Non optat ſaluum patruum venire, ſecundum Apollodorum: & oſtendit non congruere ſalutem eius cum commodo ſuo. An non dicit malum eſſe & incommodum ſibi: ſed tantum magni terroris plenum aduentum patrui?

A sva palaestria exit foras. Bene Palæſtram eius dixit lenonis domum, in qua eſt exercitus amator aſſidue. Plautus Bacchid. ——— *homo adoleſcens*
Penetrem huiuſmodi in palæſtram, vbi damnis deſudaſcitur?

Actvs tertii scena II.

PHAEDRIA. DORIO. ANTIPHO. GETA.

DORIO, audi obſecro. D. *non audio.* PH. *parumper.*
D. *quin omitte me.*
PH. *Audi quod dicam.* D. *at enim taedet iam audire eadem millies.*
PH. *At nunc dicam, quod lubenter audias.* D. *loquere, audio.*
PH. *Nequeo te exorare, vt maneas triduum hoc? quò nunc abis?*
D. *Mirabar, ſi tu mihi quidquam afferres noui.*
A. *Ei, metuo lenonem, ne quid ſuo ſuat capiti.* G. *idem ego metuo.*
PH. *Non mihi credis?* D. *hariolare.* PH. *ſin fidem do.* D. *fabulae.*
PH. *Foeneratum iſtuc beneficium tibi pulchrè dices.* D. *λόγοι.*
PH. *Crede mihi, gaudebis facto. verum hercle hoc eſt.* D. *ſomnium.*
PH. *Experire, non eſt longum.* D. Cantilenam eandem canis.
P. *Tu mihi cognatus, tu parens, tu amicus, tu.* D. *garri modò.*
PH. *Adeón ingenio te eſſe duro, atque inexorabili,*
Vt neque miſericordia, neque precibus molliri queas?
D. *Adeóne te eſſe incogitantem, atque inpudentem Phaedria,*

Vt phaleratis dictis ducas me, & meam ductes gratijs?
A. Miſeritumſt. PH. ei veris vincor. G. quàm vterque eſt ſimilis ſui.
PH. Neque, Antipho alia quum occupatus eſſet ſolicitudine,
Tum hoc eſſe mihi obiectum malum? A. ah, quid iſtuc autem eſt Phaedria?
PH. O fortunatiſſime Antipho. A. egóne? PH. cui, quod amas, domiſt:
Nec cum huiuſmodi vmquam vſus venit vt conflictares malo.
A. Mihín domiſt? immò, quod aiunt, AVRIBVS TENEO LVPVM.
Nam neque quomodo à me amittam, inuenio: neque vti retineam, ſcio.
PH. Ipſum iſtuc mihi in hoc eſt. A. eia, ne parum leno ſies,
Numquid hic confecit? PH. hicine? quod homo inhumaniſſimus:
Pamphilam meam vendidit. G. quid? vendidit! A. ain vendidit!
PH. Vendidit. D. quàm indignum facinus, ancillam aere emptam ſuo.
PH. Nequeo exorare vt me maneat, & cum illo vt mutet fidem,
Triduum hoc: dum id, quod eſt promiſſum ab amicis, argentum aufero.
Si non tum dedero, vnam praeterea horam ne oppertus ſies.
D. Obtundis. A. haut longumſt id quod orat, Dorio: exoret ſine.
Idem hoc tibi, quod bene promeritus fueris, conduplicauerit.
D. Verba iſtaec ſunt. A. Pamphilámne hac vrbe priuari ſines?
Tum praeterea horunc amorem diſtrahi poterín pati?
D. Neque ego, neque tu. G. di tibi omnes id quod es dignus, duint.
D. Ego te compluris aduorſum ingenium meum menſes tuli
Pollicitantem, flentem, & nihil ferentem: nunc contra omnia haec,
Repperi qui det, neque lacrumet: da locum melioribus.
A. Certè hercle ego ſi ſatis commemini, tibi quidem eſt olim dies,
Quam ad dares huic, praeſtituta. PH. factum. D. num ego iſtuc nego?
A. Iam ea praeterijt? D. non: verùm haec ei anteceſſit. A. non pudet
Vanitatis? D. minimè, dum ob rem. G. ſterquilinium. PH. Dorio.
Itáne tandem facere oportet? D. ſic ſum: ſi placeo, vtere.
A. Sicine hunc decipis? D. immò enimuero Antipho hic me decipit.
Nam hic me huiuſmodi ſciebat eſſe: ego hunc eſſe aliter credidi.

Iſte me feſellit : ego iſti nihilo ſum aliter , ac fui.
Set vtvt haec ſunt , tamen hoc faciam : cras mane argentum mihi
Miles dare ſe dixit : ſi mihi prior tu adtuleris Phaedria,
Mea lege vtar , vt potior ſit , qui prior ad dandumſt. Vale.

DORIO AVDI OBSECRO. Hæc ſcena in petitione eſt, quæ ſæpe admittit deliberatiuæ locum. DORIO AVDI OBSECRO. Sunt qui ſic legant, vt *Dorio* Phædria dicat: *Audio*, leno : *Obſecro*, iterum Phædria.

QVIN OMITTE ME. *Quin*, modò corripiendi vel imperandi vim habet. vt, *Quin age.*

ET, METVO LENONEM, NEQVID SVO SVAT CAPITI Deeſt *mali*. *Suat* autem, appingat atque affigat. SVO SVAT CAPITI. ἀποσιώπησις. διὰ τὸν εὐφημισμὸν *Suo capiti* dixit, quum dicturus eſſet, Phædriæ. vt, *Dardaniique rogum capiti.*

FOENERATVM. Ab vtili. FOENERATVM ISTVC BENEFICIVM TIBI. Id eſt mihi à te fœneratum.

VERVM HERCLE HOC EST. Bene ipſe dictum ſuum confirmauit.

CANTILENAM EANDEM CANIS. Ita dicit : vt, *Vetus & vulgata cantio.*

TV MIHI COGNATVS. Ab honeſto. TV PARENS, TV AMICVS, TV. Secunda ἀποσιώπησις.

PHALERATIS DICTIS. Honeſtis atque ornatis : quia dixit, *Tu mihi cognatus, tu parens.* Et quaſi leno, irridet honeſtatem & deſpicit.

MERITVM EST. εἰρωνεία.

HEI VERIS VINCOR. Hoc ſibi dicit adoleſcens.

NEQVE ANTIPHO ALIA QVVM OCCVPATVS ESSET SOLICITVDINE. Hoc dolet Phædria, quòd in eadem re laborauit Antipho, id eſt in amore : quòdque amare contigerit. NEQVE ANTIPHO ALIA. Minore aliqua ſolicitudine quàm hæc eſt, quam nunc gerit. An *alia*, præter hanc, quam de me gerit? Ordo & ſenſus hic eſt, Neque tum eſſe mihi hoc obiectum malum, quum Antipho alia ſolicitudine eſſet occupatus leui quapiam, non hac de nuptiis, quæ eſt grauiſſima.

VNQVAM VSVS VENIT. Opus aut neceſſe fuit.

AVRIBVS TENEO LVPVM. Græcum prouerbium, τῶν ὤτων ἔχω τὸν λύκον, οὔτ' ἔχειν οὔτ' ἀφεῖναι δύναμαι.

NE PARVM LENO SIES. ἔλλειψις. deeſt enim, *Vereris*?

AERE EMPTAM SVO. Bene *Suo*, quaſi de tertia perſona.

CONDVPLICAVERIT. Coniunctiuum pro indicatiuo, id eſt *Conduplicabit.* Hoc eſt aliter, *Fœneratum iſtuc beneficium pulchre tibi dices.*

FLENTEM, NIHIL FERENTEM. ὅμοιον τῷ γένει vſitatum veteribus.

TIBI QVIDEM OLIM EST DIES. Hic *Olim*, futuri temporis. Nam leno de accipienda ab adoleſcente pecunia diem conſtituerat : & inuenta meliori conditione, anticipauerat tempus cum adoleſcente præſcriptum.

IAM EA PRAETERIIT. Interrogatiue pronuntiandum.

NON, VERVM EI HAEC ANTECESSIT. Vrbane leno, *Hæc anteceſſit* : vt alij putant, meretrix vendita : vt alij, dies qua lenoni conſtitutum fuit. An aperte leno perfidus mentitur : vnde ſequitur, *Non pudet vanitatis*? Ergo plus eſt *Anteceſſit*, quàm *Præteriit.*

NON PVDET VANITATIS. Apparet ſuprà lenonem de perfidia anticipati temporis eſſe confeſſum.

MEA LEGE VTAR. Lenonia ſcilicet : in qua ſemper commodum eſt prius, quàm fides.

Actvs tertii Scena III.

PHAEDRIA. ANTIPHO. GETA.

QVID faciam? vnde ego nunc tam ſubitò huic argentum inueniam miſer,
Cui minus nihilo eſt? quòd hic ſi potuiſſet nunc exorarier
Triduum hoc, promiſſum fuerat. A. itáne hunc patiemur Geta
Fieri miſerum, qui me dudum, vt dixti, adiuuerit comiter?
Quin, quum opus eſt, beneficium rurſum ei experiamur reddere?
G. Scio equidem hoc eſſe aequom. A. age ergo, ſolus ſeruare hunc potes.
G. Quid faciam? A. inuenias argentum. G. cupio: ſet id vnde, edoce.
A. Pater adeſt hic. G. ſcio: ſet quid tum? A. ah, dictum ſapienti ſat eſt.
G. Itáne? A. ita. G. ſanè hercle pulchrè ſuades: etiam tu hinc abis?
Non triumpho, ex nuptijs tuis ſi nihil nanciſcor mali:
Ni etiam nunc me huius cauſa quaerere in malo iubeas crucem?
A. Verum hic dicit. PH. quid? ego vobis Geta alienus ſum? G. haut puto:
Set parúmne eſt, quòd omnibus nunc nobis ſuccenſet ſenex,
Ni inſtigemus etiam, vt nullus locus relinquatur preci?
PH. Alius ab oculis meis illam in ignotum hinc abducet locum? hem:
Tum igitur dum licet, dúmque adſum, loquimini mecum Antipho:
Contemplamini me. A. quamobrem? aut quidnam facturus, cedo?
PH. Quoquò hinc aſportabitur terrarum, certum eſt perſequi,
Aut perire. G. di bene vortant quod agas: pedetentim tamen.
A. Vide, ſi quid opis potes adferre huic. G. ſi quid! quid? A. quaere obſecro,
Ne quid plus minúſve faxit, quod nos pòſt pigeat Geta.
G. Quaero: ſaluos eſt, vt opinor: verùm enim metuo malum.
A. Noli metuere: vnà tecum bona, mala, tolerabimus.
G. Quantum opus eſt tibi argenti? loquere. PH. ſolae triginta minae.
G. Triginta! hui, percaraſt Phaedria. PH. iſtaec verò vilis eſt.
G. Age age, inuentas reddam. PH. ô lepidum caput. G. Aufer te hinc.

PH. iam opus eſt. G. iam feres:
Set opus eſt mihi Phormionem ad hanc rem adiutorem dari.
PH. Abi: dic praeſto vt ſit domi.
A. Praeſtoſt: audaciſſimè oneris quiduis impone, & feret:
SOLVS EST *homo amico amicus. G. eamus ergo ad eum ocius.*
A. Numquid eſt quod opera mea vobis opus ſit? G. nihil, verùm abi domum,
Et illam miſeram, quam ego nunc intus ſcio eſſe exanimatam metu,
Conſolare. ceſſas? A. nihil eſt, aequè quod faciam lubens.
PH. Qua via iſtuc facies? G. dicam in itinere: modò te hinc amoue.

QVID FACIAM. οἰκονομία ad futurum exitum comœdiæ.
MINVS NIHILO. ὑπερβολὴ.
ADIVVERIT. Secundum *v* pronuntiari debet. ADIVVERIT COMITER. *Comiter*, veteres dixerunt παρὰ τὸ κοσμος.
QVID FACIAM. Comiter, quamuis vterque intelligat quid alteruter dicat, diſſimulant tamen.
NI ETIAM NVNC ME HVIVS CAVSA QVAERERE IN MALO IVBEAS CRVCEM. Quaſi dicat, In malo aliud malum.
RELINQVATVR PRECI. Bene *Preci.*
PEDETENTIM. Caute. à pedibus & tentando. PEDETENTIM TAMEN. Hoc quidem ſic accipiunt, tanquam Getæ dicat Antipho, vt cautè aggrediatur ſenem fallere.
ISTAEC VERO VILIS EST. Amatorie.
SOLVS EST HOMO AMICO AMICVS. Apollodorus, μόνος ἐπίσταται φιλεῖν τοὺς φίλους.

ACTVS QVARTI SCENA I.

DEMIPHO. CHREMES.

QVID? qua profectus cauſa hinc es Lemnum Chremes,
Adduxtine tecum filiam? CH. non. D. quid ita non?
CH. Poſtquam videt me eius mater eſſe hic diutius,
Simul autem non manebat aetas virginis
Meam neclegentiam: ipſam cum omni familia
Ad me profectam eſſe aiebant. D. quid illic tam diu
Quaeſo igitur commorabare, vbi id audiueras?
CH. Pol me detinuit morbus. D. vnde? aut qui? CH. rogas?
SENECTVS IPSAST *morbus: ſet veniſſe eas*
Saluas audiui ex nauta, qui illas vexerat.

D. Quid gnato obtigerit me abſente, audiſtin Chreme?
CH. Quod quidem me factum, conſilij incertum facit:
Nam hanc conditionem ſi cui tulero extrario:
Quo pacto, aut unde mihi ſit, dicundum ordineſt.
Te mihi fidelem eſſe aequè, atque egomet ſum mihi,
Scibam: ille ſi me alienus adfinem volet,
Tacebit, dum intercedet familiaritas:
Sin ſpreuerit me, plus quàm opus eſt ſcito, ſciet.
Vereórque, ne vxor aliqua hoc reſciſcat mea.
Quod ſi fit: vt me excutiam, atque egrediar domo,
Id reſtat. nam ego meorum ſolus ſum meus.
D. Scio ita eſſe· & iſtaec mihi res ſolicitudiniſt:
Neque adeo defetiſcar vmquam experirier,
Donec tibi id, quod pollicitus ſum, effecero.

QVID? QVA PROFECTVS CAVSA. Hæc eſt narratio ſimplex.
SENECTVS IPSA EST MORBVS. Apollodorus, τὸ γῆρας ἐςὶν αὐτὸ νόσημα.
HANC CONDITIONEM SICVI TVLERO. κυριολογία. quia ferre conditionem alicui dicimus.
TE MIHI FIDELEM ESSE AEQVE. Mire admiſtum ante completam ſententiam de extraneo. *Te mihi fidelem eſſe*, &c. TACEBIT, DVM INTERCEDET FAMILIARITAS. Incertum, quando proditum iri ſe dicat, ante, an pòſt nuptias.
VT ME EXCVTIAM. Legitur &, *Excutiat.*
MEORVM SOLVS SVM MEVS. Apollodorus, ἐγὼ γάρ εἰμι μόνος τῶν ἐμῶν ἐμός.
DONEC TIBI ID, QVOD POLLICITVS SVM, EFFECERO. Virgilius,
——— *donec me flumine viuo Abluero.*

ACTVS QVARTI SCENA II.

GETA.

EGO hominem callidiorem vidi neminem,
Quàm Phormionem. venio ad hominem, vt dicerem
Argentum opus eſſe, & id quo pacto fieret.
Vix dum dimidium dixeram, intellexerat:
Gaudebat: me laudabat: quaerebat ſenem:
Dis gratias agebat, tempus ſibi dari,
Vbi Phaedriae ſe oſtenderet nihilo minus
Amicum eſſe, quàm Antiphoni. hominem ad forum
Iuſsi opperiri: eò me eſſe adducturum ſenem.
Set eccum ipſum. quis eſt vlterior? attat Phaedriae
Pater venit. ſet quid pertimui autem belua?

An quia, quos fallam, pro vno duo ſunt mihi dati?
Commodius eſſe opinor duplici ſpe vtier.
Petam hinc, vnde à primo inſtitui: is ſi dat, ſat eſt:
Si ab hoc nihil fiet, tum hunc adoriar hoſpitem.

VENIO AD HOMINEM. Venuſte repetitum *Hominem.*
HVNC ADORIAR HOSPITEM. Aſtute *Hoſpitem*, de eo qui ſuperuenit: nomen aptum imprudenti rerum, atque alieno ab earum ſcientia. Salluſtius, *Vitam ſicuti peregrinantes tranſegere*, &c.

ACTVS QVARTI SCENA III.

ANTIPHO. GETA. CHREMES.
DEMIPHO.

EXPECTO, quàm mox recipiat ſeſe Geta:
Set patruum video cum patre adſtantem: ei mihi,
Quàm timeo, aduentus huius quò inpellat patrem.
G. Adibo hoſce. ô noſter Chremes. CH. ſalue Geta.
G. Venire ſaluum volupeſt. CH. Credo. G. quid agitur?
CH. Multa aduenienti, vt fit, noua hîc compluria.
G. Ita, de Antiphone audiſtine quae facta? CH. omnia.
G. Tún dixeras huic, facinus indignum Chreme,
Sic circumiri? D. id cum hoc agebam commodum.
G. Nam hercle ego quoque id agitans mecum ſedulò,
Inueni, opinor, remedium huic rei. D. quid Geta?
Quod remedium? G. vt abij abs te, fit fortè obuiam
Mihi Phormio. CH. qui Phormio? G. is qui iſtam. CH. ſcio.
G. Viſum eſt mihi, vt eius temptarem ſententiam:
Prendo hominem ſolum. cur non, inquam, Phormio
Vides, inter vos ſic haec potius cum bona
Vt componantur gratia, quàm cum mala?
Erus liberalis eſt, & fugitans litium.
Nam caeteri quidem hercle amici omnes modò
Vno ore auctores fuere, vt praecipitem hanc daret.
A. Quid hic coeptat? aut quò euadet hodie? G. an legibus
Daturum poenas dices, ſi illam eiecerit?
Iam id exploratumſt: eia ſudabis ſatis,
Si cum illo incoeptas homine: ea eloquentia eſt.

Verum

Verùm pone eſſe victum eum, at tandem tamen
Non capitis eius res agitur, ſet pecuniae.
Poſtquam hominem his verbis ſentio mollirier:
Soli ſumus nunc hîc inquam, ehò dic quid velis dari
Tibi in manum, vt erus his deſiſtat litibus:
Haec hinc faceſſat, tu moleſtus ne ſies.
S. Satin' illi di ſunt propitij? G. nam ſat ſcio,
Si tu aliquam partem aequi boníque dixeris,
Vt eſt ille bonus vir, tria non commutabitis
Verba hodie inter vos. D. quis te iſtaec iuſsit loqui?
CH. Imò non potuit melius peruenirier
Eò, quò nos volumus. A. occidi. CH. perge eloqui.
G. A primo homo inſanibat. CH. cedò, quid poſtulat?
G. Quid? nimium quantum libuit. CH. dic. G. ſi quis daret
Talentum magnum. CH. imò malum hercle: vt nihil pudet!
G. Quod dixi adeò ei: quaeſo quid ſi filiam
Suam vnicam locaret? parui retulit
Non ſuſcepiſſe: inuenta eſt quae dotem petat.
Vt ad pauca redeam, ac mittam illius ineptias:
Haec denique eius fuit poſtrema oratio:
Ego, inquit, iam à principio amici filiam,
Ita vt aequum fuerat, volui vxorem ducere:
Nam mihi veniebat in mentem eius incommodum,
In ſeruitutem pauperem ad ditem dari:
Set mihi opus erat, vt apertè tibi nunc fabuler,
Aliquantulum quae adferret, qui diſſoluerem
Quae debeo. & etiam nunc, ſi volt Demipho
Dare, quantum ab hac accipio quae ſponſaſt mihi:
Nullum mihi malim, quàm iſtanc vxorem dari.
A. Vtrum ſtultitia facere ego hunc, an malitia,
Dicam: ſcientem, an inprudentem, incertus ſum.
D. Quid ſi animam debet? G. ager oppoſitus eſt pignori
Ob decem minas, inquit. D. age age iam ducat, dabo.
G. AEdiculae item ſunt ob decem alias. D. oi hui,
Nimiumſt. CH. ne clama: petito haſce à me decem.
G. Vxori emunda ancillulaſt: tum pluſcula
Supellectile opus eſt: opus eſt ſumptu ad nuptias:

His rebus ſanè, pone inquit, decem minas.
D. Sexcentas proinde ſcribito iam mihi dicas:
Nihil do: impuratus me ille vt etiam irrideat?
CH. Quaeſo, ego dabo, quieſce: tu modo filius
Fac vt illam ducat, nos quam volumus. A. ei mihi:
Geta occidiſti me tuis fallaciis.
CH. Mea cauſa eijcitur: me hoc eſt aequum amittere.
G. Quantum potes me certiorem, inquit, face:
Si illam dant, hanc vt mittam, ne incertus ſiem:
Nam illi mihi dotem iam conſtituerunt dare.
CH. Iam accipiat: illis repudium renuntiet,
Hanc ducat. D. quae quidem illis res vortat malè.
CH. Opportunè adeò nunc mecum argentum adtuli,
Fructum, quem Lemni vxoris reddunt praedia.
Id ſumam: vxori, tibi opus eſſe, dixero.

EXPECTO, QVAM MOX RECIPIAT HVC SESE GETA. Ad errorem cumulandum perſona Antiphonis interponitur: vt ei adaucto metu amittendæ vxoris, maior vis fiat repentinæ lætitiæ.

VOLVP EST. *Hoc Volup* nomen eſt, vt *hoc facul.* Sic enim veteres per ἀποκοπὴν loquebantur.

CREDO. Quia veteres, *hoc plure*, non *hoc plus* dicebant.

COMPLVRIA. Secundum regulam locutus eſt. nam *hoc Complure*, & *hae complu ia.* NOVA HIC COMPLVRIA. Sic veteres, quod noſtri dempta ſyllaba *complura* dicunt. Sic Cato Originum ſecundo; *Fana hoc loco compluria.* Cicero in Protagora, *Confirmandi genera compluria.*

COMMODVM. Commoda æſtimatio eſt temporis * Commodum, tantum quod. Lucilius, *Quod mihi commodum eſt, aut vna veſtimenta depoſueram.*

IN QVI ISTAM. ἀποσιώπησις tertia. deeſt *Obtruſit nobis*, aut *Defendit*, aut quid tale.

FVGITANS LITIVM Genitiuo caſui vim nominis habet *Fugitans* iunctum: accuſatiuo, vim tantum participij. FVGITANS LITIVM. Quaſi quod vult in domino facere, id iam in eo eſſe dicit præparans hominem ad contemptum pecuniæ quæ poſcetur ſtatim.

DARI TIBI IN MANVM. Datur ei in manum, qui ſeparatim accipit ſine arbitro, aut interprete: vt præuaricator, aut iudex corruptus.

HAEC HINC FACESSAT Pro *Hinc ſe faciat*, id eſt Abeat: vt, *Huc ſe faciat*, huc accedat, ſignificat. HAEC HINC FACESSAT. Pro *Cedat.* aliàs *Faciat.* Ergo duas res ſignificat hoc vnum verbum. An *hinc faceſſat*, prouerbialiter, quaſi *hinc faciat* Plautus, *Argentum hinc facite. Huc te fac* dicitur, pro *Huc accede.*

ALIQVAM PARTEM. Et ſi non *Totum*, vel aliquam partem.

TRIA NON COMMVTABITIS VERBA HODIE INTER VOS. Sic dicebant, iurgium ſignificantes. Proprie *Verba commutare* eſt, quod *altercari* dicimus.

QVID? NIMIVM QVANTVM LIBVIT. Apud quoſdam diuerſæ perſonæ cum verbis ſingulis.

RARVI RETVLIT. Nihil interfuit: vel parum interfuit, id eſt nihil profuit.

NON SVSCEPISSE: INVENTA EST QVAE DOTEM PETAT. In Græca fabula ſenex hoc dicit Quid intereſt me non ſuſcepiſſe filiam, ſi modo dos dabitur alienæ?

SET MIHI, παρένθεσις prima. SET MIHI OPVS ERAT. Indictio doli eſt. nã antequàm

petat, petendi cauſam ingerit.

QVAE ADFERRET, QVI DISSOLVEREM. Quia, ſi opum cauſa habendarum dotatam quæreret, minor eſſet neceſſitas captandæ opulentioris. AEs alienum addidit, cui rei nihil opponi poteſt.

AB HAC ACCIPIO QVAE SPONSA EST MIHI. Mire *Accipio*: non *Accepturus ſum.* Et Definitiuum modum ponit, ne de ſumma dotis ſuperſit diſputatio.

VTRVM STVLTITIA FACERE. περίλογον tertium. hoc idem enim valet *Vtrum*, quod *An.*

SCIENTEM, AN IMPRVDENTEM. ἀντίθετον ſecundum. nam ſcienti imprudentem reddidit.

QVID SI ANIMAM DEBET? Græcum prouerbium, καὶ αὐτὴν τὴν ψυχὴν ὀφείλει.

AGER OPPOSITVS EST PIGNORI OB DECEM MINAS. Aſtute non protinus *Triginta minas* dixit, ſed paulatim colligit, vt partibus congeſtis in ſumma ſenex minus grauetur. nam ſi ſemel diceret, deterreret parciſſimum ſenem. Denique auditis decem minis ſtatim reſpondet *Dabo*. conceduntur ab alio decem. de reliquis ſupereſt dubitatio. nam difficilis eſt ad dandum.

SVMPTV AD NVPTIAS. *Opus eſt*, ſubauditur.

PONE SANE, INQVIT, DECEM MINAS. Bene *Sanè*: quaſi plus quiddam exigat, ſed hoc contentus ſit.

SEXCENTAS PROINDE SCRIBITO IAM MIHI DICAS. Perſpicere hinc licet conſuetudinem vtriuſque ſermonis. nam Apollodorus μυρίας dixit, pro multis. Et vt apud Græcos μυρία, ita apud nos *Sexcenta* dicere pro *Multa*, vſitatum eſt. Cicero, *Sexcenta poſſum decreta proferre.*

MEA CAVSA EICITVR: ME HOC AEQVVM EST AMITTERE. Ratio cur ipſe viginti dare debeat minas, dante Demiphone decem.

QVANTVM POTES, ME CERTIOREM. Feſtinat Geta: ſcit enim dixiſſe lenonem, *Mea lege vtar, vt potior ſit qui prior ad dandum eſt.*

QVAE QVIDEM ILLI RES VORTAT MALE. Non deſinit poeta oſtendere auaritiam Demiphonis, qui non ideo libenter fert dari aliquid Phormioni, quia ſic commodum ei eſt. Virgilius, *Hos illi, quod nec bene vertat, mittimus hædos.*

ARGENTVM MECVM ADTVLI. Comicum argentum præſto eſt: & cauſa additur cur præſto, & vnde ſit. ſimul iracundiæ vxoris, & iurgio præparatur locus.

FRVCTVM QVEM LEMNI, &c. Et *Lemni*, & *Lemno* legitur.

REDDVNT PRAEDIA. χρῆμα ἐπεξήγησις. Et proprie de fructu, *reddunt.*

ID SVMAM. Non fructum, ſed argentum. ID SVMAM. Impendam. vnde & *Sumptus* dictus.

VXORI TIBI OPVS ESSE DIXERO. Bene *Eſſe*, non *Fuiſſe*: ne iam reperiendum videretur.

OPVS ESSE DIXERO. Adiunctiuum, pro pronuntiatiuo. vt in Eunucho, *Perculeris iam tu me.*

ACTVS QVARTI SCENA IIII.

ANTIPHO. GETA.

GETA. G. hem. A. quid egiſti? G. emunxi argento ſenes.

A. Satin' id eſt? G. neſcio hercle: tantum iuſſus ſum.

A. Eho verbero, aliud mihi reſpondes ac rogo?

G. Quid ergo narras? A. quid ego narrem! opera tua:

Ad reſtim mihi quidem res rediit planiſſume:

Vt te quidem omnes di, deaeque, ſuperi, inferi,
Malis exemplis perdant: em, ſi quid velis,
Huic mandes, quod quidem rectè curatum velis.
Quid minus vtibile fuit, quàm hoc vlcus tangere,
Aut nominare vxorem? iniecta eſt ſpes patri
Poſſe illam extrudi: cedò nunc porrò, Phormio
Dotem ſi accipiet, vxor ducenda eſt domum:
Quid fiet? G. non enim ducet. A. noui: ceterùm
Quum argentum repetent, noſtra cauſa ſcilicet
In neruom potius ibit. G. NIHIL EST *Antipho,*
Quin malè narrando poſſit deprauarier.
Tu id quod boni eſt excerpis: dicis quod mali eſt.
Audi nunc contrà iam: ſi argentum acceperit,
Ducenda eſt vxor, vt ais: concedo tibi.
Spatium quidem tandem apparandis nuptijs,
Vocandi, ſacrificandi dabitur paululum:
Interea amici quod polliciti ſunt dabunt.
Id iſtu reddet. A quamobrem, aut quid dicet? G. rogas?
Quot res? poſtilla monſtra euenerunt mihi,
Introijt in aedis ater alienus canis,
Anguis per inpluuium decidit de tegulis,
Gallina cecinit: interdixit hariolus;
Aruſpex vetuit ante brumam autem quid noui
Negotij incipere. quae cauſaſt iuſtiſsima.
Haec fient. A. vt modò fiant. G. fient: me vide.
Pater exit: abi, dic eſſe argentum Phaedriae.

EMVNXI ARGENTO SENES. Mire: quum econtrario dicatur *emunctus homo*, elegans & facetus. vt Horatius de Lucilio, *Emunctæ naris* inquit.

SATIN' ID EST. Hoc eſt, ſatne tibi videtur ſatis eſſe ad miſerias meas? An quaſi εἰρωνικῶς dicit, vt dicere ſolemus, *Bene habet nunc*: aut *Feciſti certe quod debuiſti*. Ideo autem ſub ambigue locutus eſt, vt nequaquam poſſet aliter interſptetari à Geta. qui ſeſpondebit *Neſcio hercle: tantum iuſſus ſum.*

VLCVS TANGERE. Prouerbiale: non εἰρωνικῶς dixit.

IN NERVVM POTIVS IBIT. Decipiet: à prouerbio tracto à ſagittariis: quum vis, conatúſque tendentis arcum, non in volatum teli, ſed in ruptionem nerui expectatur.

TV ID QVOD BONI EST EXCERPIS Honeſte *Excerpis* dixit. & attende quemadmodum dicat *Excerpi bona*, quibus non vtatur.

GALLINA CECINIT. Obſeruatum eſt, in qua domo gallina canat, ſuperiorem marito eſſe vxorem.

INTERDIXIT HARIOLVS. *Hariolus* eſt, qui diuina mente vaticinatur. Dictus *hariolus* quaſi *fariolus*, à fatis & à fando. quum F pro H, & item H pro F, in multis locutionibus

ponatur. An quod imitantur aſpirationem in exalando? nam halitu ſolent excludere velut mortalem animam, vt diuinam recipiant. vnde & vocem eiuſmodi dabant, quæ eſt OB: quod OB ſonus exhalandi vim præſtat.

HARVSPEX VETVIT. *Haruſpex*, ab haruga nominatur. nam *haruga* dicitur hoſtia, ab hara in qua concluditur & ſeruatur. *hara* autem eſt, in qua pecora includuntur. Plautus, *Ruſticus hircus, hara*, Moſtellaria.

ANTE BRVMAM. Arte irriſit homines Terentius, quibus religio ſit aggredi negotium aliquod diebus decreſcentibus. ANTE BRVMAM. Quòd ante brumam dies decreſcere incipiant.

FIENT ME VIDE. Reſpice, id eſt vultus mei fiduciam gere: ſiquidem quia nullum periculum eſt. Sic Græci, nam aliter Latini, ME VIDE. Quia in iure præmittit, & interponit ſuam fidem: quod nos dicimus, *Me habes*. VIDE. Reſpice.

ACTVS QVARTI SCENA V.

DEMIPHO. GETA. CHREMES.

QVIETVS eſto inquam: ego curabo, ne quid verborum duit:
Hoc temere numquam amittam ego à me, quin mihi teſtis adhibeam
Quum dem: & quamobrem dem, commemorabo. G. vt cautus eſt, vbi nihil opus ſt!
CH. Atque ita opus facto eſt. at matura, dum libido eadem haec manet:
Nam ſi altera illa magis inſtabit, forſitan nos reijciat.
G. Rem ipſam putaſti. D. duc me ad eum ergo. G. non moror. CH. vbi hoc egeris.
Tranſito ad vxorem, meam vt conueniat hanc prius, quàm hinc abeat:
Dicat eam dare nos Phormioni nuptum, ne ſuſcenſeat:
Et magis eſſe illum idoneum, qui ipſi ſit familiarior:
Nos noſtro officio nihil digreſſos: quantum is voluerit
Datum eſſe dotis. D. quid tua, malùm, id refert? CH. magni Demipho.
D. Non ſat tuum te officium feciſſe, ſi non id fama approbat?
CH. Volo ipſius quoque voluntate hoc fieri, ne ſe eiectam praedicet.
D. Idem ego iſtuc facere poſſum. CH. mulier mulieri magis congruit.
D. Rogabo. CH. vbi illas nunc ego reperire poſsim, cogito.

QVIETVS ESTO INQVAM: EGO CVRABO. *Quietus*, id eſt ſecurus. ab eo quod præcedit, id quod ſequitur.

VT CAVTVS EST, VBI NIHIL OPVS EST. Conſulit, inquit, quemadmodum detur, vbi omnino dare non debuerit: ſiquidem argentum Phædriæ detur ſub nomine Phormionis.

DVM LIBIDO EADEM HAEC MANET. Bene *Libidinem* poſuit pro voluntate hominis incerti ac leuis.

FORSITAN NOS REIICIAT. Mulierem ſcilicet. An vere *nos*, id eſt negotium noſtrum & conditionem?

REM IPSAM PVTASTI. Pro Diſputaſti modo.

QVID TVA, MALVM, ID REFERT. *Malùm*, interiectio. & eſt ordo, Quid tua id refert? MAGNI DEMIPHO. Nota reſponſum contra *Quid refert*, non ad *Quid* relatum. Et quære quomodo dicatur, *Quid mea, quid tua*. an deeſt *ad*: vt ſit, *Ad mea*, aut *ad tua*? ILLAS REPERIRE. Filiam & vxorem.

ACTVS QVINTI SCENA I.

SOPHRONA. CHREMES.

QVID agam? quem mihi amicum inueniam miſera? aut cui conſilia hæc referam?
Aut vnde auxilium petam?
Nam vereor, era ne ob meum ſuaſum indignè iniuria adficiatur:
Ita patrem adoleſcentis facta hæc tolerare audio violenter.
CH. Nam quae haec anus eſt exanimata, à fratre quae egreſſa'ſt meo?
S. Quod vt facerem, egeſtas me inpulit: quum ſcirem infirmas nuptias
Haſce eſſe, vt id conſulerem, interea vita vt in tuto foret.
CH. Certò aedepol, niſi me animus fallit, aut parum oculi proſpiciunt,
Meae nutricem gnatae video. S. neque ille inueſtigatur. CH. quid agam?
S. Qui eſt eius pater. CH. adeo? maneo? dum ea, quae loquitur, magis cognoſco?
S. Quòd ſi eum nunc reperire poſsim, nihil eſt quod verear. CH. ea'ſt ipſa:
Conloquar. S. quis hic loquitur? CH. Sophrona. S. & meum nomen nominat?
CH. Reſpice ad me. S. di obſecro vos: éſtne hic Stilpho? CH. non. S. negas?
CH. Concede hinc à foribus paululum iſtorſum ſodes Sophrona:
Ne me iſtoc poſthac nomine appellaſsis. S. quid? non obſecro es,
Quem ſemper te eſſe dictitaſti? CH. ſt. S. quid has metuis fores?
CH. Concluſam hîc habeo vxorem ſaeuam: verum iſtoc de nomine
Eò perperam olim dixi, ne vos forte inprudentes foris
Effutiretis: atque id porrò aliquà vxor mea reſciſceret.

S. Iſtoc pol nos te hic inuenire miſerae numquam potuimus.
CH. Eho dic mihi, quid rei tibi eſt cum familia hac, vnde exis?
Vbi illae ſunt? S. miſeram me. CH. hem, quid eſt? viuúntne? S. viuit gnata:
Matrem ipſam ex aegritudine miſeram mors conſecuta eſt.
CH. Male factum. S. ego autem, quae eſſem anus deſerta, egens, ignota,
Vt potui, nuptum virginem locaui huic adoleſcenti,
Harum qui eſt dominus aedium. CH. Antiphonine? S. hem, illi ipſi.
CH. Quid! duaſne is vxores habet. S. au obſecro, vnam ille quidem hanc ſolam.
CH. Quid illam alteram, quae dicitur cognata? S. haec ergo eſt. CH. quid ais?
S. Compoſitò factumſt, quo modo hanc amans habere poſſet
Sine dote. CH. di voſtram fidem, quàm ſaepe fortè temerè
Eueniunt, quae non audeas optare! offendi aduenient,
Quicum volebam, atque vt volebam, collocatam filiam:
Quod nos ambo opere maximo dabamus operam, vt fieret:
Sine noſtra cura maxuma ſua cura haec ſola fecit.
S. Nunc quid opus facto ſit, vide: pater adoleſcentis venit:
Eúmque animo iniquo hoc oppidò ferre aiunt. CH. nihil pericliſt.
Set per deos atque homines meam eſſe hanc, caue reſciſcat quiſquam.
S. Nemo ex me ſcibit. CH. ſequere me; intus cetera audies.

AVDIO VIOLENTER. Quod Græci dicunt βιαίως.
ANAM QVAE HAEC EST ANVS, ἀναστροφή: vt *Nam quis te iuuenum confidentiſſime.* Sed figura hæc apta commotis eſt aliqua re noua.
A FRATRE. Pro, A domo fratris. vt, —— *iam proximus ardet Vcalegon.*
EGESTAS ME INPVLIT. Venalis ſtatus.
INTEREA VITA VT IN TVTO FORET. Compenſatiua qualitas.
NISI ME ANIMVS FALLIT, AVT PARVM OCVLI PROSPICIVNT. Docte Terentius, nam viſa, vel corporis, vel animi ſunt: hoc eſt rationis, vel ſenſus.
MEVM NOMEN. Mire ſuum nomen illa agnoſcit: hic diſſimulat.
PAVLVLVM ISTORSVM. Nunc *iſtorſum* aduerbium eſt loci: alias nomen.
QVEM SEMPER TE ESSE DICTITASTI. *Eſſe* pro nominari, antiquorum more dixit.
CONCLVSAM HIC HABEO VXOREM SAEVAM. Illaturus *Saeuam*, bene *Concluſam* prætulit: vt ſi diceret, feram.
EFFVTIRETIS. Eloqueremini, euacuaretis, exinaniretis. *Effutiretis* ab eo quod eſt effunderet. Tranſlatio eſt à vaſe, *futili* nomine: quod patulo ore, fundo acuto inſtabile, nihil prorſus continet. vnde *futilis* dicitur eiuſmodi, vt nihil intra ſe contineat, & ſemper inanis ſit.
EX AEGRITVDINE. Infirmitate ac morbo. EX AEGRITVDINE MISERAM MORS CONSECVTA EST. Bene moderatus eſt, vt neque nimis ægrè ferat, neque rurſum ſtultè

ſit. Et hæc eſt διχονομία, ne in eadem vrbe duæ vxores plus mali ex ſolicitudine afferant Chremeti, quàm ex alterius morte triſtitiæ. Neque in comœdia poſſunt nimis miſerabiles mortes eſſe, ne res in tragœdiam tranſeat.

DESERTA, EGENS, IGNOTA. Singula pronuntianda ſunt. argumenta enim hæc ad venialem ſtatum proferuntur.

COMPOSITO FACTVM EST. Sic veteres: nos, *Ex compoſito.* vt, *Compoſitò rumpit vocem, & me deſtinat aræ.*

QVAE NON AVDEAS OPTARE. Pro, Quæ non audeat quis. vt, *Facile pro eunucho probes.*

OFFENDI ADVENIENS. Pro quum aduenissem. vt, *Ipſe nemus linquens patrium ſedéque arua Latinum.* Quia Latina lingua deficit hac declinatione.

HAEC SOLA FECIT. Si *Hic* legerimus, Antiphonem intelligimus: ſi *hac*, Sophronam.

SET PER DEOS. Adiurationis genus eſt.

ACTVS QVINTI SCENA II.

DEMIPHO. GETA.

NOSTRAPTE culpa facimus, vt malos expediat eſſe,
Dum nimium dici nos bonos ſtudemus & benignos:
Ita fugias, NE PRAETER CASAM, *quod aiunt: nónne id ſat erat,*
Accipere ab illo iniuriam? etiam argentumſt vltrò obiectum,
Vt ſit qui viuat, dum aliud aliquid flagitij conficiat.
G. Planiſſume. D. HIIS NVNC PRAEMIVM EST *qui recta praua faciunt.*
G. Veriſſume. D. vt ſtultiſsimè quidem illi rem geſſerimus.
G. Modò vt hoc conſilio poſsiet diſcedi, vt iſtam ducat.
D. Etiámne id dubiumſt? G. haut ſcio hercle, vt homoſt, an mutet animum:
D. Hem, mutet autem? G. neſcio: verùm, ſi fortè, dico.
D. Ita faciam, vt frater cenſuit: vt vxorem eius huc adducam,
Cum iſta vt loquatur. tu Geta abi prae: nuntia hanc venturam.
G. Argentum inuentumſt Phaedriae: de iurgio ſiletur:
Prouiſum eſt ne in praeſentia haec hinc abeat: quid nunc porrò,
Quid fiet? in eodem luto haeſitas: vorſuram ſolues
Geta. praeſens quod fuerat malum, in diem abijt: plagae creſcunt,
Niſi proſpicis. nunc hinc domum ibo, ac Phanium edocebo,
Ne quid vereatur Phormionem, aut eius orationem.

ITA FVGIAS, NE PRAETER CASAM. Prouerbium, *Ita fugito, ne praeter caſam.* Hoc eſt, ne prætereas caſam tuam, quæ ſit tibi tutiſſimum receptaculum. Aut ita fugias, ne præter caſam: vbi cuſtodiri magis, & prehendi fur, & mulctari verberibus poteſt. Aut verbum erat ipſius cuſtodis furem exagitantis, & interea prohibentis, ne ante caſam: tran-

ſeat

ne in prætereundò etiam inde aliquid rapiat. Quæritur ſenex ſe, dum anati infamiam fugeret, in ſtulti reprehenſionem incidiſſe.

DVM ALIVD ALIQVID. Vetuſte.

MODO VT HOC CONSILIO POSSIT DISCEDI, VT ISTAM DVCAT. Ne pœniteat dominum pecuniam dediſſe, terrorem ſeruus iniecit.

VORSVRAM SOLVIS. Creditorem mutas. VORSVRAM SOLVIS. *Vorſuram facere* dicitur, qui æs alienum ex ære alieno ſoluit. Dicitur etiam *Vorſuram facere*, cum minore fœnore acceptam quis pecuniam maiore occupat.

PRAESENS QVOD FVERAT MALVM IN DIEM ABIIT. ὑποφορά. PLAGAE CRESCVNT. ἀνθυποφορά.

ACTVS QVINTI SCENA III.

DEMIPHO. NAVSISTRATA. CHREMES.

AGEDVM, vt ſoles Nauſiſtrata, fac illi vt placetur nobis:
Vt ſua voluntate, id quod eſt faciundum, faciat. N. faciam.
D. Pariter nunc opera me adiuuas, ac dudum re opitulata es.
N. Factum volo: ac pol minus queo viri culpa, quàm me dignumſt.
D. Quid autem? N. quia pol mei patris bene parta indiligenter
Tutatur: nam ex his praedijs talenta argenti bina
Statim capiebat: hem, vir viro quid praeſtat? D. binan quaeſo?
N. Ac rebus vilioribus multò, tamen talenta bina. D. hui.
N. Quid haec videntur? D. ſcilicet. N. virum me natam vellem:
Ego oſtenderem. D. certò ſcio. N. quo pacto? D. parce ſodes,
Vt poſsis cum illa: ne te adoleſcens mulier defetiget.
N. Faciam, vt iubes: ſet meum virum abs te exire video. CH. hem, Demipho,
Iam illi datum eſt argentum? D. curaui ilico. CH. nollem datum:
Ei, video vxorem: penè plus quàm ſat erat. D. cur nolles Chreme?
CH. Iam rectè. D. quid tu? ecquid locutus cum iſta es, quamobrem hanc ducimus?
CH. Tranſegi. D. quid ait tandem? CH. abduci non poteſt. D. qui non poteſt?
C. Quia vterque vtrique eſt cordi. D. quid iſtuç noſtra? C. magni: praeter haec,
Cognatam comperi eſſe nobis. D. quid? deliras? CH. ſic erit:
Non temere dico: redi mecum in memoriam. D. ſatin ſanus es?

ACTVS QVINTI SCENA IIII.

ANTIPHO.

LAETVS ſum, vt meae res ſeſe habent, fratri obtigiſſe quod volt.
Quam ſcitumſt eiuſmodi parare in animo cupiditates;
Quas, quum res aduerſae ſient, paulo mederi poſsis!
Hic ſimul argentum reperit, cura ſeſe expediuit:
Ego nullo poſſum remedio me euoluere ex his turbis,
Quin ſi hoc celetur, in metu: ſin pateſit, in probro ſiem.
Neque me domum nunc reciperem, ni mihi eſſet ſpes oſtenſa
Huiusce habendae. ſet vbinam Getam inuenire poſſum,
Vt rogem, quod tempus conueniundi patris me capere iubeat?

LAETVS SVM. Antiphonis perſona eſt.
PARARE ANIMO. Venuſte additum eſt, *Animo.* Ennius in ſexto, *Sed quid ego hic animo lamentor?*
QVVM RES ADVERSAE SIENT. Quum deſideratæ fuerint. id eſt, quum harum penuria fuerit. IN PROBRO SIEM. Apud patrem ſcilicet.
SI HOC CELETVR, IN METV. ἀνακόλουθον quartum. Nam quum præpoſuiſſet *ſi hoc celetur*, intulit, *ſin pateſit.*

ACTVS QVINTI SCENA V.

PHORMIO. ANTIPHO.

ARGENTVM accepi: tradidi lenoni: abduxi mulierem:
Curaui, propria ea Phaedria vt potiretur: nam emiſſa eſt manu.
Nunc vna mihi res etiam reſtat, quae eſt conficiunda; otium
Ab ſenibus ad potandum vt habeam: nam aliquot hos ſumam dies.
A. Set Phormioſt. quid ais? PHO. Quid? A. quidnam nunc facturus Phaedria?
Quo pacto ſatietatem amoris ait ſe velle abſumere?
P. Vicisſim partis tuas acturus eſt. A. quas? PH. vt fugitet patrem:
Te ſuam rogauit rurſum vt ageres: cauſam vt pro ſe diceres.

Nam potaturus eſt apud me: ego me ire ſenibus Sunium
Dicam ad mercatum, ancillulam emptum, quam dudum dixit Geta:
Ne, quum hîc non videant me, conficere credant argentum ſuum.
Set oſtium concrepuit abs te. A. *vide quis egrediatur.* PHO. *Geta eſt.*

ARGENTVM ACCEPI. Iactantia hîc inducitur Phormionis: qui in omni ſcena prout in ſe iactatur, inſultat.

PROPTEREA PHAEDRIA. Virgilius,

Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo.

VICISSIM PARTES TVAS ACTVRVS EST. Secundum illud quod dictum eſt, *Tradunt operas mutuas.*

TE SVAM ROGAVIT RVRSVM VT AGERES. *Partem* iterum ſubaudiamus. & eſt ζεῦγμα à ſuperiore. SENIBVS. Ob fallaciam mire exultat.

ACTVS QVINTI SCENA VI.

GETA. ANTIPHO. PHORMIO.

O FORTVNA, ô fors fortuna, quantis commoditatibus,
Quàm ſubitò meo ero Antiphoni ope veſtra hunc oneraſtis diem!
A. *Quidnam hic ſibi volt?* G. *nóſque amicos eius exoneraſtis metu.*
Set ego nunc mihi ceſſo, qui non humerum hunc onero pallio:
Atque hominem properò inuenire: vt haec quae contigerint, ſciat?
A. *Num tu intellegis hic quid narret?* PHO. *num tu?* A. *nihil.*
PHO. *tantundem ego.*
G. *Ad lenonem hinc ire pergam: ibi nunc ſunt.* A. *heus Geta.*
G. *em tibi:*
Num mirum, aut nouom eſt reuocari, curſum quum inſtitueris?
A. *Geta.*
G. *Pergit hercle: nunquam tu odio tuo me vinces.* A. *non manes?*
G. *Vapula.* A. *id quidem tibi iam fiet, niſi reſiſtis, verbero.*
G. *Familiariorem oportet eſſe hunc, qui minitatur malum.*
Set iſne eſt quem quaero, an non? ipſuſt. PHO. *congredere actutum.*
A. *quid eſt?*
G. *Omnium, quantum eſt, qui viuant homo hominum ornatiſsime:*
Nam ſine controuerſia ab dis ſolus diligere Antipho,

A. Ita velim: ſet qui iſtuc credam ita eſſe, dici mihi velim.
G. Satin eſt, ſi te delibutum gaudio reddo? A. enitas.
PHO. Quin tu hinc pollicitationes aufer: & quod fers, cedò. G. oh,
Tu quoque aderas Phormio? PHO. aderam: ſet tu ceſſas? G. accipe, em
Vt modò argentum tibi dedimus aput forum, recta domum
Sumus profecti: interea mittit erus me ad vxorem tuam.
A. Quamobrem? G. omitto proloqui: nam nihil ad hanc rem eſt Antipho.
Vbi in gynaeceum ire occipio, puer ad me accurrit Mida:
Ponè apprehendit pallio: reſupinat. reſpicio: rogo
Quomobrem retineat me. ait eſſe vetitum intrò ad eram accedere.
Sophrona modo fratrem huc, inquit, ſenis introduxit Chremem,
Eúmque nunc eſſe intus cum illis. hoc vbi ego audiui, ad fores
Suſpenſo gradu placidè ire perrexi. acceſsi: aſtiti:
Animam compreſsi: aurem admoui: ita animum coepi adtendere,
Hoc modo ſermonem captans. A. eu Geta. G. hic pulcherrimum
Facinus audiui: itaque penè hercle exclamaui gaudio.
A. Quod? G. quodnam arbitrare? A. neſcio. G. atqui mirificiſſimum:
Patruus tuus pater eſt inuentus Phanio vxori tuae. A. hem.
Quid ais? G. cum eius conſueuit olim matre in Lemno clanculum.
PHO. Somnium: vtin haec ignoraret ſuum patrem? G. aliquid credito
Phormio eſſe cauſae: ſet me cenſen potuiſſe omnia
Intelligere extra oſtium, intus quae inter ſeſe ipſi egerint?
PHO. Atque hercle ego quoque illam audiui fabulam. G. immò etiam dabo,
Quo magis credas. patruus interea inde huc egreditur foras:
Haut multò poſt cum patre idem recipit ſe intrò denuo:
Ait vterque tibi poteſtatem eius habendae dare:
Denique ego miſſus ſum, te vt requirerem, atque adducerem.
A. Quin ergo rape me: quid ceſſas? G. fecero. A. ô mi Phormio
Vale. PHO. vale Antipho: benè, ita me di ament, factum: gaudeo.
Tantam fortunam de inprouiſo eſſe his datam!
Summa eludendi occaſio eſt mihi nunc ſenes,
Et Phaedriae curam adimere argentariam,

Ne cuiquam ſuorum aequalium ſupplex ſiet.
Nam idem hoc argentum, ita vt datumſt eſt, ingratijs
Hic datum erit: hoc qui cogam, re ipſa repperi.
Nunc geſtus mihi, voltúſque eſt capiun'us nouus.
Set hinc concedam in angiportum hoc proximum:
Inde hiſce oſtendam me, vbi erunt egreſsi foras.
Quò me inſimularam ire ad mercatum, non eo.

O FORS FORTVNA. *Fortuna* dicta eſt incerta res: *fors fortuna*, euentus fortunæ bonus. O FORS FORTVNA. Aliud *Fortuna* eſt, aliud *Fors fortuna*. nam Fors fortuna, eſt cuius diem feſtum colunt, qui ſine arte aliqua viuunt. huius ædes trans Tyberim eſt.

HVNC ONERO PALLIO. Recte: quia palliata fabula eſt, non togata.

PERGIT HERCLE Poteſt diſtingui hîc, *Pergit*: & coniunctè legi, *Hercle tu nunquam odio tuo me vinces.*

ID TIBI QVIDEM IAM FIET Id quod ſordidi audiuit, minitatur. Et eſt conueniens error feſtinanti SINE CONTROVERSIA Sine ambiguitate.

SI TE DELIBVTVM GAVDIO REDDO? Ad animum tranſtulit, quod eſt corporis. Nam delibutus, vnctus dicitur.

VT MODÒ ARGENTVM. Vide narrationem cœptam vnde opus eſt.

MITTIT HERVS ME AD VXOREM TVAM. Conuerſus ad Antiphonem hoc dicit.

PVLCHERRIMVM FACINVS AVDIVI. Huiuſmodi locos poetæ actoribus indulgent, quòd in his actoris eſt commendatio.

PATRVVS TVVS EST PATER INVENTVS PHANIO VXORI TVAE. Vt Salluſtius in primo, *Liberis eius auunculus erat.*

ATQVE HERCLE EGO QVOQVE ILLAM INAVDIVI FABVLAM Plautus in Milite glorioſo, *Nam hoc cognomentum poeta eſſe inaudiui barbaro.* CVRAM ADIMERE ARGENTARIAM. Varie, pro adimendi occaſio eſt.

ACTVS QVINTI SCENA VII.

DEMIPHO. PHORMIO. CHREMES.

DIS magnas meritò gratias habeo, atque ago:
Quando euenere haec nobis frater proſperè.
Quantum poteſt, nunc conueniundus Phormio eſt,
Priusquam dilapidat noſtras triginta minas,
Vt auferamus. PHO. *Demiphonem, ſi domi eſt,*
Viſam, vt quod. D. *at nos ad te ibamus Phormio.*
PHO. *De eadem hac fortaſſe cauſa?* D. *ita hercle.* PHO. *credidi:*
Quid ad me ibatis? ridiculum. verebamini,
Ne non id facerem, quod recepiſſem ſemel?
Heus heus, quanta haec mea paupertas eſt, tamen
Adhuc curaui vnum hoc quidem, vt mihi eſſet fides.
CH. *Eſtne ea ita, vt dixi, liberalis?* D. *oppidò.*

PHO. Itaque ad vos venio nuntiatum Demipho,
Paratum me eſſe: ubi voltis, uxorem date.
Nam omnis poſthabui mihi res, ita uti par fuit,
Poſtquam tantopere id vos velle animaduerterem.
D. At hic dehortatus eſt me, ne illam tibi darem.
Nam qui erit rumor populi, inquit, ſi id feceris?
Olim quum honeſtè potuit, tuum non eſt data:
Nunc viduam extrudi turpeſt. fermè eadem omnia,
Quae tute dudum coràm me incuſaueras.
PHO. Satin ſuperbè illuditis me? D. qui? PHO. rogas?
Quia ne alteram quidem illam potero ducere:
Nam quo redibo ore ad eam, quam contempſerim?
CH. Tum autem Antiphonem video ab ſe amittere
Inuitum eam: inque. D. tum autem video filium
Inuitum ſanè mulierem ab ſe amittere.
Set tranſi ſodes ad forum, atque illud mihi
Argentum rurſum iube reſcribi Phormio.
PHO. Quod? ne ego perſcripſi porrò illis quibus debui.
D. Quid igitur fiet? PHO. ſi vis mihi uxorem dare
Quam deſpondiſti, ducam: ſin eſt ut velis
Manere illam apud te, dos hic is maneat Demipho.
Nam non eſt aequom me propter vos decipi:
Quum ego veſtri honoris cauſa repudium alteri
Remiſerim, quae dotis tantundem dabat.
D. I hinc in malam rem cum iſtac magnificentia
Fugitiue: etiam nunc credis te ignorarier,
Aut tua facta adeò? PHO. irritor. D. tune hanc duceres,
Si tibi data eſſet? PHO. fac periculum. D. ut filius
Cum illa habitet apud te: hoc veſtrum conſilium fuit.
PHO. Quaeſo quid narras? D. quin tu mihi argentum cedo.
PHO. Imò verò uxorem tu cedo. D. in ius ambula.
PHO. In ius? enimuero ſi porrò eſſe odioſi pergitis.
D. Quid facies? PHO. egóne? vos me indotatis modò
Patrocinari fortaſſe arbitramini:
Etiam dotatis ſoleo. CH. qui id noſtra? PHO. nihil:
Hic quandam noram, cuius vir uxorem CH. hem. D. quid eſt?
PHO. Lemni habuit aliam. CH. nullus ſum. PHO. ex qua filiam

Suſcepit: & eam clàm educat. CH. ſepultus ſum.
PHO. Haec adeò ego illi iam denarrabo. CH. obſecro:
Ne facias. PHO. oh túne is eras? D. vt ludos facit!
CH. Miſſum te facimus. PHO. fabulae. CH. quid vis tibi?
Argentum quod habes condonamus te. PHO. audio.
Quid vos, malùm, ergò me ſic ludificamini
Inepti veſtra puerili ſententia?
Nolo, volo: volo, nolò rurſum: cape, cedo.
Quod dictum, indictumſt: quod modò erat ratum, irritum eſt.
CH. Quo pacto, aut vnde haec hic reſciuit? D. neſcio.
Niſi me dixiſſe nemini id certò ſcio.
CH. Monſtri, ita me di ament, ſimile. PHO. inieci ſcrupulum.
D. hem,
Hicine vt à nobis hoc tantum argenti auferat,
Tam apertè irridens? emori hercle ſatius eſt:
Animo virili praeſentique vt ſis, para:
Vides peccatum tuum eſſe delatum foras,
Neque iam id celare poſſe te vxorem tuam:
Nunc quod ipſa ex aliis audituraſt Chreme,
Id noſmet indicare placabilius eſt:
Tum hunc inpuratum poterimus noſtro modo
Vlciſci. PHO. attat, niſi mihi proſpicio, haereo:
Hi gladiatorio animo ad me adfectant viam.
CH. At vereor vt placari poſſit. D. bono animo es:
Ego redigam vos in gratiam, hoc fretus Chreme,
Quum e medio exceſſit, vnde haec ſuſceptaſt tibi.
PHO. Itane agitis mecum? ſatis aſtutè adgredimini.
Non hercle ex re iſtius me inſtigaſti Demipho.
Ain' tu? vbi peregre tibi quod libitum fuit feceris,
Neque huius ſis veritus foeminae primariae,
Quin nouo modo ei faceres contumelias:
Venias nunc precibus lautum peccatum tuum?
Hiſce ego illam dictis ita tibi incenſam dabo,
Vt ne reſtinguas, lacrumis ſi extillaueris.
D. Malùm, quod iſti di deaeque omnes duint:
Tantâne adfectum quenquam eſſe hominem audacia?
Nónne hoc publicitus ſcelus hinc deportarier

In ſolas

In ſolas terras? CH. in id redactus ſum loci,
Vt quid agam ex illo, neſciam prorſum. D. ego ſcio:
In ius eamus. PHO. in ius! huc, ſi quid lubet.
D. Adſequere ac retine, dum ego huc ſeruos euoco.
CH. Enim ſolus nequeo: accurre huc. PHO. vna iniuriaſt
Tecum. CH. lege agito ergo. PHO. altera eſt tecum Chreme.
D. Rape hunc. PHO. itáne agitis? enimuerò voceſt opus:
Nauſiſtrata exi. CH. os opprime. D. inpurum vide,
Quantum valet. PHO. Nauſiſtrata inquam. CH. non taces?
PHO. Taceam? D. niſi ſequitur, pugnos in ventrem ingere.
PHO. Vel oculum exclude: eſt, vbi vos vlciſcar, locus.

PRIVS QVAM DILAPIDET. Diſperdat. VISAM, VT QVOD. ἀποσιώπησις ſecunda. NE NON ID FACEREM QVOD RECEPISSEM SEMEL. Et deeſt, *ad me.* vt in Heauton. *Ad me recipio: faciet.*

ADHVC CVRAVI. τῷ ἀρχαϊσμῷ addidit *Adhuc*: quum potuiſſet ſine hoc integer ſenſus eſſe.

QVAE TVTE DVDVM CORAM ME INCVSAVERAS. Noua locutio *Coram me incuſaueras*: non, *Quæ hic incuſaueras*. CORAM ME INCVSAVERAS. Belle: vt ſi quid neget, contra ſeipſum ſentire videatur.

SATIN' SVPERBE ILLVDITIS ME. Et datiuum & accuſatiuum caſum regit *Illudo*.

IVBE RVRSVM RESCRIBI PHORMIO. *Reſcribi*, reddi, ſeu per menſæ ſcripturam dari.

IVBE RESCRIBI. Quoniam ad numerationem pecuniæ antecedit ſcriptura. *Reſcribere* dicebant, pro renumerare. Et ſic infert, *Ne ego perſcripſi porrò illis quibus debui.* Hæc eſt ergo figura, in qua ſecunda de primis ſignificantiam ſumunt. IVBE RESCRIBI. Per ſcripturam, id eſt de menſæ ſcriptura dari. vnde hodie additur chirographis, *Domo ex arca ſua*, vel *ex menſæ ſcriptura.*

NE EGO PERSCRIPSI. Multis per ſcripturam reddidi, multis dedi. vt apud Virgilium,

Deditur hic ſubito Troiana per agmina rumor.

QVIN TV MIHI ARGENTVM CEDO. Hoc ab vtraque cum clamore dici accipiendũ eſt.

IN IVS AMBVLA. Ad iudicem eamus ſcilicet. nam *Ius*, pro loco eſt. Cicero, *Quandoquidem te in iure conſpicio.*

ENIMVERO SI PORRO ODIOSI ESSE PERGITIS. Vultu iuuandum eſt, & pronuntiatione hoc, quod tam minaciter ſuſpenditur. ENIMVERO. *Enimuerò*, principium eſt aliquid per iracundiam dicturi: vt, *Hic tum alius ex alia parte, Enimuerò hoc feret*, &c.

INDOTATIS. Hoc eſt, vt Phanio. ETIAM DOTATIS SOLEO. Vt Nauſiſtratæ. NVLLVS SVM. Perij, mortuus ſum. SEPVLTVS SVM. αὔξησις. nam plus eſt, quàm *Nullus ſum.*

QVID VIS TIBI? ARGENTVM QVOD HABES? CONDONAMVS TE. *Vis* iterum ſubaudiendum eſt: vt ſit, *Vis argentum quod habes?* & eſt ἀσυνδέτως inferendum, *Condonamus te.* Sic eſt illud apud Virgilium, *Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?*
Vrbem quam ſtatuo, veſtra eſt. CONDONAMVS TE. *Condono*, ablatiuo iunxit: vt in Eunucho, *Habeo alia multa, quæ nunc condonabitur.*

MALVM ERGO ME, SIC, &c. *Malùm*, aduerbium eſt interpoſitæ indignationis.

NOLO, VOLO: VOLO, NOLO RVRSVM. Primo ſingula ſeparatim: deinde ſimul vtraque pronuntianda ſunt.

ANIMO VIRILI. A neceſſario adhortatur.

NOSTRO MODO VLCISCI. Ingenio ſcilicet.

HI GLADIATORIO ANIMO. Parato ad periculum: hoc eſt, ita perdito ac temerario,

vt non ſibi caueant, dummodo vulnerent. vt Salluſtius, *Auidius alter alteros ſauciare, quàm ſemel tegere.*

Ad me affectant viam. *Affectant viam*, plenum: quod nos ἐμφατικῶς.

Vt placari possit. *Vt*, pro *Ne non.*

Qvvm de medio excessit. Pro quia. De medio excessit. Et ad dictum, & ad rationem dicti, comicum eſt.

Astvte adgredimini. εἰρωνεία. Et proprie *Aggredi*, accedere ad dimicandum eſt. Bene ergo ſeruauit tranſlationem à gladiatoribus cœptam.

Ain' tv? vbi peregre. Modo ad Chremetem cum inuectione conuerſus eſt.

Lavtvm peccatvm tvvm. Vt laues vt maculam.

Lachrvmis si extillaveris. *Stillare*, eſt guttas emittere ex corpore. *Extillare*, ipſum corpus guttatim finiri. Ergo quaſi totum in lachrumas conuerti, & ex toto ſtillare corpore.

Pvblicitvs. Id eſt, publica cura atque conſilio. In solas terras. Virgilius,
Paſtorum & ſolis exegit montibus æuum. Et Salluſtius in primo, *Solis viis.*

In ivs eamvs. Ad prætoris ſellam. modò enim, locum ſignificat.

In ivs: hvc, siqvid lvbet. Apparet paraſitum niti ad domum Chremetis: ſenes verò ad forum conari attrahere.

Enim solvs neqveo. *Enim*, pro *at* poſuit: vt turbatum oſtenderet. Sic alibi, *Enim non ſinam.*

Vna inivria est. Id eſt actio iniuriarum ex lege.

Lege agito ergo. *Lege agito* dicebatur ei, cuius intentio contemptibilis aduerſario videbatur. Plautus in Aulularia, *Lege agito mecum, moleſtus ne ſis, & cœnam coque.*

Altera. Quam feciſti dotatæ vxori.

Pvgnos in ventrem ingere. Vrbane *In ventrem*, quaſi paraſito. An *Ventrem*, totum paraſitum dicit? vt Lucilius in ſecundo, *Viuite lurcones, comedones, viuite ventres.* An ſimpliciter: quia qui reſiſtit, ne ſequatur trahentem collo obtorto, repandum ſe facit, & ventrem proiicit. quum autem in ventrem feritur: curuatur, & ſequitur.

Actvs qvinti scena VIII.

Navsistrata. Chremes. Phormio. Demipho.

QVIS nominat me? CH. em. N. quid iſtuc turbae eſt obſecro
Mi vir? PHO. em, quid nunc obticuiſti? N. quis hic homoſt?
Non mihi reſpondes? PHO. hicine vt tibi reſpondeat,
Qui hercle vbi ſit, neſcit? CH. caue iſti quidquam credas.
PHO. Abi: tange: ſi non totus friget, me enica.
CH. Nihil eſt. N. quid ergo eſt? quid iſtic narrat? PHO. iam ſcies:
Auſculta. CH. pergin' credere? N. quid ego obſecro.
Huic credam, qui nihil dixit? PHO. delirat miſer
Timo re. N. nonpol temereſt, quòd tu tam times.

CH. Egón timeo? PHO. rectè ſanè: quando nihil times,
Et hoc nihil eſt quod ego dico: tu narra. D. ſcelus
Tibi narret! PHO. eho tu, factumſt abs te ſedulò
Pro fratre. N. mi vir non mihi narras? CH. at. N. quid at?
CH. Non opus eſt dicto. PHO. tibi quidem: at ſcito huic opusſt.
In Lemno. CH. hem, quid ais? D. non taces? PHO. clam te.
CH. ei mihi.
PHO. Vxorem duxit. N. mi homo, di melius duint.
PHO. Sic factumſt. N. perij miſera. PHO. & inde filiam
Suſcepit iam vnam, dum tu dormis. CH. quid agimus?
N. Prò di inmortales, facinus indignum & malum!
PHO. Hoc actumſt. N. an quidquam hodie eſt factum indignius?
Qui mihi, vbi ad vxores ventumſt, tum fiunt ſenes.
Demipho te appello: nam me cum hoc ipſo diſtaedet loqui:
Haecine erant itiones crebrae, & manſiones diutinae
Lemni? haecine erat ea, quae noſtros fructus minuebat vilitas?
D. Ego Nauſiſtrata eſſe in hac re culpam meritam non nego:
Set eam, quin ſit ignoſcenda. PHO. Verba fiunt mortuo.
D. Nam neque necligentia tua, neque odio id fecit tuo.
Vinolentus, ferè abhinc annos quindecim, mulierculam
Eam compreſsit, vnde haec nataſt: neque pòſtilla vmquam attigit.
Ea mortem obiit: è medio abijt: qui fuit in re hac ſcrupulus?
Quamobrem te oro, vt alia tua facta ſunt, aequo animo hoc feras.
N. Quid ego aequo animo? cupio miſera in hac re iam defungier.
Set quid ſperem? aetate porrò minus peccaturum putem?
Iam tum erat ſenex, ſenectus ſi verecundos facit.
An mea forma, atque aetas nunc magis expetendaſt Demipho?
Quid mihi nunc adfers, quamobrem expectem, aut ſperem porrò non fore?
PHO. Exſequias Chremeti, quibus eſt commodum, ire iam tempus eſt.
Sic dabo: age nunc Phormionem qui volet, laceſſito.
Faxo tali eum mactatum, atque hic eſt, infortunio.
Redeat ſanè in gratiam: iam ſupplicij ſatis eſt mihi:
Habet haec ei quod, dum viuat vſque, ad aurem obganniat.
N. At meo merito credo? quid ego nunc commemorem Demipho
Singulatim, qualis ego in hunc fuerim? D. noui aequè omnia
Tecum. N. meritón hoc meo videtur factum? D. minime gentium:

Verum quandò iam accuſando fieri infectum non poteſt,
Ignoſce, orat, confitetur, purgat. quid vis amplius?
PHO. Enimuerò prius quàm haec dat veniam, mihi proſpiciam & Phaedriae.
Heus Nauſiſtrata prius quàm huic reſpondes temerè, audi. N. quid eſt?
PHO. Ego minas triginta per fallaciam ab illo abſtuli:
Eas dedi tuo gnato: is pro ſua amica lenoni dedit.
CH. Hem, quid ais? N. adeón, hoc indignum tibi videtur, filius
Homo adoleſcens, ſi habet vnam amicam, tu vxores duas?
Nihil pudere? quo ore illum obiurgabis? reſponde mihi.
D. Faciet vt voles. N. immò vt meam iam ſcias ſententiam,
Neque ego ignoſco, neque promitto quidquam: neque reſpondeo,
Prius quàm gnatum video: eius iudicio permitto omnia:
Quod is iubebit, faciam. PHO. mulier ſapiens es Nauſiſtrata.
N. Satis tibi eſt? PHO. immò verò pulchrè diſcedo, & probè,
Et praeter ſpem. N. tu tuum nomen dic quod eſt. PHO. mihin?
Phormio: veſtrae familiae hercle amicus, & tuo ſummus Phaedriae.
N. Phormio, at ego ecaſtor poſthac tibi quod potero, & quae voles,
Faciámque & dicam. PHO. benignè dicis. N. pol meritumſt tuum.
PHO. Vin' primùm hodie facere, quod ego gaudeam Nauſiſtrata?
Et quod tuo viro oculi doleant? N. cupio. PHO. me ad coenam voca.
N. Pol verò voco. D. eamus intro hinc. CH. fiat: ſet vbi eſt Phaedria
Iudex noſter? PHO. iam hic faxo aderit. Ω. Vos valete, & plaudite.

CALLIOPIVS RECENSVI.

QVIS NOMINAT ME? Hic velut controuerſia eſt: in qua reus ſit maritus malæ tractationis: & eſt ſtatus qualitatis venialis.

DELIRAT MISER TIMORE. Grauiter vtrumque: & *Delirat*, & *Timore*. nam deliratio, ſenectuti conuenit: timor, conſcientiæ.

MI HOMO, DI MELIVS DVINT. Quærit Probus, an matrona tam familiariter *Mi homo*, rectè dicat alieno: ſed fruſtra. nam fœminarum oratio, etſi non blanditur, blanda eſt.

QVID AGIMVS. Facete dictum.

QVI MIHI. Eleganter inſertum *Mihi*, vt ſic Heauton. *Is mihi vbi adbibit plus paulò ſua quæ narrat facinora?*

AD VXORES VENTVM EST, TVM FIVNT SENES. Eleganter *Fieri* dixit. Et generaliter inuidioſius, quàm ſi vnum accuſaret ſenem.

EGO NAVSISTRATA. Qualitas venialis à conceſſione.

Verba fivnt mortvo. Non eſt paſſus paraſitus, vt totam ſententiam ſenex explicaret.

Nam neqve negligentia tva, neqve id odio fecit tvo. Locus in hac cauſa principalis eſt, ἀπὸ τῆς συγγνώμης καὶ ἀνοίας. & ideo in duo diuiſit, nec negligentia circa te, nec odio inquit factum. Præterea & περιστάσεως addidit defenſionem, Vinolentus, ferè abhinc annos quindecim, mulierculam, &c. ab ætate eius, à tempore etimius, à diminutione contemptúque pellicis, ab euentu, ab animo facientis: quod mortua eſt, Poſtremo à precibus. Et epilogum ἀπὸ τῆς ἐννοίας τῆς ἐκβάσεως fecit, admonens illam oratorie manſuetudinis ſuæ.

Vinolentvs. Ab imprudentia defenſio. Abhinc annos qvindecim. A tempore defenſio. Eam compressit. Bene dixit *Compreſſit*: quod interdum eſt non amoris, ſed iniuriæ.

Neqve postilla vnqvam attigit. Ita facti pœnituit. Hic locus ἀπὸ τῆς ἐκβάσεως eſt, id eſt ab eo quod futurum ſit. facilius enim ignoſcitur non vltra peccaturis.

Defvngier. *Defungi*, deſinere.

Aetate porro minvs peccatvrvm pvtem. Quia dixit, *Abhinc annos quindecim.*

Senectvs si verecvndos facit. Modeſte & grauiter.

Qvid mihi nvnc adfers. Callidius vſa eſt ad vltimum πρόσωπον, conuerſo ad ipſum defenſorem mariti. de qua vi contradictionis exultat paraſitus, tanquam confecto mortuóque aduerſario ſuo.

Exeqvias Chremeti. Bono ordine. primo, *Delirat miſer timore.* pòſt, *Verba fiunt mortuo.* ad vltimum, *Exequias Chremeti.* delirat, moritur, efferrur.

Age nvnc, age: Phormionem qvi volet lacessito. Virgilius,

Degenerémque Neoptolemum narrare memento,

Faxo tali evm mactatvm. Pro eo quod eſt *Eum* * ſic frequenter veteres. Ennius,

Omnes corde patrem prabent, animóque benigno Circumfuſum.

Ignosce orat: confitetvr: pvrgat. Verba venialis ſtatus ſunt, *Ignoſce confitetur.*

Tv tvvm nomen dic. Bene in pronomine vtitur: quia non habet nomen. Nam potentiorum blandimentum circa inferiores hoc fuit, vt nomina eorum quærerent: & quum audiſſent, ipſis nominibus eos compellarent ſtatim. Tale eſt in Adelphis, *Qui vocare? Geta hominem maxumi pretij*, &c.

Vestrae familiae hercle amicvs. Hoc propter Antiphonis amicitiam dixit.

Et tvo svmmvs Phaedriae. *Amicus*, iterum ſubaudiendum.

Me ad coenam voca. Facete ex perſona paraſitica, beneficij optio facta eſt, quod promiſerat mulier.

Sed vbi est Phaedria ivdex noster. Bene *Iudex*: ad illum enim mulieris delata ſententia eſt: vt quum ira agitur, tuta ſint marito omnia. Et per εἰρωνείαν ridicule dicitur ab ea quæ irata erat. Ivdex noster. Nihil facetius, quàm iudicem capi aduerſus crimen voluptatis paternę & amatorem filium, & fratrem Antiphonem, cui nubet furtiua filia. Ivdex noster. Terribilis ſcilicet paternarum deliciarum vindex. Vides igitur hîc ioco ſublatam vxoris iracundiam.

ÆLII DONATI VC. ORATORIS VRBIS ROMAE, COMMENT. IN TERENTI PHORMIONEM EXPLICIT.

INCIPIT

EVGRAPHII COMMENT. IN FABVLAS P. Terentij.

IN ANDRIAM.

CVm omnes poetæ virtutem oratoriam ſemper verſibus exequantur, tum magis duo viri apud Latinos, Virgilius & Terentius. Ex quibus, vt ſuſpitio noſtra eſt, magis Terentij virtus ad rationem Rhetoricæ artis accedit, cuius potentiam per ſingulas comœdias vt poſſimus explicabimus. Ac prima nobis ea ſit, quæ & pueris ſemper eſt tradita. Andria igitur prologum habet. POSTA CVM PRIMVM ANIMVM AD SCRIBENDVM APPVLIT. Omnis prologus triplici inducitur cauſſa, vel vt argumentum fabulæ poſſit exhibere, vel poetam populo commendare, vel vt à populo audientiam poſtulet. Sed his omnibus cauſis Terentius non ita vſus eſt. Habuit enim aduerſarium, veterem poetam, Luſcium Lauinium, cuius comœdiæ cum non placerent, ſemper maledictis aduerſus comœdias Terentij pugnabat. Propter hunc igitur Terẽtius prologum ſemper inducit, vt eius maledictis reſpondeat. Quod ſi ita eſt, omnis prologus Terẽtij habet controuerſiam. Andria igitur controuerſiã tenet. mos eſt vti ex Græco in Latinum ſermonem aliquid trãsferri liceat. Terentius comœdiam Græcam Andriam cum transferret, adiũxit & Perinthiam, quæ altera Græca eſt comœdia. Fit ergo reus, quia non debuerat alteram comœdiam contingere, in comœdiæ alterius tranſlatione. Iſthæc controuerſiæ qualitas, an iuſte fecerit. Cuius argumenta ſic perſequitur, vt per abſolutam qualitatẽ habitus ſemper ſit in diſputatione tractatus. Is omnino, vt dixi, duplex eſt. Si feci iuſtè feci, & feci, quia licuit per exemplum. Sed prius exordium ſumitur quod propoſitum ita eſt, vt poetam populo commẽdet. aliter enim beniuolentiam auditorum non poteſt comparare, niſi perſonæ ſuæ pudorem honeſtatémque declaret. Eſt igitur ad comparandam beniuolentiam ſumptum principium. POSTA CVM PRIMVM ANIMVM. Beniuolentia Rethorica certe captatur ex noſtra perſona. Hoc ſupra poſitis verbis expoſitum eſt, cum docuit ſibi pudorem propoſitum, & certam gloriam capturam. Vnde à perſona aduerſarij, cum eius impudentia declaratur, hoc ſubiunxit. *Verum multo aliter intelligit, nam in prologis ſcribundis operam abutitur: non qui argumentum narret, ſed qui maleuoli veteris poetæ maledictis reſpondeat.* Huc vſque principium eſt habitum à noſtra perſona, & ab aduerſariorum. ſequitur propoſitio quæſtionis: ſed primo permiſſio.

NVNC QVAM REM VITIO VORTANT. Hæc dicit quæſtionem præmittens. proponit autem ita, vt cum argumento quæſtionem ſoluat. Quæſtionem proponere videtur, *Menander fecit Andriam & Perinthiam, qui vtramuis &c.* quæſtionem il-

lam ſupra diximus eſſe, quia non debuerit ex duabus comœdijs Græcis vnam latinam ſcribere. Et huic reſpondit ita, quod liceat: ac primum vnam dicit, quamuis duæ ſint, quæ inter ſe quoque quadam cognatione conueniant. Hoc enim dixit. *Menander fecit Andriam & Perinthiam, qui vtramuis recte nouerit, ambas nouerit, Non ita diſsimili ſunt argumento, & tamen diſsimili oratione ſunt factæ ac ſtilo.* licet duæ ſunt numero, in vnam tamen rationem conueniunt. Quod ita eſt, quæ ex Perinthia in Andriam conuenerunt, ad Andriam iure tranſlata ſunt, vnde non videtur aliter feciſſe, quàm liceat. nam cum liceat ex vna comœdia Græca vnam Latinam ſcribere, hic quodammodo ex Andria Græca Andriam fecit Latinam: & quidem ex Perinthia tulit, quæ in Andriam conuenirent. Igitur aduerſarij id vituperare audẽt? Adijcit argumentum abſolute qualitatis, vti ſupra diximus. quia quæ fecit, per exemplum fecit. *Qui cum hunc accuſant, Næuium, Plautum, &c.* Et quoniam ſemper exemplis laborandum eſt, nec tamen ſumamus quæ aliquando reprehenſa ſunt, adiecit: *quorum exoptat æmulari negligentiam potius, quam iſtorum obſcuram diligentiam.* Subiungit poſtea Epilogorum virtutem, vt liberatus à culpa terrere incipiat aduerſarios & honeſte oſtendit, aduerſarios multa peccare, ſed illa ſe nolle maledicere. Concludit à precibus, vt beneuolentiam ab audientia populi petat. FAVETE. ſimul pollicens quaſi quiddam præmium de comœdijs futuris, ſi fuerit libenter auditus. Hactenus controuerſia tractata eſt.

POETA CVM, PRIMVM ANIMVM. Senſus hic eſt cum primò poeta comœdiam ſcribere voluit, hoc tantummodo arbitratus eſt negotij ſibi dari, vt placerent populo comediæ, quas feciſſet. Ergo quod ſequitur. *Verum aliter euenire multo,* ille ſenſus eſt, vt hoc ſolum ſibi crederet propoſitum, vt comœdiæ ſuæ placerent. Et illud, vt aduerſario debeat reſpondere. Ergo *In prologis ſcribendis operam abutitur,* hoc eſt valde vtitur opera prologorum. Non vt argumentum narrat, quod prologorum eſt ſemper officium: ſed vt ſemper maliuoli poetæ maledictis reſpondeat. Adiecit *veteris poetæ,* quo facilius hominem, ex vetuſtate notare poſſet, qui cum vetuſtate commendatus non ſit, & notus per maledicta inuidere videatur.

QVAM REM VITIO DENT. Hoc eſt, quam rem culpent, & accuſent.

NON ITA DISSIMILI SVNT. Vult ſimile eſſe argumentum duarum comœdiarum, non tamen plurimum diſſimile. Et ne Menandrum accuſare videatur, qui pene ex vno argumento duas comœdias fecerit, adiunxit, quod ad eius laudem maxime pertinebat, *Diſsimili oratione ac ſtylo.*

QVAE CONVENERE IN ANDRIAM. Multa enim conueniunt. Hæc igitur Terentius in Andriam tranſtulit.

FACIVNT NE INTELLIGENDO. Hoc eſt quaſi plurimum intelligendo.

QVAS FACIET DEINTEGRO. Hoc eſt, deintegro cum vnam Græcam in vnam Latinam tranſtulerit. Non enim tranſtulit quaſi duas. atque ex hoc videtur illud Terentius declaraſſe, quod fecerit iure feciſſe, & per exempla.

VERVMTAMEN IAM NON ESSE FACTVRVM. Vt de duabus comœdijs vnam comœdiam faciat.

SPECTANDAE. Hoc & probandæ. EXIGENDAE. Foras mittendæ.

ACT. I. SCEN. I.

Prima ſcena huius comœdiæ cauſam continet quaſi deliberatiuam, vbi certum conſilium exploratumque mandat ſeruo dominus. Ne tamen hoc iniuſtum conſiliũ ſit, quod ex deliberatione videtur inuentum, ex narrationis partibus colligitur quod iuſtum. Habet quidem finem hæc ſcena, imperium atque mandatum, quod ſeruo detur. Sed ne imperij atque mandati iniuſtitia ſit, cauſæ eſt conſilium ſumptum; vbi ſimiliter qualitas eſt, an iniuſtum conſilium ſit. Sed iam vt ad ſpeciem veniamus. mandat ſeruo dominus bene vt adſimilet nuptias. Conſilium autem id eſt, & nunc id operam do, per falſas nuptias vera obiurgandi cauſa ſit, ſi deneget. Conſilij ratio quærenda eſt, quæ ſubponitur ſic. Filium credo amare meretricem. Hæc ratio per coniecturam tractatur an filius amet meretricem. Omnis igitur ſcena in hoc conſumitur vt argumentis coniecturalibus colligatur filium amare. Quare coniectura conſilium ſuum probat vt filium debeat obiurgare

iurgare ſi amat. Quo conſilio probat & iuſtum declarat imperium, quo eſt ſeruo imperaturus, vt bene aſſimulet nuptias. Hæc per ſingulorū capita verſuum plenius aperientur. Primum nequid turpe dominus aduerſus filium ſeruo mandare videatur. Siquidem ille filius, hic ſeruus eſt. Non illa vulgatis abiecta perſona ſerui eſt, neque in conditione viuit, neque in turpi officio ſeruitutis, ſed cuius animus & integritas fuerit per officia completa liberalis. Hoc igitur tangit Simo cum laudat ſeruum Soſiam: & dicit opus eſſe non arte, ſed his potius rebus quas in eo ſemper agnouit, fide & taciturnitate. Nam fides eſt vt compleat quæ mandat. Taciturnitas autem neceſſaria videtur, vt caueat. Sed parua laus data ſeruo videtur quem coëgit dominus impoſita mandata ſeruare. Sed quoniam apud ſeruum bonum duntaxat potuit eſſe conſideratio, quod dominus maior ſibi, neſcio quid, aduerſus minorem dominum imperauerat. Cuius ſi non eſſet, imperium adoleſcentis ætatemque timere deberet. quia illi poſt ſenis mortem erat dominus facturus. Idcirco laborat ſenex. Primò in animum ſuum ſerui animos inclinare dicit. Ergo ex illo tempore, quo emptus ſeruus ſit, ſe iuſta & clementia ſine duris laboribus imperaſſe. EGO ENIM POSTQVAM *Te emi à paruulo*, inquit. Vere enim præſtat, quia ei præſtat qui meretur. Nam circa iuuenem inofficioſum imperare fortaſſe imperantis eſt metus. Et cum dixit *à paruulo*, vtique beneficiorum ſuorum longum tempus oſtendit; dediſque ei continuationem præſtandi. Hinc illud in Iugurthino. *Paruum ego te Iugurtha, amiſſo patre, & ſine ſpe, & ſine opibus in meum regnum excepi*. Adiecit autem ad cumulum beneficiorum, non quod tantùm bene ſeruierit, cùm ei dominus clementiora quæ fuerant imperaret: ſed quia ex ſeruo fecerit liberum. FECI EX SERVO VT ESSES LIBERTVS MIHI. Summum etenim preciam ſeruiētibus videtur eſſe libertas. Et quoniam omnis libertus patrono debet ſeruitutem, ideo adiecit *mihi* non Pamphilo, hoc eſt nō filio. Vt ille non crederet, licet libertum, ſe debere filio ſeruitutem.

QVOD SERVIEBAS LIBERALITER. Pulchrè hoc videtur adiunctum vt nō propter alias cauſas dominus dediſſe videatur. Sed quia hanc ſemper habuerit in ſeruitutis conditione voluntatem, liberaliter omnia quæ iuſſa fuerant implere.

SVMMVM PRETIVM PERSOLVI TIBI. *Summum pretium* dixit libertatem. & ita debitorem iam ſeruū ad domini officia fecit. ſicut in ſeruo dominus quod habebat exoluit.

IN MEMORIA HABEO. Rectè ſeruatum à ſeruo, vt in memoria habere diceret; neque enim domino referre gratias poteſt, niſi ſola officiorum reſtitutio in memoria perſeueraret.

HAVD MVTO. Mihi videtur iuris rationem reſpicere. Ingratus enim libertus à patrono reuocari in ſeruitutem poteſt.

GAVDEO SI TIBI QVID FECI. Vehementer ſeruus ſe gaudere dixit, ſi ex factis ſuis domini reddiderit voluntatem. & ſimul duo tempora coniunxit, vt non ſolum feciſſe, ſed & facturum eſſe declararet.

ADVERSVM TE. Apud te intelligendum. Quidam enim, quoniam ſupra dixerat *quod ſeruiebas liberaliter*, hoc intelligunt, vt libere quoque diceret quæ ſentiebat. Has propterea voces ex libertate prolatas, in conuitium aut iniuriam ſecundum rationem veritatis proferret. Quod ſi ita eſt, dicta ſunt à ſeruo contra dominum: idcirco intellegunt *aduerſum te*, cōtra te. Sed melior eſt interpretatio ſuperior. eſt vero huc vſque figura συναθροισμὸς, quod eſt congregatio criminum vel beneficiorum ad commouendos animos.

QVASI EXPROBRATIO EST. Beneficiorum commemoratio cum oſtenditur, ingrati exprobratio dicitur.

PRIMVM IN HAC RE PRAEDICO. Antequam narrationem incipiat ponere, ſummam primo proponit, quæ talis eſt. *Quas credis has, non ſunt veræ nuptiæ*. Partitur hic ſenex, eaque partitio triplex eſt. *Eo pacto & gnati vitam, & conſilium meum cognoſces. & quid facere in hac re te velim*. Ergo ſecundum ſupra diuiſionem poſitam gnati vita cum exponitur, coniecturalia continet argumenta. Conſilium cùm exponitur per qualitatem dicitur. *Quid facere in hac te re velim*. ſimiliter qualitatis ratione conſiſtat. Vtraque autem qualitas negotialis eſt. Incipit primo nati vitam. *nam is poſtquam exceſſit ex ephebis*. *Exceſſit ex ephebis*. tempus pueriliſ ætatis exceſſit. Hic argumenta coniecturalia diligenter debemus aduertere, quod Pamphilus videtur amare me-

retricem. Argumentorũ loci traduntur alij eſſe artificiales, alij inartificiales. Et inartificiales quidem ex auctoritate ſumuntur, vel opinione. artificiales verò aut à perſonis, aut à negotijs. Cùm autem omne argumentum rei dubiæ faciat fidem, his vel noſtram, vel aduerſariorum cauſam confirmamus, vel infirmamus. Quorum loci ſumuntur ante rem quidem vnde agitur, à perſona, à cauſa, à tempore, à loco, à materia, à modo, à ratione. In re vnde agitur à toto, à parte, à ſpecie, à differentia, à proprio, à diffinitione à nomine. Circa rem vnde agitur, à ſimili, à diſſimili, à pari, à contrario, à maiore, à minore, à præcedente, ab eo quod eſt ſimul, à conſequente. Poſt rem verò, ab euentu, à iudicatis. Qui loci ideo communes dicuntur, quia in omni genere cauſarum ex his argumenta duci poſſunt. Nam à perſonis conſideratur patria, nomen, genus, corporis habitudo, mores, vita, amicitia, ætas, inceſſus, vultus. Vel aliter à perſona nomen, natura, victus, fortuna, habitus, affectio, ſtudia, conſilia, facta, caſus & orationes.

Plerique omnes. Apud antiquos iſta dictio ponebatur. vt *omnes* ſuperuacuum fieret, & ſuperior tantùm ſermo propriam ſignificationem contineret. Ad philosophos. Ad ſapientiam atque doctrinam.

Nihil egregia praeter cetera. Hoc eſt, omnia æqualiter. nihil amplius ante omnia. Non iniuria. Non ſine cauſa, id eſt iuſte. Ius enim contrariam habet iniuriam.

Vt ne quid nimis. Quidam arguunt Terentium, quod iſtam ſententiam dixerit ſeruus, quam ſapientum ſummus ex ſeptem protuliſſe dicitur. Quæ quidem res non digna reprehenſione. Nam primo omnium in hominibus natura, id eſt ſenſus æqualis eſt. Ita concipere & ſeruus poteſt cum virtutibus ingenium: quod omnibus ſit æquale naturaliter attributum. Deinde fieri poteſt vt iſta ſententia iam à ſapiente dicta percrebuerit, & omnium in ore verſetur. Non enim Terentius vel quilibet alius hanc comprehendit, vnde & ſeruus, non tamen vt callidus, auditam rem potuit in ſermonibus collocare.

Sic vita erat, facile omnes. Honeſte pater narraturus vitam filij ſui ſuſpectã, docet præterito tempore integritate viuendi obſcuram tenuiſſe in ſuis moribus diſciplinam. Ex quo oſtendit ſibi curam ſemper fuiſſe, vt filij vitam cognoſceret.

Hoc tempore obsequium. Et ex hac ſententia intellegi datur, ſeruum bonum eſſe atque ſapientem. Ita & in ſuperioribus & ſapientis eſt conceſſa ſententia. *Hoc tempore* autem quod dixit, mihi videtur ad omnia tempora ſpectandum. Nunquam enim non valet iſta ſententia.

Interea mulier quaedam. Et hæc interpoſita narratio demonſtrandæ perſonę cauſſa dicitur, quę ab oratoribus *digreſſio* nominatur: quoties à narrationis tenore in alia, narrandi neceſſitate, dilabimur.

Inopia et cognatorum. Quorum debuerat ope auxilióque fulciri.

Egregia forma atque aetate. Duo quæ neceſſaria ad voluptatem fuerant complexus eſt: vt & vultus & ætas placere potuiſſet.

Et vereor ne quid Andria. Cautus ſeruus cúm adoleſcentem ſciret, timuit mulierem, & vultu & ætate laudabilem.

Vnus et item alter. Hic arguto intellectu tres accipiuntur. Nam *vnus* vtique numerum ſuum oſtendit. *Alter* vero de duobus. poſt vnum alter eſt. Ita ſi alter eſt, duo ſignificat, & vnus præceſſit. Quo interuentu ſoluitur, quod poſtea dictum eſt. *nam hi tres tum ſimul amabant.* Hoc & intelligi in Virgilio voluit. *Alter ab vndecimo tum me iam acceperat annus.* Vndecim enim numerum ſuum habent. *Alter* verò vt diximus de duobus, hoc eſt de duodecimo & tertiodecimo. Vt iſta copulatio, *Alter ab vndecimo* tertium decimum annum ſignificet, qui vicinus eſt pubertati, quo veriſimile fieret illum Veneri potuiſſe ſeruire.

Accepit conditionem. Probauit ſcilicet quod offerebatur ab his. Deinde quaestum accipit. Deinde meretrix eſſe cœpit. Cauta narratio. Docet ſe in omnibus filij factis ſemper adhibuiſſe curam & metum quam plurimum, ne in malos mores contubernio duceretur. Sumpſiſſe & officium pœnè ſeruorum, vt interrogaret ſeruos contubernalium, & diu quæreret de filij moribus: nec prius requieſceret quam diſciplinam integram reperiret. Quibus iam rebus fidem facit ad futu-

ram quæſtionem. vt veriſimile videatur eſſe, quod motus eſt in filium iuſte, qui ſemper de moribus inquiſitionem habuerit. Nec aliquando integra omnia reperiri potuerit iratus, eo quod Pamphilus amaret. Pulchre poſt interrogationem, nihil aliud à ſeruis videtur eſſe reſponſum, niſi de aliis amatoribus. Ne tamen ſeruorum reſpondentium calliditas Pamphilum celare videretur, & ipſe interrogabat, vti prudens ſeruus interrogatus de Pamphili nomine, facile actus eius poſſit exponere. Quamquam iam ſignum fuerat caſtitatis, inter amatores non fuiſſe cœnatum. IPSVM ALIO DIE QVAEREBAM. Et hic perſeuerat ſimiliter ſenis diligentia, ne vnius diei iudicium circa diſciplinam verum eſſe non poſſit.

NAM QVI CVM INGENIIS CONFLICTATVR EIVSMODI. Confirmat per ſententiam vitam filij, & integram diſciplinam. Negat eſſe melius eo ingenio, quod cum inter vitia verſatur, ſuam teneat firmitatem. CVM ID MIHI PLACEBAT. Probat filij vitam non iudicio ſuo tantùm, ne videatur hoc feciſſe amore, ſed & teſtimonio ciuium cęterorum. Quæ quidem res ad futuram quæſtionum argumenta ſuggerit maxima. nam ſimiliter eius filius iudicio patris, & teſtimonio ciuium comprobatus eſt, quod nondum amare cœperit.

LAVDARE FORTVNAS MEAS. Vbique fortunæ attribuit, quod boni filij ſunt. vt & Salluſtius. *Præterea viro liberis ſatis fortunato.*

QVID VERBIS OPVS. De moribus filij ſui cum pronuntiatum ciuibus diceret, magnum teſtimoniũ & Chremetis ponit, quod vltro venit, quod vnicam natam, quod cum dote ſumma filio promiſit vxorem. Sequens enim videbatur, vt cum & ipſe probatum filium ſciret, optimam conditionem matrimonij non repudiaret. Ergo cum dicit *placuit*, Chremeti conditionem optimam declarabat.

BEASTI. Beatum feciſti.

NONNVNQVAM CONLACRVMABAT. Has lacrymas fundebat Pamphilus propter eam familiaritatem, quam habebat ex coniunctione eius mulieris, quæ Chryſidi chariſſima fuerat. Sed quoniam Chryſis mortua, ſalua autem illa quam diligebat, ideo non nunquam conlacrumabat, id eſt cum aliorum lachrumis ſuas quoque miſcebat.

HVIVS MORTEM TAM FERT FAMILIARITER. Hoc eſt, ſic dolet vt familiaris. HAEC EGO PVTABAM ESSE OMNIA HVMANI INGENII. Cùm nondum argumentum aliquod officium malæ oſtenderat diſciplinæ, tamen dolor iam futura prorupit, cùm eſſet admonitus falſa fuiſſe, quæ ante credebat pietatis indicia.

EGOMET QVOQVE EIVS CAVSSA. Vt quoniam filium perſpexeram præbere ei lacrymas, quam non diligebat, ego quoque officium obſequiúmque præſtarem. IN FVNVS PRODEO. Hoc eſt, in obſequium funeris. NIHIL SVSPICANS ETIAM MALI. Hic auditorem mali interpoſitione ſuſpendit, qui mitiori narratione tenebatur. ASPICIO ADVLESCENTVLAM FORMA. Et hic ſimiliter duo tetigit, ætatem quod *adoleſcentulam* dicit, & vultum quod *formam* poſuit. ET VVLTV SOSIA. Quaſi tertium videtur adiecisse vultum. Namque forma naturalis facies: Vultus vero animi motus, faciei ad tempus aptatus.

PERCVSSIT ILLICO ANIMVM CVM FORMAM VIDISSEM. Cum lacrymas perſpexiſſem cum Chryſidis ſororem hanc cognoſcerem, ſum neſcio quid, inquit, continuo ſuſpicatus. HOC ILLVD EST, HINC ILLAE LACRVMAE. Hinc illa ſunt argumenta coniecturalia quæ ſupra diximus; veriſimile eſſe filium amare meretricem, quod tam familiariter ad Chryſidem ſe adplicarat. quod eius tam familiariter fleret interitum. Hoc eſt enim quod dixit, *Hinc illæ lacrymæ*. Sed quoniam adhuc parua ſuſpicio eſt, adiecit argumenta. INTEREA HAEC SOROR QVAM DIXI. Nullum maius poteſt argumentum reperiri, quam quod ſubiungit, Pamphilum neceſſitate compulſum, amoris ſui flammam non potuiſſe celare. quoniam in materia coniecturæ, accuſantis hæc argumenta ſunt ſemper, à voluntate, à ſummo ad imum. His enim tribus partibus nititur accuſator. Hic autem voluntatis eſt quæſtio: Ergo probationes à ſummo ad imum ſuſcipientur, quæ continent dicta & facta; & quod à doctoribus adiungitur pathos. Namque pathos eſt ſuprà, quod fleuit. Facta ſunt iſta quę ſubiunguntur, quod accurrit; quod mediam mulierem cõplectitur. Deinde dicta ſunt quod dixit.

MEA GLYCERIVM, inquit, CVR TE IS PERDITVM. Ita omnia orator conie&ctoralia argumenta complexus eſt. quamquam accedit & illa pars, quod ipſa Glycerium *Reiecit ſe in eum flens quam familiariter.* Sæpè etenim non ſolum noſtris, ſed noſtrorum factis poſſumus accuſari. vt cum de Verris animo quæreretur, an Ciceronē nollet eſſe accuſatorem, quod Hortenſius tantùm laborabat, vt Ciceroni non daretur. Accuſat quoque palam ſic, Verris hanc eſſe voluntatem, ne Cicero accuſator exiſteret. Verum hæc de argumentis. Omnis autem conie&ctura proprium hoc habet. nam argumenta cum cæteris videntur eſſe communia; hæc & præter argumenta habet à teſtibus probationem. hæc etiam hic ſunt, quippe cùm dicat, VENIT AD ME CHREMES POSTRIDIE CLAMITANS SE INDIGNVM FACINVS COMPERISSE. Vtique *comperiſſe*: etiam ab aliis iſta res dicta eſt, vt ipſe hoc compererit. Vt teſtimonium quaſi quædam ſit multitudo.

REGRO INOE IRATVS ATQVE AEGRE FERENS. Bene indignationem totam argumentis excitatam ſibi eſſe commemorat. Veruntamen dicit, ſe equidem crediditſſe, ſed filium accuſare non potuiſſe. Propterea deriuatio cauſſæ eſſe potuit. Namque duæ partes ſunt, quæ reum ſunt ſolitæ defendere. Diriuatio cauſſæ, quæ Græcè μετάθεσις αἰτίας dicitur. quam rem tractat ſenex cum dicit ex perſona filij, QVID FECI, QVID COMMERVI AVT PECCAVI PATER. QVAE SESE IN IGNEM PROIICERE VOLVIT, PROHIBVI. SERVAVI. HONESTA ORATIO EST. NAM SI ILLVM OBIVRGES VITAE QVI AVXILIVM TVLIT. Purgationem filij ſui & ipſe confirmat per ſententiam, vt iſte videatur nunc iraſci, qui aliquando alias admiſerit cauſſas. & eſt locus argumenti, qui dicitur à contrariis.

VENIT CHREMES POSTRIDIE. Qui hoc facilius probatum omnibus doceat, continuo & Chremes venit: adiecit & CLAMITANS, vt indignatione oſtēderetur verum eſſe compertum. INDIGNVM FACINVS COMPERISSE SE. Pulchre ex perſona ſoceri indignum facinus dictum eſt, vt & ipſe doleat Pamphilum eſſe corruptum. quippe cum ipſe venerit prior vt filiam pollice retur. PRO VXORE HABERE HANC PEREGRINAM. Magna iuſtitia ſoceri: ſiquidem non Pamhilum dolet amare alteram, ſed dolet pro vxore habere peregrinam. Conſiderat enim perſonam ſoceri, merito vxorem dolet alteram.

EGO ILLVD SEDVLO NEGARE FACTVM. Ne leniter crediſſe videatur, & negaſſe dixit. ILLE INSTAT FACTVM. Ita cōprobata res eſt, perſeuerante ſoceri teſtimonio.

DENIQVE ITA TVM DISCEDO AB ILLO. Iam apud ſocerum probatam rem dixit, quod filius amet. Siquidem ipſe qui promiſerat, hoc cognito, ſocer filiam negauit. NON TV IBI GNATVM. Deeſt, arguere aut accuſare debuiſti: & eſt ἔλλειψις, quæ ſolet fieri aut nimia lætitia, aut nimia triſtitia. Hoc quidem magna procuratione perfe&ctum eſt, vt iam ſeruus crediſſe videatur, quod amat filius. At vero ſenex, vt iuſtitiam ſuæ iracundiæ doceat, & hanc cauſam non idoneam docet, qua filius accuſandus eſſe videatur. ſed iungit rationem.

TVTE IPSE HIS REBVS FINEM PRAESCRIPSISTI PATER. Poteſt enim filius dicere, vxorem nunc ſum ducturus, tempus veniet cum aliena lege & alienis moribus viuam. Interim dum ſine, dum tempus eſt, meo me more viuere. Vnde ſeruus & hæc re deie&ctus, obiurgandi interrogat cauſſas.

QVIS IGITVR RELICTVS EST OBIVRGANDI LOCVS. Et bene *obiurgandi* dixit. nam de crimine iam conſtat, quod amat filius: ſed obiurgandi quæritur locus.

SI PROPTER AMOREM VXOREM NON VVLT DVCERE. Hoc eſt illud quod ſecundum propoſuerat: Simo & conſilium meum cognoſces. Credit enim ad iracundiam hanc eſſe cauſſam, nō quod amet filius (nam id ætatis eſt & temporis) ſed vnde incipit cauſſa peccati, ſi propter amorem nolit ducere vxorem.

ET NVNC ID OPERAM DO VT PER FALSAS. Hoc eſt conſilium, vt falſæ nuptiæ fingantur, quo & animus vi&ctus adoleſcentis circa amorem poſſit agnoſci. Simulque & Daui ſerui, qui fauet plurimum Pamphilo, conſilia falſa nuptiarum vanitate fruſtrentur.

MAGIS ADEO MIHI VT INCOMMODET. Vt mihi magis inquit noceat, quam filio proſit.

MALA MENS MALVS ANIMVS. Quia oc-

cultum ſeruum videbat aliquid facere, vt alteri noceat, non vt proſit: idcirco hanc adiunxit cauſam, quod mala mens, malus animus, iſta ſemper fecerit.

SIN EVENIAT QVOD NOLO. Hic ſenſus eſt: quod volo veniet, illud ſcilicet, vt in Pamphilo nihil ſit moræ. Hoc iam reſtat vt Chremes exorandus ſit.

NVNC TVVM EST OFFICIVM. Hoc eſt tertium quod in propoſitione poſuerat. *Et quid facere in hac re te velim*. vt bene ſcilicet aſſimulet nuptias. Dauum terreat. filium obſeruet, vel quid agat, vel quid conſilij habeat.

ACT. I. SCEN. II.

NON DVBIVM EST QVIN VXOREM NOLIT FILIVS. Remanſit ſenex, & hic ſecum loquens habet coniecturalem ſtatum. Nam quæſtio eſt, an vxorem nolit filius. Confirmat autem quod nolit vxorem; & huius confirmationis argumentum hoc eſt quod dixit. ITA MODO DAVVM TIMERE SENSI. Dixi enim ſupra, quod non ſolum de factis noſtris, ad coniecturam argumenta colligi poſſunt, verum & noſtrorum.

MIRABAR HOC SI SIC ABIRET. Hæc ſcena mandatum tenet, quanquam mandati cauſſa præcedit, quod amare dicitur filius. manet illa coniectura quæ ſimiliter habet & argumenta, & probationes ſuas, poſtea mandari actio eſt. vt quod obſeruet Dauus per mandata cognoſcat. Egreditur namque non aſpiciens dominum, cuius oratio talis fingitur, vt quædã temere dicta proferat. Quod lenitatem domini latentem, ſuam & demonſtrat calliditatem. quod miratus ſit, verbum ſibi à domino nõ eſſe factum, hoc eſt ſecum non locutum, neque ægre dominum tuliſſe, quod audiſſet non dari vxorem.

AT NVNC FACIET. Hoc eſt, at nunc tecum loquetur.

MEVM GNATVM RVMOR EST AMARE. Et hæc omnis probatio eſt, an amet filius: ſed cõiecturalis probatio à teſtibus. Verum teſtimonij genus eſt rumor. nunc autem rumorem ex relatione Chremetis Simo tenet. quippe cùm ſuprà dixerit: *Poſtridie venit Clamitans indignum facinus ſe comperiſſe.*

ID POPVLVS CVRAT SCILICET. Hæc defenſio eſt contra rumorem. Veriſimile non eſſe omnem populum de, neſcio cuius adoleſcentis, amore cogitare.

HOCCINE AGIS AN NON. Obſcurus ſenſus, & tamen talis eſt. curæ tibi eſt quod populus loquatur. denique hoc intelligit ſeruus, & reſpondit domino, ſibi curæ eſſe. cùm diceret; EGO VERO ISTVC. SED NVNC EA ME. Hanc defenſionem, quàm ſuprà collocarat, & nunc memorat quòd amare adoleſcentem criminis non ſit, maxime ante nuptias. ideo adiecit, NAM QVOD ANTE HAEC FECIT NIHIL AD ME ATTINET DVM TEMPVS AD EAM REM TVLLIT SIBI ANIMVM VT EXPLERET. Deinde incipit mãdata obliqua oratione proponere. TVM SI QVIS &c. *Magiſtrum* dicit motorem * Hanc rem quia obliquè dixerat, Dauus non intellexerat, itaque planè ſcire cœpit. SI SENSERO HODIE QVICQVAM IN ISTIS NVPTIIS. Deinde cum minis mandat & verberibus; TE CAESVM DAVE IN PISTRINVM DEDAM. Et omnis admonitio eſt quæ ſequitur.

ACT. I. SCEN. III.

ENIMVERO DAVE. Hæc ſcena deliberatiuæ vim tenet. nam territus à domino ſeniore Dauus. deliberat cui obtemperet; an adoleſcentis animo, an imperio ſenis ſatisfaciat. Habet igitur deliberatiuæ exordium, in qua exhortatio eſt.

ENIMVERO DAVE NIHIL LOCI EST SEGNITIAE. *Segnitia* poſitum eſt, vt ea quæ inuenta ſunt, non prætereantur. *Socordia* vero, vt ea quæ ſunt neceſſaria corde inueniantur. quæ ipſa exortatio à periculis incitatur. illis ſcilicet; QVAE SI NON ASTV PROVIDENTVR ME AVT HERVM PESSVMDABVNT. *Herum* autem dixit Pamphilum.

NEC QVID AGAM CERTVM EST. Hinc incipit deliberatiua, cuius partes ſunt duæ. PAMPHILVMNE ADIVTEM AN AVSCVLTEM SENI. Deinde partium tractatus. SI ILLVM RELINQVO EIVS VITAE TIMEO. *Eius vita*, hoc dicit ne periclitetur. Scit enim amorem Pamphili ex alia parte. SIN OPITVLOR HVIVS MINAS. Senis videlicet. & adiecit neceſſitatem. CVI VERBA DARE DIFFICILE EST. Hic tractata eſt qualitas vtriúſque partis. Sed incidit con-

iectura, an falli ſenex poſſit. Hinc argumenta colliguntur, quod non poteſt: ideo, quia comperit iam de amore. quod infenſius me ſeruat ne fallaciam ad nuptias faciam. Deinde ad qualitatem. quoniam etſi nihil ipſe fecerit fraudis ac doli, dominus circa ſeruum magnam habeat poteſtatem, vt ex nulla cauſſa inferat pœnas. Appoſuit etiam maiorem difficultatem, quod doceat, ſenem falli iam non poſſe, quod grauida eſt de Pamphilo iſta mulier: quod ita ſe inuicem diligunt, vt partus tollatur: quod etiam iam iſta fabula fingatur, vt ciuis eſſe doceatur. quibus rebus iam amica iſta ad nomen accedit vxoris. Quod ſi ita eſt, falli non poteſt ſenex. Atqui hac deliberatiua vtrinſque partis vnum tantummodo videtur inueniſſe Dauus, vt Pamphilo cuncta narraret. Hoc ſolum & non ſine periculo ſuo facit. ſi indicauerit patris filio voluptatem, vt conueniat Pamphilum, ne de hac re pater imprudentem opprimat.

ACT. I. SCEN. IIII.

Avotvi archillis iamovovm. Hæc ſcena mandatum tenet. mittitur namque ancilla Myſis vt obſtetricem arceſſat. Paratúrque habitus, vt Pamphilus terrentis patris orationem, qua adigere eum conatus ad nuptias, poſſit audire.

Temvlenta. Ebrioſa. *Temetum* enim antiqui vinum dicebant.

Temvlenta et temeraria. Duo poſuit, vnum ad vitium accedens, aliud ad naturam. Nam temerarium naturæ malum eſt, cui accedit vt vino ſæpius obruatur.

ACT. I. SCEN. V.

Hocceine est hvmanvm factvm avt inceptvm. Hæc ſcena deliberationem habet, quæ talis eſt. Adulcſcens amans, qui promiſit ſe eam ducturum vxorem, à patre cogitur vt alteram ducat. deliberat quid faciat. Hic omnis deliberatiuæ partes ſunt. & ab ipſo qui deliberat percutiuntur. Verum quoniam optima deliberatio eſt, cui alius perſuaſor accedit. idcirco Myſis ancilla præſens inuenitur, vt eius aſpectu facilo in vnam partem, memoria dominæ eius, & ſui amoris, poſſit incumbere. quippe cum hic ex vna parte pater ſit, cuius imperium filius debet implere: ex alia parte amor, qui vinculo ſui animum adoleſcentis aſtringit. Sæpiſſimè autem exordium ab indignatione incipit.

Hoccine hvmanvm factvm avt inceptvm. Quam indignationem ita diuiſit, vt accuſaret primo homines, deinde patrem. Poſtea iungit propoſitionem ipſam iniuriæ. Vxorem decreverat se mihi dare hodie. In hoc adoleſcens collocat iniuriam, quod pater ſibi nuptias repente mandauerit. Non quo nubere iniuria ſit (quamquam eſſe videatur) verum intellegit, ſi ante mandaſſet pater, conſilium ſe facile aduerſum imperium patris inuenire potuiſſe. ideo adiecit: Nonne oportvit praescisse me. Tangitur & illud, an patrum imperijs obſequi filij debeant. Conſtat enim circa nuptias eſſe filiis liberam voluntatem; ideo ſeruata ratione pietatis, communicatum oportuit. Sed cum animaduertit patrem cogere vt ipſe ducat vxorem, credit & Chremem mutaſſe ſententiam.

Immvtatvm vidit. Id eſt, mutatum. Nam motus ſpecies ſunt commutatio & immutatio. & eſt illud circa quantitatem, iſtud circa qualitatem. vt cum quis ex magno paruus fit, commutatus: ſi quis ex nigro albus, immutatus dicitur. Obstinate. Perſeueranter, pertinaciter.

Vt me a glycerio miservm. Nominata ea quam diligebat, continuo in calamitatem præſentem dolore gemitúque proſiluit. vt Virgil.

——— *aut ſi lux alma receſſit, Hector vbi eſt?*

Et, ——— *dixit lachrymáſque refudit.*

Ita nominata iam Glycerio. quaſi propoſitio rurſus alterius partis effecta eſt. Cúmque duos ſenes, patrem & ſocerum, ſupra ad imperium poteſtatémque poſuiſſet, hic aduerſus tantam duorum propoſitionem vnum amicæ nomen repoſuit. Deinde rurſus reuertitur ad querelas. Intellexit enim ſe amori non poſſe obſiſtere. ideo ſubiungit? Adeon hominem esse invenvstvm avt infelicem. Vt iterum ſit exclamatio, quod Chremetis affinitatem non poſſit euitare. Hic iam coniecturalis tractatus interponitur, cùm Chremes veluti repudiatus ſæpè, non diſcedat, & cum rurſus promittat vxorem.

Qvot modis contemptvs, spretvs.

Melius de Pamphilo intelligimus, *contemptus & ſpretus.* Denique ipſe adiungit; HEM REPVDIATVS REPETOR. Deinde continuo coniecturæ rationem; ALIQVID MONSTRI ALVNT. Hoc eſt, fortaſſe aliquid monſtri inauditi nutriunt: quæ res rapit auditorem ad ſtuetia. OBTRVDI. impingi, opponi.

NAM QVID EGO DICAM DE PATRE. Rurſus eſt officium de ſenibus mutuatus. nam cùm primo de patre, mox de ſocero dixiſſet, interpoſito Glycerij nomine redit ad Chremetem. hinc de patre ſuggerit. Quæritur autem de ſocero per coniecturã, quod filiam ſuam ſæpe polliceri cupiat repudiatam: de patre autem quod ſegniter & negligenter de filij nuptijs cogitare videatur. Ita quòd de patre ſupra generaliter dixerat, *nónne oportuit reſciſſe me ante*, nunc per ſpeciem proponit. PRAETERIENS MODO MIHI APVD FORVM; VXOR TIBI DVCENDA EST PAMPHILE. Quid faceres, modo autem tempus reſpirandi non habet * nunc patris imperio & præſentia territus reſpondere non potuit. QVID FACEREM SI ALIQVIS ME INTERROGET. Huic reſponſio datur: ALIQVID FACEREM VT HOC NE FACEREM. SED QVID NVNC PRIMVM EXEQVAR. Hic eſt propoſitio ipſius deliberatiuæ per duas ſe partes: an imperio obtemperet patris, an amori potius ſeruiat. TOT ME IMPEDIVNT CVRAE. Ab amoris parte hæc ſunt argumenta: primum neceſſitas. Amor, inquit, deinde humanitas, miſericordia. à parte patris, An imperio patris obtemperet.

NVPTIARVM, inquit, SOLLICITATIO TVM PATRIS PVDOR. Hoc eſt quod erubeſco ex patre. & adiecit non leues cauſas: primum quod pater, deinde quod bonus pater; obtemperare vtique deberet. Bonum autem ſic confirmat. QVI ME TAM LENI PASSVS EST ANIMO VSQVE ADHVC QVAE MEO CVNQVE ANIMO LIBITVM EST FACERE. Hac parte ine natam ſententiam declarauit: vnde rurſus oratio concluditur ob querelas. EINE ERGO ADVERSER MISER. Sed non iam electio conſilij eſt. vt hoc facere velle videatur. verum obſiſtente amore rurſus ad incertam ſententiam deuolutus eſt. INCERTVM EST, inquit, QVID AGAM. Optimo loco Myſis ſeſe interponit, vt in parte aliqua adoleſcens vel præſentia Myſidis, vel commemoratione Glycerij poſſit inuerti. Deniq; intercedit, & vt vtiliter triſtis eu interrogaret, exponit Glycerium ægra eſſet, duabus de cauſis; ex dolore & ſollicitudine HIC dolor a partu ponitur: hoc enim dixit, laborat ex dolore. maxuma enim adoleſcẽti efficitur concitatio, ſi ſe propter amorem intelligat pati. Deinde adiecit ſollicitudinem, cuius cauſſam ponit quod olim conſtitutæ ſunt nuptiæ, & vereatur ne illam deſerat Pamphilus. His rebus perfecta perſuaſio eſt, vt amori adoleſcens potiùs debeat obtemperare. Deniq; concitatus iam vnam elegit partem & proponit, EGONE ISTVC CONARI QVEAM. Hic narrationes narrat, quibus non ſit veriſimile, quod amicam ſit deſerturus. Primum ne illa miſera decipiatur, quæ omnem vitam ei credidit, quam ille dilexerit, & pro vxore ſemper habuerit. hoc ab vtili eſt. Sequitur ab honeſto; quoniam pudice eius doctum & eductum ingenium, non debet neceſſitate immutari. Huic rei quæſtio opponitur, an hoc facere poſſit adoleſcens, cum in patris ſit poſitus poteſtate HAVD VEREAR inquit, SI IN TE SOLO SIT SITVM. Aduerſus iſtam propoſitionem argumentum rurſus ſubponitur, an fieri poſſit, (quod coniecturale eſt) quod tali animo Pamphilus ſit, vt neque inhumanus, neque ferus ſit, nec amet neque ſine pudore ſit. Quibus rebus per ſe nota omnia argumẽta ſunt, vt facile poſſit noſci adoleſcentem, & contra imperium patris, in amore fidem poſſe ſeruare. Suggerit illa, quo magis adoleſcentem incendat, meritam eſſe Glycerium, vt eius Pamphilus memoriam contineret; VNVM HOC SCIO, MERITAM ESSE VT MEMOR SIS SVI. Adiecit rurſus adoleſcens ſuæ memoriæ: ſiquidem dicit in animo ſe hæc, Chryſidis morientis & commemorantis Glycerium, ſcripta verba pertenere. In qua re allocutionis ſunt præcepta & poteſtates. Hoc eſt, quibus verbis potuit vt Chryſis moriens ei commẽdaret Glycerium. Sed quoniam hoc profecit ad affectum, vt exinde profiteatur adoleſcens, ſe Glycerium non deſerturum, ſingula excutienda ſunt. Nam primum quo tempore locuta ſit, non ſine affectu eſt. MORIENS EVM, inquit: quæ res habet maximam pietatem, cum poſtrema vox eſt: quod ſoli fuimus, & quod ſemotus omni-

bus. plus enim fidei meæ dedit, quando teſtem adhibere neglexit. Deinde ſequitur ipſa oratio, quæ magnum affectum tenet. NAM MI PAMPHILE INQVIT. Primò quod familiariter allocuta eſt, dicendo *mi*, deinde ipſa commendatio, quæ duas ad miſericordiam continet cauſſas, formam atque ætatem: quam rem & Simo laudauerit dicendo ſupra. *ubi aſpicio unam adoleſcentulam forma &c.* Ex his enim rebus omnis cauſa pietatis eſt, & ſpes ad amorem. AD PVDICITIAM ET AD REM TVTANDAM. Ad pudicitiam, forma: ad rem tutandam, ætas. Sed melius vtrumque ad pudicitiam. Nam neque forma, neque ætas pudicitiam poterit cuſtodire: ad rem tutandam ſola ætas.

QVOD EGO TE. Omnis allocutio has diuiſiones habet, quid velit & quid metuat. ita quod metuat ſupra poſitum eſt, *& ætate & forma*. nunc quid velit.

QVOD EGO, INQVIT, NVNC TE PER HANC DEXTERAM ORO. Ipſum quod velit iungit cum precibus. Impetrabile enim fit, ſi quod volumus, in allocutione cum precibus collocemus. Vt,

Per has te lacrymas egomet dextramq; tuã te;
Si bene quod de te merui, fuit aut tibi quidquã,
Dulce meum. ———

Non potuit enim per partes impetrabile facere quod rogabat. Hic autem vide, quod in iureiurando collocat primo dexteram, qua tenebat; quæ ſemper fidei teſtis eſt. nam inde etiam Tullius. *Per dexteram tuam te oro: non tam in prælijs & in bellis, quam in pace & fide firmiorem.* Et ingenium ſimul adiecit & fidem: tum etiã vt pietatem caperet, ſolitudinẽ mulieris, & ipſum poſtremo deſiderium. NE ABS TE EAM SEGREGES, NEV DESERAS. Sunt autem duo *ne abs te ſegreges*, ne non eam ducas vxorem: *neu deſeras*, neue non periclitãtem defendas. ſcit enim eſſe peregrinam ſecundum ſuſpicionem ſuam. Adiungit meritum ſuum dicendo. SI TE IN GERMANI FRATRIS DILEXI LOCVM. Quomodo Virg. *ſi bene quid de te merui*. Iungit autem meritum puellæ. SIVE HAEC TE SOLVM SEMPER FECIT MAXIMI. SEV TIBI MORIGERA FVIT IN REBVS OMNIBVS. *Tibi fuit morigera*, id eſt tuis moribus inſeruiens. Et in merito puellæ maximam vim declarauit, quòd ſolum ſemper fecit maximi. Accepit à me beneficium quod ſeruata ſit, quod viuat, & tamen te ſolum maximi fecit. Poteſt etiam dici quod ſolum amauerit in domo meretricis. Allocutionem efficaciter concludit per mandatum & monitum. TE ISTI VIRVM DO. Quod ſupra dictum, *abs te ne ſegreges*. AMICVM, TVTOREM, PATREM. Hoc ſupra dictum *neu deſeras*. Adiungit & ab vtili; BONA NOSTRA HAEC TIBI COMMITTO. Poſt hæc quo maior vis ad memoriam poſſit accreſcere, vt mandatorum verba in animo fixa remanerent, illud adiecit. HANC MIHI IN MANVM DAT MORS CONTINVO EAM OCCVPAT. *Continuo*, inquit, tanquam vſque ad mandati creditam ſententiam vita ſuffecerit. Concludit deliberationis ſuæ partem per electionem. ACCEPI, inquit, ACCEPTAM SERVABO. Conſentit continuo & Myſis, & ipſe curam illius habendo, cùm dixiſſet, *perge ad obſtetricem*. monetque ne aliquid dicat dominæ de nuptijs. quod pulchre eſt collocatũ. Nam nonnihil ex hoc fidem dat amoris, cui & miſeretur. Et vrbane, ne ei quam diligit ex aliquo nuntio ægritudo cumuletur, hoc poſuit. *Atque audin? verbum vnum caue de nuptiis: ne ad morbum hoc etiam.*

ACT. II. SCEN. I.

QVID AIS BYRRIA? DATVR NE ILLA HODIE PAMPHILO. Charinus indignatur quod ſibi nuntiatum eſſet, Philumenam quam diligebat Pamphilo eſſe nupturam: vehementi dolore ſuccenſus, primo conqueritur, deinde deliberat an Pamphilum conueniat, vt eam non ducat vxorem. Deliberatiuæ formam in hac ſcena debemus animaduertere: ac primum an verum ſit quærit. ideo interrogat quaſi verum audierit. Eſt & familiare timentibus, nolle audire quod inimicum ſit voluntati. Interrogat autem rem *Quid ais Byrria.* Deinde cum conſenſus eſt commodatus, ſic & perſonam quærit à quo audierit. QVI SCIS. At verò nuncius compendium interrogationi faciens, & perſonam & locum dicit, vbi audierit, APVT FORVM, inquit, MODO EX DAVO AVDIVI. Quare confirmatus in quæſtione, continuo prorupit adoleſcens, qui dixit; VE MISERO MIHI. Quod nunc certum periculum

ſit ante

ſit, ante incertus fuiſſet inuentus: & ex diuerſis rebus ſit argumentum à pari. Poſt Byrriæ adhibet conſolationem. quod genus orationis in materia oratoria raro verſatur. Hic autem poſita eſt, vt voluntas ab eo quod fieri non poteſt, conſolatione ſuſcepta, ad id quod fieri poteſt, conuertatur: quod vocatur diſſuaſio. At verò adoleſcens cupidus amoris ſui voluntatem perterritam continet. NIHIL, inquit, ALIVD VOLO NISI PHILOMENAM. Sed ſeruus conſolationem reddit, vt ſi fieri poſſit, adoleſcens æſtus contrarij amoris excludat. & ipſum amorem loquendi dolore ſuſpendit. Huic reſpondit ſententiæ naturaliter. quod omnes cum valemus alijs dare conſilium poſſumus, at ſi in ægritudine ipſi ſimus, de eo, de quo conſilium dedimus, neceſſe eſt aliter ſentiamus. Viſo Pamphilo deliberat Charinus an adeat, & roget, vt nuptijs aliquot proferat dies, id eſt, protrahat. vt periculo iam certo ſpes aliqua dilatione pariatur. Ac deliberationem indicat ſeruo Byrriæ, quid ſibi videatur. At ille diſſuadet ab inhoneſto & inutili * ſpem eſt cadere Pamphilum ſi nihil imperaret, ille continuo ſibi credat Charinum vxorem tollere. Hoc nã ſignificauit. Quid ni? ſi nihil impetres: vt ſit ſenſus quod mihi videtur. *vt ille arbitretur paratum ſibi mœchum ſi tu nihil impetres.* Alij diſtingunt ſic, vt ſimul dicant, non ſeparatim. *Quid ni, niſi.* qui verè nullus eſt ſenſus. Poteſt tamen dici. *Quid ni?* id eſt certe. Et poſt, *ſi nihil impetres*, ſc. reſtat vt arbitretur tanquam ab eo impetraturus. * Vt defendat deliberatiuæ vtitur partibus, (id ſemper impetrationem eſſe docuimus) quæ habet principium ad beneuolentiam conciliandam precibus. AD TE VENIO SPEM AVXILIVM SALVTEM EXPETENS. Pamphilus propter amorem ſuum iſtud aliter accipit, & reſpondet, *neque conſilij locum habeo, neque ad auxilium copiam.* Interrogat tamen ille, quoniam pudoris fuerat dicere, *Vxorem tuam diligo.* Prius interrogat an duceret vxorem: reſpondet Pamphilus quod in opinione eſt, non in eius voluntate. adiungit Charinus ad impetrationem vitæ ſuæ periculum. SICVT FACIS HODIE POSTREMVM ME VIDES. Sed interrogatus à Pamphilo cur iſtud dixerit, pudore confunditur. Allegat ſeruum vt ipſe dicat. Seruus vero callidus, ne minus impetrabile, ſed certe contumelioſum eſſet ſi diceret, amat vxorẽ tuam, *ſponſam* inquit, *tuam amat.* hoc eſt, enim quod adhuc tibi vxor non ſit. Vnde adulterij nulla ſuſpicio eſt, quod illa ſponſa eſt, hic amat tantùm. Sed Pamphilus memor conſilij ſui & voluntatis; quærit vtrum Charino aliqua conſuetudo ſit cum ea. Sed Charinus neſciens conſilium, cur hæc interrogauerit Pamphilus, ſimpliciter negat factum. Volebat autem Pamphilus cauſam ſimpliciter reperire, cur eam non duceret vxorem, quã nolebat. Quod vt ille intellexit ſe ad preces vertit, & petit ex more poſtulantiũ, quo ſemper prima, quæ maiora ſunt, petimus: deinde ea quæ volumus. Nam vti ſupra dixit Charinus, nihil aliud à Pamphilo cupiens, niſi vt aliquot ſaltem nuptijs proferret dies. Hoc igitur cum deſiderio ſit, aliquod amplius primo poſtulat, ſicut diximus. Quia moris eſt vt per partes primo, deinde quod volumus poſtulemus vt ſi negatum fuerit quod primo petitum ſit, iam pudori ſit à quo petitur denegare. Primo petit ne ducat, ſecundo ſi id non poteſt, *aut tibi nuptiæ hæ ſunt cordi*, ſaltim aliquot proferat dies, dum proficiſcatur aliquo. Hoc eſt quod fuerat petitum: [illegible]liter & Iuno ab Eolo poſtulauit, primum quod magnum eſt. Virgil.

Incute vim ventis, ſubmerſáſque obrue puppes.

Ita ſecundo loco quod volebat petit.

Aut age diuerſos, aut diſiice corpora ponto.

Hoc namque deſiderabat Troiani ad Italiam ne venirent, ac propterea diſpergerentur. Huic igitur petitioni reſpondet Pamphilus patienter, vt amici more, non quia petiuerit Charinus, ſed quia ipſe eam nolit ducere vxorem. EGO CHARINE NEVTIQVAM OFFICIVM LIBERI HOMINIS ESSE PVTO, CVM IS NIHIL MEREATVR, &c. Hic ſenſus maximã intentionem deſiderat. *Mereatur* primum hic eſt inſtat: merendo enim præſtatur. vnde Virgil.

——Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam regina negabo
Promeritam ——

Ergo hic erit ſenſus. Ego Charine non arbitror liberi hominis officium eſſe, vnde nihil præſtet, ſibi huius gratia debeatur. Ergo cum hoc tibi non præſtem, nolo mihi debeas gratiam: quippe cum ego

has nuptias velim fugere magis, quam tu adipiſci. Quare vt ceperat Charinus gratias agit. Sed Pamphilus hortatur, vt & ipſe Charinus & Byrrhia faciant, fingant aliquid, inueniant, efficiant vt Charino detur, & ipſe laborabit vt non ducat. Non enim ſequebatur, vt ſi Pamphilus eam non duceret, Charinus duceret.

ACT. II. SCEN. II.

DII BONI QVID PORTO. Hæc Scena coniecturalem ſtatum tenet. Præterea conqueritur, an Simo veras nuptias ſit hodie facturus. Huius rei argumenta Dauus ſeruus callida arte collegit, probaturus falſas eſſe nuptias. Hæc multis locis exprimemus. Ac primum generaliter gaudium ſuum proteſtatur Pamphilum quærendo.

VT METVM IN QVO NVNC EST ADIMAM ATQVE EXPLEAM ANIMVM GAVDIO. Ordinem & rationem poſuit. prius enim id quod malum eſt debet excludi, vt id quod bonum eſt melius feliciúſque teneatur.

NIHIL EST NONDVM HAEC RESCIVIT MALA. Nondum Pamphilus ſciebat Dauum ſcire quod ſibi pararentur nuptiæ. QVEM EGO NVNC CREDO, SI IAM AVDIERIT SIBI PARATAS NVPTIAS. Hic intelligit Pamphilus Dauum ſcire quod nuptiæ præparantur. TOTO ME OPPIDO EXANIMATVM QVAERERE. DAVE PERII. Antequam aliquid audierit Pamphilus, indicat dolorem. Contra illi ſeruus, qui ſcit quid argumentis colligerit, reſpondet. HOC AVDI. Illic ad calamitatis vocem redit ſeruus, ſcire ſe eius ſollicitudinem dicit. QVID TIMEAS SCIO. Quoniam videtur ſeruum perſeuerare, Charinus adoleſcens ad pollicendam ſpem domino Pamphilo; continuo ipſe ſuam calamitatem confitetur: MEA QVIDEM CERTE HERCLE IN DVBIO VITA EST. Sed hic ſeruus repromittit, ac ſe dicit ſcire ipſius ſollicitudinem, Pamphilus autem, tanquam neſcio ſeruo & adhuc ignoranti, ingerit cauſſam calamitatis ſuę, cum dicit NVPTIAS MIHI. Sed eius orationē impleri non ſinit ſeruus, & continuo procedit dicens. ET ISTVC SCIO. Ille perſeuerat dicens. HODIE. Cuius orationem intercepit ſeruus, & vtriúſque ſollicitudinem narrat, dicens. TV PAVSSNE DVOAS ILLAM. Hoc vtique Pamphilo. Charino autem, Tu autem vt ducas.

ISTVC IPSVM. NIHIL PERICLI EST. Irridentis eſt iſta oratio. quia ſupra dixerat Pamphilus *iſthuc ipſum*, repetit tanquam vanum dictum. NIHIL PERICLI. Rogat vt metu liberet dominum ſeruus, & ſummam collocat. Primum hanc rem ſemper facere debet orator, vti ante partium, quæ longo genere narrandi explicabuntur, ſumma primitus collocetur: & hoc maximè in initio, vt facilius res comprehendi poſſit. Eſt igitur ſumma: *Vxorem non dat Chremes filiam ſuam Pamphilo.* eius caſu videatur iſta argumenta collegiſſe; aut ex euentu narrat cauſam, quemadmodum ad indicia veritatis peruenerit. Tunc patet cauſſæ, quemadmodum malum prædixit, & deinde quæ conſequuntur. Quibus in verſibus declarat ſibi maximam ſollicitudinem fuiſſe, poſteaquam patrem cognouerit Pamphilo nuptias non parare.

QVID ADAM COOIT. Incipiuntur igitur argumēta nuptiæ ne ſint, ex hoc verſu: REDEVNTI INTEREA EX IPSA RE INCIDIT SVSPICIO. Omnis coniectura à ſummo ad imum diuiſiones habet, quæ diuiſio dicta & facta continet. Quanquam ſæpe & ex hoc coniectura colligi poſſit, quod non dictum nec factum ſit. Ergo hic vtrunque complexus eſt. Nam non fiunt nuptiæ, quod paululum obiratus eſt dominus, quod ipſe eſt triſtis. Deinde rurſus factis ſoceri volens argumenta colligere, quæ diximus pertinere ad diuiſionem quæ à ſummo ad imum eſt, colligit ab his quæ facta non ſunt. CVM ENIM ILLO, inquit, VENI SOLITVDO ANTE HOSTIVM. Vtique frequentia eſſe debuit. Sed ne hoc parui temporis ſit, MANEO, inquit, INTRA NEMO INGRESSVS EST. Nulla matrona in ædibus fuit, nullus ornatus, tumultus nullus. Hæc ab his ſunt quæ facta non ſunt, cum fieri denique debuerint. quibus rebus certum eſt nuptias non parari.

SCIO MAGNVM SIGNVM. Proprie *magnum ſignum* dicitur in factis & dictis. Ad quæſtionem argumentum collectum.

NON OPINOR DAVE. Coniecturam perſpiciens *opinor* dixit, id Dauus quaſi iam collecta ſit veritas, indignatus negat dici

debuiſſe *opinor*; adiecitque, NON RECTE ACCIPIS, quia certa res. Alia argumenta atque ab ipſa diuiſione factorum atque dictorum, quod puerum inuenerit Chremetis. HOLERA PISCICVLOS MINVTOS FERENTEM AD COENAM SENI. Ne forte aliquis puer ferret in cœnam ſeni. ita coniectura firmata eſt à factis, vel perſona Simonis, vel perſona Chremetis, quæ ſicut diximus, in diuiſione conſiſtunt.

AC NVLLVS QVIDEM. *Nullus*, pro non. Vt ſit ſenſus, non quidem liberatus es. Cui ſubiungitur. QVID ITA NEMPE HVIC ILLA PRORSVS NON DAT RIDICVLVM CAPVT. Intellexit Dauus ſtultitiam Charini, qui dixit; *nempe huic illa prorſus non dat*. Secundum quod ſupra diximus. non enim neceſſe illum illam continuo ducere, ſi hanc non duxerit Pamphilus. Et a poſſibili dicere debuiſſe innotuit.

ACT. II. SCEN. III.

QVID IGITVR SIBI VVLT PATER CVR SIMVLAT. Nunc quæritur cur falſæ nuptiæ fingantur à patre. Et hoc loco deliberatio eſt, in qua perſuaſio continetur. Deliberat nãque an polliceatur patri Pamphilus, ſe vxorem eſſe ducturũ. Perſuaſio, vt dixit, ex hoc colligitur: falſæ ſunt nuptiæ, ſus metus eſt polliceri. Sed huic rei argumẽta hinc ſuſcipiuntur, quod cauſſam pater iraſcendi filio inuenire deſiderat. Sed enim hanc ſuſcipiat, ſi Chremes nolit dare filiam ſuam coniugem. ſi verò negauerit Pamphilus, illic culpæ origo naſcetur. tum malum & ſeditio maxima inter patrem & filium poterit generari. QVIDVIS PATIAR. Senſus hic eſt, Noli perſuadere. quantum velit licet iraſcatur pater. quæcumque per iracundiam fecerit ſuſtinebo. hoc eſt quodcunque patiar. Hic iam perſuaſio eſt. vt polliceatur, quæ efficitur à terroris parte.

PATER EST, inquit PAMPHILE. An fieri poſſit vt imperium ſentiat, adiecit, *difficile eſt*. Deinde ab vtili & honeſto. TVM HAEC SOLA EST MVLIER. Quæ quidẽ res ad omnia proficit. Nam quæ ſola eſt, facile iniuriam pati poteſt. Denique hoc adiunxit. DICTVM AC FACTVM. Aliquam cauſam, vt ſupra diximus; quoniam actus hominis in his duobus conſiſtit, vel dicto vel facto. ideo complexio eſt. DICTVM AC FACTVM INVENERIT ALIQVAM CAVSAM QVAMOBREM EICIAT OPPIDO Tritus adoleſcẽs iniuria, quod fieri amicæ poſſit, continuo conſiliũ quærit. ERGO IGITVR QVID FACIAM DAVE. Ipſa propoſitio perſuaſionis. DIC TE DVCTVRVM. Repugnat contra Pamphilus. Perſuaſio ſequitur continuo. quid fieri habeat, ſi hoc fit. Hoc eſt, ſi polliceatur ſe eſſe ducturum.

AB ILLA EXCLVDAR, HAC CONCLVDAR. Hic leui mutatione verbi fit figura paronomaſia, vt à Glicerio excludatur inquit, hic erit euentus: at ille contra qui perſuadebat, oſtendit quis euentus ſit futurus ſi polliceatur: & facile eſſe dicit. NEMPE HOC SIC ESSE OPINOR DICTVRVM PATREM, DVCAS HODIE VOLO VXOREM: TV DVCAM, INQVIES. Vt oſtendat rem in verbis eſſe, poſt nihil futurum ſermonis, adiungit. ERGO QVID IVRGABIT TECVM. Ipſum deinde ponit dicentem. HIC REDDES OMNIA QVAE NVNC CERTA SVNT CONSILIA INCERTA VT SIENT. Ab vtili ſubiungitur. SINE OMNI PERICVLO. Sed hoc tum demum conſilium bonum eſt polliceri patri, ſi Chremes filiam ſuam Pamphilo nolit tradere vxorem. Nam ſi velit tentare adoleſcentis animos ſenex, & continuo ad Chremetem pergere & petere filiam, periculoſum eſt. Ideo adiungit, fortaſſe poſſe aliqua mutari, vt Chremes quidem nunc nolit, tamen tradat aliquando. Aduerſus iſtud igitur. NE CONSILIVM MVTET CHREMES, nihil aliud conſilij datur.

NEC TV EA CAVSA MINVERIS HAEC QVAE FACIS IS NE MVTET SVAM SENTENTIAM. Hoc quidem obſcure dictum eſt, ſed eſt ſenſus. Vnde tu ſententiam ſuam ne mutet. Chremes, hæc quæ facis mutare noli, vt ad amicam vadas. Redit rurſus ad conſilium, PATRI DIC VELLE: & concludit euentum. CVM VELIT TIBI IVRE IRASCI, NON QVEAT. Hic quæſtio. Sed aliam pater poterit quærere vxorem. Huic reſpondetur coniecturaliter. NAM QVOD TV SPERAS PROPVLSABO FACILE. HIS MORIBVS DABIT NEMO. *Speras*, id eſt times, ἀκυρολογία: & *propulſabo*, id eſt repellam: vnde abiectio & depulſio criminis. Si perſeueras in his moribus, nec Chremes nec alius dabit tibi filiam ſuam. Hic rurſus incidit alia quæſtio. Sed qualemcumque inueniet pater. Ne det his moribus perſeueres. INVENIET INOPEM PO-

TIVS QVAM TE CORRVMPI SINAT. Hoc ergo proponit quaſi ex aduerſa parte: & eſt collatio duorum malorum, quorum alterum eligitur. ALIQVID INTEREA ACCIDERIT BONI. Quoniam in rebus aſperioribus, quæ vitari non poſſunt, remedium eſt dilationis perſuaſio. Talibus commotus adoleſcens vnam ſollicitudinē, non iam ex amore, ſed ex pietate ſupponit, quod metuat, ne natum ſibi filium pater poſſit agnoſcere. VIDE QVO ME INDVCAS. Eſt autem *inductio* oratio, quæ rebus non dubijs captat aſſenſionem eius, cum quo inſtituta eſt. CAVE TE ESSE TRISTEM SENTIAT. Hoc verbum, id eſt *caue*, ſignificat *vide ne*. Et hoc interdum.

ACT. II. SCEN. IIII.

REVISO QVID AGANT. Hæc ſcena euentum ſupra poſiti conſilij complectitur. vt temptet filium pater, cui ex ſuaſione Daui filius promittit. ORATIONEM SPERAT INVENISSE SE QVI DIFFERAT. Id eſt, increpet vel diſſipet te. Admonet rurſus adoleſcentem, quo facilius reſpondeat. FAC VT APVT TE SIS. Id eſt, conſilium tibi traditum mente contineas, quo facto, apud te eſſe poteris.

CREDE MIHI. Quoniam Pamphilus veluti difficultatem poſuerat dicendo, *vt poſſim*: Reſpondit rurſus ad euentum, quod pater verbum non commutaturus ſit, ſi ſe dixerit ducturum.

ACT. II. SCEN. V.

ERVS ME RELICTIS REBVS. Hæc ſcena fortunæ interponitur. Byrria ſeruus Charini, qui Philumenam vult ducere vxorem, quam quidem Pamphilus non vult, dū pater filio offert, interuenit, quo error facilius poſſit increſcere. Apponitur eo tempore quo Phāphilus ex ſuaſione ſerui, falſo quidem non voluntate promiſſurus eſt patri, ſe vxorem eſſe ducturum.

HODIE VXOREM DVCAS. Supra enim Pamphilus ipſe dixit. *Praeteriens modo mihi apud forum, vxor tibi hodie ducenda eſt Pamphile.* Merito ergo nunc, vt dixi.

NVNC NOSTRAE TIMEO PARTI Hoc ex perſona Byrriæ intelligendum, propter timorem domini, quem habet.

SVM VERVS. Id eſt, vera dico. Dauus hoc loquitur, quod ſecundum promiſſionem nullum verbum fecerit ſenex.

MEMINI VIDERE. Hoc eſt, ſcio & intelligo quid videam. QVO AEQVIOR SVM PAMPHILO SI SE ILLAM IN SOMNIS. Scio etenim videri quod ſit pulchra. Cognoſco & faueo Pamphilo, quod maluit illam ſe potius amplecti, quàm alteram.

ACT. II. SCEN. VI.

HIC NVNC ME CREDIT. Hæc ſcena dolos habet vtriuſq; perſonę ſenis & Daui. Nāmque ille inquit, an filius ægre ferat, quod facturus eſt nuptias. Contra callide ſeruus reſpondet, non omnino negans, ne fidem perdat, ſed eſſe apud Pamphilum ſollicitudinem diem. Nam iam cognitum eſt, quod propterea * fuerat dimiſiſſet. Et vt veriſimile faciat, quanto ſibi decori eſſe putauerit, quod amore meretricem dilexerit. Pamphilus cogitauit, & omnia temporis ratione compulſus, vult Glycerium vxorem. At Simo ſenex amici cogitatum metitur ex vultu, vt dicat pater filium ægre ferre, quod ſubtriſtis eſt viſus. Hic fiunt quaſi per coniecturam argumenta. Ille enim dicit triſtem eſſe propter nuptias: hic ſupponit aliam cauſam. Et quandoquidem repentinum eſt, quod obiecit ſenex, diu quæreus Dauus multa promit. Ad poſtremum diriuationem cauſæ hanc ponit, quod nimis parce pater faciat ſumtum, cū filio tradat vxorem. Addit cauſas, quod neminem ex amicis vocet ad cœnam. Adicit & ſeruus teſtimonium ſuum, quod verè parce ſenex præparet cœnam.

QVID NAM HOC EST REI. Secum cogitat ſenex orationem Daui, expromiſſionem filij. Non vera omnia ſuſpicatur ex moribus ſerui, quem *veteratorem* appellat, hoc eſt, callidum & aſtutia vetuſta roboratum. Concludit ergo: ſi in hac re aliquid mali eſt, illic eſt huic rei caput. Et illis inter ſe loquentibus, Simo vt agnoſcat filium illam peregrinam amare, quo amplius incendatur ad nuptias, vt ei error omni ratione cumuletur, vel ex locutione mulieris, vel ex vocibus parturientis, credit in ſui præſentia cuncta ſimulari.

ACT. III. SCEN. I.

AB ANDRIA EST. Ex proprietate linguæ agnouit illam. Secum igitur coniecturalibus argumentis cogitat, veriſimile non eſſe ſuſcipere velle liberos ex peregrina. vnde confirmat mulierum calliditate fieri, vt nuptiæ impediantur.

IVNO LVCINA. Duas poteſtates habet Iuno: eadem namque pronuba eſt, hoc eſt nubentibus præeſt. Vt eſt, *Iunoni ante omnia, cui vincla iugalia curæ.* Eadem & Lucina, quod præeſt parturientibus, & lucem naſcentibus dat. Hanc quidam tamen potius Dianam eſſe dixerunt: nam ita Menander ipſam vocat cum dicit, Artemin. quamquam & Virgilius eandem Lucinam Dianam voluit. vnde eſt. *Caſta faue Lucina tuus iam regnat Apollo.*

NON SAT COMMODE DIVISAE SVNT. Non bene, inquit, hæc diuiſiſtis, nec bene temporibus tradidiſti. Quaſi Daui conſilio iſta completa ſunt, vt cum ſenex ante hoſtium ſtaret, tunc continuo pareret puella.

NON IMMEMOR ES DISCIPVLI. Supra enim dixerat. Si quis magiſtrum cœperit ad eam rem improbum. Atque ita eſt ſenſus hic. Numquidnam tu es immemor diſcipuli tui, hoc eſt Pamphili. Et eſt argumentum à maiore ad minus. ADORTVS ESSET. *Adorior*, id eſt aliquã rem incipio, facit præteritum *adortus ſum.* ſin verò ſignificat, loqui incipio, *adorſus ſum.* Ponuntur tamen pro ſe inuicem.

IN PORTV NAVIGO. Mea inquit conſilia ita ſunt, quemadmodum nauis in portu.

ACT. III. SCEN. II.

ADHVC ARCHILLIS. Hæc ſcæna ad horrorem cumulandum videtur adiecta, vt Leſbia obſtetrix domo egrederetur, & quæ eſſent intus facienda de via mandaret. Et quoniam in primo partu grauis ſemper dolor eſt, dicit puellam non debere eſſe ſollicitam: quippe omnia ſigna quæ ad ſalutem eſſe poſſunt, integra permanere.

NVNC PRIMVM FAC ISTA VT LAVET. Ea quæ peperit, medicinæ ratione ad lauacrum compellitur, vt dolor deſinat. Sed melior ſenſus eſt, *Nunc primum fac iſta vt lauet.* Vt illa ſcilicet, quæ immunda ſunt ſanguine parturientis, lauentur. Et puerum enim & puerperam, poſt partum ſtatim, aqua tepenti perfundi, placet phyſicis: puerúmque genitali aluo profuſum, ſi nimium frigus exceperit, vix ad vitam euadere. Cuius rei exempla ſunt vitrea vaſa, quę temperata mutatione fornacum frigus aſſueſcunt: ſi ſtatim reſtrixerint, franguntur.

QVOD IVSSI DARI. Vtique hoc ad dolores continendos datur. & hic neſcio quid medicinæ intelligitur.

PER ECASTOR. Iuratio eſt per Caſtorẽ. SCITVS PVER. Id eſt, elegans & admodum ſuauis: vel perſcitus, id eſt valde bonus.

QVANDOQVIDEM ILLE EST INGENIO BONO. Vt mereatur filius ſuperſtes eſſe. NON IMPERABAT. Quod facto opus eſſet puerperæ. Argumentum eſt quo doceat, ab Dauo iſta vniuerſa compleri. *Puerpera* autem dicitur quæ recens eſt partu: & à mulieribus ſexus parte nomen impoſitum eſt. Nam vtique & puellam & puerum pariens dicitur *puerpera.* quamquam & antiqui *puellam pueram*, ſæpè dixerunt.

SALTEM ACCVRATE. Ita me inquit, dolis debes fallere, vt in omnibus actibus videar à te timeri. Et eſt figura antiſagoge, propoſita ſuperius epimone.

CERTE SI RESCIVERIM. Scilicet, puniam te: quod per iram dicere non potuerit.

EDIXIN TIBI. Ad hunc. eſt ἐπιτροχασμός. QVID RETVLIT. Hoc eſt, quid profuit me ante dixiſſe. ſupra enim: *Neue tu dicas tibi non prædictum caue.*

TENEO QVID ERRET. Intellexit Dauus mulierum conſilium hoc ſenem ſuſpicari, quod illæ ad terrendas nuptias videantur iſta ſimulare. Idcirco vult commendare conſenſum, quo domino ſuo error augeatur. NIHILO SECIVS. Pro, nihilominus deferent huc puerum ante oſtium, quo facile & de præterito Dauus admonuiſſe dominum declaret, & vt opinionem à ſe amoueat. AVDIVI. Inquit coniecius non ſum, qui auditu iſta cognoui. Sed incipit quæſtio per locum communem, an à me credendum ſit: adiungit argumenta ex pluribus rebus. ET CREDO MVLTA. inquit, *concurrunt.* Quia argumenta colligit ex factis præcedentibus, & dictis, quod graui-

dam ſe mulier eſſe dixerat. Colligit tamen eaſdem hoc eſſe facturas vt puerum ante oſtium ponant, ſiquidem obſtetrix iam videtur eſſe accerſita. Obijcitur rurſus Dauo, cur non hoc, cum expoſitionem argumentis collegiſſet, continuo non dixerit Pamphilo. Et hic ſimiliter quaſi reus efficitur negligentiæ. At hoc coniecturaliter refutatur & vtitur teſtimonijs. Poſt fit argumentum à perſona. Quod ille eſt filius, ille ſeruus, vt de redhibendo fidem filio nihil reſtare autumat, niſi vt Chremetem oret.

ACT. III. SCEN. III.

IVBEO CHREMETEM. Hæc ſcena petitionem habet: quippe Simo redit ad Chremetem, vt filiam ſuam det eius filio; Hic vtique qualitatis eſt & deliberatiuæ forma *Iubeo*, inquit, *Chremetem*. id eſt, volo. vt Virgilius:

——— reddique viro promiſſa iubebat.

Conuenit & Chremes, certa ratione compulſus: oportuerat enim Chremetem de Pamphilo eſſe ſollicitum, quippe qui prior venerat vt ei polliceretur nuptias. Non ergo ſine coniectura eſſe debuerat, qui operam, quid ad Pamphilum pertineret, vel argumentis vel rumore cognoſceret. Sed etiam nunc cum Simo nuptias præpararet, falſas quidem veri rumor fuit: quo debuit Chremes compelli. Sed ipſe præuenit. *Aliquot me* inquit, *adierunt*. Vnde pulcherrimum argumentum dedit, vt non iam rumor ſit, ſed pœnè veritas, quam ab ipſo Simone auditam eſſe dicebat. *Hodie* inquit *filiam meam nubere tuo nato*. Et indignationis partes exequendo ait. *viſo tun' an illi inſaniant*. Sed Simo petit audientiam: & principium deliberatiuæ *Auſculta*, inquit, *& quid ego met te velim, & tu quod quæruſcies*. Deinde incipit ipſa petitio: primo à precibus. *Per ego te deos oro & noſtram amicitiam Chreme*. Deinde ad ipſam petitionem; *vt nuptiæ fuerant futuræ fiant*. Et pulcherrimè inſinuatione vſus eſt, quod in admirabili genere cauſæ turpitudo auditori perſuaſa fuerat. Hic reſponſio datur ab vtili. *Si in rem eſt vtrique, fiant accerſi iube*. Quam quidem rem in quæſtionis loco poſitam diſſimilat, & fieri poſſe dicit. *Iræ ſunt inter Glycerium*. Vt contuliſſe videatur tametſi inutiles nuptiæ ſint, tamen occaſio eſt vt vtiles eſſe poſſint.

AMANTIVM IRAE. Hoc argumento vſus ex amore refutat ſuperiora, dicens: quod amantes per iram reconciliati, nunquam ſe deſerunt, ſi ſe ante perfectè amarunt. A conſequenti quid fieri poſsit prouidens, procedere tentat, dicens. *Dum tempus eſt*. Et per χαρακτηρισμὸν, id eſt informationem futurorum, quid conſequens ſit dicit, ab vtili. *Chreme* autem vocatiuus Græcus eſt.

QVI SCIS ERGO NVM PERICVLVM. *Periculū* eſt tentamentum vt Cicero. *Quando tu tui periculū feciſti*. Item ipſe in Eunucho. *Fac periculum in litteris*, Et eſt παλιλογία, quæ fit quando nomen repetitum vehementius ſignificat. vt *At iſtuc periculum*. Nam iſtud nomen per metonomiam adiectum eſt: quia in periculis multa tentamus.

SI EVENIAT DISCESSIO. Id eſt, ſi fiat diuortium. Nam *Quod Di prohibeant*, parentheſis eſt.

QVOT COMMODITATES. His partibus vtilitatis & honeſtatis compulſus Chremes, qui negauerat filiam Pamphilo traditurum, & amicitiæ ratione & conditione vtilitatis impulſus, promittit filiam.

SEMPER MAXIMI FECI. Hoc eſt, plurimum dilexi & maximum habui.

DISCORDARE INTER SE. Hoc eſt diſcordes eſſe. Hanc rem quum quæſiſſet, vt veriſimile diceret, potius dixit hoc ſeſe à Dauo audiſſe, qui eorum intimus videtur eſſe à conſilijs. Atque vt verum conſilium Chremeti poſſit oſtendere, & ipſum Dauum euocat foras.

ACT. III. SCEN. IIII.

AD TE IBAM. Hæc ſcena gratiarum actionem tenet, quod ſeruus conſilia domini non fallat. Hic tantummodo qualitatis ſtatus eſt in omnibus gratiarum actionibus. Tunc & conſilium ſuum de nuptiis quid fuerit confitetur. *Non fuerant nuptiæ*. Nam antea dixerat, quo corrigeret illum. *Timui ne faceres quod vulgus ſeruorum ſolet*. Siquidem *vulgus* dixit per multitudinem. *Vt me deluderes propterea quod amat filius*. Vbi pulcherrime παλιλογίαν expreſſit. *Ego iſtuc*. qua grauitate pronunciatio-

nis, vt in ἀγοραία fieri ſolet, ille ſe abſoluit. Vnde dominus ei iam credit. *Sed ea gratia ſimulaui*, alij *ſic malui*. Siquidem *ſimulamus* ignota, *diſſimulamus* nota. Et exponit cauſam conſilij ſui; *vos vt pertentarem*.

VAH. interiectio eſt ex affectu admirantis vel indignantis.

NVM NAM PERIMVS. Tunc primum intelligit Dauus ſe malum dediſſe conſilium Pamphilo, vt patri polliceretur ſe vxorem eſſe ducturum.

OPTIME INQVAM FACTVM. Quoniam audito cõſilio ſenis, ſeruus dixerat *occidi*, interrogatus à ſene rurſus quid dixiſſet, *optime* inquit *factum*. Nam ab vna litera vtrumque incipit verbum. Nunciatis igitur veris nuptiis, ſubiungitur adhortatio, vt perſeueret filium Dauus corrigere, ne adhuc animus amore meretricis impeditus facile nuptias & patris imperium contemnat. EGO VERO SOLVS. Hæ interruptiones in Terentio ſæpius poſitæ, ita ſunt ſuſpendendæ, vt ſeries orationis tenorem ſuum vſque ad vltimum ſeruet, ſicut hic. IRRITATVS. Iniuriis prouocatus.

MIRVM NI DOMI. Ex hoc declarat non eſſe illum apud meretricem, ideo mirandum eſt, ſi non domi eſt. DICAM ITIDEM. Adſimiliter, & eſt aduerbium qualitatis. Remanſit ſeruus cognito conſilio domini, & ſecum loquitur, ſe iam eſſe periturum, quod euentus aliter ceciderit, quàm ipſe conſilium non recta calliditate ſuſceperit. Ita ſecum loquitur hæc: & eſt oblocutio habens quid metuat, & quid velit. Nam quid metuat hoc eſt. Nihil eſt preci loci relictum, iam perturbaui omnia: nihil ergo cauſæ eſt, quin in piſtrinum recta proficiſcar via. PRECI. Antiqui declinabant *prex precis* vnde remanſit in vſu accuſatiuus & ablatiuus in ſingularitate. *Aſtutia, ſcelus, malum*, & reliqua alia interiectiones ſunt dolentis aut iraſcentis, quando ita ponuntur.

ACT. III. SCEN. V.

VBI ILLIC EST SCELVS. Hæc ſcena controuerſiam tenet talem. Dauus arbitratus falſas nuptias, conſilium dedit domino vt annueret patri. Vnde ille exorauit ſocerum, qui ſe promiſit filiam daturum. Fit reus Dauus, quod decepit dominum. Hic ſtatus eſt qualitatis venialis, in qua etſi de præterito tempore videatur eſſe deceptus, docet nihilominus ſe ad futurum poſſe prouidere. Eſt igitur accuſatio hæc. *Vbi illic eſt ſcelus qui me perdidit*. Quamquam conqueſtio in principio collocata auget crimen, quod dicit, iure ſibi iſta obtigiſſe, quod ſerui conſilio vſus in periculo ſit, & non ſua ſibi ſententia ingenióque ſubuenerit.

FORTVNAS MEAS COMMISISSE FVTILI. Id eſt, leui & vano ſeruo. PRÆMIVM OB STVLTITIAM. hoc eſt, meritum atque pœnam. Virgil.

——— *Rem magnam preciumque mora*.

Et ——— *illum Tydides alio pro talibus auſis*

Affecit precio ———.

INVLTVM ID NVMQVAM. Impune nunquam feret, id eſt pœnam ſuſtinebit.

POST HAC INCOLVMEM. Facile me intelligo, inquit, incolumem eſſe futuro tempore, ſi hoc malum quod præſens eſt euitauero. QVID EGO NVNC DICAM. Pamphilus modo deliberationis quærit quid faciat, an neget id, quod iam promiſerat. Sed eſt forma non plenæ deliberatiuæ, & propterea diuiſiones integras non habet. At poſtquam Dauum conſpexit, continuo proponit quæſtionem & crimen intendit.

EHO BONE VIR. Bone ἀντίφρασις eſt. Et eſt hic accuſatio tota. At contra ille nec defendit ſe, nec purgat; ſed ſpem tantummodo pollicetur. *At iam expediam*. Vbi eſt paronomaſia. ſcilicet impeditum ſoluam.

FVRCIFER. In ſeruos iſtud ſæpe conuitium dicitur: quod cum addicuntur pœnæ, furcam ex materia qualibet factam, ligatam collo ſuſtinent. Vt Cicero. *Quid deinde furcifer, quo progreditur*.

AN NON DIXI HOC. Vbi ait, vt *ab illis excludar, hac concludar*.

QVID MERITVS? CRVCEM. Semper pietas commouetur iratis, ſi illi qui in crimine conſtituti ſunt, ſe pœnam meritos eſſe fateantur. ideirco adiecit ſeruus, *crucem*. Et ab Athenienſibus hæc lex fuerat conſtituta, vti damnatis, pœnæ proponerentur, vt eligerent quam vellent: & ſi leuiorem eligerent, grauiore afficiebantur.

NAMQVE HOC TEMPVS. In periculis poſito prior eſt cura proſpiciendi, quã vindicandi. Vnde etiam Neptunus, cum ma-

te cerneret eſſe turbatum.

——— *ſed motes præſtat compenere fluctus:*
Poſt mihi non ſimili pœna commiſſa luetu.

ACT. IIII. SCEN. I.

HOccin' est credibile. Hæc ſcena accuſationem tenet, quod Pamphilus non ſeruauerit fidem. quippe qui dixerat ſe non eſſe vxorem ducturum eam quam amabat Charinus. Sed huic accuſationi reſpondet Pamphilus, ſe potius eſſe deceptum, neque quod fecerit, hoc feciſſe propria voluntate. Vt venialis ſtatus ſit. Accuſatio igitur generaliter cœpit, quòd multi homines mali de incommodis alterius gaudeant. Accuſatoris ſemper eſt, generalitate propoſita ad ſpeciem crimen adiungere. Vt eſt illud: *Nihil enim eſt, vitæ res poſcere eum, qui non poſſit ſua reddere.* Deinde ſubiungitur de Cecilio. *Hic ego Cæcili de te non dicam.* Ita & hic ſubiungitur ſpecies de Pamphilo, quod ipſe malo alterius videatur gaudere. Et eſt ſenſus. Num quid credi poteſt, quod ſit alicui tanta malitia inſita, vti non compatiatur alterius miſerijs, ſed potius gaudeat: & nunquam ſe felicem credat, niſi ſit cui compatatus inſultet. Et definit qui ſit inuidus. De quo Martialis: *Omnibus inuidias Inuide nemo tibi.* Pessimvm hominvm genvs. Senſus eſt. Hominum genus ſemper intelligitur peſſimum, qui ſemper fraudibus viuunt. At ne quaſi contra opinionem omnium iſtam ſententiam videatur dixiſſe, quod dixerat, *verum hominum genus*, intelligens malos homines, adiecit deinde peſſimum hominum genus.

Proximvs svm egomet. Hoc eſt, mihi potius debeo conſulere, cum maior vtilitas nobis noſtra eſt, quam aliena.

Vbi fides est. Ac ſi interroges, vbi ſunt quæ promiſſa ſunt, hoc eſt vbi fides maneat.

Nihil pvdet hic vbi opvs, illvc vbi opvs est ibi non verentvr. *Hic vbi opus eſt*: hoc eſt, cum iam debeant complere promiſſa. *

Et cvm eo inivriam. Cum eo cõqueratur de hac iniuria: hoc enim ſignificat *expoſtulatio*, cum iniuria ei efficitur cum aliquo quæſtio. Nihil promoveris. Hæc quaſi per interrogationem ponuntur. Cùm ſit enim hoc conſilium Charini, vt accuſationem ingerat in Pamphilum, proponit ſibi in irritum accuſationem euenturam. Itaque quaſi aliquis dicat fruſtra accuſaturum eſſe Pamphilum. *Si quis ergo eſt qui dicat, nihil promoueris*: tanquam reſponſio ſubiungitur verbum illud quod ſequitur. *Multum*, hoc eſt multum promouero, dum meam compleam voluntatem.

Charine et me et te. Hic incipit defenſio, & ſimul ſtatus venialis per imprudentiam. At Charinus perſeuerat in accuſatione, per palilogiam, repetendo imprudentiam. Cùmque Pamphilus fidem apud amicum perdidiſſet, qui ſe & à dictis & à factis nimis inſipienter egiſſe in antecedentibus reprehendit, adhibet teſtem Dauum, cuius conſilio iſta fecit.

Habeas. Σύγχυσις eſt, quæ fit quando concedimus mala importune deſiderantibus: vt eſt etiam illud. *Habeat, valeat, viuat cum illa.*

Qvid istvc tam mirvm. Iſta inquit ſtultitia & malis moribus viuis, vt iuſte de te pœnas captet ſeruus. Hoc eſt *exemplum capit*. ponitur enim hoc ex pœna atque ſupplicio. vt ipſe Terentius alio loco dicit, *Vterque in te exemplum dent.*

Altercasti. Contendiſti, diutiſſime diſputaſti. Svccenset. iraſcitur. Aervmnas meas. Miſerias & labores.

Coactvs tva volvntate. Quia eſt neceſſitas naturalis, eſt etiá neceſſitas cum voluntate, eſt & ſine voluntate. Sed poſtpoſita naturali, de duabus reliquis hic agitur. Ait enim, quia non pater te coëgit, ſed tu coactus tua voluntate.

Cvr me enecas. Cur his dictis crucias.

Donec perpvlit. Id eſt, perſuaſit. Qvi avscvltaverim. Qui conſenſum huius perſuaſionibus commodauerim.

Eho dic mihi. Stultum admodum Daue & contrarium domino dediſti conſilium: namque ſi inimici Pamphilum vellent vxorem ducere, non aliud conſilium darent, quam quod tu dediſti. vti, cum videres eum alterius amore retineri, cogeres tamen vt promitteret patri vxorem eſſe ducturum.

Deceptvs svm. Cum non habeat purgationem ſeruus confitetur de peccato. tamen promittit aliquid ſpei, vt periculum

poſſit

poſſit euadere.

HAC NON SVCCESSIT. *Succedere* dicitur, cum bene aliquid prouenit. NISI ID PVTAS. Niſi credis, inquit, exinde iam ne bonum conſilium reperiri non poſſe, quia primum contrarius decepit euentus.

CREDO SI ADVIGILAVERIS. Colligit Pamphilus conſilia Daui ad hoc proficere poſſe, vt mala duplicata geminentur. & eſt [illegible].

PRO SERVITIO DEBEO. Vt corpus quod in ſeruitio eſt, debeat ſeruientis officium: animus verò nunquam à ſeruo quæri debeat: Ita conſilium quod dedi parum ſi prouenit, debes ignoſcere. Hoc cùm dominus audiſſet, petit [illegible] ſibi præterita fortuna reſtituatur. *Reſtitue quem à me accepiſti locum.* Quoniam ſeruus dixerat, ſi conſilium meum bonum non eſt, tute aliud reperi. Dominus dicit ſe vtile ſibi eſſe repertum, ſi modo in eo loco ſit, vbi fuit antequàm promiſiſſet patri. Tunc enim tuta erant omnia, neque quadam neceſſitate tenebatur, vt vxorem duceret. Nunc autem quia coactus à ſeruo eſt, non poterit iam negare, quod pollicitus eſt.

NIHIL AD TE. Hic diu inquirentem ſeruum, & vana ſibi colligentem caſtigat adoleſcens.

INVENTVM DABO. Hoc quod quæris iam inueniam, & conſilio tibi eum locum reſtituam, quem antea tenebas.

ACT. IIII. SCEN. II.

IAM VBI VBI. Opportune in hac ſcena incerto adoleſcenti & anxio plane quod agat, interponitur Mysis ancilla, cuius aſpectu & commemoratione facile animus in amorem inclinatus incubat, quemadmodum & ſuprà diximus. ANIME MI. Comicum nomen blandientis.

ORARE IVSSIT. [illegible], cum prætermittentes quædam nihilominus dicimus. Nam prætermiſſo nomine Glycerij ait, *Orare iuſſit*, quia ſuperfluum eſſet, ſi nominaret eam.

VIDERE AIT TE CVPERE. Hoc per affectus neceſſitatem. Hoc vtique Myſis egit vti adoleſcens amore rurſus incitatus exiſteret. INTEGRASCIT. Renouatur.

POTVERAT QVIESCI. Charini perſona iſtud dicit, quam facile quieſci potuerat, in nuptiis, ſi Dauus non tale domino tradidiſſet conſilium, vt ducturum ſe promitteret.

AGE SI HIC NON INSANIT. Si dominus meus, inquit, ſua ſponte non iraſcitur, tu Charine impelle & coge.

AEDEPOL EA RES. Myſis reſpondet ad id quod Pamphilus fuerat ſuſpicatus, quod Glycerium idcirco ſe aduocet, quod nuptias futuras eſſe audiuit. *Ea*, inquit, *res eſt*. Hæc cauſa eſt miſeræ ad dolorem.

PER OMNES TIBI ADIVRO. Sic ſemper hi, apud quos iam periit fides, cum argumenta deficiunt, per iuſiurandum ſibi in probationem ſuccurrunt: vt eſt Sinon apud Troianos, qui cùm ſibi ex captiuitate parum credi intelligeret, iuſiurandum adhibuit. *Vos æterni ignes, & non violabile veſtrum*

Teſtor numen ait.

NON SI CAPIVNDOS. Hoc ex generalitate concluſit. VALEANT. ἀκυρολογία, id eſt, pereant. QVI INTER NOS DISSIDIVM. Id eſt, diuortium.

NON APOLLINIS. παραβολὴ, ſiquidem eſt rerum genere diſſimilium.

QVIS VIDEOR. MISER. Quoniam ſecundum conſilium quod Pamphilus poſuit tale eſt, vt dixerit patrem ſe non timere, ſi intellexerit quod ipſe fecit ne nuptiæ fierent. Idcirco & quæſiuit ipſe qualis futurus eſſet ex hoc conſilio, & reſponſum eſt ei, *miſer æque atque ego.*

HOC EGO TIBI. Quia ſpem habere poſſe cognoſcitur, quod ipſius opera futurum ſit, nuptiæ ne fiant. ideo dixit, *conſilium quæro.*

DIES HIC MIHI. Dauus ſeruus cùm conſilium quæreret, vt proferat, ipſe ſibi repperit argumenta, vt dicat diem ſibi vix poſſe ſufficere. vt compleat de narratione conſilium. *Vereor* autem eſt, timeo, & tali verbo iunctum pro *ne* accipitur. AMOLIMINI. diſcedite. nam *molior* eſt conor vel excogito: vnde *amolior* & *demolior*. *Molo* vero, eſt molam verto.

NARRATIONIS INCIPIT. Dauus volens Charinum depellere quo celerius quæ eſſent agenda compleret, aſtute interrogauit, cum omnes irent, *quid tu quo hinc te agis*. non enim vere audire voluerat, ſed tantum impedimentum ad interrogationem diſcederet. * At ille tanquam interrogari ſe credens, cœperat neſcio quid narrare, cum di-

xit: *Verum vis dicam.* Vnde iratus vehementer Dauus, quod ſibi neſcio quid narrare vellet, cum hoc aſtute dictum fuerat, vt diſcederet. *Immo narrationis mihi incipit initium.* Cum iam enim diſceſſionem tuam complere debueris, neſcio quid narrare cœpiſti.

Tv impvdens non satis. Scit Dauus quid petierit Charinus à Pamphilo, & idcirco impudentem appellat, quod amplius petat quam ante deſiderauit, *Saltem aliquot dies profer, dum proficiſcar aliquo ne videam.* Veruntamē ſtat Charinus conſilium expetens, non tantum vt differat nuptias, ſed vt ipſe ducat vxorem. Hinc ſequuntur interruptiones quam plurimæ.

ACT. IIII. SCEN. III.

Nihilne esse. Hæc ſcena compoſitionem doli habet, quem Dauus domino futurum eſſe prædixerat: ſcilicet à mulieribus puerum ante hoſtium collocandum, quo viſo Chremes Pamphilo filiam ſuam non daret. Ac primo conquæritur Myſis, quod Pamphilus qui promiſerat ſe ducturum Glycerium, iam incertam habeat voluntatem. *Proprium* dixit perpetuum & fixum, vt Virg.

——— *propriámque dicabo.*

Et, ——— *da propriam Tymbrae domum.*

Svmmvm bonvm. Hoc eſt, ſummum & bonum amicum & amatorem. Ex eo nvnc misera. ἀντωνομασία eſt quod dixit *era.* & *miſera* ab animo & extrinſecus. Vbi eſt argumentum à minore ad maius. vnde ſequitur: *Facile hic plus mali eſt, quam illic boni.* Scilicet in relinquendo, quam in amando. *Laborem* vero pro dolore; ſicut *periculum* pro tentamento.

Expromta malicia. Id eſt, manifeſta calliditate opus eſt & aſtutia.

Ex ara hinc. Romanis omnibus mos eſt in atrio, hoc eſt in veſtibulo, habere Veſtam (quippe cum inde *veſtibulum* nominatur) cui ſacrificium cotidie facerent. Illic ei fuerat collocata ara; idcirco dictum eſt, *Ex ara ſume hinc verbenas tibi.*

Vt liqvido possim. Vt pure, inquit, & manifeſte poſſim, iuſiurandum adhibere me puerum non expoſuiſſe.

Nova nvnc religio. Subito, inquit, religioſus effectus es. & eſt ςχεταςμὸς.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Revertor postqvam. Hæc ſcena dolum complet, & habet ſubtilem cauſam & orationem, in qua aliud dicit, aliud intelligi vult. Quippe Dauus in hoc toto conſilio conſtitutus eſt, vti prodat Chremeti, quod Pamphilus ita Glycerium diligit, vt eam pro vxore habeat. Siquidem ex ea ſuſceperit filium. Qua re cognita, à nuptiis Chremes poſſit abſcedere.

Vbi illic est. Cùm audiſſet Chremetem venire diſceſſit prope, repentinum ſimulaturus aduentum. Ideo nunc interrogata mulier quærit vbi ſit.

Di vostram fidem. Quaſi nunc Dauus veniat, aliam orationem fingit, de multitudine populi apud forum litigantis, quod cara annona ſit. & iocunde ſubiungit, *Quid dicam aliud neſcio.* Hæc enim repentina vox ſuſcepta eſt, quò aduentus ſimularetur.

Av Mysis pver hic. Diſſimulat omnia, vt & Chremetem non videre videatur. *Au.* interiectio eſt iraſcentis.

Concede ad dexteram. Id eſt, tranſi. Leui hoc voce pronunciandum eſt.

Deliras. Ideo hæc Myſidis præciſa oratio eſt, quia iam cœperat indicare, quod ipſe Dauus puerum attuliſſet. Pro quo ſtatim Dauus interpoſuit orationem, comminans: *Verbum ſi mihi vnum, præterquam quod te rogo faxis, caue.* Si pro ſiquidem: *Caue* autem, pro vide ne. Et quia illa ſenſit indignationem, ait. *Maledicis.*

Vnde est dic clare. Vt ſenex poſſit audire. A nobis. Obſcura reſponſio. & metuit Dauus, ne ſenex ſciat, vnde ſit illa mulier, quæ dixit *à nobis.* Idcirco ipſe cum indignatione ridens, qua manifeſtior fieret, adiecit: *Mirum ſi impudenter mulier facit meretrix.* Argumentum eſt à cauſa ductum, per ironiam: vt indicaret hanc eſſe meretricis. Id quod continuo Chremes agnouit, & ſubiecit. *Ab Andria eſt ancilla hac quantum intelligo.* hoc eſt à Glycerio, quæ Andria eſt.

Adeon videmvr vobis. Fingit Dauus iracundiam & accuſationem, noua ſane locutione, *in quibus ſic inludatis.*

Propera adeo pverum. Imperat vti ab ianua puer, qui ibi poſitus, auferatur. Veruntamen poſt ſubmiſſa voce ne Chre-

mes audiat imperat Myſidi, vt maneat nec è loco recedat. Non dum enim fuerant Chremeti cuncta patefacta. Quia puerum eſſe ante ædes à meretrice poſitum, ſolum fuerat indicatum, nec dum quod is puer Pamphili filius eſſet. Denique præparat illam rurſus interrogationem. Cui vero puerum hic appoſuiſti dic mihi, mitte id quod ſcio. quia obſcure reſponderat interrogata Myſis, cuius puer eſſet *ne ſcio*. vt facilius Chremes audiret, reſpondet Dauus. Omitte quod ſcio, quod rogo dic. Denique cogit ad apertiorem expoſitionem. Nam cum illa dixiſſet *veſtri*, & nunc interrogat, cuius, *noſtri*? vt ad nomen proprium veniretur, quod illa continuo dixit: *Pamphili*. Poſt iratus Dauus quaſi & nomen repetit, vt duplicatio vocis Chremeti plenius rem indicaret.

Ego here vide ad vos. Aſtute & callide Dauus mendacium eſſe dicit, quod puer à meretrice ſit ſuppoſitus.

Cantharam svffarcinatam. *Suffarcinari* dicitur quaſi farcina aliqua fulciri. Siquidem *farcio farſi*, & *farcinor fartus*: vnde *ſuffarcinor* facit. Et *cantharam ſuffarcinatam* dixit, quaſi corbem ſupponendo puero repletum. In partvriendo aliqvot adfvervnt. Sic enim confirmatur partus, cum liberæ præſentes ſunt, quæ poſſint dicere teſtimonium. Ne illa. Pro valde illa. vel *illa ne*, id eſt, nunquid illa? per ſolæciſmum, immutato ordine.

Nvnc adeo vt tv sis sciens. Quoniam omnia quæ indicanda fuerant, patefacta ſunt Chremeti, vere imperat & minatur vt puerum ab ædibus auferat. Sed hæc omnis oratio ſuperior illud egit, vt ad diſturbandas nuptias Pamphili pater doceretur, & amor commendaretur tantummodo; non tamen vt omnino Chremes ſe crederet expulſum.

ACT. IIII. SCEN. V.

In hac habitasse. Hæc ſcena percontationem tenet, vbi Chryſis habitet. Habet tamen deliberatiuæ formam. Nam Crito ſobrinus eſt Chryſidis, qua mortua ad eum lege hereditas pertinebat. Deliberat ergo an ad eandem hereditatem aſpiret, maximè cùm ſciat, Glycerium ſororis loco habitam eſſe: eámque eſſe iam adoleſcentulam. Hæc igitur deliberatiua in eo quod audierit mortuam Chryſidem, puellam verò & nunc necdum parentes ſuos hic cognouiſſe, quam conſtat eſſe Atticam ciuem. Continuo tractat articulos honeſti & vtilis dicendo. *Haud auſpicato huc me appuli.* Hoc eſt, non recte neque bono omine huc veni. ſiquidem quæ ſoror dicta eſt Chryſidis, & nunc parentes ſuos non repperit: vnde non poſſum petere hereditatem. Nam ab vtili ſatis pro ipſo eſt, cum dicit, *Nunc me hoſpitem lites ſequi*. Huc accedit quod iam illi eſt defenſor aliquis vel amicus, vel maritus, contra quem peregrinum hominem litigare videtur eſſe difficile. Concluſit ab honeſto: *ipſam præterea deſpoliare non licet*. Boni viri perſonam merito ſuſtinet & honeſti hominis. Sed quoniam meretricis affinis eſt, ne aliquid criminis in ſe redundet, in eo quod ſibi iuncta eſt ſanguine, accuſat illam, quod inhoneſte optauit parere hic diuitias.

Set qvos percontér. *Percontatio* namque eſt apud Dialecticos inquiſitio, cui reſpondetur aliter, quam eſt illa reſponſio: vbi aut *eſt* ponimus, aut *non*. Hæc enim interrogatio dicitur. Vidiſti hominem? neceſſario reſpondemus, aut vidi aut non. At vero percontatio eſt. Vbi habitat Chryſis? huic reſponderi non poteſt aut eſt, aut non; ſed hic, illic.

Itam chrysis. Breuiter interrogationem de Chryſidis morte effecit cum dolore: & recte & ordine requiſiuit an Glycerium cognouerit ſuum patrem, Nam honeſte peteret hereditatem, ſi illa iam eius cognita videatur.

Nvmqvam tetvlissem pedem. Id eſt, numquam veniſſem. & *tetuliſſem* dixit per protheſin. eſt enim *ferre*, ire & proficiſci. vt Virgil. *Mene efferre pedem genitor.*

Semper eivs dicta est haec. Quo magis difficile eſſe oſtendat hereditatem petere, adiecit quod hæc ſoror & dicta eſt & habita: vnde iure in hæreditate Chryſidi ſuccederet.

Facile atqve vtile. Hic & an fieri poſſit tractabat, & an expediat: quod vtrumque deliberatiuæ è partibus dicitur.

Grandivscvla. Argumentum eſt ab ætate. Perpol antiqvvm obtines. Scilicet morem. id eſt, ſine dubio ſic loqueris, quemadmodum antiquorum homi-

num mores ſunt. P o l autem, iuratio eſt per Pollucem, quomodo *Hercle, AEcaſtor.*

ACT. V. SCEN. I.

SATIS IAM SATIS. Chremes Simonem reum iniuriarum facit, quod eo vſque perſuaſione duxerit animum eius, vt ad periculum deueniret: quippe qui coëgerit ſe filiam dare ei aduleſcentulo, qui nō ſolum amicam haberet, verum & peregrinam neſcio quam pro vxore retineret, & ex ea filium ſuſcepiſſet. Huic reſponſio fit & ſtatus coniecturalis, falſo iſtud eſſe, neque aduleſcentem habere illam pro vxore. neque talem illum eſſe filium: ſed meretricem ad diſturbandas nuptias iſta cogitaſſe.

SPECTATA IAM SATIS AMICITIA. Probata inquit olim eſt amicitia mea, iam deſiſte amplius calamitatis imponere. vſque ad periculum cuſtodita familiaritate perueni.

DVM STVDEO OBSEQVI TIBI. Hæc omnis accuſatio eſt. Dum obſequor inquit tibi, iam & filia mea periclitari cœpit.

IMMO ENIM NVNC MAXIME. Generalem enim ſupra poſitam accuſationem paſum intellexerat Simo: & idcirco ſe conuertit ad preces, vt hic Chremes potius in promiſſionibus perſeueret, & quod verbis ante dixerat, ipſa compleat veritate.

VIDE QVAM INIQVVS SIS. Supra generaliter Chremes accuſauerat, nunc deſcendit ad ſpeciem. *Vide quam iniquus ſis præ ſtudio, dum id facias quod velis, neque modum benignitatis, neque quid me ores cogitas.* Cupiditatis inquit ſtudio & ardore nimio voluntatis, non animaduertis benignitatis modum: vel quod poſtulas diligenter intelligis ac cogitas.

PERPVLISTI ME. Hic eſt omnis aperta illa accuſatio, quæ ſummam continet omnium factorum: & eſt συνδυασμὸς, qui fit cum bona malis conſerimus.

ADVLESCENTVLO. Cui lubrica ætas varium dat ingenium. IN ALIO OCCVPATO AMORE. Qui amet alteram. ABHORRENTI AB RE VXORIA. Qui vxorem nolit ducere. FILIAM VT DAREM. Huic aduleſcēti amanti, inuito, vxorem vt darem coëgiſti filiam; cum futuræ ſeditiones eſſent, cum incertæ nuptiæ. quippe ille amore meretricis cotidie ſeditiones faceret, & neq; certas nuptias permpleret. Exequitur deinde quanta calamitas filiæ eſſe potuiſſet, ſi adoleſcenti amanti illa traderetur. Verum hæc quoniam ſciens ante promiſerat Simoni, leuia ſunt. Hic eſt omnis accuſatio, quod iam idem aduleſcens ex meretrice ſuſcepit filium. Vnde omnino fieri non poteſt, vt ei filiam ſuam Chremes tradat vxorem.

IMPETRASTI, INCOEPI. Vt darem filiam amanti filio tuo impetraſti, & cœpi dum res paſſa eſt.

NVNC NON FERT. FERAS. Quidam ſic diſtingunt vt dicant: *nunc non fert*, ſcilicet res ipſa iam non ſuſtinet: ex perſona Simonis. ſubiungitur *feras*. quaſi dicat ſuſtineas. Cui reſpondet, quod iam omnino ferri non poteſt, quod illa ciuis dicatur, quod filius natus.

PER EGO TE DEOS ORO. Hic incipit defenſio ſecundum coniecturalia argumenta, vt falſo eſſe doceat ea, quæ ad accuſandum ſunt collocata: *Vt ne illis animum inducas credere.* Facit autem argumentum à perſona, quippe cum meretrix ſit. Deinde à cauſa: quod illis vtile eſt Pamphilum eſſe quam deterrimum. & per ἀντευχασμὸν exequitur cur id fiat.

HAEC SVNT FICTA ATQVE INVENTA. Quæ cauſa ſi auferatur, cùm duxerit Pamphilus vxorem, dimittet hæc omnia, & à propoſito deſiſtet.

ERRAS. Iam hic probatio eſt vera eſſe illa, quæ Simo dixerat falſa, quod viderit Dauum iurgantem cum ancilla. Et ne ſimulatio eſſet, adiecit. vero ſe vultu vidiſſe. Et ne vultus ad veritatem fuerit compoſitus adiecit *Cum ibi me adeſſe neuter dum præſenſerat.* Cùm inquit neque Dauus, neque Myſis ſciret me eſſe præſentem.

CREDO. Redit rurſus vt neget vera, quæ erant dolo ficta.

ACT. V. SCEN. II.

ANIMO NVNC IAM. Dauus égrediens de domo Glycerij, gaudet quod læta ſint omnia ſuo præſidio, & eius hoſpitis Critonis, qui aduenit. cuius indicio ſcit illam ciuem eſſe Athenienſem. Verùm hæc ſcena tantummodo iram continet domini

commoti: quod Dauus, de domo Glycerij exiens, continuo in piſtrinum mittitur. hoc enim ei futurum ante promiſerat, cum dixit. *in piſtrinum Daue te dedam ad necem, ſi ſenſero quidquam in hiſce nuptijs fallacia conari.*

Adventvm tempvs. Pro, ad tempus ventum, id eſt veniſſe. & ſingula ſunt pronuncianda.

Res in vado. Hoc eſt, in toto ſunt iam vniuerſa. *Vada* enim ſunt loca humilia* Omnia iam parata. Diſſimulat ſeruus domino viſo, & dicit ad nuptias cuncta diſpoſita eſſe. Bene sane, id enimvero. Rectè inquit dicis: hoc enim ſolum iam deeſt, vt ipſa puella debeat euocari.

Qvid istic tibi. Interrogatus Dauus quare domum Glycerij intraſſet, non eur, ſed quando reſponder. *Modo introij.* Ideò Simo adiecit. *quaſi ego quam dudum rogem*, quaſi ego interrogem quam dudum ſis ingreſſus cum tuo nato vna. Conturbatus ſeruus, quoniam ſe defendere non potuit à domino conſtringitur. Hoc eſt ita eum .... & vinculis colligato. vt quadrupedem .... cum eius manus retrouertens compedum ligaturis efficias quaſi quadrupedem. Quidam hoc aliter: quaſi dominus iracundiam ſuam deriuauerit, & leni voce dixerit, vt non ipſum ſed iumentum aliquot alliget. Et confirmant ex eo, quod conquerenti Pamphilo non rectè Dauum vinctum, reſpondit Simo: *haud ita iuſſi.* ſed ſuperior ſenſus eſt melior.

ACT. V. SCEN. III.

Qvis me volt. Hæc ſcena venialem ſtatum habet accuſatur enim à dictis, à factis, ab habitu faciei, quod peregrinam meretricem velit vxorem ducere. Sed purgat ſe vt neceſſitate compelli poſſit. Nam inſerit vt noſcatur quod Crito dicat ſe ſcire, ciuem eſſe Atticam Glycerium.

Qvid ais omnivm. Iracundiæ familiare hoc eſſe ſæpe dictum. hic intercessit Chremes & dixit: Rem potius ipſam dicito omiſſis maledictis. Tantum filio crimen intentat. Accuſatio incipit. Num cogitat quod dicat, num facti pudet? Deinde defenſio à precibus. *Me miſerum.* Tota rurſus accuſatio ſupponitur factis prçteritis, quod diu amauerit meretricem: à præſentibus quod iam vxor ſit. quod ſuſceptus filius. Deinde concluditur accuſatio per ἐγχ... *erit, Imo va. cat, habeat, viuat cum illa.*

Mi pater. Ex nomine beniuolentiam comparat. Deinde petitur audientia. poſt ſubiungitur narratio, in qua eſt venialis ſtatus. *Ego me amare hanc confiteor.* Quamquam incidit veluti diffinitiuus ſtatus. *id peccatum eſt.* Quæritur enim an amor crimen ſit. Petit veniam ſic. *Tibi me pater dedo.* Exponuntur duæ partes vna ex voluntate, altera citra voluntatem. *Vxorem me vxorem hanc ducere, vis amittere.* Concluditur cum affectu. *vt potero feram.* Hic enim oſtendit ſe nihil aliud velle, niſi vt eam vxorem ducat. Inſinuatur & illud quod ſuprà diximus, vt Crito quod nunciat audiatur. *Quid vn cupio, ne ab hoc me falli comperiar Chreme.* Pati omnia volo, dummodo non cognoſcar ab hoc me falli.

Pavlvlvm svpplicii. Aduerbia frequẽter fiunt nomina .... accipiuntur, vt *paululum & ſatis.* Horatius. *Iam ſatis nimis miſit pater.* Et eſt diffinitio à cauſa, id eſt à filio cui ſemper indulgere conuenit.

ACT. V. SCEN. IIII.

Mitte orare. Hæc ſcena cognitionem habet puellæ, quod ciuis Atheníenſium ſit, vt omnis error in comœdia tolli poſſit. Senes igitur duo ſunt Chremes & Simo .... etiam Pamphilus & Crito egreditur.. .... Pamphilo vt diceret Athenienſem ciuem .... dicit autem iuſtum eſſe ac propterea .... ride eo quod verum eſt, & quid meretur .... iam Glycerium digna ſit. Ita ſe. .... pelli vtiſtuc faciat vnde .... tonari.

Athenas insolens. Id eſt, non ſolitus venire Athenas. Vnde Cicero: *Moneret & loci inſolentia.* Alioquin *inſolens*, ſuperbus dicitur.

Tvn hominis. Hoc verſu antitheton eſt, id eſt, compoſitum ex contrarijs.

Imperitos rervm. Hoc eſt in rebus imperitos tuis dolis in perſuaſionem deducis.

Eorvm animos lactas. Eorum ingenia fallis & decipis: hoc eſt enim *lactare*, quaſi confuſo nutrimento decipere. Vel

iactas, per hypallagen, id eſt, in iactatio-nem & ſuperbiam mittis. MERETRICIOS AMORES. Efficis vt meretrices fiant vxores.

METVO VT SVBSTET HOSPES. Vereor inquit Pamphilus, ne patris ſermone hoſpes Crito territus, non poſſit reſiſtere fortiter.

SYCOPHANTA. Calumniator. Hoc verbum eſt ab his qui apud Athenas accuſabant eos, qui cum ficu frumenta extra ciuitatem ferebant.

MOVEO ET CVRO. Hoc eſt, iſta facile contemno. TVVM MALVM AEQVO. Calamitatem tuam Simo, & quodcunque tibi accidit, æquo animo ferre debes. neque alteri maledicere.

ATTICVS QVIDAM FVIT. Narratio incipit ad cognitionem.

ITA VERO OBTVRBAT. Ita ſcilicet interloquitur.

RHAMNVSIVM SE AIEBAT. Locus eſt prope Athenas.

ALII IN ANDRO. Ne parum ſibi fides haberetur, alios id cognouiſſe adſerit.

VTINAM ID SIT. Chremes poſteaquam audiuit nomen fratris ſui, qui Phania fuit, ſuſpicatus eam puellam, quæ cum illo nauigauerat, filiam ſuam, ideo dicit. *Vtinam hoc ſit*, inquit, *quod ſpero*. Et interrogat an ille Phania filiam ſuam diceret. quod cùm audiſſet, confirmauit dicendo, *certe mea eſt*.

ARRIGE AVRIS. Κακέμφατον eſt. Significat tamen, intende auditum: votiua enim ſunt quæ nuntiantur.

ILLE FRATER MEVS. Implet quod errorem fecerat, vt doceat filiam ſuam.

COMMOTVS METV. Metum de præterito intelligimus, qui tamen adhuc manet. Denique ordine fecit. Nam poſt metum ſpes collocata eſt: quæ boni imminentis eſt ſemper. Deinde adiecit confirmatum bonum, quod dixit *gaudio*. ipſúmque eorum ſuppoſuit: *Mirando hoc tanto tam repentino bono*.

NE ISTAM MVLTIMODIS. *Ne*, id eſt, valde. vt, *Faciunt ne intelligendo vt nihil intelligant*.

SCRVPVLVS ETIAM. Sollicitudo & quaſi quiddam quod animum compungat. *Scrupuli* dicuntur lapilli admodum leues & parui. Vnde *ſcrupeam ſpeluncam* Virgil. dixit, hoc eſt, lapillis aſperam. Ponitur ergo *ſcrupulus* pro dubietate, per metaphoram.

DIGNVS CVM ILLA TVA. Σκερκασμός.

NODVM IN SCIRPO. *Scirpum* dicimus herbæ genus, vt eſt iuncus; qui omni leui corpore longitudinem ſuam æquali parte cuſtodit. vt dixit in Eunuch. *Reddat curatura iunceas*. Ergo hoc dixit. Rem quæ omnino eſſe non poteſt, nimia ſollicitudine & cura inquiris.

EGONE HVIVS MEMORIAM. Pamphilus ſcit nunc quod quæritur. nam ab ipſa Glycerio frequenter audiuit, quali nomine vocaretur. Idcirco ait, non pati ſe Critonis memoriam voluptati ſuæ obſtare, cum ſibi ipſe auxilium ferre poſſit, nomen ſuggerendo, quod audierat.

QVID RESTAT PATER. Illud ſignificat vt eam ducat vxorem, & ſibi hoc permittat pater.

NIL MVTAT CHREMES. Vt neque conditionem nouam ferat, & omnia quæ eius fuerunt habeat.

NISI QVID PATER. Nempe hoc verbo indicat .... veſtis tangatur, ita intelligi debet, vt dotem expetere videatur. Ideo adiecit ſcilicet, poſtquam intellexit * Nam antiquitus dos dabatur à patre puellæ. Eſt q ... dos quo ſe coniuges ..... an more antiquo .... qua coëmptione mater familias dicitur*.

NON RECTE VINCTVS. Probatum eſt Dauum non eſſe mentitum: qui neſcio quem dixerat veniſſe, qui ſciret Glycerium ciuem eſſe Atticam. ideo dixit Dauum non rectè vinctum, quia non falſa nuntiauerit.

HAVT ITA IVSSI. Hoc eſt, non vehementer ligari iuſſi.

ACT. V. SCEN. V.

PROVISO QVID AGAT. Hæc ſcena Charini aduentum tenet, vt & ipſi lætitia generari poſſit ex cognitione. Si enim Pamphilo Glycerium datur, dari poteſt ipſi Philomena quam diligebat, quæ Pamphilo obferebatur.

ALIQVIS FORSITAN. Lætitiæ plenus Pãphilus, forſitan, inquit, putet alius me hoc quod mihi contigit, verum non credere. At verò ſic eſſe ego hoc verò credo & gaudeo. Vt deorum vitam propterea credam

ſempiternam, quod eorum voluptates propriæ ſunt. Ergo quemadmodum intelligo, hoc verum vt immortalitas parata ſit, ſi nulla gaudio ægritudo interceſſerit.

SET QVEM EGO. Adoleſcentum iſte affectus eſt, velle indicare gaudium. Vnde in Eunucho Chærea. *Sed neminem ne curioſum interuenire nunc mihi.*

ACT. V. SCEN. VI.

NESCIS QVID MIHI OBTIGERIT. Quo gaudium melius nuntiet, primo generaliter interrogationem proponit. *Neſcis*, inquit, *quid obtigerit.* Sed Dauus qui vinctus fuerat, aliquid accepit: ac reſpondet. *Certe neſcio quidem quid obtigerit, ſed quid mihi obtigerit ſcio.* quod in piſtrinum miſſus & vinctus eſt.

ET QVIDEM EGO. Quod tu paſſus ſis Dane ſcio.

MORE HOMINVM. Famam malorum celerem nuncium omnes dixerunt: idcirco hominum more hoc contigit, vt mali quid ego paſſus eſſem prius ſcires, quam ego quid tibi contigiſſet.

SOMNIAT EA. Argumentum à repugnantibus. Nam vigilare repugnat ſomniare, ſicut nigrum pallido. Charinus ergo non credit iſta omnia contigiſſe, quæ Pamphilus narrat.

AGE ME IN TVIS SECVNDIS. Exhortatur Charinus Pamphilum vt auxilium ſibi præbeat. *In ſecundis*, inquit, *rebus tuis reſpice me*, habes in poteſtatem Chremetem, omnia poteſt facere ille, quæ tu voles. Poſt hunc verſus ſequuntur continentes illam ſententiam, quemadmodum itum eſt ad Chremetem, quemadmodum exoratus Charino promiſerit filiam. Sed hos tollendos verſus eſſe perſuadet quod ſequitur. *Memini atque adeo longum eſt exſpectare dum exeat.* Si enim acta ſunt iſta omnia in publico, quomodo dici poteſt, maximè cum ſequatur, *Ne exſpectetis ne exeant huc: intus deſpondebitur*. Intus tranſigetur, ſi quid eſt quod reſtat. Ergo cùm legerimus primum, *Tuus nunc Chremes factu rum quæ voles ſcio eſſe omnia*, continuo debemus ſubiungere, *Atque adeo longum illum exſpectare dum hinc exeat.* Ita enim integritas fiet ſenſus, ſublatis verſibus qui intus geſta retinebant. Quòd verò ſequitur. ω. *Plaudite.* Verba ſunt Calliopij eius recitatoris, qui cùm fabulam terminaſſet, eleuabat aulæum ſcenæ, & alloquebatur populum, VOS VALETE, VOS PLAVDITE, ſiue fauete.

Explicit Comment. Andriae.

INCIPIT IN EVNVCHVM.

PROLOGVS.

SI QVISQVAM EST. Hic prologus habet controuerſias duas, vnam ex accuſatoris perſona: aliam ex defenſoris. nam & Terentius obicit crimen, & obiectum purgat. in eo quod obicit talis eſt controuerſia. Comœdias dedit aduerſarius, in his vnam, qua priori loco cauſam dicit à quo petitur, non ille qui petit. hoc ita quod crimen ſtultitiæ eſt, & imprudentiæ. ita ſtatus eſt qualitas. alia controuerſia eſt qua obicitur Terentio, quæ talis eſt. Græcam comœdiam in Latinam transferre licet. Eunuchum Terentius dedit comœdiam, paraſiti & militis. quod Plautus in ſua comœdia habuerit, nunc Terentius in Eunucho poſuit. Reus eſt quod contra legem fecerit. Hic ſtatus primo qualitas abſoluta ex iuris ratione, deinde qualitas venialis per ignorantiam. Nunc iam ſingulas vt propoſuimus explicemus.

SI QVISQVAM EST, QVI PLACERE SE

STVDEAT BONIS. Controuerſiæ principium ſemper eſt ad beneuolentiam captandam auditorum, aut à noſtra perſona, aut ab auditorum, aut à iudicum, aut à rebus ipſis. hic nunc vtrumque complectitur, & à noſtra perſona, & ab auditorium. à noſtra ſic: ſi eſt aliquis, qui placere ſe ſtudeat bonis, & minime multos lædere, in his poeta nomen profitetur ſuum. ab aduerſariorum, tum ſi quis eſt, qui dictum in ſe inclementius exiſtimauit eſſe, ſic exiſtimet.

BONIS QVAM PLVRIMIS. Quidam intelligunt, quam plurimis bonis. nos intelligamus extrinſecus *plurimos*, nihil aliud potuiſſe niſi malos: boni enim admodum pauci ſunt: ita quod dixit in numero, *plurimos*, qualitatem potius declarauit.

ET MINIME MVLTOS LAEDERE. Duo præcepta poſuit, placere bonis, nec multos lædere: hæc & hic tenuit in cauſis iudiciſque publicis. ita ſit verſatus vt defenderit multos, læſerit neminem. *Inclementius*, id eſt, iniuſtius, acerbius.

RESPONSVM NON DICTVM ESSE QVIA LAESIT PRIOR. Ne videatur Terentius improbam continuo maledici ſubiſſe perſonam, quod prior læderet, dixit, reſpondiſſe potius, non maledixiſſe: hoc enim eſt quod poſitum eſt, *non dictum*. *dictum* enim Cicero de Oratore maledictum ponit, hoc eſt maledicere *dicta dicere*. ſequitur controuerſia: ipſa eſt criminatio à parte accuſatoris. *Qui bene vertendo & eas deſcribendo male*. Bene vertit de Græco in Latinum: male ſcribit, male verba componit.

IDEM MENANDRI PHASMA NVNC NVPER DEDIT. Aliter *Fana* nomen fabulæ *Fana* eſt. & bene addidit *nunc nuper*, vt crimen iſtud quod obicit, non longi temporis, ſed vt recens memoria videatur peccati eſſe.

SCRIPSIT CAVSAM DICERE. In comœdia ſua hoc argumentum eſt. Quidam agrum vendidit, illic habuit patrium monimentum, in quo theſauros emptor inuenit. comperit emptor. in iudicium venitur. vtique ex ratione & ex conſuetudine prior loqui debet ille qui petit. Petitor autem hic venditor eſt. vt ſecundo loco reſpondeat à quo petitur, hoc eſt emptor. At contra Lucius Lauinius fecit vt prior loqueretur: vnde petitur, quam ille qui petit. Ergo propoſitio criminis collocata eſt: incipit enim eius cauſæ quæſtio, ac primo præſcriptionis eſt ſtatus. poteſtque dicere Lucius Lauinius reprehendi non poſſum. Placuit in hac comœdia hanc præſcriptionem ſolui ſic, *Ne fruſtretur ipſe ſe, aut ſic cogitet, Defunctus iam ſum, nihil eſt quod dicat mihi*. ſed hanc præſcriptionem donat, & admonet ne peccet, quam rem ſubtili accuſatione compoſuit. Ex hoc enim plus accuſatur. ſiquidem de præteritis ſe donare promittit crimen: & monet quaſi iterum peccaturum. ſimul & alia multa crimina ſe donare dicit. nunc nolle, & nihilominus poſtea nolle maledicere, ſi tum lædat inimicus: quibus rebus & perſonam ſuam commendat, & aduerſarium ad confirmandam impudentiam iniecit. *Ita vti facere inſtituit*. omni enim genere laborare debemus, vt aduerſarios aut in odium, aut in contemptionem, aut in inuidiam ducamus. Ita enim in odium adduxit, quod dixit: ſi perget lædere, ita vt facere inſtituit. in contemptionem, quod dixit eſſe tali ingenio, vt ignorauerit qui prior loqui in actione deberet. Subiungit deinde alteram controuerſiam: *Quam nunc acturi ſumus Menandri Eunuchum poſtquam ædiles emerunt*. hic à narratione incipit, quia ſupra exordium collocatum. Ergo hæc tota narratio vſque, ad propoſitionem criminis & quæſtionis, quæ incipit ex hoc verſu, *Exclamat furem non poetam, fabulam dediſſe, & nihil dediſſe verborum*. Pulchre primo generaliter propoſuit illam ex aduerſarij perſona: ita enim oportet, vt ſpecies ſic ſubiciatur, quæ qualitatis eſt. vt diximus ſupra, de Latino in Latinum transferri non licere. Hæc quæſtio ſic proponitur: Colacem eſſe Næuij & Plauti veterem fabulam: paraſiti perſonam inde ablatam & militis. perſonam autem hic intelligo non nomina, quod poſtea declarabo. Subiungit reſponſionem, primo quaſi quodā ſtatu finitiuo, quæ ſic iungit: Si id eſt peccatum, peccatum hoc eſt: an hoc peccatum ſit verum donat. hoc ad qualitatem ipſam deſcendit venialem, quam ſic proponit. peccatum imprudentia eſt Poetæ Venia enim tribus modis fit, vi, caſu, ignorantia. cum autem imprudentia vel vna de tribus fuerit, coniectura erit, nec aliquid animus faciet. adiunxit ergo Terentius: *Non quod furtum facere ſtuduerit*.

hæc

hæc tantum verba repromiſſionem argumentorum tenent, non veritatem. ergo adiungit: *Id ita vos eſſe iam iudicare poteritis.* Quoniam diximus illa lege, ex Græco in Latinum transferre liceat. hoc namque dico, quod Colax Menandri eſt. in ea eſt fabula de paraſito Colace & glorioſo milite. paraſitus autem Colax, id eſt adulator; hoc enim ſignificat & *miles glorioſus*, apud Latinos, quod *Colax* apud Græcos. Sicut igitur ſuprà diximus, inde eſt ablata perſona paraſiti & militis. Ergo hæ perſonæ in Menandri commœdia ſunt. quod concludit. Eas ſe perſonas non negat tranſtuliſſe in Eunuchum ſuam ex Græca. ergo iam non contra legem fecit, quod ex Græca tranſtulit, quoniam & Latinæ comœdiæ ſunt. Redit ad venialem ſtatum, vt neſciſſe ſe dicat, *Sed eas fabulas factas prius Latinas ſciſſe ſe, vero id pernegat.* ſic iungitur qualitas abſoluta de iuris ratione, quod licitum eſt ex neceſſitate rerum, vt nota ſimilitudo perſonas ſingulas reſeruet. Hoc eſt enim quod dicit: *Quod ſi perſonis iiſdem aliis non licet vti*; hæ enim ſemper neceſſitate naturali ſunt apta & inligata perſonis. Ita fit vt quicũque perſonam aliquam collocat, eius debeat mores exprimere. quam rem concludit: *denique nullum dictum eſt quod non dictum ſit.* Sed hic res intelligamus non verba, hæc quæ dicunt Græci πράγματα, naturaliter ſunt omnibus ſemper æqualia. At dicta verba ſunt. ſed hæc controuerſia eſt. Sequitur iam ratio prologi, quam in Andriam præcepi, vt audientiam à populo petat, concludens ſimul cùm veniali ſtatu prologum. *Quare æquum eſt vos cognoſcere atque ignoſcere*, vt hic eſt abſoluta qualitas per exempla cum tacita ſit: deinde ſic audientia petitur. Et cum ſilentio *animaduertite, vt pernoſcatis quid ſibi velit.* Hic iam comœdiæ ipſius res poteſtatémque noſcimus.

ACT. I. SCEN. I.

QVID IGITVR FACIAM. Prima ſcena deliberatiuam integram tenet, quæ talis eſt. Deliberat adoleſcens an expulſus à meretrice, cui munera miſſurus eſt, rurſus rogatus vt redeat, reuertatur. Hæc igitur deliberatiua duas partes in propoſitione deliberantis continet ex vtraque parte argumenta. Sed ea hic ſeruus accedet, vt poſſit partem alteram perſuadere. Deliberatiua vtique ab honeſto eſt, & ab vtili; & ab eo an fieri poſſit, & an neceſſe ſit, ſemper diuiditur. Hæc igitur an ſeruata ſint conſiderare debemus. Ac propoſitio eſt primo: *Quid igitur faciam.* quæ communis eſt ad vtramque partem. Deinde incipit vna pars. *Non eam.* Adiecit cauſam cur ire debeat. *Ne nunc quidem cum vltro accerſor.* Deinde alterius partis eſt propoſitio; *An potius ita me comparem.* Ab honeſto diuiſio ponitur: *non perpeti meretricum contumelias.*

EXCLVSIT. REVOCAT. Rurſus diuiſio illa in alteram partem, ex diuiſione illa an fieri poſſit, vt amator contemnat quam diligit. *Si quidem hercle poſſis nihil prius, neque fortius.* Et quaſi aſſerit fieri non poſſe. Deinde adiungit ab honeſto, quod vltro ad eam veniat. atque hic adiungit & ab inutili, quod confeſſus fueris. Conſideratis partibus adoleſcens concludit ad ipſam rurſus deliberationem. *Proin tu dum eſt tempus.* Hic iam perſuaſio accidit quoniam cogitatio ſuperior ex vtraque parte concepta, ad integrum æquali cogitationum ratione prorupit.

HERE QVAE RES. Perſuadet Parmeno vt reuertatur ad meretricem, ab eo quod fieri non poſſit, vt non reuertatur. Reſpondet autem ſe iniuriam paſſum. Verum quæſtioni opponit illud, quod ſemper amantium iſta ſit conſuetudo. Ergo primo an poſſit repugnare proponit. QVAE RES inquit. Aduerſus iniuriam quam paſſus eſt opponitur conſuetudo, vbi ſic adſumitur. *Hæc omnia vitia ſunt iniuriæ ſuſpiciones*: & poſt ita concludit. *Incerta igitur hæc.* Senſus eſt hic. ſi ea quæ in amore ſemper varia cõtigerunt, ac propterea videntur incerta, tu volueris ratione corrigere vt certa perficias, tale erit, inquit, vt ſi operam des, vt cum ratione inſanias. Subiungit deinde orationem iraſcentis amatoris excluſi; in qua exprimitur ira, quæ nunquam verba complet, quod cogitat mens. Ita poſuit, *Egone illam*, ſc. puniam. *quæ illum*, ſc. amat, & me excluſit. Sic enim iram exprimimus. Hæc igitur moleſta iungit. Tu verò ea vitia noli cumulare ne ſollicitudo geminetur.

O INDIGNVM FACINVS. Ex his quæ amori accidunt & ſe & illam eſſe aliter aſſerit: ſe miſeram, illam ſceleſtam dicens. Cui ſeruus perſuadet, vt ſe ab ea redimat, quam minimo queat pretio. Quam etiam Bac-

chidem longius ſupra tranſlatione diffinit quid ſit, ſcilicet calamitas noſtri fundi, id eſt miſeria, per ὑπαλλαγὴν, quod miſeros facit. Et quoniam ſerui perſuaſio parum profecerat, circa adoleſcentis dolentis animum, quod erat excluſus, optima ratione ſubiungitur ſcena, in qua meretrix ipſa eſt, cuius præſentia, & oratio, & vultus perſuadere poſſint, vt amator iniuriam ignoſcat.

ACT. I. SCEN. II.

Miseram me. In hac ſcæna primo cõtrouerſia eſt: dein deliberatiua. Controuerſia talis eſt Adoleſcẽs amator miſſurus munera fuerat, quę eadem meretrix poſtulauerat, & multa alia. cui alter amator promiſerat quandam virginem, quæ aliquando eius meretricis ſoror dicebatur. Sed aberrauerat, à prædonibus rapta & venundata. Hanc inquam amator alius cùm promiſiſſet, meretrix adoleſcentem amatorem à ſe excluſit. Rea fit iniuriarum. Hæc controuerſia venialem ſtatum continet: confitetur enim ſe feciſſe iniuriam. Verum dicit neceſſitate, quod velit eam puellam à milite recipere, quæ ſibi ſoror antea fuerat. Et quoniam ſemper venialis ſtatus ſub qualibet purgatione coniecturam tractat, an hoc animo fecerit ſiue neceſſitate, ſiue alia qualibet cauſa. Hic erit tractata etiam coniectura ſimiliter, quam quidem rem breuiter percutrit ipſe dicẽs. Non quo quendam plus diligam eo feci: ſed ita erat res, faciendum fuit. Hæc controuerſia accuſationem habet & defenſionem. Sed defenſio perſeuerat vſque ad deliberatiuam orationem. Nam petitura eſt meretrix aliquos dies, & pollicetur haberi deinceps ſe à Phœdria adoleſcente ſuo amatore. Omnis autem petitio deliberatiuam tenet. Ergo ſecundùm ordinem ad ſingula reuertamur. Egreditur meretrix primo. ex hoc declarat ſe quod fecerit neceſſario feciſſe, dicens. *Vereor ne illud grauius Phædria tulerit, neue aliorſum atque ego feci acceperit.* Duo poſuit. ne factum meum aliter acceperit Phædria, quam à me factum eſt. Propoſitionem iniuriæ tenuauit, non quod quaſi minus eſt ab excluſo. Non enim dixit quod excluſus eſt; ſed quod intromiſſus non eſt.

Accede ad ignem. Quidam intelligunt, *ad ignem* ad amorem, hoc eſt ad ipſam meretricem. Sed melius eſt illud, quod quidem Menander apertè dixit, Meretricis iuxta domum ſuam vel in atrio ſolitas habere aram veneris vulgariæ, cui quotidie ſacrificarent. Vt hoc ſit *accede ad ignem*, hoc eſt ad aram. vt iocatus ſeruus ſit Parmeno dicens; iam caleſces plus ſatis.

Tun hic eras. Optimum principium ſumpſit meretrix. Cum rea ipſa ſit facti, adoleſcentem cœpit arguere, quod non ingreſſus eſt.

Ceterum de exclusione. Hoc ſeruus dicit, quod meretrix callide loquitur. Dicit tantùm de iniuria; vnde intelligi licet, quod hic excluſionem poſuit. quia ſeruus accuſatoris animo dicit ad illa ſuprà, quod intromiſſus non eſt.

Sane quia heae. Accuſatio hic ſumit exordium; quod quanto temperamento dictum eſt? quod non ſemper fores meretricis amatori pateant: quod riualis ſibi præponatur. Hoc enim dixit: quia ſum apud te primus. Et cùm meretrix diſſimularet totum impetum, rurſus adoleſcens accuſationes effudit.

O Thais, thais. Iteratio nominis accuſantis oſtendit iracundiam. Vtinam esset mihi. Senſus hic eſt. Vtinam & tu amatoris & partem mecum amoris habuiſſes. Si enim hoc fuiſſet poſſet contingere vt in hac iniuria aut tibi doleret, vt mihi dolet: aut mihi non doleret, vt tibi non dolet. Hoc enim dixit. Ego istuc abs te factum. Hoc eſt, factum tuum contemnerem.

Ne crucia, te obsecro. Incipit defenſio, quæ optimum principium tenuit, vt iraſcentis primùm animus temperaretur. Deinde conſilio generaliter ſubiungit argumentum meretrix: ſed coniecturale. quod non hoc animo fecerit, quo alium apud ſe videatur habere potiorem. Hoc enim dixit: *Non pol quo quemquam plus amem, aut plus diligam eo feci.* Similiter ſubiungit generale aliud argumentum, ſtatus venialis ex neceſſitate. *Sed ita erat res.* Poſt meretrix conturbata oratione ſerui, petit audientiam vt plenior origo narretur. Non tantùm excluſionem ipſius narrare debet, ſed & cauſam. Poſt principia petit audientiam, qua conceſſa narratio incipit.

SAMIA MIHI MATER. Breuitas ſiempet in narratione ſeruanda eſt, & in dictione apetta verba. Ita hic & nomen, & affectum, & locum poſuimus habitationis. narrat matri ſuæ datam puellam dono, à quodam mercatore ab Athenienſi ciuitate ſublatam. at ſe ignorare dicit, vtrúmne ipſa ciuis Athenienſium fuiſſet: tantùm de ciuitate ſublata ſit. Adiecit illud quod nomen matris & patris dicebat. Ipſum hoc proficit, ad cauſam eius rei quam petitura eſt, Scimus enim in narratione rationem futuris quæſtionibus collocari. Quoniam ergo dictura eſt, concedi ſibi debere aliquot dies vt puellam recipiat, & hanc adiungit cauſam, vt ſuis parentibus reddat. Volo enim, inquit, amicos ſic parare beneficio meo. Ideo præmiſit matris nomen & patris, vt veriſimile ſit, poſſe hinc parentes ſciri, ſi nomina iam tenentur. Denique adiecit & alia ſigna. ſibi cognitam eſſe. quia mercator ex prædonibus vnde emerat ſe vidiſſe dixerit, abreptam eſſe è Sunio. Sunio autem intelligit locum propo Athenas, iuxta mare collocatum. Redit rurſus ad affectum, quod dicit, ſibi chariſſimam eſſe puellam, cum mater ſic eam educauerit, vt opinione populi filia diceretur. Inde narrat diſceſſum ſuum. Excitat enim quod cum hoſpite Athenas venerit, quæ ſibi hæc omnia quæ habebat meretrix dereliquit. Quam rem quidem illa non ſine cauſa videtur adieciſſe: ſed vt oſtenderet quanta ſemper mercede dilecta ſit, vt adoleſcens intelligat, non ſe maximum munus dediſſe, cum videat, tantum donari meretrici. Hoc quidem ſeruus negat factum, dicens & dominum multa donaſſe. Contendit mulier ad narrationem. rediens dicit: profectum militem amatorem adoleſcentis Phædriæ notitiam, ſed hunc perueniſſe. Qua in re commendat animum cum dicit, *Tute ſcis poſt illa, quam intimum habeam te, & mea conſilia, vt tibi credam omnia.* Pergit igitur narrationis partes vniuerſas complere, quod mortua matre frater materna bona inuaſerit, virginem venumdederit, & ſpecioſam, & peritam artis, quod fidibus ſciret. Deinde quod eam ille amator ſuus emerit miles, quod venerit, & iraſcatur quod meretrix cœperit alium amatorem habere. Hic intelligendum aeriter illud eſt, quod ſuprà dixit miles, te amatorem. *Interea loci te cognoui.* Vt ideo miles puellam tanto pretio emerit, quod ſciret ſe tantùm amari à meretrice. quippe cùm eam ſic reliquiſſet, cum adhuc haberet nullum amatorem. Ergo conſequenter hodie iraſci miles, poſteaquàm inuenit meretricem cum hoc amatore. Hoc ergo adiungit. *Fingit cauſas ne det ſedulo.* Et hoc temperate oſtendit, hoc militem velle vt præponatur alteri amatori.* Quare acceptaſſe pollicetur munus, miles quod comparauerat donaturus.

SI FIDEM HABEAT SE IRI PRAEPOSITVM TIBI. Hoc eſt, ſi accipiat fidem, me præpoſuiſſe tibi. APVD ME AC NON ID MATVAT. Duo ſunt, ſi fidem habeat, & ſi non metuat. Quid autem non metuat? NE VBI ACCEPARIM SESE RELINQVAM. Hic iam cauſas petitionis oſtendit. Hoc autem petitura eſt meretrix, vt paucos interim dies, quouſq; puella dono detur, miles apud meretricem in amore præponatur. Finita narratione concludit à ſuſpicione, neſcio quem exitum narrantis, quod idem miles iam amiſſo amore meretricis, nunc virginem diligat. Hoc enim dixit. *Sed ego quantum intellego ad virginem animum adiecit.* Petit rurſus Phædriam vt paucos dies ſibi commodet, quibus prior apud ſe miles eſſe poſſit. Dicit cauſas quod ſoror dicta eſt, quod velit parare amicos beneficio ſuo. Sed poſt hæc iratus adoleſcens redit ad accuſationem vehementer, quo eam declarare poſſit ingratam: enumerans quæ beneficia ſua, vel quæ præſtiterit, vel quæ parauerit. Quibus accuſationibus meretrix victa, quo facilius adoleſcenti perſuadere poſſit, quod antea poſtulauerat, dicit ſe ei ad omnem voluptatem commodare conſenſum, ne eum aliquo offendat. Quare victus adoleſcens omnia ſe, meretrix quæ vellet, facturum eſſe promittit: & monet vt memoriam ſui nominis teneat * quid quid inſciderit. & ita ſecum loquitur, quod vehementer diligat Phædriam, neque aliquid callide fecerit, ſed cuncta ratione compleuit.

ACT. II. SCEN. I.

FAC ITA VT TVSSI. Hæc ſcena tenet prima parte mandata ſerui, ducantur ad meretricem illa dona, quæ ante comparauit.

SATIN HOC MANDATVM. Aperte inquit dicta ſunt iſta tibi.

ROGITARE QVASI. Senſus: quaſi ſi quid me fugit, ſic interrogas. DIFFICILE SIT VTINAM ALIQVID. Senſus: tàm facile vtinam lucri aliquid inuenias, quàm facile iſtud amittas.

AEMVLVM QVOD POTERIS. Mandat adoleſcens ſeruo vt munus ſuum verbis ornet, & militem meretricis ab amore diſcludat.

NVLLVS MONSAS. Hoc eſt, etſi non moneas quod alio in loco ait: *nullus dixeris, alias vti poſſim cauſa hac integra.*

DI BONI QVID HOC. Seruus confirmatus dat conſilium domino, vt ius pergat. quia meretrici antea promiſit. Secum conloquitur conquirens fortunas domini. quæ eſt allocutio ſola continens dolorem. Generaliter tractat tamen, cum non tam de domino, quam de amore conquiritur.

MIRVM NI EGO. Mirum eſt, inquit, ni turpiter ego hic accipiar. CVM DECREPITO EVNVCHO. *Decrepiti* dicuntur magis ſenes. ſiquidem longa ſenectute vix loqui poſſunt, & tantummodo fractis vocibus loquuntur, ac ſunt quaſi quædam crepitacula.

ACT. II. SCEN. II.

DI IMMORTALES. Hæc ſcena exultationem continet, in qua nihilominus paraſitus loquitur, cuius de moribus & perſona .... cum dixit colax, ideſt, adulator. Nam cum paraſitorum perſonæ antea his moribus eſſent, vt plagis atque verberibus riſum dominis concitarent, hic nouo more artem exerceri monſtratur: vt omnia omnibus conſentiendo, hoc genus artis exerceat. Ita enim dixit, hanc nouam perſonam de Græco eſſe translatam. Ergo hic mores exprimit ſuos. Et fit comparatio per qualitatem: quæ melior ars in paraſito eſſe videatur: vtrum illa quæ plagis ac verberibus vitam turpiter continebat, an hæc quæ aſſentando & arridendo ipſa potius habere videatur in poteſtate dominos.

HOMINI HOMO QVID PRAESTAT. Senſus eſt. homini ſtulto homo non intelligens quid præſtat, id eſt præcellit. Hoc ad Saluſtianum accedit. *Omnes homines qui ſeſe ſtudent præſtare ceteris animalibus.*

MEI LOCI ATQ. ORDINIS. *Mei loci* pauperem dicit. *ordinis* paraſitum. HAVT INPVRVM. Non malum. *impuros* enim crudeles ac ſæuos appellant, vnde & *ſpurcos* dicebant ſæuiſſimos. vt Tullius, in Gallia * *aqua ſpurce dictum commemorarent, in libera ciuitate.*

PATRIA ABLIGVRRIERAT. *Abligurrire* eſt, leuiter cibos ſuſpenſis quodammodo digitis tangere. Vt idem Terentius dixit de meretricibus. *quæ foris cũ cœnant, ligurriunt.* Ita adiecta præpoſitione, *abligurrire*, plurimum conſumere ſignificat.

VIDEO SENTVM. Miſerorum expreſſio his modis ſemper impletur, vultu, habitu corporis, atque veſtitu. Ita veſtitus eſt quod dixit, *ſentum* & *pannis obſitum.* Corporis habitus eſt, *ſqualidum annisque obſitum.* Vultus, *ægrum* Sic Virgilius.

Reſpicimus, dira illuuies immiſſáque barba,
Conſertum tegmen ſpinis. ———

Et ſupra, *memorandáque cultu.*

Procedit. *Pannis annisque obſitum.* obtectum intelligimus *obſitum*, vnde intellectus verbi ipſius efficitur: pannis obſitum, & annis obſitum.

QVID ISTVC ORNATI. Ornamenta & in malis dicimus, non ſolum in pulchris & melioribus. cum ſupra de deterioribus dixerit, ſubiecit: *Quid*, inquam, *ornati eſt.* ipſe ſimiliter paulo poſt, cum Eunuchum mutata veſte veſtitum videret indecore. Vt, *ita eam adornabat fugam.* alibi. *ornatus eſſes ex tuis virtutibus.*

HIC EGO ILLVM CONTEMSI. Hoc eſt, me conſiderans illum miſerum dixi. EX EODEM ORTVM LOCO. Scilicet, quia ſuprà dixit: *quendam mei loci atque ordinis.*

QVI COLOR. Hoc eſt quod ſuprà poſitum, *video ægrum.* NITOR. VESTITVS. Quod ſuprà dixerat: *ſentum.* QVAE HABITVDO. Id eſt, annis obſitum. cum contrà Virgilius dixiſſet.

——— *macie confecta ſuprema.*

Hic interrogatus ille neſcio qui, cur tali

habitu & miſeria eſſet ornatus, docet illam quæ in paraſitis antea fuerat * ideo ſubiecit. At ego infœlix, neque ridiculus eſſe, neque plagas pati poſſum. Ita vtrumque quod in diſciplina fuerat, breui reſponſione concludit, quod & ridiculus antea fuerit & verberatus. At contra colax paraſitus, quod nunc melius artis genus paraſitorum eſſe videatur, idque dicit à ſe primum inſtitutum. propterea quod eſt hominum genus, qui omnium rerum ſibi vindicant principatum, quos ſectando & conſenſum his commodando, facile in amorem tuum poſſis inducere. exinde nouum dicit paraſitorū hoc genus vt colaces ſint.

Qui se primos omnium. Omnium rerum primos: in omnibus primos. His quaestus nunc est. Et concludit, hanc paraſitorum ſectam omnibus eſſe potiorem.

Scitum hercle hominem. *Scitum* inquit, id eſt elegantem. εὐφυῆα. Quod autem dixit, hunc facile ex ſtultis reddere inſanos, certa ratione concludit, quod ſemper inſanos faciat praua laudatio. Vt Salluſt.

Interealoci vbi ad macellum. Significauit iam *interea loci*, nihil aliud tenere niſi interim: vt *loci* adiectio ſit, nihil ſignificans.

Cupedinarii omnes. *Cupedinarij* ſunt qui cupiditatibus populi ſeruiunt, quos omnes enumerat. *Cetarij* ſunt, qui ſalſamenta vendunt: nam *Cetariæ* dicuntur bolonæ. *cete* genere neutro piſces ſunt, qui ad ſalſamenta proficiunt. Lanii. coqui. fartores. piscatores. aucupes. *Aucupes* ſunt cupedinarij omnes. *Fartores* dicimus qui farciunt, vt in meliorem ſagena pingueſcant.

Quibus et re salva. et perdita. Supra dixerat hic paraſitus de alio, itidem patria qui abligurrierat bona. vnde & ſe bona quoque patria conſumpſiſſe. Ergo ſenſus hic eſt. Quibus cupedinarijs & de meo patrimonio demensad victum neceſſaria profueram, & de alieno eum alijs obſonarem. Hoc enim dixit: quibus & *re ſalua*, cum integrum patrimonium haberem, eum de meo emerem: & *perdita* cùm conſumpto patrimonio de aliena re mercarer.

Salutant, ad caenam vocant. Quidam intelligunt *ad cænam vocant*, inuitant. ſolet enim aduenientibus cœna promitti. Plautus in multis comœdijs.

——— *aduenienti quid tibi cena dabitur?*

Sed melior ſenſus eſt, *Ad cænam vocant*, hoc eſt, ad emenda quæ in cœna ſunt neceſſaria. Hoc eſt veriſimile, quod qui aliquid vendat lucrum potius vellit ab eo, quam ad ſe venire, aut quiddam per obſequium velle.

Facile victum quaerere. Hic verè quaſi quidam intellectus ſuperior ille ſuperior explicatur, quod dixit *ad cænam vocent*. vt inde intellexerit ille neſcio qui facile quærat victum. Quamquam & ſi ad cænam emendam intelligat, nihilominus poterit cognoſcere, facile ſibi paraſitos victum quærere.

Tanquam philosophorum. Nomina diſciplinæ apud philoſophos ſæpè ab auditoribus videntur impoſita, vt à Platone Platonici, ab Epicuro Epicurei. Ita hic paraſitus exultans, nouamque diſciplinam paraſitorum cum adulatione complens, dicit ſuum nomen imponi, quod ipſe eam primus inuenerit; ſi quis ſe paraſitus huic nationi & actui voluerit applicare, vt gnatonicus eſſe dicatur.

Vigen otium et cibus. Duo ad detrectationem poſuit. *Otium*, cùm neque animus, neque corpus excitus curationem humanitatémue cognoſcit, Verum iſtud parum eſt, adiecit, *Cibus alienus*, vt & deuinctus ſit iam nulla cogitatione.

Rivalis servum. *Riuales* dicuntur qui vnam amant, vel meretricem, vel amicam. quod quaſi vno riuo amoris vtantur.

Salva res est. Hic ſenſus eſt. Integra nobis ſunt omnia, ſiquidem aduerſarij ante oſtium ſtantes, propterea frigide agunt.

Nebulonem. Vel vanum, vt nebula eſt. neque enim aliquod corpus vel vlla ſoliditas. Vel *nebulonem* furem, quoniam nebula ſemper vtitur. Homerus. Κλέπτῃ δέ τε νυκτὸς ἀμείνω.

Hiccs hoc munere. *Hicce* nominatiuus pluralis. quo hi credunt exinde ſuam Thaidem eſſe, quod tale munus adducit.

Impertit. Participem facit.

Numquidnam hic quod nolis. Hoc dicit Parmenoni obijciens virginem in aſ-

pectum. quod cum videre ſe Parmeno frequenter diſſimulaſſet, etiam frequenter obiectum paraſitus interrogare maluit. *Sed quid videtur tibi hoc mãcipium.* Vt tam pulchra virgo mancipium diceretur. Deinde nũciat irridens ſeruum, hoc munus Thaidi mitti. quod quidem ille cognoſcit. idcireo dicit quod dominus ſuus intelligatur excluſus.

Omnivm rervm hevs vicissitvdo. Vbique ſeruis Terentius vehementes grauéſque ſententias applicauit. vt in Andria Soſia dixit. *Vt ne quid nimis.* Eſt enim aſtutum ſeruorum genus, & ſatis ad intelligendum mente verſutum. Senſus eſt. nihil in proprio ſtatu perpetuo permanere, ſed verſo ordine in diuerſas vices euncta mutari.

Sex ego te totos. Familiare Terentio ſex menſes dicere. eſt enim dimidia anni pars. vnde non paululum tempus eſt. ſic alibi. *Ac non prius ſex menſibus olfeciſſem.*

Ecqvid beo te. Hoc eſt, beatum te reddo.

Tvm tv igitvr pavlvlvm. Pulchra paraſiti inluſio, vt cum ipſe adducat munus, nuntiari ab aduerſario ſeruo velit. Cum enim ſtultum eſt, cum aduerſarius aduerſarium nunciat dona eſſe miſſurum.

Nvnc qvem evocari. Et hæc arte tractata ſunt. Nam cũ paraſitus domum fuiſſet ingreſſus, Parmenoni dicit, an aliquem ſibi velit euocari, tanquam ipſe ingrediendi iam non habeat poteſtatem.

Sine biovvm hoc. Scit enim dominum affuturum; & ita eum meretrici abſentiam promiſiſſe.

Calcibvs saepe. Fruſtra in fores exultabis calcibus, hoc eſt, inſilies.

Etiam nvnc hic. Per ſilentium intelligimus paraſitum iam ingreſſum eſſe ad meretricem, & dona tradidiſſe. Non ingredi Parmenonem, & nunc ſtare ante oſtium.

Facete dictvm. Suaue, iucunde.

Ex Piraeo. Locus eſt mari vicinus iuxta Athenas, aptus ad voluptatem. Denique commemorat poſtea adoleſcens illic ſibi conuiuium præparaſſe. quibus Chærea eſt....... præpoſitus, cœnam contubernalibus præparet. ideo adiecit, *nam ibi cuſtos publice eſt nunc.* Non temere. Non paſſim, non ſine cauſa.

ACT. II. SCEN. III.

Occidi. Hæc ſcena prima parte quæſtionem tenet, quod impeditus ſit, cũ virginem ſequeretur, in cuius amorem inciderat, quo minus eam deduceret, & vbi habitaret agnoſceret. Poſt cognitionem fit agnitio, vbi maneat ſeruo indicante. efficitur deliberatio, an ad eam pro eunucho ire debeat. Illæ diuiſiones plenæ ſunt ſuaſoriis verbis, ab vtili, ab honeſto, ab eo quod fieri poteſt. quas vt æquum eſt, ſuo loco per ordinem tractabimus. nunc ad conqueſtionem reuertamur.

Vbi qvaeram. *Quærere* eſt, alicubi rem repoſitam perſequi, inueſtigare. ſuſpicione aliquid vbi lateat inquirere.

Qvem percontер. Quem interrogem. inter percontationem & interrogationem hoc intereſt, quod percontatio reſponſionem habet, non aut * ex ſcientia confirmante, vel ex narratione. cum dicimus vbi habitat, hic enim hoc neſcire ſe dicit reſponſurus * eſt in via, vel aliquid tale. Interrogatio verò eſt cui reſpondetur; velut feciſti quod iuſſeram? cui neceſſario de duobus ſuperioribus afficitur ab eo qui interrogatus eſt. Reſponſio ergo hic eſt. Quem percontеr? Vides vtique quia de habitatione futura fuerat interrogatio. Ita & in Andria, cum Crito quæreret vbi habitaret, & Chryſis dixiſſet, *quos percontеr video.*

Taedet cotidianarvm. Iam inquit me pænitet videre mulieres cotidianas & aſſueta forma.

Hic vero est. Senſus eſt. Hic adoleſcens ſi amare cœperit, fratrem eius Phœdriam dices ludum & iocum fuiſſe, hoc eſt non amaſſe: ita enim hic inſaniuit in amore.

Vt illvm di deaeq. Hic incipit conqueſtio.

Qvid tv es tristis Dicitur cum quodam gaudio idem triſtis. Nã ex hoc quod vidiſſe ſe pulchram virginem dicit, quadam lætitia contractus eſt: quod eandem tamen ex aſpectu perdidit triſtis es. vt debes non ſolum in fine verum & in principio ſignificare.

Vnde is. Vnde aduenis. Cvm in cellvlam. Hoc in loco perſuadet ſeruo vt

auxilium ſibi & conſilium accommodet. & repetit gratiam, quam dicit ſe ante præſtitiſſe. vt in Andria. *Si te in germani fratris dilexi loco, ſiue tibi morigera fui in rebus omnibus.*

In cellvlam ad te patris penvm. Apte ſe ante beneficium præſtitiſſe, quod conueniret perſonæ dixit, cum ſeruulis de cellula patris omnem penum ſit ſolitus transferre. *Penum* autem intelligimus omne quidquid ad victum eſt. quidam enim tantummodo pulmentaria hoc ſermone ſignificata voluerunt. Vt Virgil.

———quibus ordine longo
Cura penum ſtruere, & flammis adolere penates.

Age inepte. *Ineptum* prorſus eſt, quod non aptum eſt, ideo age inepte. Sive adeo digna. Senſus eſt: ſi talis res eſt hæc, vbi omnis tuas cogitationes poſſis intendere, & plurimum laborare. Denique digna res eſt, vbi laborandum ſit. continuo ſubiungit. Havt similis virgo est. Quas matres ſtudent demiſſis humeris eſſe. non cibo in tota aliqua pinguedine ſublenatis.

Vincto pectore. Macie ita deductæ, vt vinctæ eſſe videantur. Graciles sient. Legitur & *gracila*, vt declinauerit Terentius *hæc gracila.* Si qva est habitior pavlo. Si eſt aliqua corpulentior. Dedvcvnt cibvm. Minus cibi dant. Reddvnt curatvra ivnceas. Per hanc operam ita inſtituendi & ita cibos dandi, reddunt virgines iunco ſimiles, (quod herbæ genus eſt ita in longitudinem æquali modo porrectum) vt nulla per corpus appareat vel nodo affecta pinguedo.

Nova figvra oris. Et in Andria diximus formam eſſe laudandam. ibi, *Video adoleſcentulam forma, &c.*

Color verus. Et hic quoque ad pulchritudinem proficit, vt apud Virgilium.

———lumenque iuuentæ purpureum

in quo & animi declarati ſunt, quod *iuuentæ*: ita & hic anni indicati ſunt plurimi, id eſt *flos ipſe.*

Vel vi, vel clam. Petitio à maioribus ad inferiora deſcendit, ſicut ſemper diximus in petitione eſſe faciendum.

Dvm potiar. Quælibet cauſa ſit, dummodo ad hoc perueniam vt poſſim potiri.

Qvid virgo cvia. Hic iam quæritur an fieri poſſit à facultate, quam rem interrogatus adoleſcens redit ad conqueſtionem, quod ſic eam de conſpectu impeditus amiſerit.

Immo enim vero. Recte adoleſcens reprehendit ſeruum dicentem, *incommode.* Incommodum eſt enim, cum nos nobis cauſa ſumus vt aliquid damni ſentiamus. At verò hic parum feliciter geſta res eſt vel infeliciter potius, cum ex euentu & ex fortuna quidam occurreret ſenex, vt impedimento eſſet. Et certe mihi videtur idcirco mutaſſe genus calamitatis, vt infelicitatem potius quam incommodum diceret, quod incommodum iam malum eſt quod euenerit: infelicitas vero id malũ eſt quod per uerſa fortuna contingit. Quod tamen cõſilio & virtute corrigi & ſuſtineri poteſt.

Liqvet mihi deierare. Manifeſtè inquit poſſum iurare. *Liquet* enim, hoc eſt clarum & manifeſtũ eſt. Vt Cicero Cluentio. *Quidam ſibi iudices non liquere dixerunt. Deierare* eſt ſanctè iurare.

Accvrrit ad me. Hic in omnibus exprimenda eſt tarditas, quod impedimentum non parui temporis poſſit oſtendere. Nam licet *adcurrit* dixerit, tamen certum eſt iſtam properationem in ſenem fuiſſe tardiſſimam. Deinde adiecit & locum quod dixit: *quam longe quidem.* Iſti corporis qualitatem ſubiungit *Tremens* deinde *labris demiſſis.* Hæc iam ad impedimenta loquẽdi videntur appoſita. Et quod dixit *tremens*: ſcimus enim retortis ad hiatum labris, ſed præmmentionibus minus facile ſonus exprimi. Adiecit tamen *gemens*, quod tardius in gemitu naturæ * ſenectutis expreſſo ſono aliquid locutura prorumpat. Deinde congeminat quaſi reuocationem & ſalutationem. Heus Heus, inquit. Oſtenditur tarditas ſimúlque iſtud declaratur, quod vere vox iſta ab eo cæperit ſono, qui & vocem & gemitum declararet.

Tibi dico. Et hic quam ſtulte, vt cum iam reuocauerit, adiiceret *tibi dico.* ſed inde ſubiunxit, cum vſque paratus eſſet adoleſcens ad audiendum, *Scin quid ego te volebam.* Quam enim ſtultum eſt, vt eum ante debeat dicere, veluti interroget ac dicat. *Scis quid ego te volebã.* Ita coactus eſt adoleſcens reſpondere vt diceret. *Dic.* Inſuiceſno * cum magna tarditas declaratur. Contra reſpondet ille. *Cras eſt mihi iudicium.* Et hoc

ſtultum eſt, quod ait. quod cras fuerat facturum pridie nunciauit. Deinde tarda narratio eſt, quod dicit. *Eſt mihi iudicium.* denique dolor adoleſcentis & hac narratione exprimitur, quod dicit. *Quid tum*, atque ille verba pæne non neceſſaria adiecit, eum reſpondet *Vt diligenter nunties patri aduocatus mane mihi eſſe vt meminerit.* Denique iſtac ſic expreſſa & hoc intelligi datur eum adiunxit, *Dum hac dicit, abiit hora.* Atque iniecit, *rogo nunquid velit.* Quod quidem fortaſſe veriſimile videatur eſſe, eum qui properaret iacente eo qui retinebat, amplius interrogare voluiſſe. Verum hoc ad feſtinantem magis pertinet. Cui enim dixit, *Rogo ne quid velit*, metuebat ne forte diſcedentem rurſus ſenex reuocaret. Denique eum ille reſpondiſſet, *recte inquit.* Tunc dicit adoleſcens. *abeo. Cum huc reſpicio ad virginem.* Poſt locutionem diu habitam, reſpicio inquit, ad eam quam ſequebar virginem. *

Mirvm ni hanc dicit. Hic cognitio efficitur eius, quæ quærebatur.

Comites secvti. Interrogat ſigna, quo facilius quam ſuſpiciatur eam virginem eſſe cognoſcat.

Ipsa est, ilicet. Quoties cauſa ab oratoribus finiebatur, & à iudice ſententia ferri * habuerat, ſemper conclamabatur *ilicet*, hoc eſt ire licet. Signum ergo finis & cognitionis plenæ.

Istvc. Illud ſcilicet, *Deſine conclamatum eſt.*

Dvras fratris partes. Si enim eum riualem habet frater, cum ipſe ſit pauper. Et bene huius comparatione lapſus eſt ſermo ad id, quod neceſſarium fieri poſſit ad conſilium, reſponderet ſeruus. *Immo enim ſi ſcias quod donum huic dono contra comparet.* Indicat enim eunuchum mitti: ex quo conſilium naſcitur, vt ipſe pro eunucho ad meretricem pergat.

Inhonestvm hominem. Quod contra eſt, vt ipſe dixit, facies honeſta ac liberalis. Senem mvlierem. Singula ſunt, vt ætatis iudicium ſit, quod ſenex mulier, quod ſexus amare videatur alienus.

Obsecro hercle. Res redit ad preces, quam quidem ſe effecturum ſeruus pollicetur. & fingit ſe diſceſſurum, ſed tenetur à domino: & dum laudantur fortunæ eunuchi, quod ad eam iturus eſt domum, vbi virgo pulcherrima eſt, ſic ſubit ratio, vt ipſe debeat pergere. quam rem prouidus ſeruus agnouit.

Qvid si nvnc tvte fortvnatvs fias. An fieri poſſit vt dixit, deliberatiuæ præcepta percurrit. à facultate. Capias tu illius veſtem, pro illo te ducam, te illum eſſe dicam. Deinde ab vtili: tu illius fruere commodis, quibus tu illum dicebas modo. & reliqua. Deinde an fieri poſſit. Quandoquidem illarum neque te quiſquam nouit, neq; ſcit qui ſies, Præterea forma atque ætas ipſa eſt facile vt pro eunucho probes. Hoc quidem ioco dicebat ſeruus; ſed rem inuentam pulchre cogit fieri adoleſcens. Cúmque diu repugnaret ad terrẽdum eum, periculum futurum eſt ait, ne in domo meretricia tanquam adulter teneatur. Hic ille reſpondet: adulterum in domo meretricis eſſe non poſſe, per ſtatum finitiuum.

In me cvdetvr faba. Ex prouerbio. Nam dicunt quendam auarum ruſticum, cum fabam coxiſſet, & cum ſocio inuaderet, partem ſibi depopoſciſſe, vt cum ſocio inuaderet in eodem vaſculo: & aquam adieciſſe parti ſuæ, quæ corrupta & alteram quoque corrupit. vnde communis faba corrupta, & in eum qui hoc fecerat tota conuerſa eſt. Igitur prouerbium, vt qui maleſacit, in eum recidat quod fecit.

Nos nostramqve adolescentiam. Quaſi incertam, & ad ſe quadam diuiſione pendentem; quale eſt illud,

———*ferroque faces inſpicat acuto.*

An potivs haec patri. Melius eſt inquit, in domum meretriciam deducar, referam gratiam, quam patrem fallam.

Ivbeo. Cogo, atqve impero. Cum neceſſitate ſunt.

ACT. III. SCEN. I.

Magnas vero. Hæc ſcena glorioſi militis tenet iactationẽ exultationis, quæ narratio breuiſſime agitur: primo cum nunciatum fuiſſet meretricem libenter miſſa dona ſumpſiſſe parum credidit, niſi iterum diceretur. Itaque interrogat. Magnas vero agere gratias.

Ingentis. Hic perſona colacis paraſiti cuſtoditur: nam cum ille dixiſſet magnas. hic adiecit, ingentes. Ita cùm ipſe quæſiſſet læta eſt: adiecit paraſitus, non tam ipſo quidem vero dono quam abs te quod datum eſt, ſerio triumphat.

Est istvc datvm. Hæc oratio glorioſi eſt militis, nimiam ſibi gloriam vindicantis: quippe cum dicat ſibi fato, vel quadam natura eſſe conceſſum, vti cuncta quæ faciat grata ſint omnibus.

Vel rex mihi. *Vel*, & ſignificat. Vt. *Carmina vel cælo poſſunt deducere lunam.* Eſt ſenſus. Et rex mihi maximas agebat gratias, & quæcunque feceram. *Alijs non item*, pulchre adiecit, ne natura regis talis eſſe videretur, vt maximas gratias omnibus ageret.

Labore alieno. Seorſus: ex alieno labore gloriam præparatam ſolo ſermone in ſe transferre poteſt, quicunque inſtructus eſt corde.

Expveret miseriam. Vt poſſet curam & ſolicitudinem ex animo remouere.

Sic homo est perpavcorvm. Talis eſt inquit, vt eum paucis eſſe velit. denique hoc intellexit & Parmeno cum dixit, Immo nullorum arbitror, ſi tecum viuit.

Ego flocci pendere. Contemnere ac nullius momenti ducere.

Elephantis qvem. Quem præpoſuerat elephantis, qui ſunt ex India.

Qvid ni esset. Dubium non eſt quin mutus exiſteret.

Miservmqve et illvm sacrilegvm. *Miſerum* dixit militem: *ſacrilegum*, paraſitum, quia is laudabat militem. Mehercvle. Quod vtique falſo iurauit.

Rhodivm tetigerim. Hoc eſt, quemadmodum per iocum mile tractauerim atque pulſauerim. Cœpit ad id lvdere. Ad id ſcortum ludere.

Lepvs tvte es. Hic eſt ſenſus, cum tuteipſe præda ſis, prædam quæris. Quidam intelligunt, *Lepus tute es.* quod natura leporis talis eſt, vt inceſto ſexu viuat. Iterum ergo hic quaſi tactus adoleſcens.

Emoriri. Comice tantùm dicitur; nam *emori* facit.

Hevs tv pyroon. Hic quaſi conſilium petitur, an purget ſeſe miles apud Thaidem, quod Thais credit, militem iam virginem amare. ſicuti etiam ipſa ſuprà dixit. *Sed ego quantum ſuſpicor, ad virginem animum adiecit.* Dat autem conſilium paraſitus, vt magis augeat ſuſpicionem: & huius argumentum profert. quod proſit, vt ſi quando illa mentionem Phædriæ fecerit, miles contra Pamphilam nominet. Et ſic inuicem iniuriæ Thaidis parem gratiam referat, hoc enim dixit, *Par pro pari referto, quod eam mordeat.*

Siqvidem me amaret. Bona quæſtio contempſiſſe doleat. Non inquit, diligit. Hic reſpondet paraſitus, probans quia diligit, ex his argumentis, quando illud quod dat miles, meretrix ſpectat atque amat. Ergo vtile eſt conſilium quod tibi dedi.

Ridicvle non enim cogitaras. Paraſitus tametſi bonum conſilium inuenerit, tamen quoniam colax eſt, dicit, ipſum militem ſi cogitaſſet, melius inuenire potuiſſe.

ACT. III. SCEN. II.

Avdire vocem. Hæc ſcena ſublationem muneium tenet, quippe Parmeno oblaturus Aethiopiſſam & Eunuchum, quos vt oportet, ſecundum præceptum domini laudauit. Igitur demonſtratiuum genus cauſæ, vbi laus erit. Sed quoniam præſens eſt miles & eius paraſitus, erit & vituperatio. quæ omnia ex oratoriæ artis partibus tractabuntur. Quippe cum omnis laus vel vituperatio homines taxat, diuidatur ex animi bonis vel malis. Hæc omnia exequentur ſuo loco. Ac primum miles meretricem conuenit, & ab ea petit vt dicat, quemadmodum donum ſuſceperit.

Avdire vocem visa svm. Pulchre factum vt meretrix intus poſita, vocem militis audire ſe dixerit. Eſt enim conſuetudo hominum, vt ob recens munus omnia officia & obſequia præbeamus. Superba illa meretrix & in amatores ſuos, quæ & Phædriam paulo ante excluſerat domo venientem, nunc poſt munus acceptum egreditur, & audire ſe vocem militis dicit.

Fidicina isthac. Quæ fidibus ſcit, hoc eſt citharam nouit.

Plvrimvm merito. Aſtuta meretrix, ne muneris gratia diceret ſe amare militem, reſpondit, amo te ſed merito tuo.

Vbi vis non moror. *Non moror*, non impedimento ſum. Itvram Thais. Interrogat Parmeno an aliquo itura ſit.

Qvin stamvs. Miles, poſteaquam riualis ſeruum videt adferre dona, properat vt diſcedat meretrix, ne cogatur ea accipere. Qvæso hercle vt liceat. Bene tanquam cum milite, *pace quod fiat tua.*

Perpvlchra credo. Vituperationis exordium ſumitur: generale tamen, & à corporeis bonis vel malis. quippe ſua dona-

per compaiatiuam qualitatem ab doois corporis collaudauit. Hoc ſcilicet donis detrahens riualis ſui.

Ex aethiopia. Hic quoniam ſuprà aduerſatius dixerat, perpulchia dona, haut noſtris ſimilia, quam Aegyptus produxerat à coiporis bonis laudare noo potuit, laudauit extrinſecus, ſcilicet ex loco & ceteris partibus. vt ex longinquitate regionis giatiam muneri præpararet.

Hic svnt tras minae. Hic vituperatio rurſus extriotecus facta eſt ab opinione, ab exiſtimatione, à propiij qualitate. Vbi totum donum * callide à Parmeoooe factum, vti piimum ea quæ io corpoie non placebat ptimo promitteretur: poſt Eunuchus, qui vtique erat pulcherrimus, quia adulelcens Chæiea. Hic omnis laus à corpore, quod dixit, *Eunuchum tibi quam liberali facie, quam ætate integra*. Hæc quinem ætas naturalis eſt. & eunucbus equidem naturæ datur. Sed bæc omnia perſonæ ſuot ad ttibuta.

Qvio tv ais gnato. Hic exultat Parmeno, quoniam pulcberrimum donum à meretrice tam probatum eſt. & concludit ex eo, quod non audeat vituperare: & coo ticeſcant potiùs, quàm ſatis laudent. Adiecit ab animi bonis laudem. *Fac periculum*, inquit, *in litteris, fac in palæſtra, in muſicis quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem ſolertem dabo*. Artes & diſciplinas animi bona nos tradimus, & liberos adoleſcentes æquum eſt iſta cognoſcere. Sunt autem litteræ, palæſtra, muſica. & præcipua duo palæſtra vel muſica, alia corporis, alia animi ſcientia. de quibus & Plato de Republica loquitur. diciſque omnes ciues in adoleſcentia his artibus operam debere tradere, vt omnia ... more adoleſcenti * robur ad virtutis indolem ſuſciterur. Er hoc igitur contra militem eſt. Nam his rebus dicir Plato milites & viros fortes poſſe exiſtere meliores. Vode Achilles ab Homero inducitur, vir fortiſſimus ac arte doctiſſimus, vt reliqui qui io palæſtra plurimum valent. Idcirco adiecit, *quæ liberum ſcire æquum eſt adoleſcentem ſollertem dabo*. id eſt peritiſſimum exhibebo.

Ego illvm evnvchvm. Pulcherrimum eunuchum quoniam negare oon poteſt miles detractionem repperit, quod in Eunucho ad turpitudinem libidinis pulchritudo verti poteſt. Et quoniam ſine Cerere & Libero friget Venus, dixit *hunc iam ſobrium Eunuchum ſi opus ſit*. iotelligitur autem quod conſequatur.

Atqve haec qvi misit. Memor eſt mandatorum. Nam quooiam dominus dixerat, *munus noſtrum ornato verbis quod poteris*, hoc ſuprà factum eſt. Et quia adiecerat dominus, *& iſtum æmulum quod poteris ab ea pellito*: nunc hoc exequitur cum dicit, *dominus meus neque pugnas narrat, neque cicatrices oſtentat ſuas*.

Hercle nemo posset. Iſtum enim ſeruum quod malus ſit nemo poſſet, ioquit, perpeti ſi haberet raotùm vnde alium compararet. vt oſtēdatur dominus pauper Hæc propter malitiam, qui neque nudare ſe poſſet vt alius compararetur.

Istvc qvod dixti. Colax paraſitus ſuum vbique implet officium. Nam cùm leuiter locutus miles fuiſſet, qui dixerat Parmenoni, *Domini ſimiles es*. contiouo riſum ſibi commouet ex commemoratione illius dicti, quod Rhodium adoleſcentulum miles dixerat, ſeſe videre cæpiſſe.

Si chrames hvc. Hic eſt Chremes frater puellæ, quæ à milite Thaidi donata eſt hunc fratrem eſſe eiuſdem & meretricis ſuſpicatur. hanc cauſam mandat ancillæ, vt ſi venerit, maneat. Et vide quemadmodum quæ mandat tria præcepta ſunt, quæ ſcilicet ſecundū gradus petitionis ad minora deſcendunt. Primo enim quod maius eſt petimus, hoc dixit *vt maneat*. deinde quod minus eſt, *ſi cōmodum non eſt vt redeat*. Tertio quod vltimum ex neceſſitate. *Sed non poterit, ad me deducito*. quæ tria ſeruabit ancilla.

Qvid? qvid alivd. Expreſſit morem domo proficiſcentium. Vt in properatione mandare aliquid cupiamus: & io obliuionem veoiat poſt memoria repetatur.

ACT. III. SCEN. III.

PRofacto qvanto Hæc ſcena ſuſpicionem habet adoleſcentis, quod ſibi meretrix inſidias præparet, quo facilius ſe ad amorem poſſet adducere, vnde ſic ad coniecturam argumenta ſumuntur, ac primo ipſa ſumma eſt. *Profecto quanto magis magisque cogito, nimirum dabit hæc Thais mihi magnum malum*. Deinde incipiunt argumenta à dictis, quo me accerſiri iuſſit. deinde à factis. quod cùm veniſſem, cauſam vt

ibi manetem repperit. Rurſus à dictis. Quod ait rem diuinam feciſſe ſe, & rem ſeriam velle agere. A factis. quod ipſa accumbere mecum, mihi ſeſe dare, ſermonem quærere. Deinde à dictis, quod quæſiuit, quam pridem mihi mater & pater mortui eſſent. Rus Sunij ecquod nunc mihi ſit. Hæc à ſummo ad imum argumenta dicuntur, quorum quidem cauſæ denudatio manifeſta eſt. Nam hæc omnia fecit meretrix, non vt adoleſcentem in amorem poſſit inducere, ſed vt de puella quod quærit agnoſcat. hæc omnia ex deriuatione cauſæ. Explicabimus ſingula. namque quæſiuit, rus Sunij ecquod: quia ſuprà in narratione dictum eſt, abreptam puellam è Sunio. Quæſitum eſt quàm longè à mari, propterea quod puella à prædonibus rapta eſt: deinde reliqua quæ conſequuntur aperto hanc indicant cauſam, de puella ſcilicet quod adiecit. Ecqua inde parua periſſet ſoror. ecquis cum ea vna, quid habuiſſet cum perijt.

Roget qvis. Si quis interroget quid mihi cum meretrice ſit reſpondebo, ne notam quidem.

Rem divinam fecisse. Hoc eſt, ſacrificium feciſſe. Rem seriam velle agere. Et eum rem neceſſariam & grauem mecum loqui fingeret, vbi oratio deficit, & quod agat non haberet, *huc euaſit*, eouſque conſcendit & exiuit. Vt *Euado ſummi faſtigia culminis*. *Eam ſeſe intendit eſſe*, *vt eſt fallacia*. Hanc ſeſe mihi obijcit & intendit, & probare cupit, vt eſt audacia.

Annos natast sedecim. Certos adoleſcens dixit annos ſororis ſuæ: quod & nuper adoleſcens Phædriæ indicauerat. cum dixit, *anni ſedecim ſunt*. Et ita vt nos diximus optimus ſenſus eſt. quod annos nata ſedecim ſit, non maior. poſt infertur: *Thais quam ego ſum maiuſcula eſt*.

O capitvlvm. Impetratura primum præbet obſequium, deinde mandata exequitur tria illa, quæ ſuprà dixit. Nam primum, *Thais maxi me te orabat opere vt cras redires*. At cùm hoc nollet offerre, aliud: *at tu apud nos hic mane*. quod vtique ordinem bene vertit. Poſt infert, *ſi iſtuc ſatu certum eſt, te amabo vt illac tranſeas vbi illa eſt*.

ACT. III. SCEN. IIII.

Heri aliqvot. Hic adoleſcens vnus ex illis eſt, qui in Piræo conuiuium ſibi præpararunt. cui præparando prępoſitus Chæreas. qui in amorem pro eunucho nunc ſuppoſitus ad meretricis domum deductus eſt. Quærit igitur hic adoleſcens conuiuij præpoſitum.

De symbolis. De collationibus. Vt essemvs. Hoc eſt, cibos ſumeremus. Qvid conicctem. Quid ſuſpicer. Qvisnam hinc. Quoniam ſuprà dixerat Chærea, *neſcius Thaidem nobis vicinam*. Pergens è vicina domo meretricis exeuntem Chęream videt, in habitu Eunuchi indicato dicit, *Quis nam hinc exit*.

ACT. III. SCEN. V.

Nvmqvis hic est. Hæc ſcena allocutionem tenet exultantis & lætantis, quàm breui tempore amoris voluptatem complexerit.

Nvmqvis hic est. Ita inquirere videtur adoleſcens, non tanquam metuat ne aliquis ſuperueniat, aut vt poſſit euaderes. quam rem conſequenti verſu ſignificat, quippe eum dixit. *Iamne erumpere hoc licet mihi gaudium*. Sed quod ſequitur repugnat. *Sed neminem hic curioſum interuenire nunc mihi qui me ſequatur*, *Quoquo eam interrogando obtundat*.

Nvnc est profecto. Modo eſt inquit omne tempus, cum pati me poſſum necari. Ideo ſcilicet ne gaudium meum aliqua turpitudine vita contaminet.

Sed neminem hic cvriosvm. Ad ætatem adoleſcentiæ & animos eorum, qui in re venerea amoris ſui effectum, cùm tenuerunt * pertinet hoc quòd voluot indicare ſemper. Nam integrum & honeſtum gaudiũm magis ſilẽtio creſcit. vt hoc apud Terentium eſt, *Sed vt tacita mecum gaudeam*. Apud Virgilium,

Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.

Chaerea qvid est. Ea omnia, quæ adoleſcentem velle cognouerat interrogata ſunt. & tanquam non citò reſpondentem, rurſus: *Quid me aſpectas? Quid taces? O feſtus dies hominis*. Quid eſt, *Feſtus dies hominis?*

OBSECRO HERCLE VT ME. Expreſſit morem lætantium, vt dixi, maximè eorū, qui rem venerism compleuerunt. ipſi enim magis cupiunt indicare.

NOSTIN HANC. Hinc eſt narratio, cum exordium à meretrice cœpit, Virginem ei miſſam dono, dicit. ſimul & laudat, & de amore confitetur. Indicat etiam quòd frater meretrici dare præparaſſet eunuchum. quod conſilium ſerui, quia ipſe pro eunucho ad meretricem deductus ſit. Et ne ſtultum videretur adiecit cauſas, quas & ſuprà poſuerat. Vt viderem inquit, audirem, eſſem vnà, cum qua cupiebam.

TRADITVS SVM MVLIERI. Perſequitur quemadmodum ad effectum ſuæ cupiditatis peruenerit.

SATIS TVTO TAMEN. In amicos dictum.

ADDVCIT SECVM ANCILLAS. Quod ipſa meretrix deſcendit ad cœnam, quod paucæ circa virginem remaneant eædem nouitiæ puellæ, ita vt & morem propter nouitatem neſciant, & propter ætatem nihil valeant ſuſpicari.

VIRGO IN CONCLAVI. *Conclaue* dicimus locum, quem * multa patefaciunt.

IOVEM QVOPACTO DANAE. Hæc pictura inquit erat in tabula, quomodo Iupiter Danaë imbrem aureum miſit, ſed in gremium. QVIA CONSIMILEM LVSERAT. Quia inquit Iupiter & ipſe propter amoris flammas cōuerſus in imbrem aureum, ſeſe commutauerat ad fraudem, & ſimilē luſum luſerat, vt ego pro Eunucho ad virginē veneram. IMPENDIO MAGIS. Amplius ex hac re quòd Iupiter fecerat mihi gaudebat animus. DEVM SESE IN HOMINEM CONVERTISSE. Vtique intelligimus Iouem veniſſe humana figura. Deinde per impluuium, per alienis tegulas clanculum deſcendiſſe, fucum factum mulieri, fraudem ſcilicet; ſunt enim cum fraude, quæ fuco videntur infecta.

DVM HAEC MECVM REPVTO. De Iouis facto cogito. IT. LAVIT REDIT. Apta narrationi oratio eſt, vbi facta multa breuiter explicantur. Sicuti ipſe in Phormione quædam breuiter explicat. FLABELLVM TENERE TE. Vehementer inquit vellem te videre, tantùm aſinum flabellum tenērem. QVI ESSET STATVS. Hoc eſt, quæ forma, qui habitus in te erat cùm flabellum, tantus aſinus contineres. Hic turpiter quidam legunt potiùs * quàm tantum, vt ſit aſinum tantùm. quod in ſcæna eſſe dictum, ob indignitatem, Terentianæ comœdiæ minimè conueniebat.

OMNES PRORVVNT SE. Se foras ſimul proferunt: EGO LIMIS SPECTO. Quidam intelligunt, *limis* obliquis, quod limen cum ambulamus itineri noſtro obliquum eſt. Alij intelligunt *limis oculis*, paululum tortis. Alij *limis*, coniunctis ad flabellum: vt Plautus dixit, *Numquam cum ea limaui caput.* id eſt coniunxi.

PESSVLVM OSTIO OBDO. Id eſt obdueo.

TVM POL EGO IS. Si enim occaſionem iſtam prætermitterem, verè eunuchus eſſem, quem me eſſe fingebam. Poſtea adulescens hortatur vt pergat propter id quod ſibi mandatum eſt. Deinde vt veſtem mutet. & hanc mutationem in domo patris metuit, vel propter fratrem, vel propter ipſum patrem. Exit vt ad amici domum pergat; illic mutet, illic conſilium capiat, rurſus ad meretricem quemadmodum reuertatur.

ACT. IIII. SCEN. I.

ITA ME DI AMENT. Hæc ſcæna allocutionem ancillæ tenet, quæ coniecturali ſtatu argumenta colligit, militem cum meretrice litem parare, Ita prior propoſitio eſt, quod timere ſe dicit, ne ipſe inſanus hodie turbas faciat cum Thaide. Deinde incipit narratio. *Nam poſtquam iſte aduenit Chremes adoleſcens frater virginis.* Deinde in narratione argumenta præiaciuntur, quæ veniant ad quæſtionem; ideo adiecit, *continuo iraſci.* Deinde expurgat Thaidem. *Id faciebat* inquit, *retinendi illius cauſa, quia illa quæ cupiebat de ſorore eius indicare, ad eam rem tempus non erat.* Concludit quæſtionem. *Miles vero putare ſibi adductum ante oculos æmulum.* Et quoniam in coniectura facta vel dicta ſunt, ex quibus ſuſpicio colligitur, facta ſic ponit. *Voluit facere contra huic ægre.* Deinde dicit; *Heus* inquit, *puer Pamphilam accerſe vt delectet hic nos.* Memor eſt miles præceptorum paraſiti, cui cùm dixiſſet, *Purgon' me de iſthac Thaidi*, quod eam me amare ſuſpicatur. Reſpondet militi. Imo auge magis ſuſpicionem; ſi laudabit hæc illius formam, tu huius contra. Concluditur. Quod negat meretrix, ipſe perſeuerat. *Inde*

ad iurgium, inquit, hoc eſt ad litem.

ACT. IIII. SCEN. II.

DVM RVS EO. Hæc ſcæna quæſtionem habet adoleſcentis, quod nimio amore multa officia non integra mente compleuerit.

AD IPSVM VENI DIVERTICVLVM. Ad ipſum locum, ex quo diuerti ad villam deberet.

EXTREMA LINEA. Quinque lineæ eſſe dicuntur amoris: videre, accedere, conloqui, oſculari, cõcumbere. Veluti enim poſtremam diximus rem atque vſum, prior ſit poſtrema illa quam nos collocauimus: Videre ſcilicet. Ergo ita concludit. Si non tangendi eſt copia, nec videndi quippe erit.

ACT. IIII. SCEN. III.

VBI EGO ILLVM. Hæc ſcæna controuerſiam tenet talem. Munera meretrici amator miſit, in his eunuchum: qui commendatam virginem ſciſſa veſte laniauit: fugit. Reus eſt iniuriarum qui dona miſit. Hic primo qualitas, deinde coniectura, an hoc animo miſerat vt iniuriam faceret. Rurſus alia coniectura, an eunuchus vitiauerit virginem, vel vitiare potuerit. Hæc per verſus ſuos plenius explicabimus. Primo propoſitio fit ſummæ, per conquæſtionem. *Hoccine*, inquit, *tam audax facinus facere eſſe auſum*. Deinde quaſi teſtimonij genus adijcit. *Quin etiam inſuper ſcelus poſtquam ludificatus eſt virginem, veſtem omnem miſeræ diſcidit. Ludificatus eſt*, per ludum & iocum irriſit.

VT EGO VNGVIBVS FACILE. In eius oculos vnguibus meis inuolem. VENEFICO. Scelerato, malo.

PROFECTO ABSENTE NOBIS. Me abſẽte.

EHEM PHAEDRIA. Hinc incipit accuſatio. Deinde narratio. *Cum donis tuis*. Simul propoſitio. *Eunuchum quem dediſti nobis quas turbas dedit, virginem quam heræ mileſ dono dederat, vitiauit. Quas turbas dedit*, id eſt, quantas ſeditiones fecit. Deinde negatio. *Temulenta es*, inquit ꝙ ſtuto * obices adiungit. *Inſanis que iſtuc facere potuit eunuchus*. Hic iam quæſtiones ſunt & argumentum à defenſore, an veriſimile ſit eunuchum adulterium facere potuiſſe. Sumpſit argumẽtum ergo à perſona; ſed contra argumentum perſonæ accuſatur. *Ego illum neſcio qui fuit, hoc quod fecit res ipſa indicat*. Deinde ſupponit de ſummo ad imum. *Virgo ipſa lacrumat, neque cum rogites quid ſit, audet dicere*. Deinde à teſtimonio. *Ille autem bonus vir nuſquam apparet*.

VISE AMABO. Interponitur comica dictione. *Num* ne hic ſignificat. TAM INFANDVM FACINVS. Hoc eſt tam infandum facinus non ſolùm geſtum non vidi, ſed ne audiui quidem.

AT POL EGO AMATORES. Hic non credunt virginem, eſſe vitiatam ſed Eunuchum incitatum ad vitiandam virginem, vt ei vellet facere, quod non poſſet implere. Ideo ait. Eunuchos audieram maximos eſſe amatores, tametſi nihil poſſent.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

EXI FORAS. Hæc ſcęna adhuc ſuperioris controuerſię, vim tenet, quippe hoc confirmat, quod vitiata virgo eſt. quod vtique diximus eſſe coniecturæ, vt ex hoc concluderet, quod Phædria iniuriam amicę fecerit, cui talia miſerit dono. Cognoſcit Chęream fratrem, Phædriæ pro eunucho ad meretricem mutata veſte veniſſe, & ſic vitiaſſe virginem.

MALE CONCILIATE. Malè empte. nam *concilium* nundinas dicimus. DOMI NON OFFENDISSEM Domi non inueniſſem. ITA EAM ADORNARAT. Veſte mutata ſe ad fugam præpararat. Vt ſuprà diximus, ornamenta ponit ad vtramque partem, & ad diuitias, & ad miſeriam Quomodo paraſito dictum, *quid iſtuc ornati eſt*.

NE COMPARANDVS IS. Sic diſtinguendum, vt ſit ſenſus. ad illum qui ad nos venit, hic eunuchus ne comparandus quidem.

VARIA VESTE EXORNATVS. Eunuchi veſte vtebantur verſicolore, vt multis coloribus texta fulgerent.

QVASI VERO PAVLVLVM. Veſtis adiectio aliquid formæ adiicit vel detrahit, non tamen nouam efficit.

VIETVS. VETVS. VETERNOSVS. Victus ac turpitudine oppreſſus. Vt Virgil. *Nec torpere graui paſſus ſua regna veterno*. COLORE MVSTELINO. Nigro ſcilicet, qui color eſt in muſtelis, ſuprà domorum tecta currenti-

bus. Cognoſcitur deinde quod hic eunuchus non venerit ad meretricis domum, ideo efficitur interrogatio à domino. *Agedum hoc nunc mihi expedi, primum iſtam quam habes, vnde habes veſtem.* Quàm remanterrogatus narrat eunuchus, veniſſe Chæream ſuam accepiſſe veſtẽ, hanc quam habet ſibi dediſſe. deinde cum Parmenone continuo egreſſum foras. Quare cõfirmata accuſantis concluſio efficitur. *Iam ſatis credis ſobriam eſſe me. Et nihil mentitam tibi. Sobriam*, quia ſuprà illi adoleſcens dixerat, *Temulenta es.* Adiungit enim terminationis ſummam. Iam ſatis certum eſt, virginem vitiatam eſſe. Hic concluſionibus nihilominus pugnat adoleſcens, dicens eunucho non eſſe credendum.

Age nvnc belva. Illa rarius; quæ accuſabat à perſona, rem ad facta deducit. Conuictus adoleſcens, etiam cum tacito interrogaſſet eunuchum, ne vereatur iniuriam feciſſe meretrici, monet vt quod dixerat, neget.

Possvmne hodie ex te. Hoc eſt, producere & formare: quemadmodum formas reddunt illi, qui exculpunt gemmas.

Alio pacto honeste. Quoniam, inquit, conſtat de iniuria, nullo pacto me hinc liberare poſſum, niſi dum neganti eunucho vehementer iraſcor. Hæc autem ſecum loquitur.

Actvm est si tv etiam me hic nebvlo lvdificabere. Actum eſt, inquit, ſi etiam me tu inludis, *nebulo*, hoc eſt, fraudator & peſſimus. Hanc technam. Hanc fraudem. Sed nvnc qvid. Hic ſecum ancilla deliberat an indicãdum ſit dominæ, virginem eſſe vitiatam. Quod breui argumento percurritur. Primum ſic poſitum eſt. Taceam an vero dicam. Suadet autem vt taceat, ab vtili, *Tu pol ſi ſapis quod ſcias neſcis, neque de eunucho, neque de vitio virginis.*

ACT. IIII. SCEN. V.

Attat data. Hæc ſcena adoleſcentis narrationem habet, quod ſit inluſus. Neqve mens, neqve pes. Impedita omnia ſunt vino, vt membra ſe ad actus ſuos explicare non poſſint. Verbvm hercle hoc. Hoc prouerbium in ætate ſempiternum.

Vbi antevorterem. Vbi ergo iam anteceſſarim.

ACT. IIII. SCEN. VI.

Credo eqvidem. Hæc ſcæna repetit puellæ accuſationem quod noluerit meretrix pacta ſeruare: verum ante ponitur adoleſcens, qui aduerſus militem poſſit obſiſtere, ne conturbata cùm ſuam puellam duxerit cedat, ſed hanc audactet ſuam ſororem eſſe dicat.

Tvrbam hanc. Turbationem. Haec atq. hvivsmodi. Commẽdat hic munus, cum maximas ſe iniurias paſſam dicit.

Qvid ais. Vehementer miratus adoleſcens, quod apud meretricem educta ſit ſoror: quemadmodum dictum, *ita vti téque illáque dignum eſt.*

Ain tv cistellam. Soliti fuerant ſemper, quos exponebant, aliquid dare monumentorum pueris, vt ex his monumentis fieret poſtero tempore cognitio. Hæc igitur monumenta petit, vti de ciſtella deferantur: quo facilius Chremes interlocutus ſit, quod militem venire videat. illa intercedit, tamen interrogans vbi ciſtella.

In risco. *Riſcum* ciſtellæ genus de vimine factum & tectum corio intelligimus.

Apage sis. Hoc eſt, timidus ego? diſcede non ſum. Occlvde ostivm. *Serare* eſt claudere. ita compoſitum *obſerare*, contrarium eſt verò, *reſerare*, quod eſt aperire.

In ivs dvcito. Ad forum in iudicium. Attolle pallivm. Quoniam comœdia Athenienſes perſonas habet, idcirco *pallium* dixit. Sunt enim comœdiæ quæ *togatæ* dicuntur, quæ perſonas Romanas habent.

Ipse est opvs patrono. Hic, inquit, qui mihi defenſor paratur, ita timet vt ei potius patronus adhibendus ſit.

ACT. IIII. SCEN. VII.

Hancine ego. Repetiturus vt diximus puellam aduenit miles extemplo: ſic enim ſuprà etiam Thais ipſa dixerat. velle ſe illam mihi dare, verum id vereri, ne vbi acceperim ſeſe relinquam. Et alio loco: fidem habeat ſe iri præpoſitum tibi apud me. Nunc verò eum de Chærea pactum ſit vt præponatur ille, & hodie introduxerit Chremetem, quem miles ſuſpicatur amato-

tem, dicit contra pactum eſſe hoc factum. vnde iſtum credit repetiturum eſſe, quod dono dedit. Et vide militis glorioſi ſtultitiam, quaſi aciem & prælium ante diſponit. & eò conſenſum commodat paraſitus, quem colacem in hac comœdia intellleximus.

IN MEDIVM HVC AGMEN CVM VECTE. MANIPVLVS FVRVM. *Manipuli* dicuntur in legione, certi & collecti milites; quemadmodum turma eſt, ita & manipulus. & hic miles manipulum ſe habere dicit furum.

QVID IGNAVE PENICVLON. Intelligimus Sangam coquum cum peniculo egreſſum, ac propterea militem interrogare cùm peniculum portet. Sed quoniam & familiæ, & domini mores nouit, perite reſpondit. Egone imperatoris virtutem noueram & vim militum.

SOLVS SANNIO SERVAT DOMVM. Vt abſolute dictum ſeruat domi: aut ſeruat ea quæ domini ſunt.

EGO POST PRINCIPIA. *Principia* dicuntur acies & frons prima exercitus. Ita *post principia*, eſt poſtrema aciei pars. Denique intelligens paraſitus, prudentem appellat militem, quod ſibi in periculoſo loco cauerit.

THAIS PRIMVM MIHI. Hic propoſitio eſt pactorum. vnde arguit quod ſibi non ſint pacta ſeruata. Deinde proponit quemadmodum ſeruata non ſint. *quæ mihi ante oculos coram amatorem adduxti tuum. qui cum illo agas.* Scit amatorem ſuum non eſſe, & ideo omnia militi permittit, vt nullum faciat, quem credit amatorem.

PAMPHILAM ERGO HVC. Quoniam meretrix dixit *libuit*, ideo Pamphilam nunc repetit.

TV ILLAM TANGAS. Tandem excitatus Chremes intercedit, & furentis more verba non exprimit, quippe cum intercedat paraſitus, iam intelligens futurum iurgium, quod dicit. *Ah quid ais? tace.*

SCIN TV VT TIBI RES Vis inquit ſcire quemadmodum res iſtæ ſint? Si aliquid hodie hic turbaueris aut litis feceris, perficiam vt verberibus diei locique huius, & mei ſemper memineris.

MISERET TVI ME. Paraſitus quantum poteſt refregit audaciam Chremetis, & miſerere ſe dicit, quod talem inimicum militem faciat, cum repugnare non poſſit.

EAM DICO ESSE LIBERAM. Hic iam reſpondetur militi repetenti puellam, & primum opponitur libertas, deinde quod ciuis eſt, tertio quod nobiliſſimi adoleſcentis ſoror: poſtremo edicitur militi ne vim faciat in Thaidem.

AVDIN TV HIC FVRTI SE ALLIGAT. Dum hoc proponitur, furti tibi crimen intenditur. VT FORTES DECET MILITES. Quoniam pro labore ſatis exactum eſt, viciſſim id agit vt procuret milites. FOCI ET DOMI. Ad cibos ſcilicet præparandos.

ACT. V. SCEN. I.

PERGIN. Et hæc coniecturali modo accuſat. quippe conqueritur an virgo vitiata ſit, denique argumenta colligit. *Virgo conciſſa veſte lacrumans obticet.* Satis plenum eſt. nam ſi iniuria fuerat, facile loqueretur: nunc verò tacet, quæ eſt pudoris amiſſio.

QVID AIS SACRILEGA, ISTVCCINE. Quaſi intendat crimen, quod neque cuſtodierit virginem. At illa præcepto ſe paruiſſe reſpondet. *Quid facerem, ita vti tu iuſti ſoli creditaſt.*

OVEM LVPO COMMISISTI. Prædam, inquit, prædatori dediſti. DISPVDET Valdè ego hic & vehementer erubeſco. SIC MIHI DATA ESSE VERBA. Sic me eſſe deceptam.

QVID ILLIC HOMINIS EST. Hic intelligitur reuerti Chæream, adhuc Eunuchi veſte indutum, ſicuti pòſt cognoſcitur. & ideo miraculum fit. *Era mea tace obſecro ſalui ſumus.*

VIDE AMABO SI NON CVM ASPICIAS OS IMPVDENS. *Amabo* dixit, quod ſemper inter poëtas nulla ſignificatione eſt. Senſus autem talis: vide impudentiam, vide aſpectum quemadmodum incedit. Os ergo impudens videtur, cum aſpicias venire. Et quaſi aliquid meretrix dixerit ita ſubiungit, *Non eſt?* quaſi negas eſſe quod dico. Et hoc vt confirmet adiungit, Cur igitur tanta confidentia fictus incedit.

ACT. V. SCEN. II.

Apvd antiphonem. Hæc ſcena iniuriarum actionem tenet. reum facit Chæream meretrix iniuriæ. at ille ſe veniali ſtatu purgat dicens, ſe quod fecerit amore feciſſe. At primo quidem loquitur eur non mutata veſte nunc venit.

In angiportvm qvoddam. *Angiportum* dicimus & anguſtum & tortuoſum * nam anguis modo flectitur.

Bone vir dore. Fingit adhuc meretrix illum eunuchum eſſe. Vti ſie ſalutatum facilius tanquam ſubiectum & ſibi deditum inuehi poſſit.

Hanc metvi ne. Hanc inquit, Pythiam timui, ne me reum apud te faceret.

Eho pavlvlvm inpvdens. An paululum hoc eſſe tibi videtur, virginem vitiare ciuem. Hic iam intelligimus quod non eunuchum credat eſſe, eum quo loquitur meretrix. Verum adhuc latet quis iſte ſit. Ita quamuis ille conuictus eſt de vitiata virgine, adhuc tanquam ſeruus proponit vt dicat, *conſeruam eſſe credidi*.

Praesertim cvm se servvm Nihil eſt, inquit, quod metuam, ſi iniuſte aut per iniuriam aliquid fecero, maximè cùm hic ſeruum tuum fateatur ſe eſſe.

Missa haec faciamvs. Hic iam meretrix ſublata ſimulatione accuſat adoleſcentem iniuriarum, dicens, quod non dignum factum adeo fecerit, etſi digna pati potuerit ipſa. Exprimit deinde quid incommodi ſibi euenerit ex vitiata virgine, quod nonpoſſit ſuis illam, vti decreuerat, reddere, & maximum beneficium & perpetuam gratiam collocare.

At nvnc dehinc. Defenſionem adoleſcens ſub promiſſione inchoat: dicit enim æternam ex hac re futuram gratiam. Hoc enim intelligi vult, quod illam ſit ducturus vxorem. Denique adiecit. *Sæpe ex huiuſmodi re quapiam, & malo principio magna familiaritas conflata eſt.* Frequenter inquit ex tali re aliqua & initio non bono, ad familiaritatem maximam concordiámque peruentum eſt. *Huiuſmodi re quapiam.* Comico loquendi ſtilo *quapiam*, aliquam intelligimus.

Eqvidem pol in eam. Intelligit meretrix quid ſibi ab adoleſcente dictum ſit, & ideo adiecit, hoc quidem accipio ex dictis tuis, quod vehementer deſidero.

Vnvm hoc scito. Hic illa defenſio, quam venialem ſuprà diximus.

Non adeo inhvmano. Quoniam meretrices ab amatoribus ſuis quaſi quaſdam exigant pœnas, ideo ſe purgat, vt dicat, non tam inhumano ingenio ſe eſſe, vt amor quid ſit ignoret.

Non avsim. Quoniam Pythias dixerat, timendum eſſe dominæ Chæream, hoc eſt, ne quam vim pateretur, reſpondit ille non audeo. ſcit enim fratris amicam eſſe.

Tamen si pater. Pendens hæc oratio ſenſum plenum habet: tamen ſi voluerit pater. Sed continuo eum hoc intellexiſſet adoleſcens, reſpondit. quid volet ſcio, eius modo hæc ſiet. Apud Athenas dedecoris maximi erat, non ciuem ducere vxorem. Vnde & in Andria Simo ita loquitur. *Adeon eſt demens ex peregrina.*

Pavlvlvm opperirier. Expectare. Immo percvpio. Cupit adoleſcens vt ingredi vellet domum, quoniam illic ea puella eſt, quam videre deſiderat. Sed hoc intellexit Pythias, & propugnat dicēs, *Quam in rem actura obſecro es?*

Dabit hic aliqvam pvgnam. Proprium verbum eſt, & familiare ad exprimendum ſemper, cum aliquid fieri dicitur. Vt, *imbelles dant prælia cerui.* & hic, *dabit aliquam pugnam.*

Non pol credo. Verbis talibus fidem non habeo, neque quod dicit fieri credo, niſi fuerit factum.

Perii hercle. Ex hoc exprimitur quod ſuprà dixit, *Immo percupio.* Viſo enim Chremete noto & nobili viro, vehementer erubeſcit, quod cum eunuchi veſte ſit.

Idipsvm? virgo. Quidam intelligunt, confuſus es quaſi virgo: erubeſcis ex veſte. & confuſionem pateris, quod virgo patiatur, quam vitiaſti. Et rurſus eſt quaſi admonitio, vt & pudori non ſit, quod iſta veſte indutus eſt, ſiquidem vitiauit virginem. I prae, seqvor. Antecede, ego te ſequar.

ACT.

ACT. V. SCEN. III.

QVID, QVID VENIRE. Hæc ſcena conſilium quærentis ancillæ tenet, quemadmodum ſe poſſit vlciſci. Deinde admonitionem, vt Chremes cum nutrice ingrediatur. NIHIL PROMOVES. Expreſſit tardos gradus ancillæ ambulantis. motum, inquit, corporis video, ſed itineris nulla progreſſio eſt.

VIDE VT OTIOSVS. Attende, inquit, vt ſecurus Parmeno ambulat & otioſus. SPERO ME HABERE. Credo iam me repperiſſe conſilium, quemadmodum iſtum tormentis afficiam, & eruciem pro mea voluntate. IBO INTRO. Pergam intro vt cognoſcam, an puella cognoſcatur.

ACT. V. SCEN. IIII.

REVISO QVID NAM. Hæc ſcena allocutionem tenet ſerui gloriantis, quod conſilio tantùm beneficium dederit, vti amorem ei difficillimum explicauerit. cuius partes enumerat, quod eum confecit ſine moleſtia, ſine ſumptu, ſine diſpendio. Illud maxime prouidiſſe gloriatur, vt adoleſcens meretricum ingenia moreſque cognoſceret, vt cum cognouiſſet, ſemper odiſſet.

PVTO ESSE PALMARIVM. Hoc eſt, quod ego arbitror mihi eſſe glorioſum, ibi palmam debere ſumi.

LIGVRRIVNT. Vt ſuprà dixi, leuiter cibos tangunt. cui contrarium *abligurrire*, quod ſignificat abſumere. QVO PACTO EX IVRE. Expreſſit meretricum ſordes. ſiquidem præter cetera & ius dixit heſternum, (quod ſignificat aquam pinguem) quod ab amatore tulerunt, aut domi fuerit ac remanſerit, quod foris cœnauerint.

NE INPVNE IN NOS. Ne ſine pœna nobis iniuriam feceris.

PRO DEVM FIDEM. Dum egreditur Pythias fingit, adoleſcentem Chæream intus captum, & pro mœcho deprehenſum, quo facilius Parmeno terreatur. EXEMPLA. *Exemplum* dicit grauem pœnam, ſcilicet quæ ceteris eſſe poſſit ad exemplum. nam alias dicit, *vtique in te exempla edent.*

SCIS ISTAM CIVEM. Vt vitiatori crimen increſcat, dicit virginem eſſe ciuem, & eius fratrem adoleſcentem nobilem, qui facilè poſſit conſurgere. Præterea dixit eſſe violentiſſimum.

ID QVOD MOECHIS SOLET. Hinc intelligimus quædam in mœchos eſſe ſupplicia, vel ſpadari, vel aliud quidlibet ad crudelitatem ſiue turpitudinem. Hæc Pythias reticet.

QVIS HOMO PRO MOECHO. Et ſuprà iſto conſilio vſi ſunt, vt impunitatis ſpem ſibi in domo meretricis pollicetentur; ita & nunc arguit Parmeno, quod pro mœcho in domo deprehenfus ſit meretricia adoleſcens.

DICO, EDICO. Vti iracundiam vel meretrix, vel quilibet alius temperare poſſit, maluit qui ille adoleſcens ſit confiteri, ne propter nobilitatem in eum aliquid conſtituatur. NE QVAM IN EVM THAIS. Benè adiecit Thais, quæ eius fratrem habet amatorem.

CVR NON EGO. Credit iam ſe non poſſe ſuccurrere. Verum quoniam Pythias mentitur, metuit ne ingreſſus Parmeno aliud inueniat, ideo obſiſtit & prohibet ne ingredi vellet, quod illi potius iraſcuntur, quod credunt ipſius conſilio cuncta perfecta.

ECCE AVTEM VIDEO. Supponit deliberatiuę ſpeciem, vtrum indicet domino an non; vt oportuit celeri conſultatione quid faciendum eſſet elegit, dicens: neceſſitatem eſſe dicendi. Ita & honeſtum, & vtile ſemper vincitur, ſi modo neceſſitas ſit, ob quam aliter quàm cogitur, fieri non poteſt.

ACT. V. SCEN. V.

EX MEO PROPINQVO. Hæc ſcena narrationem continet, quemadmodum filius eius in domo meretricis pro eunucho captus. ſimul cum defenſione & adoleſcentis qui captus eſt, & ipſius qui narrat, ne videatur ipſe ſuis ad periculum conſiliis dominum impuliſſe.

EX MEO PROPINQVO. Ex ſolo & vicino agro.

QVEM PRAESTOLARE. Notandum quod hic per accuſatiuum protulit, *quem præſtolare.* At verò Cicero per datiuum: *Qui tibi ad forum Aurelium præſtolentur armati.*

PRIMVM TE ARBITRARI. Antequam crimen vel admiſſum aliquod facinus narraret, prius voluit quod factum eſſet à ſe re-

moucre. *Ne me*, inquit, *ſpectes*, hoc eſt, ne de me eſſe credas. Sed hoc ſtulte factum, niſi crimen vel facinus dixiſſet, purgare non debuit perſonam ſuam. Ideo ſenex interrogat quid factum ſit. Et Parmeno, *Recte* inquit. *Oportuit rem prænarraſſe me.* Hoc eſt crimen quod eſt admiſſum prius oportuit dicere, & ſic adhiberi in omnibus purgationem.

Emit qvendam Phaedria evnvchvm. Cùm Aethiopiſſam etiam, tamen de eunucho tantùm narrat, quia ipſe pertinet ad cauſam, & ne dominum in muneribus onerare videatur.

Hem qvid amat? an scit iam. Licet breuiter ſuprà Parmeno vtrúmque narrauerit, vel ipſum emiſſe * meretrici, vel Chęream amare cœpiſſe, tamen vtriúſque calamitatis ſenſus, ſenex grauiter indignatus conqueritur; *ſcit iam ille quid meretrix?* Sed ita non adoleſcenti crimen inſtituit, quod vir ſit; ſed quod ſcit quid meretrix ſit. An quia quodam aſtu & calliditate, mala hęc mihi ingeminata ſunt, vt aliud malum ex alio naſceretur. Aliud enim malum computat eunuchum; aliud quod minor filius cœperit amare meretricem.

Here ne me spectes. Narratio cauſæ redit ad defenſionem ſuam, quàm ſuprà dimiſerat.

Hvnc pro moecho. Bene ita *pro mœcho* dixit, quia in domo meretricis mœchi crimen nullum eſt. Et constrinxervnt. Hoc eſt, vinculis alligarunt.

Avdaciam meretricvm. Iam ſeruus meretrices accuſare cœperat, & audaces dicere, vt exinde à crimine ſuo per accuſationem auocet dominum.

Nvm qvid est alivd mali damnive. *Mali* pertinet ad hoc, quod Chęreas pro mœcho intus eſt deprehenſus & ligatus; *Damni* ad illud, quod eſt à Phędria emptus eunuchus.

ACT. V. SCEN. VI.

Nvnqvam aedepol. Hęc ſcena continet inſultationē, quod cùm ingreſſus eſſet ſenex in domum Thaidis, quaſi timidus & ſollicitus de filij pœna, inuenerit eum indutum veſte eunuchi. quod ſe Pythias per dolum feciſſe laudat, vt Parmeno deciperetur, ac metu territus domino indicaret, quod cælare debuerat. Pulchrè autem factum, quod metu quodam compulſus ſenex ingreſſus eſt in domum meretricis, vt filio ſubueniret; & ſic dum illic Chremes eſt, frater quoque vitiatę virginis adeſt, & Chęreæ promiſſio ad nuptias completur.

Qvid? illicons. Accuſat Parmenonem ſtultitiæ, primum quod credit ea quæ ſibi ab ancilla, & ab amata dicerentur. Deinde quod ea, quæ cælare debuerat, indicauerit domino.

An poenitebat. An inquit te pœnitebat eius flagitii, quod factum eſſet ab adoleſcente * indicare patri & prodere, quo eius facinus publicaretur.

Qvid illi credis animi. Qualem inquit credis adoleſcenti fuiſſe animum eo tempore, quo ſe viſum vidit à patre, quod eunuchi veſte eſſet indutus.

Nos irridere scelvs. *Tu ſcelus*, hoc eſt ſceleratus. ſic enim res ipſa ponitur pro perſona. Vt Salluſtius in Iugurthino. *Ad hoc facinorum circum ſe tanquam ſtipatorum catervas habebat.*

In diem isthvc. Videlicet quod mihi minitaris ſupplicium adhuc imminet & impendet. at tu iam punieris.

Qvi stvltvm adolescentem nobilitas. Hoc eſt, peccatis notū omnibus reddis: eundem indicas. Vterqve exempla in te edent. Adoleſcens qui nobilitatus eſt flagitiis, & pater cui hoc eſt indicatum.

ACT. V. SCEN. VII.

Qvid nvnc? Inducitur in hac ſcena miles Thraſo ad Thaidem reuerti velle vt recipiatur, quoniam ſe intelligit excluſum eſſe. eius autē potior vis eſt, quamquam hoc diſſuadet paraſitus. Sed quoniã colax eſt, dat conſenſum.

Qvi minvs qvam Hercvles. Omphalen dicitur Hercules amaſſe vehementer, ita vt indutus muliebri habitu, opera quoque fœminea faceret, & habitum ſuum amicæ eidem daret. Ergo miles, quoniam ſeruiturum ſe eſſe meretrici dicere volebat, ne turpe videretur quod miles eſſet, & vir meretrici ſe ſubiceret, exemplum ab Hercule ſuſcepit. Ita enim glorioſi faciunt vt peccent, & peccandi tamen ſe habere profiteantur exempla.

CONMITIGARI VIDEAM SANDALIO CAPVT. *Sandalium* genus calciamenti eſt. Vtinam tibi comminui & percuti videam caput, vt vere ſeruire videaris. Hoc quidem paululum ſummiſſiore voce paraſitus dixit.

ACT. V. SCEN. VIII.

O POPVLARES. Exultationem hæc ſcena habet, quod Chærea conſilium complere potuerit ſuum: eſt ergo hic allocutio gaudentis. Laudat ergo Parmenonem, ſe, atque fortunam. Parmenonem quod conſilium dederit; quod aggreſſus eſt fortunam, quæ cuncta compleuit. Mox ea quæ iſtic acta ſunt narrat, & ſibi eſſe ſponſam, & illam cognitam ciuem: & meretricem tantùm fratris eſſe Phædriæ, & militem excluſum. Idcirco Parmeno adiecit. *Fratris igitur Thais tota eſt.* Hoc cùm miles audiſſet, vehementer in amoris flammas incenſus deliberat quid facere debeat, Sumit conſilium vt hos roget. Ac primum allocutio. Rurſus interponitur Phædria qui exultationem gaudij ſui exprimit, & de ſuis facultatibus gaudet: gratias agit patri quod feſtiue & iocunde interueniens cuncta compleuerit.

DI VOSTRAM FIDEM. Ingreſſus Parmeno Phædriæ narrauit vniuerſa, quæ dixerat frater: ita cùm fratrem continuo vidiſſet, nihil aliud dixit, quam gaudium & lætitiam ſe habere. Nam oſtendit ſe cuncta à Parmenone cognouiſſe.

NIHIL EST THAIDE HAC TVA FRATER DIGNVS, QVOD AMETVR. Melius nihil quod amari poſſit. MIHI THAIDEM ILLAM LAVDAS. Vtique cùm ſcias me amatorem quodammodo ſuperuacuum eſt mihi illam quod laudas.

PERII QVANTO MINVS SPEI. Amorem etiam concitari manifeſtum eſt, & rurſus, vt hic Terentius dixit, deſperatione incendi. verum illa deſperationis quadam ſpe ducatur quod peruenire poſſit amor, minus inceditur. ocſtq, hic miles, quoniam recipi ſe in partem ſperat, idcirco quanto minus ſpei eſt, inquit tanto magis amo.

PERFICE HOC PRECATVS. Hic perſuadet Parmenoni, vt quocunque pacto hoc compleatur, ad meretricem poſſit admitti.

SIQVID CONLIBVIT, NOVI TE. *ὀἰςωτὰ* eſt: quidquid conlibitum eſt. QVOD DIS DONVM, PRAEMIVM. Noui te ſi hoc effeceris, quod vis donum præmio donaſſe, hoc inquam à me poſcito . . d cum optaueris, accipies. Atque vltra merita ſunt dona, *præmium* vero eſt, quod quaſi ob meritum datur. Proprium enim verbum eſt, vt: optet præmium vir fortis, quod volet.

SI EFFICIO HOC POSTVLO. Varia diſtinctio: quidam enim ſic dicunt, ſic diſtinguunt. *Si efficio hoc*, vt poſtea ſubiungant, *Poſtulo vt mihi tua domus te præſente, abſente, pateat*. Paraſitus nil aliud deſiderat præmij loco, niſi vt ſibi cibus ſuppeditari poſſit: & ſiue præſens miles, ſiue abſens ſit, nunquam vocatus, ſemper tamen ad cœnam veniat.

DO FIDEM FVTVRVM. Iam fidem promitto, ſpondeo.

SCIN QVAM FRETVS. Etſi præſumis, inquit, de nobis, prædico vt ſcias iſtam nos habere ſententiam. Quod ſi te in hac platea aliquando inuenerimus, ita accipietis vt nunquam tibi ſubuenire poſſit iſta defenſio, quod alium quærebas, aut iter quod hac te habere dicas.

NON COGNOSCO VESTRVM. Hoc quod reſpondiſti eſt ſuperbum. nam veſtrum eſſe non cognoſco, nec credo.

PRIVS AVDITE PAVCIS. Hoc deliberatiuæ ſpecies eſt. Deliberat Phædria an riualem in partem meretricis recipiat. Eſt ergo principium ab . . . . collocatum, cum dixit, *ſi placuerit, facitote.*

PRINCIPIO EGO VOS AMBOS &c. In hoc principio rurſus Gnato, quoniam ſcit odioſum militem interponi ſe vtilitatis cauſa id facere confitetur. Verum ne ſibi conſulere intelligatur tantùm, cùm vtique alienus ſit qui cupiat perſuadere, adiecit, *Verum ſi id vobis prodeſt, vos non facere inſcitia eſt.* Exemplum deinde apponit ipſius ſententiæ, per propoſitionem. MILITEM EGO RIVALEM RECIPIENDVM CENSEO. Primum hoc deliberatiuum eſt, vt qui ſuadet, aliquam ſententiam dicat: quemadmodum in Philippicis *Quare ita cenſeo.*

COGITA MODO, TV HERCLE. Poſt ſententiæ propoſitionem ſubnectit ea quæ vtilia ſunt Phædriæ, vt libenter capiat victum. Ipſum quidem non plurima dare, Thaidem contra plurima velle accipere.

NEC MAGIS EX VSV TVO. Hoc eſt, nec

eſt aliquis qui magis ſit ex tua vtilitate, quia haber quod det, & largius nemo dat. Sed ne incidat quæſtio, forte datorem amare incipiat meretrix, ſubiunxit: *Fatuus eſt inſulſus, tardus, ſtertit noctes & dies: Neque iſtum metuas. ne amet mulier, facile pellas vbi velis,* Ad iſta omni genere aptus eſt miles; velut dona det, velut facile contemni poſſit.

PRAETEREA HOC ETIAM. Poſt ea, quæ ſuprà commoda narrauerat, adiungit quod etiam ſibi maxime neceſſarium eſt, quod nemo melius accipiat, quàm miles. *Accipit* autem paſcit. Virgil.

Illos porticibus rex accipiebat in amplis.

MIRVM NI ILLOC HOMINE. Siue quia nemo melius accipiat, neque prolixius, id eſt abundantius: ſiue quoniam multa dona meretrici donare poteſt. Ad quæcunque hic homo neceſſarius eſt.

VT ME IN VESTRVM GREGEM. Etiam de ſe perſuadere voluit, vt non excludatur, ſed pariter cum his poſſit viuere, etiam horum auxilio.

DIV HOC IAM SAXVM. Olim cum iſto milite laboro. Quem ſilicem ob ſtultitiam appellauit, vt quaſi

——— *dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes.*

Vbicunque enim quædam ſtupiditas, ſilici comparatur.

DIXIN EGO IN HOC. Quidam intelligunt hoc verſu de Terentio dici, qui & Comœdiam ſcribit, vt is in ſe habeat Atticam, hoc eſt, Menandri eloquentiam, qui fuit Atticus. Quidam de milite, vt per εἰρωνείαν dictum ſit, quaſi ad præſentem, vt credat ſe eſſe laudatum. Dixin ego quod miles habeat in ſe eloquentiam Atticorum? ſiquidem modo dixerat, *Nunquam etiam fui vſquam, quin me omnes amarent plurimum.* Ita vſque ad extremum melius ſeruata eſt militis glorioſi oratio.

NIHIL PRAETERMISSVM. Omnia quæ dixiſti inuenimus in milite. an omnia quæ promiſimus tibi implebuntur, & nihil eſt, vel erit, præter id quod diximus.

Explicit Comment. Eunuchi.

INCIPIT IN HEAVTONTI-morumenon.

PROLOGVS.

OMNES hæ comœdiæ de Græco tranſlatæ ſunt, à Menandro quidem quatuor, duæ ab Apollodoro. Heauton timorumenos Menãdri eſt. cuius prologus partitionem tenet, in qua docet, quid in quæſtionem ſit, id ipſum ne populus miraretur, diſſoluere. NE CVI SIT VESTRVM MIRVM CVR PARTES SENI POETA DEDERIT, QVAE SVNT ADVLESCENTIVM. Duas partes propouit, vnam quod contra conſuetudinem ſenex prologus proceſſit in publicum: ſolet enim iſtud officium adoleſcentibus dari. Ergo quoniam contra conſuetudinem in prologum perſona proceſſit ſenex, idcirco hanc primam populo vult ſoluere quæſtionem. *Deinde quod veni eloquar.* altera hæc pars eſt. ſimile autem mihi videtur huic eſſe principium diuinationis. namque & illic quod ſubito mutata voluntate ad accuſandum deſcenderat, mirum dixit videri, vel iudicibus, vel circunſtantibus: ac propterea ſe primum id velle diſſoluere. Si quis veſtrum, iudices, aut eorum qui adſunt, forte miratur. vides hic verbum nouerit, ſemper apponi: ita enim & hic dixit ne cui ſit veſtrum mirum. Hanc igitur partitionem ſoluit, vti dicat cur partes ſeni poëta dederit, quæ ſunt adoleſcentium. Quod primo propoſuerat, primo

ſoluit. *Oratorem me eſſe voluit nō prologum. Veſtrum iudicium fecit, me actorem dedit.* quod autem dixit *quod veni eloquar*, illud eſt: nam quod rumores diſtulerunt maliuoli multas contaminaſſe Græcas dum facit paucas Latinas, id eſſe factum hic non negat. ergo vt propoſitio collocata eſt, ita etiam ſolutionis eſt ordo ſeruatus. ſed nunc ad interpretationem ſuperiorum reuertamur.

Ex integra graeca integram comoediam svm hodie actvrvs. Quoniam Andria ex duabus comœdiis videtur eſſe confecta, quippe illic & Perinthia, & Andria continentur: quod quidem criminis loco aduerſarius dederat. Ideo hic ex integra inquit comœdia integram comœdiam acturus ſum. ne videatur ab altero tacta, aut ipſe alteram tetigiſſe, ſed vnam comœdiam & integram ad Latinum ſermonem interpretatione mutaſſe. Denique ideo adiecit: *Duplex, quæ ex argumento facta eſt ſimplici*: vt ſimplex argumentum ſit, duplex comœdia: dum & Latina eadem & Græca eſt. nouam eſſe oſtendit propterea cum à Græco tantùm dicta eſt, & Latine nunc acta eſt. Nunc primum in ſcenam procedit, idcirco dicitur noua, & quæ eſſet, ſuprà dixit, Heautontimorumenon, & cuia Græca ſit ni partem maximam exiſtimarem ſcire veſtrum, id dicerem, duplex hic pronuntiatio eſt, qui ſcripſerit, & cuia Græca ſit, ni partem maximam exiſtimarem ſcire, id vt poſt inſectatur. *Nunc quamobrem has partes didicerim paucis dabo*, illud quod ſuprà poſitum eſt, videtur adiectum. nunc redit ad partitionem ſuprà collatam, cur partes adoleſcentium ſenex ſumpſerit.

Oratorem me esse volvit, non prologvm. Vt apud vos agerem cauſam potius, non officio fungerer prologorum. Prologi enim, ſicuti iam dictum, aut argumentum narrant aut poëtæ perſonam commendant, aut audientiam poſtulant: nunc autem ego apud vos acturus ſum cauſam, & defendam, ſi quod fuerit forte in Terentium ab aduerſario, loco criminis intentatum. Ideo enim dixit, voſtrum iudicium fecit me actorem dedit; ſed hic actor tantùm poterit à facundia, quantum ille potuit cogitare commode, qui orationem hanc ſcripſit, quam dicturus ſum, poeta inquit, me actorem eſſe voluit, qui tantùm in facundia excellit, & præualet ingenio, quantum & ego qui eandem comœdiam acturus ſum in agendo præualeo: ita hic actor, hoc eſt, ego, tantùm potero à facundia, hoc eſt, non degenerabo ab eo qui cogitauit. Nam qvod rvmores malivoli. Hic iam incipit cauſam dicere cur venerit, ſicut ſuprà diximus, vt purget quæſtiones ipſas & obiecta ab aduerſarijs ſoluat. *Maliuoli* autem quod dixit vel numero plurali, vt maliuoli rumores ipſi: vel ſingulari, vt ſit huius maliuoli, hoc eſt Luſcij Lanuini. *diſtulerunt* id eſt in diuerſum diſſeminarunt.

Mvltas contaminasse. Hoc eſt illud quod diximus, quando hic prælocutus eſt, vt diceret, ex integra Græca integram comœdiam ſum acturus hodie. ita & hic, hoc ſibi crimen dicit obiectum, quod Terentius multas Græcas contaminauerit comœdias, dum paucas Latinas facit. hoc autem crimen Terentius non negat factum, ſed ſibi licere demonſtrat, & licere ſcilicet per aliorum exempla, quemadmodum Tullius dixit, *Adductus ſum iudices fide, miſericordia, multorum exemplo bonorum.* Et hic, habet bonorum exemplum. *Facturum autumat*, facturum dicit & profitetur.

Nam qvod malivolvs vetvs dicit. Aliud crimen eſt, quod obiectum nunc proponit, quoniam Luſcius Lanuinus dicit Terentium non peritum artis muſicæ, ad comœdias ſcribendas acceſſiſſe præſumente potiùs ingenio amicorum, non ſuo.

Arbitrivm vestrvm, vestra existimatio valebit. Hoc locutionis genus ſatis mirum eſt, cum dicit, de hac re vos iudicare poteritis, an id quod obiicitur nobis, verum ſit, vt Terentius non natura ſua fictus, neque ingenio, ſed amicorum potius, ad ſcribendas comœdias acceſſit: eſt namque rumor quod Terentius cū Scipione Africano familiariſſimus fuit, ſemper iſtas comœdias cogitarit: hoc igitur prologus nititur ſoluere. Et quoniam non eſt erubeſcendum, tali viro fuiſſe coniunctum, idcirco minus curat hoc crimen diſſoluere. dicit tantummodo, veſtrum iudicium eſt, & veſtra exiſtimatio

Qvare vos omnes oratos volo.

Hic iam ſequitur officiū prologi, vt beniuolentiam petat. quę beniuolentia & in aduerſarios odium concitat. quod adiecit. NE PLVS INIQVVM POSSIT QVAM AEQVVM ORATIO. DATE CRESCENDI COPIAM NOVARVM RERVM, QVI SPECTANDI FACIVNT COPIAM SINE VITIIS. Quoniam petitio generaliter fuerat collata, vti nobis poetis fauerent auditores, adiecit nobis. Sed qui ſine vitijs comœdias dant, illis Luſcius Lanuinus nouas comœdias profert, ſed cum vitio, adiecit. *Ne ille pro ſe dictum exiſtimet.* Et ne Luſcius Lanuinus etiam pro ſe petitum arbitretur.

QVI NVPER FECIT SERVO CVRENTI IN VIA DECESSE POPVLVM. Proponit vitium quod admiſerit poeta Luſcius Lanuinus. quippe cum omnis comœdia, aut errorem teneat ex amatoribus, aut iniuriam meretricum, aut ſuppoſitionem filiorum, aut aliquid tale, quod ad moralitatem videtur eſſe coniunctum. Quod tale hic eſt, cum ſeruus currit, cum populus decedit, quod domino inſano obediat ſeruus. ne potius aliena à comœdijs ſint. apertè ait ac breuiter ea quæ ſunt comœdiarum explicemus. Omnis comœdia aut amoris habet agnitionē, aut ſuppoſitionem amoris habet, vt ex Andria, quam quidem in agnitionem eſſe cognoſcimus. nam cognoſcitur Glycerium quia ciuis ſit. Suppoſitionem habet, vt apud Plautum qui eſt Truculentus: militi enim ſupponitur filius, vt exinde in meretricis affectum arctius & ſtrictius colligetur. Ergo cum videamus hæc eſſe neceſſaria in comœdiis teneri, vehementer errauit Lanuinus, qui extra hæc comœdiam instituit: & ſeruum currere, populum per viam diſcedere, quod inſano ſeruiat domino. Vnde apertiſſimum vitium in comœdia reprehendit Terentius.

STATARIAM AGERE, VT LICEAT PER SILENTIVM. Quidam ſtatariam genus eſſe putant comœdiæ. alij in quibus ſtantes: vnde hanc ſtatariam nominant. Mihi enim videtur ſtatariam agere vt liceat per ſilentium ideo dixiſſe, vt perpetuo & ſtabiliter agatur hæc comœdia, neque populi aduerſis ſuffragijs foras pellatur. Ideo adiecit, *vt liceat per ſilentium*, & ſubiungit: *Ne ſemper ſeruos currens, iratus ſenex*, &c. *aſſidue agendi ſint mihi Clamore ſummo cum labore maximo.* Hæc autem, quæ nunc nominantur, propria videntur eſſe perſonarum. nam ſerui officium eſt currere, ſenis iraſci: paraſitus autem edax eſt, impudens ſycophanta, leno auarus eſt. ergo ſunt hæc propria ſermonis, quæ neceſſe habeo ex neceſſitate perſonarum complere. Debetis mihi potius fauere, quam aduerſo ſuffragio conatus facere.

MEA CAVSA CAVSAM HANC IVSTAM IN ANIMVM INDVCITE, VT ALIQVA PARS LABORIS MINVATVR MIHI. QVANTVM. Ad eum qui comœdiam ſcribit, pertinet: potuit enim ſecundum morem ingenio vniuerſa complere. ergo quia hæc pronuntiaturus ſum, neceſſe habeo ſilentium. Ideo inquit, propter me hanc mihi operam exhibete, vt cum ſilentio attendatis. IN HAC PVRA EST ORATIO. Quoniam ſicut dixerat laborioſas potiùs comœdias ad ſe deferri: leues ad alium, ne præiudicium huic comœdiæ feciſſe videretur, quod ipſe diceret illa aut exinde iam à ſuperiori populo iudicare poſſet, adiecit, *in hac pura eſt oratio. experimini in vtrámque partem ingenium quid poſſit meum.* Non omnia æqualitas modo vtrúmque poſſunt. Et leuia perferre, & grauia complere. Ita ait *in vtrámque partem*: quoniam ſemper in aſperioribus comprobaſtis. nunc quoque leuioribus noſſe debetis.

VT ADVLESCENTVLI VOBIS PLACERE STVDEANT POTIVS QVAM SIBI. Si mihi nunc honorem per ſilentium dederitis, facile eos adoleſcentes compelletis, vt vobis placere potius velint quam ſibi: quoniam officium prologorum adoleſcentes ſumunt. multa in comœdijs ipſi acturi ſunt, ita factum cum mihi ex hac actione eſſe cognouerint, facile ipſi laborem hunc capere poſſint, vt vobis placeant.

ACT. I. SCEN. I.

QVANQVAM HAEC INTER NOS. Hæc ſcena continet iniuſtam accuſationem, quod grauis ſenex de ſe exigat pœnas, defenſionémque continet iuſtam. memorat quippe ita ſe meritum vt ipſe de ſe exigat pœnas. Quare qualitatis eſſe intelligimus ſtatus. & non tam eſſe accuſationem, quam obiurgationem. Huiuſmodi etenim in auctoribus, qui non apud iudicem controuerſiam dicunt, vim debemus

potius intelligere, quam controuerſiam: non enim iudices præſunt. Sed quoniam talis eſt actio, vt videatur vim controuerſię continere, idcirco ſtatus hic eſt, & ſecundum iſtum cuncta dicuntur. Ergo in hac ſcæna ſtatus qualitatis eſt abſolutæ, vtrum iuſtè fecerit, vel faciat, quod de ſe ſenex exigat pœnas. Quam rem docet iuſtè fieri, ex eo quod ſe meritum dicit, propterea quia ipſe filium ſuum amantem adoleſcentum more, miſerit in militiam duram, ſæpius accuſando, inde ſibi iuſtè imponi has ipſas, quas implet grauiſſimas pœnas.

QVAMQVAM HAEC. Chremes vicinus, cum conſpiceret ſenem, eundémque olim diuitem, grauiter laborare ac tota die in opere conſiſtere vehementer, accedit interrogans: & vt oportet apud ignotum longa vtitur oratione, ſimúlque ſibi etiam quæſtionem facit, & quaſi ipſe ſibi reſpondet. Quo pacto vim oſtendit eius qui interrogat, cum ſit ignotus. Aliter enim ſenem in dolore poſitum, & calamitatibus præſſum ad loc .... prouocare non poſſet, niſi ſecum in ſe interrogans illud ita loqueretur, vt adiceret quæ ipſe reſpõdere potuiſſet. Ac primo purgat perſonam: quamuis antea familiaritas nulla fuerit, audeat tamen hodie accedere, & eum alloqui, dicit * quod nimius labor quem ipſe de ſe exigat ille qui ſenex & diues eſt, in ſe taciturnitatem eſſe non permiſerit, ſed potiùs compulerit ad interrogandum, etiamſi parua amicitia fuiſſet atque notitia, ex hoc quod vicinum agrum non longe ante mercatus eſt.

NEC REI SANE AMPLIVS. Nec aliquid inter nos fuit rei, ex quo facilius iungeremur.

VEL VIRTVS TVA ME. Quam honeſto verbo vſus? laborem & calamitatem virtutem potius nominauit *

IN PROPINQVA PARTE. Vicinitas agrorũ & domorum, quaſi quædam pars amicitiæ eſt. AVDACTER MONEAM ET FAMILIARITER. *Audacter* quod quædam dicturus eſt, veluti accuſans. *Familiariter*, quod ita accedit, quaſi ex notitia præterita.

QVOD MIHI VIDERE, &c. Ipſe partitionem ſuam perſequitur, nam propter ætatem ſic ſubiungit. *Annos ſexaginta natus es, aut plus eo, vt coniicio, Agrum in his regionibus meliorem, neque pretij maioris nemo habet. Meliorem* ad vſum refert: *pretij maioris*, ad opinionem populi de ipſo agro.

NVNQVAM TAM MANE, &c. Hic eſt labor ille qui ſit plurimus, quo cotidie ... labore conſtitutus, quod aut fodere inuenitur, aut aliquid facere.

DENIQVE NVLLVM REMITTIS *Nullum remittis*, ad illud pertinet quod dicit, *nunquam tam mane egredior, neque tam veſperi domum reuertor*. NEQVE TE RESPICIS, ad illud, vel quod ſenex eſt, vel quod diues.

AT ENIM DICES. Optima vt diximus ratione, ipſe ſibi quæſtionem facit, & vtitur reſpondentis ratione, vt enim prouocare poſſit ad loquendum, qui frequenter preſſus dolore conticeſcit. Sed dices mihi, inquit, pœnitet me quantum hic operis fiat: cui reſpõdet, tanquam hoc ſibi propoſitum ſit. Sed in opere faciendo quod conſumis, ſi id conſumas in exercendis ſeruis, plus agas.

TANTVMNE EST AB RE. Bene tanquam alienum alloquitur Menedemus, vt illi & otium eſſe dicat, & tantum otium à rebus ſuis vt aliena curet, & ea quæ ad ſe nihil attinent.

VEL ME MONERE HOC VEL PERCONTARI. *Monere* ſi ſciam quod faciat: *percontari* ſi neſcit.

RECTVMST EGO VT FACIAM. Ad *ſuperiora pertinet ... , vt intelligi poſſit: vel percontari puta ſi rectum eſt: ideo quæro vt faciam, ſi non eſt re... m, vt te deterream.

MIHI EST VSVS. Mihi ſic expedit.

AVT CONSOLANDO, AVT CONSILIO, &c. Apponit cauſas cur aliena incommoda quæri videatur. Hoc enim quod interrogo proderit tibi * Ita boni amici ordinẽ cuſtodiuit, vt crederet ſe aliquo modo prodeſſe **

CORPE NON HVMANITVS. Hic iam ſe arguit, quod iuſte de ſe exigat pœnas: ſiquidem cùm animaduertiſſet filiũ amare mulierem non humano modo, neq; vti decuit adoleſcẽtuli animum ſic tractauit, ſed apertè vi & more patrum cotidie accuſauit. Subiungit deinde allocutionem, qua vſus eſt cum accuſaret filium. *Ego te meum tantiſper dici volo, Dum quod te dignum eſt facies.* Dici te filium meum tam diu volo, quam diu facis quod te dignum eſt. Sin autem non feceris, ego inueniam quod in te dignum ſit facere.

SIMVL ET REM, ET GLORIAM. Vt vno

tempore militiæ labore proprio,& fortunas reperirem & dignitates.

SAEPE EADEM ET GRAVITER. His ōnerat cauſam ſuam,quod frequenter dixerit,& grauiter.Tandem adoleſcens victus diſceſſerit in militiam.

IN ASIAM AD REGEM MILITATVM. Singula in pronuntiatione ſunt collocanda. Nam *in Aſiam*, quod dixit, intelligere debemus in longinquum locum. *Ad regem* verò hoc eſt, quaſi ad ſeruitutem. *In militiam*, vbi ſcilicet durus labor & periculum eſt.

CLAM ME EST PROFECTVS. Hic curauit quod facile illi poterat opponi:cur ergo non cum eum videres proficiſci. *

MENSES TRES ABEST. Hic dolorem ſuum exprimit, temporis longinquitate.

AMBO ACCVSANDI. Nec dum tota expoſita eſt, idcirco æqualem partem accuſationis ſuæ poſuit Chremes, quod dixit, *ambo accuſandi*. Quamquam inclinauit vt adoleſcentem defendere videatur, cum ioquit, etſi illud inceptum videtur eſſe prudentis animi ſignum, & non minus obſequentis.Hoc eſt enim quod dixit,*non inſtrenui*

SOCCOS DETRAHVNT. Dixit iam comœdias iſtas eſſe palliatas: hoc eſt, ibi perſonæ ſunt Græcæ.ideo ergò dixit, *ſoccos detrahunt*.

* *

CONRASI OMNIA. Hoc eſt, collegi vniuerſa quę venderem.

OPERE FACIVNDO FACILE SVMPTVM. Seruos vniuerſos produxit & vendidit,exceptis his qui ſuo opere ſuos ſumptus tolerare poſſent.

INSCRIPSI ILLICO AEDES. Hoc eſt,ædes meas locaui.

HIC ME EXERCEO. Non hic ad voluptatem poſitum *exerceo*, ſed ad laborem. quemadmodum Virgil.

———*nate Iliacis exercite fatis.*

DECREVI TANTISPER ME. Hoc enim iudicaui me non tantam iniuriam facere meo filio quem expuli,ſi & ipſe miſer ſim.

SI QVIS RECTE AVT COMMODE. Suprà accuſauerat vtrumque cùm diceret, *ambo accuſandi*: modo vtrumque defendit, quod hunc ingenio leui dicit. & illum obſequentem, ſi minus aliquid rectè & commodè tractaret. alterum nam hoc factum eſſe dicit,quod neuter ſe nouerit.

VBI NON VERE VIVITVR. Vbi non integrè vita oſtenditur, vbi non nudatur, vt quis qualis ſit agnoſci queat. QVANTI PENDERES. Quantum diligeres. QVOD SI ESSET FACTVM, HOC NVMQVAM. Si autem tu mores tuos, aut ille tibi qualis eſſet, oſtenderet,facile ad hoc calamitatis genus non perueniretis.

ITA RES EST. Quoniam vtrumque quodammodo accuſauerat Chremes,quod neuter ibi mores oſtendiſſet,omne crimen potius deriuat ſenex ac dicit, *fateor, peccatum à me maximum eſt.*

MENEDEME. Ad perſonam. hoc ex illis quæ ſuprà promiſit, inueniet quid adferat, ſcilicet conſolationem, ſiquidem dicit: *filium adfuturum hic confido propediem. Confido*, hoc eſt,fiduciam gero.

DIONYSIA HIC SVNT. Optumè factum vt poſt narratam calamitatem, cui quidem præter conſolationem ſubuenire non poterit;tamen in eo quod ex ipſo auxilio eſſe potuiſſet. vult eum ad cænam vocare. quia dicit, *hodie Dionyſia ſunt*, quæ ſunt ſacra Liberi patris apud Athenas.

NIHIL OPVS FVIT MONITORE. Iam in domo inuentos eſt ille. atque mire: copiebat illum vocare ad cænam. monitore ergo opus, inquit, non fuit, nunciaillum in domo eſſe.

ACT. I. SCEN. II.

NIHIL ADHVC. Hæc ſcena habet Cliniæ adoleſcentis ſuſpicionem quod amica ſua ſe abſente corrupta eſt. Sumit igitur per coniecturam argumenta, quæ ſuo loco plenius apertiúſque narrabimus. Ac primum quaſi quoddam argumentum, ſeruum qui miſſus ſit non redire, cui iam multum temporis videatur aſſumptū. Vnde efficitur conſolatio à Clitiphone amico, cū dicit. Nihil quod videaris eſſe ſolicitus, haudquaquam ceſſant, hoc eſt, non diutiſſimè tardant. Verum cùm intus poſitum Cliniam allocutus eſſet,Clitipho egreditur, patrem proſpicit, ei commendat officium ſuum, ne videatur neſcio quem adoleſcentulum recepiſſe,vt merito hoc eſſe ceſſe declaret. Sumit igitur exordium, quod commendat adoleſcentem ſibi olim iam fuiſſe cognitum, ac ſe coactum amicitia eum recepiſſe:

cepiſſe:

cepiſſe: ideo adiecit. *Nam mihi cum eo magna ex pueritia familiaritas.* VOLVPTATEM MAGNAM. Scit enim Chremes vehementer patrem eſſe ſollicitum. Quod audit ergo reuerſum adoleſcentem, dicit ſibi natam magnam voluptatem. Denique huius voluptatis cauſam in animo habens ſubiunxit: *Quam vellem Menedemum inuitatum amplius, vt hac lætitiam nec opinanti primus obicerem domi.* Vti non ſuſpicanti, amplius etiam quam ſperet, hanc lætitiam domi obiceret.

CAVE FAXIS. Caue facias, nec enim neceſſe eſt. Neſcit namque à patre filium deſiderari, ideo prohibet patrem ſuum aliquid facere, quo vindicetur adoleſcens reuerſus. ATQVE ABITIO. Hoc eſt, diſceſſio.

MISERVM QVEM MINIMVM. Quoniam ille dixit, miſerum eſſe adoleſcentem; vel quod ipſe ſe adoleſcens miſerum puret; negat eſſe hic miſerum, ſiquidem omnia habet, quæ quidem in homine dicuntur bona. Et ſubiungit: *Atque hæc perinde ſunt, vt illius animus eſt, qui ea poſſidet.* Atque hæc talia ſunt, qualis animus illius eſt, qui hæc tenet. Nam qui ſcit vti his omnibus, bona ſunt; illi verò qui non vtitur rectè, vtique mala ſunt. Simul & diſtinctionem collocauimus, & intellectum dedimus. *Ne quid in illum plus ſatis faxit pater:* Hoc amplius vereor, ne aliquid amplius habeat. quidquid ſatis eſt faciat pater, ideo iniuſtum eſt patri oſtendere. Siquidem poëta negat eſſe contemptum * eacus ad hunc laboret filius.

ILLENE. Hoc vtique intelligitur propterea dictum, quia ſcit Chremes animum Menedemi. Hæc ne proderet repreſſit ſe, & reliqua verba contexuit, dicens hanc cauſam, quod in metu eſſe filium patri vehementer eſt vtile.

VTVT ERAT, MANSVM. Qualiſcunque, inquit, fuit, tamen oportuit patrem ſuſtinere.

NAM PARENTVM INIVRIAS, &c. Præter hunc morem qui eſt innatus parentibus, hic fermè paulò eſt tolerabilis, præbent exiguè ſumptum & modicè.

HOC SCITVM EST. Optima occaſione ſenex, dum aliorum mores & facta demonſtrat, occaſionem filij corrigendi reperit, vt moneret. Scitum eſt, inquit, & perelegans ex aliis periculum facere, hoc eſt, tentamentum, quod tibi vehementer expediat.

TV VT TEMPVS EST DIEI. Tempus non ſolùm ſummum eſt, ſed & pars partis eſt; ſicuti hic poſuit, *diei tempus*, cùm temporis dies eſſe videatur.

ACT. II. SCEN. I.

QVAM INIQVI. Remanſit ſolus Clitipho, & ſecum conqueritur de patris hortatione. Ordo eſt: Quam iniqui ſunt iudices patres in omnes adoleſcentes.

NOS A PVERIS ILICO. Qui arbitrantur iuſtum eſſe in pueritia moribus ſenum naſci.

MIHI SI VNQVAM FILIVS. Si aliquando mihi filius continget. FACILI ME VTETVR PATRE. Id eſt, valde me vtetur bono & facili patre.

EX SVA LIBIDINE, &c. Modum imponunt adoleſcentibus de moribus ſuis, quos nunc habent in ſenectute, non quos in adoleſcentia habuerunt.

NAM ET COGNOSCENDI, &c. Facile, inquit, filio meo hanc facultatem dabo, vt vniuerſa eius facta cognoſcam: tamen ſi peccarit, ignoſcam.

CVI QVOD RESPONDEAM. Expreſſit inopiam; ſiquidem non ſolùm dixit, cui quidem nihil habeo, verum ad reſpondendum verba deſunt.

SVARVM RERVM SATAGIT. Etſi is quóque de ſuis rebus plurimum cogitat.

MEA EST POTENS. Ad hoc poſitum, vt ex nobilitate plurimum audeat poſtulare. *Procax* à petendo dictũ eſt; vnde & *proci*, dicuntur nuptiarum petitores. SVMPTVOSA. Vt & neceſſitatem ſibi petendi propter ſuos ſumptus faciat. NOBILIS. Ab omnibus nota.

NAM NIHIL ESSE MIHI RELIGIO EST. Dicere me hoc non habere, maxima mihi religio eſt. Vt Virgil.

Religio eſt patrum multos ſeruata per annos.

ACT. II. SCEN. II.

SI MIHI SECVNDAE. Hic illud eſt, quod ſuprà diximus. quod per coniecturam Clinia credit, amicã ſe abſente corruptam. Ac primam argumentum fecit ex eo, quod miſſus ſeruus nondum rediit. Deinde proponit ipſam ſuſpicionem. *Sed vereor ne ab ſente hic corrupta ſit.* Adiungit & opiniones

& argumenta à tempore, quod eſt *occaſio*: occaſionem autem hic intelligimus, quod abſens fuit ipſe. Deinde ponit locum Athenas, vbi magna hominum multitudo eſt & ciuium, variis motibus viuentium. Adiungitur ætas, hoc eſt à perſona, & à tempore, quod adoleſcentulæ; ac propterea vario ingenio. Deinde addidit, *Mater*. Hoc nomen parum eſt, nam adderetur mala. Sed ne rurſus ſuæ voluntatis & iudicij ...... ideo adiecit, *Cuius ſub imperio eſt: Cui nihil iam præter precium dulce eſt.*

PERDIN ISTVC PRIVS. Perſeuetas ante hoc quaſi certo iudicio tenere, quam ſcias quid in vero ſit.

SI NIHIL MALI ESSET. Ad conſequentiam argumentum cæpit ex eo, quod non redit, miſſus ſeruus, certa mihi, inquit, ſuſpicio eſt illam eſſe corruptam; nam hic adeſſent.

QVANDO ISTVC ERIT. Illud enim quod dixit, *Iam aderunt*, hoc amanti tardum eſt: Ideo adiecit, *Quando iſtuc erit*.

ACT. II. SCEN. III.

AN TV? Hæc ſcena exoluit illam ſuſpicionem quam Clinia habuit. Et hæc coniectura deinde rurſus habet aliam cauſam, quod amicam Clitiphonis adduxerit ſeruus, ita vt in domo patris eſſe poſſit. Quæ res an fieri poſſit deliberationis vim tenet. Ita prior cauſa in controuerſia eſt, ſecunda in deliberatiua: aut controuerſia eſt ex coniectura. Ergo partibus tractabitur, hoc eſt, vti dicta & affectus, quod πάθος Græci dicunt, ſuggerant argumenta: ſicut ſuis locis explanabimus.

DVM SERMONES CAEDIMVS. *Cædere ſermones* dicitur, qui frequenter & plurimum loquitur. MVLIER TIBI ADEST. Quia ita locutio ſerui fuerat, vt diceret, *relictæ mulieres*.

MINIME MIRVM ADEO IMPEDITAE. Mirandum non eſt quod impeditæ ſunt mulieres, quæ & ancillarum gregem ducunt ſecum, & plurima comportant.

PERII. VNDE ILLAE SVNT. Creſcit error Cliniæ, vt magis credat eſſe corruptam, quod ancillas habeat & aurum. Hæc omnia meretricis, non illius mulieris ſunt. Sed adhuc ignorat adoleſcens.

ET VESPERASCIT. Hoc eſt, nox fit: à *veſpere* factum verbum eſt.

O IVPITER VBINAM EST FIDES! Necdum ſoluta ſibi ſuſpicione quærit adoleſcens ſe eſſe deſertum, ... omiſſo amore amatoris ſui in meretricios mores eſſe delapſam.

CONLOCVPLETASTI. Diuitem feciſti. CVIVS NVNC ME PVDET. Patris me pudet & miſeret, qui frequenter harum mores dixit mihi, & fruſtra monuit.

NAM ET VITAST. Prima propoſitione volens ſeruus ſoluere errorem ſuſpicionis Cliniæ dicit, & vita eſt eadem amicæ, & animus ille qui circa te fuit. Verum meminiſſe debemus duas res eſſe propoſitas, vt & vita eadem probetur, & idem animus. Potuit enim in eadem muliere caſtitas perſeuerare, vt eſſet eadem vita, non tamen idem animus: potuit namque obliuiſci amatoris ſui, & non eum deſiderare. Ideo adiecit: *Et animus te erga idem ac fuit.*

NE QVID HVIVS RERVM. Quod nunciet ſeruus anum periiſſe, quæ ei mater eſſe dicebatur, ad cauſam minime pertinebat. ideo adiecit: Hoc primum tibi dico, ne aliquid harum rerum ignores.

ALTERAM DVM NARRAT. Hic iam præmiſſio alterius narrationis effecta eſt. Nata eſt ſuſpicio vt quæreretur, quæ ſit altera: cuius narrationem differt. prior enim eſt de amica Cliniæ narratio.

VBI VENTVM AD AEDIS. Hic ergo breuiter omnia argumenta, quæ à ſummo ad imum ſunt, colligamus. Ac primum colloceтur. Caſta eſt mulier, & eadem quæ fuit ante, perſeuerat: quod anus proceſſit: quod hoſtium apperuit: quod continuò ingreſſus eſt ſeruus: quod poſtquam ingreſſus: ſtatim anus peſſulum rurſus foribus obdit: quod ad lanam redit: quod texentem telam ſtudioſe ipſam inuenerit: quod mediocriter veſtitam; quod ſine auro: quod ita ornatam, quemadmodum ſibi ornatur; quod nulla mala re expolitam muliebri: quod capillus ab ea reiectus circum caput fuerat negligenter: quod cum ancilla ea texebat pannis ipſa contecta. Hæc ſunt quæ vitam probant. Rurſus ſubiungitur, an idem animus circa Cliniam perſeueret. Ideo interrogauit: *Quid ait vbi me nominas?* Subiungit ille: *Vbi dicimus rediſſe te, &c.* Ergo & hic coniectura eſt, an idem animus perſeueret. Probamus autem quod

perſeueret ex eo, quod vbi te nominauimus, *mulier telam deſerit cõtinuo, & lacrumis opplet os totum ſibi, vt facile ſciret, deſiderio id fieri ſuo.* Completa igitur omni re, ad alteram narrationem neceſſario cito deuoluitur, vt oſtendat quę illa altera ſit mulier, de qua ante dixerat.

ADDVCIMVS TVAM. Quo facilius blandiri adoleſcenti poſſit. NON FIT SINE PERICVLO. Quoniam interrogatus ſeruus, quo duceret Bacchidem, reſpondit, ad patrem. Quod ægre ferens adoleſcens cum indignatione audacem ſeruum pronunciauit: continuo ille reſpondit. Facinus magnum & memorabile fieri nunquam poſſe, ſine aliquo periculo. Ita in hoc quoque periculum eſt, enim patre præſente in domo futura ſit meretrix. Tamen ſtudet, vt nihilominus celari poſſit.

HOC VIDE IN MEA VITA. Scelus, quam aſtutus ad gloriam. Siquidem meo periculo, tu tibi comparare vis laudem. PARVM MODO FVGERIT. In quo negotio ſi te fefellerit aliqua conſilij pars, ego continuo perierim.

QVID ILLO FACIAS. Quid deinde facturus es. At enim pendens oratio hac interceſſione officitur adoleſcentis: qui non patitur eum ambagibus circuire. Ideo enim dicit, *Quid enim?*

ITA RES EST. Hic nunc voluit ſeruus quaſi quandam ſimilitudinem dare, vt ſic oſtenderet, quale ſit illud conſilium quod ipſe diſpoſuit. Sed quoniam ſimilitudo cum datur, quidam eſt in oratione circuitus, idcirco adiecit, *Quas mala'um mihi ambages narrare occipit.* Denique & alter adoleſcens hoc intellexit, vnde adiecit: *Syre verum hic dicis, mitte iſta quaeſo.* Scilicet externa & per ſimilitudinem tranſlata. vnde admonit eum quod dixit, *atque ad rem redi.*

ENIMVERO REFICERE NEQVEO. Multimodis iniurioſus Clitipho eſt: vnde iam tacere non poſſum. Bene indignationem ſuam ſeruus extulit, quo facilius ſibi adoleſcentem per ſuam iracundiam præparet.

HAVT STVLTE SAPIS. Non ſtulte, inquit, ſapis, & cùm ames, & potiri deſideres, & pecuniam dari, interea tu nullum periculum velis ſuſtinere. Hoc autem ſtultitia eſt protinus velle id, quod non poteſt, contingere.

AVT HAEC CVM ILLIS SVNT. Aut enim debent fructum & potiundi vtilitatem cum periculo ſuſtinere: aut pariter & commoditas omittenda eſt, ſi periculum deuitatur.

HARVM DVARVM NVNC. De duabus illis propoſitis conditionibus aut periculum, aut fructum capiat, aut ſi periculum fugiat, vtilitatem etiam pariter contemnat. Ex his, inquit, quamlibet conditionem eligat.

SCIO HOC CONSILIVM. Incitare adoleſcentem cupit, ne fruſtra operam perdiderit, quod meretricem adduxit, itaque oſtendit tutum conſilium eſſe, quod ſuſcepit: vt apud patrem amica ſit ſine metu: & argentum, quod promiſſum eſt, inueniri poſſit.

SIQVIDEM HOC FIT. Quam cito eſt motus adoleſcens, quando vtrumque eſt dixit præparatum, & vt amica in domo patris ſine metu ſit, & argentum ei quod debitum eſt, reddi poſſit.

EXPERIVNDO SCIES. Ipſa actione expertus agnoſces.

NIHIL SATIS FIRMI. Nullam rationem video firmitatis in conſilio, vt debeam talem metum ſuſcipere, vt apud patrem amica mea ſit.

MANE. HABEO ALIVD. Hoc irridens dicit, vult enim obuius ire meretrici, & dicere vt domum reuertatur. Aliter enim incitari adoleſcentis animus non poteſt, qui faſtidioſus cœpit eſſe per copiam, niſi id quod cupit denegetur.

TVNE? QVID BONI. Præciſa hæc oratio ordine tali. Tu ne quod boni eſt fruare, dum licet. Rurſus alia præciſa. *Nam neſcias,* cuius ordo eſt; eius ſit poteſtas poſthac nunquam.

CONCALVIT. Calore ſubito concitatus eſt.

QVASI ISTA MINOR. In hoc conſilio magis mihi periculum propoſitum eſt, quam tibi. Nam ſi aliquid aduerſi contigerit, tibi verba ſunt præparata, mihi verò verbera. Vnde hanc rem negligere omnino non poſſum.

IN EVM IAM RES REDIIT. Intelligit Clinia, cum apud illum ſit hoſpes, neceſſitatem ſibi impoſitam, vti hoc quod ab eo petitur, negare poſſit, vt aſſimulet amicam ſuam eſſe meretricem.

IN TEMPORE AD EVM. In occaſione. Vt *Sola viri molles aditus & tempora noras.*

QVENDAM OFFENDI MILITEM. Hæc fuit occaſio, quod voluit miſerum militem, de negatione ſua in amorem amplius ſuſcitare.

EVERSAS CERVICES. Quod iactantis & ſuperbi eſt penitus GEMITVS, SCREATVS. Hęc omnia adoleſcentuli faciunt, quotieſcunque videre, aut videri volunt ab his quos deſiderant; ita ſub quodam metu, vt quaſi dum aliud neceſſitate conficiunt, ſic impleant voluntatem.

ACT. II. SCEN. IIII.

AEDEPOL TE MEA. Hæc ſcena comparationem continet earum mulierum quæ amicæ ſunt, ita vt vni ſeruiant, & earum quæ plurimis ſui corporis exhibent poteſtatem. Et ne videantur meretrices iniuſtæ, defenſio eſt & quaſi forma quædam hic controuerſiæ continetur. Res enim ſunt meretricis, quũ iniuſtę ſunt amatoribus ſuis & aduerſæ, dum plurimum petant. Quam rem purgans meretrix, dicit ſe hoc quod faciunt facere neceſſitate, ne cum ætas abierit, & ſenectute extincta pulchritudo diſceſſerit, inopia maneat, niſi antea quęſiuerint lucrum, quo poſſint ſuſtentare decrepitam ac miſeram ſenectutem.

LAVDO ET FORTVNATAM IVDICO. Vehementer te beatam felicémque iudico, cùm id egiſti, vt mores tuæ formæ conuenirent. Vt oportuit iam defenſionem ſuam videtur meretrix exorſa. Siquidē ſcit quod oporteat fieri, & laudat eam quæ cum pulchritudine tenet integram caſtitatem.

MINIMEQVE ITA ME DI. Etenim non valde miror, ſi cum his moribus & hac ſis pulchritudine ne non ſit aliquis qui te diligat, & te ſibi petat. NAM MIHI QVALE. Namque mores tuos mihi ſermonibus indicaſti.

ET CVM EGOMET. Hic iam reparat accuſationis defenſionem, quæ in ſe eſſe poſſit: dicitque merito huiuſmodi mulieres, quæ vni ſeruiunt, hoc eſt, quæ ſe ſeparant à vulgo, recte ſcilicet & bene facere. Nec minus mirabile eſſe, quod meretrices malæ ſunt. Hoc enim dixit *Et vos eſſe iſtiuſmodi & nos non eſſe haud mirabile eſt.* Vobis enim cum ſit voluntas cum vno viro ſemper eſſe, debetis ſeruare bonitatem: nos autem bonas eſſe non ſinunt hi, cum quibus rem habemus. Nam propter pulchritudinem noſtram amatores eſſe volunt, qui continuo mutant voluntatem, ſi fuerit forma mutata. Ergo niſi proſpectum ante fuerit, deſertæ & cum inopia in ſenectute viuimus. Vnde ſic purgatum quod male audire potuiſſet, non iuſtè malas eſſe meretrices.

CVIVS MOS MAXIMEST. Verum his moribus ſe ſociant vobis, qui habent hunc morem & ſimilem voluntatem, VT NVNQVAM VLLA AMORI VESTRO INCIDERE POSSIT CALAMITAS. Vt ſemper inter vos amor valeat, neque ſenectute aut vllo morbo diſcidium poſſit exiſtere.

NESCIO ALIAS, ME QVIDEM. Quid agam vehementer ignoro: illud certum eſt nunquam meum me commodum ſine illius commodo comparaſſe.

ERGO MEA ANTIPHILA. Adoleſcens venientem amicam intuetur, & ſecum loquitur, quod eius amore factum ſit, vt in patriam reuerteretur.

NAM CVM ABS TE ABSVM OMNES MIHI. Cum enim abs te diſceſſi, vniuerſos labores leues arbitratus ſum, excepto hoc, quod te carebam.

HOCCINE ME MISERVM. * hoc ingenio bono amicæ meo modo frui non licere vehementer ingemiſco.

DIV ETIAM DVRAS DABIT. Diu etiam durus ... exiſtet.

ACT. III. SCEN. I.

LVCISSIT HOC IAM. Notandum ex hac comœdia, quod in nulla alia licet reperiri, vt biduum tempus in comœdia ſit. Omnes enim vno die actus ſuos explicant, ex eo ipſo quo cuncta effici poſſunt, vt aut nuptiæ celebrentur, aut cognitio fiat expo...... aliquid. at hic bidui rationem verſari intelligimus. Ergo dixit *Luciſcit hoc.* Habet hæc ſcena allocutionem, in qua oſtendit ſe properare, vt Menedemo nunciet filium rediſſe: quamquam hoc nolit adoleſcens, cum patris ſui neſciat voluntatem.

CVM ILLI NIHIL PERICVLI. Vt cælem tam inſperatum gaudium, cum ipſi adoleſcenti nihil periculi ſit, ex eo quod indicatur.

AVT EGO PROFECTO. Hæc ſcena perſuaſionem habet, quemadmodum pater ſi-

lium ſuſcipiat, & fal t ſe per ſeruos ſinat. Neque tanta facilitate vtatur, ne corruptus filius mor bus viuat ſi ſemel facilitatem erga ſe patris agnoſcat. Tenebit ergo d uiſiones, vt omnis del berantia ab vtili & honeſto ſimiliter fieri poſſit quæ omnia ſuo loco plenius explicabimus, ne tantum ea quæ ob cura ſunt dicamus.

Nuntium adporto. Bene generaliter in nuntio votum futurum eſſe promiſit, vt animus cupidus probari poſſit, cum non aliud ſuſpicatur, quam quod in deſiderio fuerat collocatum. Deinde ſubiungit: Numquid nam de gnato meo audisti Chreme. Valet. Temperauit primo nuntium, vt creſceret gaudium. Nam primo *valet atque viuit* inquit, quod vtique diuerſum eſſe manifeſtum eſt. Nam *valemus* cum integra ſalute ſumus: *viuimus* cum ſpiritum ducimus.

Vbi nam est. Patrum credit gaudij, quod ſibi ſalus filij nuntiatur. Nunc de loco quæritur. Ipſe quippe qui eius abſentiam dolore videatur *

Meus gnatus. Cum iterum quod cupiebat ſenex audiſſet, tanquam parum credat, interrogationem repetit. Denique percuſſis omnibus cum confirmationem nuntij audiſſet, perſeuerat gaudium. ideoque adijcit. *Duc me ad eum obſecro.*

Num tu ei dixti vt eſsem. Num tu ei dixiſti, quemadmodum nunc eſſem.

Quam peccstis tu te. Hic iam incipit ſuaſoria, illa quæ animum patris componit, vt circa filium temperet lenitatem, aut largitatem nimiam, aut ſeueritatem. Vtroque genere peccas, dum aut nimium largus es, vt ante nimium parcus. Ex hoc vt in vnum malum ex diuerſis moribus venias.

Primum olim potius. Hoc tibi initium mali fuit. quod non filium permiſiſti ad mulierculam commeare . . . . quod tunc paulo videbatur eſſe contenta, cum omnia grata eſſe poterunt, quę filius faceret. At tu iniuſtitia eum adoleſcentem tuis ſermonibus terruiſti, exinde illa coacta neceſſitate, ingratijs capere victum ſibi quærere.

Nunc cum sine magno intertrimento. Vnde modo ſine magno damno haberi non poteſt. *Intertrimenta* autem ſunt, quæ intus terendo damna perſeruntur.

Quiduis dare cupis. Scio enim quodcunque ei ſ des us dare.

Quem ea nunc instructa. Verum vt poſſis intelligere quemadmodum meretrix illa meretrix ſi ſtructa ſit aduerſus filium tuum, & ad quam pernitiem adſecta.

Oneratas veste atque avro. Parum dixerat *ancillas decem*, quæ res tantum in numero collocata videbatur: adiecit *oneratas veſte atque auro*: vt pudori ſit anci las tales ita veſtitas leui cibo paſcere, aut ſimul tė ſeruili.

Satrapes si siet. Apud Babylonios ſatrapæ appellantur ditiſſimi, & ſatellites regum.

Pytissando modo mihi. Quantum vini abſumſerit vide, dum pytiſſat. Propriè autem *pytiſſare* dicitur, quod guſtare, quaſi cum quadam probatione expuere. Denique adiecit. *Sic hoc dicens, aſperum pater;* hoc eſt, aliud lenius ſodes vide.

Relivi dolia omnia. *Linire* eſt contegere & operire: contrarium eſt *relini*, id eſt, aperui.

Omnis sollicitos habvi Hoc eſt, ebrios. Significat enim *ſollicitos*, id eſt, ſolo citatos, quod ebris contingit, quibus non ſunt firma veſtigia, ſed motu corporis citi ſunt.

Quem assidue exedint. Quem quotidie comederent, vel certe frequenter.

Vt me tvarvm fortvnarvm. In meo damno magis miſericordiam pro te paſſus ſum, & pro fortunis tuis.

Faciat quod lvbet. Indulgentiſſimus pater, & qui vehementiſſime filium deſiderabat, licet damna audiſſet, tamen omnia ſe dicit filio permittere velle, dummodo ipſum habeat in poteſtate.

Si certvmst tibi. Hic iam perſuadet, vt illud quod ſupra diximus, velit dolentis animo veluti neſciens dare, cum artibus ſerui inductam pecuniam dat. & ad luxuriam miniſtrat. Denique ipſum conſilium ſuum quod ſit, proponit. *Fallite ſi vas tecimus per ſeruum.* An fieri j c ſtit adiungit. *Sulſenſi illos hoc quoque agere.* Ex eo enim quod iam agunt & præparant fieri poteſt. Deinde ab vtili adiunxit *Et ti perdes talentum, hoc pacto ſatius eſt, quam illo minam.* Melius eſt velut inſciens plurimum perdas, quam ſciens minimum: cum ex hoc filius

quod licentiam agnouerit, iam ei lubebit maiora committere. Dein adiungit ab honeſto, NVNC DE PECVNIA AGITVR. Oſtendit honeſtum, & vtile declarauit. denique perſeuerat circa idipſum, vt dicat: Cùm enim intellexerit animum tuum, te prius vitam tuam prodi turum & omnem pecuniam, quam abs te filium dimittas: vide quam feneſtram ad turpitudinem, ad luxuriam, nequitiámque patefeceris. hoc eſt, quantam ianuam dederis, peccatorem perire.

IPSVM NON POTERIS PATI. Statim tu interire bona, & filium viuere luxurioſe & malis operibus non patieris.

IBIT ILLICO AD ILLVD. Sibi veluti remedium ſuſcipiet, & abiturum ſe eſſe minitatur, maximè cùm ſcit apud te ſe plurimùm valere.

VIDERE VERVM ATQVE ITA. Videre mihi verùm dicere, & ita quemadmodum res eſt.

SOMNVM OCVLIS NON VIDI. Somnum oculis meis non cœpi, quærens quemadmodum filium reddam.

VICINI NOSTRI HIC AMBIGVNT DE FINIBVS. Litem vicini habent de limitibus.

ME COEPERE ARBITRVM. Me iudicem eſſe voluerunt.

ITAN COMPARATAM ESSE &c. Senſus hic eſt. Satis miror cur prudentius ſapit Chremes. An ita natura hominum comparata eſt, vt melius videant ea quæ aliena ſunt, quam quæ ſunt ſua. An hoc ideo ſit, quia dum nos in re noſtra ſumus, aut gaudio impedimur, aut ægritudine animum occupatum ad præhendendas, vel reſpuendas res adhibere non poſſumus.

DISSOLVI MA OCIVS. Cito reuertens ab eo quo erat Chremes, dicit ſe ex eo negotio ſolutum, & amico operam traditurum.

ACT. III. SCEN. II.

HAC ILLAC CIRCVMCVRSA. Seruus argentum deſiderans, quod dare meretrici poſſit, tamen hoc quod loquitur, non videtur domino præſenti eſſe ſuſpectum. Quoniá enim ſuprà dixerat ſeruus, Syrum quaſi in Menedemum dolos tendere, vti argentum meretrici per fallacias quæreretur, ideo in ſenem generaliter dictam. Denique hoc ſuſpicatus Chremes, quod ſi in Menedemum, ita fiat, dixit: Num me fefellit hoſce id ſtruere. fortaſſe ille Cliniæ ſeruus tardus eſt, ideo noſter Syrus hanc prouinciam ſumpſit, hoc eſt iſtud officium ſuſcepit, vt ipſe quærat argentum.

TE MIROR CHREME. Te valdè miror mane vigilare qui heri tantum biberis.

NIHIL NIMIS. Non multum.

AQVILAE SENECTVS. Aiunt aquilam in ſenectute, quod ei roſtri ſuperior pars vetuſtate & incremento curuata foramen includat, ad cadauera accedere, & ſic ſanguinem in potum ſumere, & quodammodo bibendo viuere. Hoc igitur ait ſeruus domino, quaſi bibendo totum tempus heſterna cœna egerit, viſa vero eſt quaſi æquilæ ſenectus.

FORMA LVCVLENTA. Non ſolùm commoda & faceta mulier, & ſpecioſa forma, ita enim vt olim ſeduci, nunc ſanè bona. Hic intelligi datur quod ſenex ſciat eandem ante fuiſſe caſtam, ante pauperem, nunc verò meretricio more viuentem. Ideo adiecit ſeruus non quemadmodum antea bona, ſed vti nunc ſibi ipſi compararetur, ſane bona.

AT QVASI IS NON DIVITIIS ABVNDET. Ex more inopiam male meritis adiecit.

QVID EGO NESCIAM. Vt facilius ſeruum dominus incitare poſſet, quod cupiebat ſeruo adiutorem eum eſſe, ad tendendam in Menedemum fallaciam propter argentum, fingit ſe iraſci ſeruo Cliniæ. *Hominem* inquit, *piſtrino dignum*: cui iungitur, *qui paſſus id fieri*. Callide ſeruum, tanquam ignoret quid fieri debuiſſet incuſat, vt maiorem ſuſcipiat voluntatem. Qui fallendi dominum hunc ipſum eum denique ſibi hoc præparans, ſic poſtea dixit. *Laudas qui heros fallunt*. IN LOCO VERO LAVDO. Bene adiecit, ne perpetuã malefaciendi licentiam ſeruis daret. QVIPPE QVIA MAGNARVM. Nam quia fallunt tempore, maximum ſæpè remedium eſt, ne grauior ægritudo videatur.

IOCONE AN SERIO ILLA. An conſilio iſthæc dicat, an ioco, intelligere non poſſum, vnum tantummodo intelligo, quod mihi ad hoc, quod diſpoſui, cumulat voluntatem.

Et nvnc qvid expectat. Hic iamdum accuſat adoleſcentis ſeruum, hortatur ſuum dominum, qui ipſe hos dolos tendat. Deinque adiecit. *At te adiutare oportet adoleſcentuli cauſa.*

Facere eqvidem facere possvm si ivbes. Peritiam ſuam circa huiuſmodi rem declarauit ſeruus. ſed dixit metuere domini voluntatem, & poſſe ſe facile, ſi ipſe voluerit imperare. Calleo. Peritus & doctus ſum.

Facito dvm eadem haec. Iam præparat ſibi dominum: monétque vt meminerit, ſi quando hæc omnia euenerint, ſicut humana ſunt omnia, vti & filius eius poſſit iſta perficere.

Non vsvs veniet. Non hoc continget, neque fieri poteſt.

Neqve eo nvnc dico. Bene purgat id quas immiſerat ſuſpiciones, ne verò iam credat adoleſcentem filium pater talia vel facere vel cogitare. Dixitque ſe ſeruum ex ſuſpicione iſta monere, quod eius ętas iam talis, vti ſi neceſſitas vt Chremetem ita ducat & tractet, quemadmodum nunc ſenex videtur hortari.

De isthoc cvm vsvs. Si quid tale contigerit tunc videbimus, quód neceſſitas coget facere.

Ne qvvm malefacerem. Niſi cum me ſenex adhortatur.

ACT. III. SCEN. III.

Qvid istvc. Hæc ſcęna locum communem tenet in eũ, qui hoſpitis ſui amicum corrumpat. Pater tamen non ſicuti eum tanquam communi *at ita reſpondet filius tanquam negans, vt magis coniecturæ cauſa ſit, quam communis locus. Verum patrem tanquam communem locum dicentem accipiamus, hoc primùm generaliter cum inuidia: deinde cum interrogatus eſſet, quid nam feciſſet, ille continuo non factum, ſed vere factum protulit, dicendo. *Vidine ego*, vt à probatione exordiretur, & poſt oſtenderet crimen, quod manum adoleſcens in ſinum meretricis inſerebat.

Acta haec res est. Syrus ſeruus credit ſenem inueniſſe filium amare meretricem, quæ res antea per dolum celabatur, ideo vehementer metuit.

Istae qvidem contvmeliae. Supra quidem *iniuria* dixerat, verum adiecit *contumeliæ ſunt*. Eſt enim iniuria, quaſi cum violentia aliquid in corpus efficitur. Contumelia verò, cum præter violationem corporis eſt. Et violatio opinionis, *cum amicam ſubagitare*. Hoc eſt crimen quod ſupra poſuit. *Subagitare* autem, perfectionem ipſam libidinis intelligimus.

Vel heri in vino. Hoc ex antecedentibus argumentum colligens dixit. *Noui ego amantium animos, aduertunt grauiter quæ non cenſeas.* Ita enim mos eſt amatoribus, ampliora ſuſpicentur quam tu haud poteris ſuſpicari.

Esto. at certe. Hic mandat pater vt diſcedat à domo filius: aliter enim negat fieri poſſe, vt impudentia adoleſcentis comprimi poſſit. Dicit enim multa libidinem velle, eamque ſub cuiuſque præſentia ſe minus audere complere.

Ego de me facio. Hoc eſt, ita ex me ſuſpicor. nam nemo eſt amicorum apud quem vniuerſa velim exponere, atque narrare ea, quæ occulta habeo. quippe aut in ſumma honeſtate amicus, & id quodcunq; cogito, eius dignitate deterreor ne indicem: aut ipſa certe res, propter ſui turpitudinem, eam narrationem comprimit. Hoc eſt quod dicit. *ipſius facti pudet, ne ineptus, ne proteruus videar*, ſi cum eo loquar, qui habet maximam dignitatem.

Vin tv homini stvlto avscvltare mihi. Quemadmodũ in prouerbio eſt: mihi ſi vis, ſtulto homini auſcultare licet, hoc eſt, obaudire.

Istas post hac comprimito. Quoniam pater dixerat, vidi ego te manus modo meretrici huic in ſinum inſerere: ideo ſeruus ait, iſtas ergo manus comprimito tibi.

Censen vero. Subblanditur domino per obſequium ſeruus, cum de adoleſcente quaſi quendam metum habere ſe dicit. Vide iam inquit qualis ſit, qualem futurum putas, niſi eum, quantum tibi facultatis numina concedunt, ſeruas, mones, atque caſtigas.

Atqve nvnc ere. Bene præſens tempus in metu ponit, vt ille ſciat iam filium, neſcio quid, moliri. Minvs minvsqve. Et hoc pulchrè videtur adiectum, quo ſi qua in culpa inuentus fuerit filius conti-

nuo iam videatur ſeruus eſſe purgatus, quod eius imperium filius contemnat.

VERVM ALIVD EX ALIO. Hoc videtur obſcurum quid nam ſit, ſed ex his quæ conſequuntur, manifeſtum fiet. Nam interrogatus à domino quid eſſet, reſpondit: peſſima hæc eſt meretrix. Ita quod hic peſsime de meretrice pronunciatum eſt, ſupra contrario dictum, commodo facta hæc eſt meretrix. Ergo iure dictum, *aliud ex alio incidit*.

IMMO SI SCIAS. Vidit dominum ſeruus quaſi conſenſum commodaſſe, non quod verum indiciū de meretrice * ideo adiecit *Vide quod inceptet facinus*. FVIT QVAEDAM ANVS. Hoc conſilium dicit ſe ſeruus aduerſus Menedemum ſumſiſſe, quo poſſit pecuniam ab eo exprimere, quæ meretrici daretur. Verum hoc conſilium in hoc prouenit, vt proſit vehementer Clitiphoni. Namq; fingit nunc Antiphilam, quæ amica ſit Cliniæ, apud meretricem ac quandam anum Corinthiam arrabonis nomine collocatam: & nunc uelle ad Menedemum pergere, vt ab eo pecuniam accipiat, quæ data ſit pro puella: vt ſi eandem redimeret, maxima inde lucra poſſit accipere. Sed hoc diſplicet domino conſilium. Verum prouenit ad aduentum futurum. Nam cum cognita fuerit, quod filia ſit Chremetis, iam fiet neceſſarium, vti meretrici hoc ſine Chremete debeatur argentum. ARRABONI. Pignori.

ACT. IIII. SCEN. I.

NISI ME ANIMVS. Hæc ſcena tenet maximam controuerſiam; quippe maritus dum grauidam videret vxorem, mandauit vt puellam ſi peperiſſet, extingueret. Mater puellam peperit & expoſuit. quæ cum exponeretur anulum dedit. Inuentus eſt apud quandam puellam anulus; interrogatur vnde ſit: illa reſpondit, ipſum eſſe cum quo eſſet expoſita. Hoc cum cognouiſſet ſenex, agnitam puellam quam extingui iuſſerat, ream facit vxorem quod aduerſus edictum ſuum feciſſet. Hic primo venialis eſt ſtatus. Feci, ſed pietate feci. Ergo primo inter ſe loquuntur, an ipſe anulus ſit, cum quo expoſita ſit filia.

AT VT SATIS CONTEMPLATA. Sed vt ſatis integre pleneque perſpexeris nutrix mea.

MAGNO CVM CONATV. Magno cum impetu vnaquæque pronunciat.

EHEM MI VIR. Hinc exordium ſumptum, quod ab obſequio cæpit, vt beniuolentiam comparare poſſit. Deinde adiectum quod purgationis loco ponitur, quæ res ad veniam pertinet, quod tamen adhuc principium ſit. *Primum hoc te oro, ne quid credas me aduerſus, edictum tuum.* Denique ſic adiunctum ex perſona ſerui: *Neſcio quid peccati portet hæc purgatio.* Finit principium: narratio ſupponitur. *Meminiſtin me eſſe grauidam, & mihi te maxumopere dicere, Si puellam parerem, nolle tolli*, &c.

ERGO ERVS DAMNO AVCTVS. Noue poſitum *auctus damno*, quod ei coheres puella venerit, quam dedit exponendam. Quia ſuprà dixerat ſenex, *Suſtuliſti.* idcirco ait exponendam dedi, quo minus videatur eſſe delictum. Hic iam inmutatus vehementer ſenex, quod expoſita puella eſſet, & expoſita aduerſus edictum. Ita cum impetum generalis accuſationis ſumpſiſſet, ſtatim illa ad quæſtionem deſcendit, & ſtatum apertiſſime collocauit venialem, cum dixit. *Si peccaui mi Chremes, inſciens feci.* Deinde ſupponitur plenior accuſatio. *Id quidem ego, & ſi tu neges, certo ſcio te imprudentem dicere aut facere omnia.* Deinde poſt principium accuſationis ſubiunguntur omnia crimina, quæ à ſummo ad imum dicuntur. *Tot peccata in hac re oſtendis.* Et proponit ſibi quaſi quandam quæſtionem mulier, quæ contra imperium mariti feciſſet. & dicit ſe hoc pietate & materno egiſſe animo.

SPEM VITAE. Scilicet non oportuit ſimulare reipſa, ſed verbis. Huic reſpondetur: *Quam bene aliis te proſpectum eſt*, &c. Vnde epilogorum loco adiunctum eſt, quantum incommodi conſecutum ſit.

QVID CVM ILLIS. Senſus hic obſcuritatem habet, qui talis eſt. Expoſita tibi eſt filia, ſuſcepta ab ea quæ pudorem filiæ tuæ venderet: ſed tu cogitaſti ſatis eſſe dummodo viueret. Ego nunc cogor eam ſuſcipere, ſed defendere eius pudorem non poſſum.

QVID CVM ILLIS AGAM. Sibi dicit violata filia nullam eſſe poſſe vindictam.

CHREME PECCAVI. Hic iam deprecantis venia ſupponitur, cum dicit. *Obſecro quanto tuus animus* &c. Quod tuus enim animus ætate maior eſt pietate & clementia,

tia,

tia, ſtultitiæ meæ debet in tua iuſtitia eſſe præſidiū.id eſt aliquid defenſionis & auxilij.

ISTVC FACTVM AGNOSCAM. Hanc quidem veniam tibi dabo. Verum mea clementia multum ad peccata compelleris.

SED ISTVC QVIDQVID. Perempta controuerſia ad originem res ducitur, facto à generali ad ſpecialē argumento.

QVVM EXPONENDAM DO. Cùm dediſſem puellam exponendam annulum de digito mihi detraho, vt vna cum puella exponeretur. Et ſubiungit cauſam, ſi moreretur ne aliena eſſe à noſtris bonis potuiſſet. Neque enim liberos etiam mortuos, fas erat fraudari bonis.

PLVS SPEI VIDEO. Hoc ſeruus cum gemitu dicit, ſi quidem fieri poteſt, vt cognoſcatur hæc Antiphila, quod filia domini ſit. Quo facto vehementer metuit ne incipiat Clinia amicam ſuam confiteri, & cognoſcat pater quod meretrix amica Clitiphonis ſit. Denique ideo dicit, cum nomen dictum eſſet eius, cui data eſſet puella vt exponeretur, *Mirum ni illa ſalua eſt, & ego perij*. NON LICET HOMINEM. Non licet nobis perpetuam gerere voluntatem, maxime cum res non permittat: ita mutamus cum tempore voluntatem.

ACT. IIII. SCEN. II.

NIſi me animvs. Seruus hic vehementer æſtuat, quod animaduertit fieri poſſe vt puella agnoſcatur: & ingemit quod ſibi multum infortunium adfuturum ſit.

NON LONGE. Hoc eſt, haut multum. IN ANGVSTVM OPPIDO. Tranſlatio facta eſt ab illo cum periclitatur exercitus, in anguſtum coactus. *Oppido*, valdè, ſignificat.

TRIVMPHO, SI LICET. Summum gaudium eſt ſi tutus ſine vulnere diſcedam: hoc eſt latere tecto & cuſtodito. Non ergo de argento cogitare debeo, quemadmodum id eripiam: ſed quemadmodum tutus ipſe diſcedam. BOLVM. Prædam.

QVID COMMINISCAR. Quid argumenti capiam. & eſt *comminiſcor*, inuenio vel recordor, cuius ſimplex in vſu non eſt.

QVID SI HOC. Cogitantis animo, quaſi dum multa deliberando quærit, inuenit quædam, nō placita repudiat. Poſt id quod ſit optimum inueniſſe ſe dicit, vt ad ſe illud argumentū reuocare poſſit, quod omiſerat.

ACT. IIII. SCEN. III.

NVLLA IAM MIHI RES. Allocutio eſt Cliniæ exultantis gaudio quòd ſua amica ſit cognita. Ita dicit mentem ſuam oneratam gaudio, vt nulla res poſſit intercedere, quæ adferat ægritudinem. *Aegritudinem* dixit, pro ægrimonia, id eſt, triſtitia vel infirmitate.

DEDO PATRI ME. Vti frugalitatem, id eſt parcitatem, quam in me voluit compleam. quippe cum velit eam me habere vxorem, quæ ſit honeſtis moribus, ſcilicet Chremetis filia. Vnde uoque mea cauſa lætor, ſed potius ipſius puellæ, quam diligo.

DA TE MIHI VICISSIM. Id eſt, quemadmodum nunc ego verba tua audiui, ita viciſſim te mihi da: vti quod neceſſarium eſt facias, ne reſciſcat pater amicam filij ſui eſſe meretricem.

O IVPITER! Per προσφώνησιν omiſſis vocibus ſerui, ſecū Clinia gaudet. Parum credit ſibi contigiſſe quod efficitur in gaudio repentino, niſi aliquid procreatur. DEORVM VITAM APTI. ὑπέρθεσις ſiue ὑπερβολή, quę ſunt ſpecies ἐμφάσεως. ſe quaſi deum eſſe aſſerit, vt in Andria. *Deorum vitam propterea eſſe ſempiternam arbitror*. *Apti* ſignificat adepti.

VIDENDVM EST INQVAM. Perſuadet ſeruus Cliniç, vti ſecum ducat meretricem ad domum patris, ne ſi remanſerit in domo, facile ſenex filij amicam poſſit agnoſcere.

AT ENIM ISTHOC. Hęc res mihi videtur eſſe vehementer contraria. nam quomodo rogabo patrem vt mihi filiam det, ſi ſciat meam amicam eſſe meretricem.

QVIN NOLO MENTIARE. Hoc ex conſilio dicit ſeruus, vti non mētiatur, ſed continuo dicat, illam filiam Chremetis ſe vxorem velle, & eſſe hanc amicam Clitiphonis. Sic enim perſuaſurus eſt poſtea domino ſeruus, tale repperiſſe ſe cōſilium, vti à Menedemo filius petat pecuniam, quo quaſi dicat, ſe velle filiam Chremetis vxorem ducere, vti ad nuptias habeat neceſſaria. et hoc credat ſenex propterea adoleſcentulum petere, quo per fallaciam dari poſſit. ita vt cùm vtrumque dixerit adoleſcens, per fallaciam dicere credatur.

VT EILLET SENSIM NOSTRVM. Neſciens adoleſcens hoc conſilium adiecit. Et fortaſ-

ſe hoc velis vt celet patrem Clitiphonis noſter ſenex, quod ipſius amica ſit meretrix.

Consilio palmam do. Id eſt, maximam victoriam & gloriam mihi concedo, vt verum dicendo ambos fallam. Secundum hoc quòd ſuprà diximus, vt non credat ſenex noſter amicam filij ſui eſſe meretricem, etiamſi audierit. Quod fit per figuram *διασυρμός*, quę eſt eleuatio, quando auditorem vera dicendo in errorem inducit.

At enim spem. Si enim crediderit ſenex amicam filij ſui eſſe meretricem, filiam ſuam mihi non dabit. Qvid malvm. Credis hoc me velle ſimulare. *Malum* autem interiectio nihil ſignificat, ſed exclamationis continet locum. Quomodo Cicero pro Scauro. *Quæ malum eſt iſta ratio.* Qvid si nvnc coelvm rvat. Stultus metus eſt de cæleſtibus metuere. Ergo ſtulte id in metu, & ſic ponis quod fieri omnino non poteſt. Vt ſit argumentum ab impoſſibili.

Qvasi ea potestas non sit. Pulchrè perſuadet vt faciat hoc quod monetur, cum dicit in poteſtate eius futurum, quo velit tempore vt ſe exoluat.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Satis pol proterve. Satis aſpere. Avt cvm ventvram. Immo potius verò me eſſe venturam. *Tergo poenas. *Tergo*, id eſt, dorſo. Siquidem *tergum tergi* dorſum: *Tergus* vero *tergoris*, corium dicitur.

Satis scite promittit. Id eſt, valde eleganter promiſſa tibi dabit, per vtrique per ...... intelligitur.

Dormivnt. ego pol. Vult excitare eos, qui ſibi pecuniam promiſerunt, nec dederunt, vti fingat ſe euocatam eſſe à neſcio quo, & velle diſcedere. Itaque conſentiente ancilla fingit mendacium.

Cvrricvlo percvrre. Propera & feſtina. Verba his me. Hoc eſt, me dicturam aliquid, vnde decipiam illos.

Qvin est paratvm. Intellexit ſeruus calliditas, quod idcirco ſe adcerſiri diceret, quod argentum quæreret. Et hac ratione ei pollicetur. Qvin ego hic maneo. Qui argentum dari poſſet, & nihilominus illud fieri quod diſpoſitum eſt. Itaque & de tempore adiecit, *Atqui iam dabitur.* Tva pompa. Id eſt nobilis comitatus, ſcilicet ancillæ decem, & cæteri comites qui venerunt.

Egone? argentvm cvdo. Quæris cur te ad Cliniam tranſire volo? argentum cudo: id eſt produco quod tibi dem. *Cudo* propriè eſt compono vel tundo. vnde *incus*, vbi tunditur ferrum.

Qvam inlvdas. Per accuſatiuum caſum hic dictum eſt. Virgilius.

——*Certantque illudere campo*. per datiuum item ipſe. *Virtutem illude ſuperbis*.

Svmptvm sibi levatvm. Cùm diſceſſerit tanta ancillarum multitudo, dominus credet ſibi alleuatum ſumptum, id eſt impenſam. ſed neſcit ex ea re damnum ad ſe eſſe venturum, dum hac re maxime ab eo extorquebitur argentum. Tv nescis. Id age, vt neſciſſe videaris; & ille per *ὑπὸ βολὴν*, *mutum me dices*.

ACT. IIII. SCEN. V.

Ita me di. Diſcedentibus ancillis ſenex ingemiſcit, quod tanta ad Menedemum multitudo ventura ſit. quam & ipſe cùm vnam diem ſuſtineret, magno ſe dixit affectum damno. Nam & domina pytiſſando, id eſt, leuiter guſtando & ſpuendo multum vini abſumit, & reliqua familia. Siquidem per *χαρακτηρισμὸν*, id eſt, futuræ rei deſcriptionem, argumentatur quid ſit conſequens: videlicet filij diſceſſio. & eſt *ἠθοποιΐα*, quæ fit quando loquentem introducimus quamlibet perſonam.

Magno desiderio fvit. Tantùm deſiderium filij abſentis pater habuit, vt primis diebus damna à meretrice non ſentiat.

Videre fotisse. De eo quod tecum locutus ſum, videris iam aliquid feciſſe. Nam ſuprà ait *Huic noſtro tradita eſt prouincia*. Dictvm ac factvm. Hoc eſt, cum dixiſſes factum continuo reddidi.

Tibi capvt demvlceam. Quod ſolet fieri his qui placent, vt manus per caput tractu ducta, quaſi quædam videatur eſſe laudatio. Gloriare evenisse. Hoc tibi pro voluntate contigiſſe glorians?

Tvi clitiphonis. Hoc eſt, illud conſilium quod ſuprà ſignificatum eſt, vt veritas dicta nihilominus implicare poſſit errorem. quippe cum dicit Clinia patri C...

phonis amicam eſſe hanc. vt hoc dum indicat ſenus, nihilominus dominus filij ſui amicam meretricem eſſe non credat.

Et qvidem ivbebst poscs. Et volet vt filiam tuam pater ſuus poſtulet. quam rem cùm oon intellexiſſet, cum ſimulata videretur, reſpondit ille, vti argentum filio dari poſſit ad nuptias neceſſarium.

Neqve respondeo. Id eſt non promitto, vnde *ſponſa* dicitus. Nam & ſponſio & dos à patre puellæ dabatur.

Non mea est simvlatio. Boni & ſapientis viri hic ſenſus eſt, vt nunquam audeat, qnod nunquam ſit factutus, polliceri.

Ita tv isthaec. Ita igitur hæc efficito, vt ſine mea perſona hæc compleas.

Qvod tibi dixi de argento. Quod ſuprà oos diximus, vt euentus impleret conſilium, hic nunc conficit: ſiquidem poſtea puella cognita eſt, pſo qua iam debitor Chremes factus eſt, enim conſtet eam arrabonis oomine apud meretricem collocatam.

Nvm mihi datvm. Sane domious hac reſponſione vti poſſet, vt non redderet argentum, ſed ſeruus callidus occurrit. non poteſt dicere iſtud non te accepiſſe, oeque iuſſiſſe, neque inuito filiam oppignorare potuiſſe.

Svmmvm tvs. Id enim qnod datum eſt, vtique reddendum eſt. Sed iure cautum eſt, vt filia quidquid acceperit, vel filiæ nomine datum fuerit, quæ in familia eſt, non rectè datum videatur. Itaque æquitas eſt vt debitum ſolui debeat; ius eſt vt ſic datum reddatur. Sed ille renititur à cauta quod non debeat, & fit controuerſia ex negotio. Svmmvm tvs. Vulgo dicitur, *qui plus poteſt, peius facit*.

Omnes te in lavta. Hoc à perſona perſuadet, potius reddere quam oegare.

ACT. IIII. SCEN. VI.

Nvlla est tam facilis. Nunc adùleſcens Clitipho redit, grauiter ferens, quod ab amica ſit excluſus.

Qvam invitvs facias. Etiamſi facilis ſit, ex animo facientis habet maximam difficultatem.

Protervitas. Aſperitas vel ſuperbia. Ex te privs avdissa. Gaudeo quod iſtuc ex te prius audiui, vnde me læſiſti, antequam tibi argentum dedi, quod daturus fui.

Qvid tgitvr dicam. Quid enim poſſum tibi dicere, cùm mihi amicum adduxeris, quam non liceat tangere. Bene..... longe factus eſt adoleſcens ab iniuria, poſtquam comperit argentum iam paratum.

Deamo te. Id eſt, valde amo.

Qva cavsa id fiat. Qua cauſa fiat noli quærere, tantum obtempera & obſequere. Cave qvidqvam admiratvs. Id vide ne præ oimio gaudio admireris, id tibi patrem præcipere: ſed quaſi neſcius ſuſpicionem eius à te dolo amoue. Loqvitor pavcvla. Ne ex ſermonibus tuis naſcatur vlla ſuſpicio.

ACT. IIII. SCEN. VII.

Dixs plerаqve omnia. Suprà diximus in Andria *omnia* abundare, & *pleràque* ſignificationem ſuam propriam continere. Seqvere me. Poſteaquam argentum traditum eſt, continuo hunc adoleſcentem vocat ſenus. ne aliquid aut ex admiratione, aut locutione ſuſpicionis pater poſſit accipere. Nam nihil est illic. Pulchrè adiectum, vt omnino ſuſpicio tolleretur, non eſſe amicam Clitiphonis: ſiquidem non diu illic moraturus eſt.

Minas qvidam decem. Conſuetudo patris ſemper eſt, vt de damnis cogitet, tametſi filius det.

Qvis pro hortamentis. Hoc eſt nutrimentis. *Hortatores* enim dicuntur qui equos nutriunt. Denique alia hortamentis, alia ornamentis tootulit.

Porro haec talenta. *Talentum* genus eſt ponderis, quod habet in ſe lxxi, aut lxx libras.

Qvam mvlta ivsta, inivsta. Siquidem nunc relictis omnibus rebus quærendus mibi eſt aliquis, cui meo labore inuenta dare poſſim, vt filiam meam ducat vxorem.

ACT. IIII. SCEN. VIII.

Mvto omnivm. Scena hæc actionem tenet: quippe Menedemus gaudet plurimum, quod filium vider & integris

moribus, & vxorem eam velle ducere, quæ honeſtiſſimi viri filia ſit. & quod dixit, *quam te intelligo reſipiſſe*, quaſi hoc neſciat quod eadem puella ſit quam amauerat, quæ nunc filia ſit Chremetis: aut diſſimulat, quod quaſi à meretrice animum filij ad nuptias tranſtulerit: aut errat ex dolis ſerui. Credit Chremes interpellatum Menedemum eſſe à filio, non vere vt vxorem duceret, ſed vt nuptiarum gratia argentum à patre ſuſciperet.

SERVA QVOD IN TE EST. Petens nuptias filio ſuo, poſteritatem reſpicit totam.

QVAESO QVID HOMINIS. Redigere vult in memoriam Chremes Menedemo * Arguit igitur quod vel vti ſtultus non intelligat, quod de dolo nunc agatur.

NEMPE HAEC QVAE APVD TE. Vt facile docere poſſit ſenem, non vere ad nuptias peti filiam ſuam, ſed vti nuptiarum gratia adoleſcenti dari poſſit argentum, commemorat nempe, *Hæc quæ apud te eſt, Clitiphonis eſt amica*: vti ex his quæ apud eam geſta ſunt, ſciat Menedemus eſſe fallaciam.

ID AMICAE DABITVR. Vel confirmantis pronunciatione accipi poteſt, vel quaſi cum affirmatione interrogantis .... Nam interrogatio interdum ad negationem, interdum ad affirmationem dirigitur.

SCILICET DATVRVM. Licet damnum intelligat ſenex, & deceptus de gaudio ſit, tamen memor doloris priſtini & calamitatis, omnia vult ſuſtinere, quam id quod peſſus eſt, rurſus pati.

QVID NVNC RENVNCIEM. Quid ergo vis renunciem filio abs te eſſe reſponſum, ne intelligat me hoc intellexiſſe quod non vere nuptias petit.

DESPONSAM QVOQVE ESSE. Petitionis vxorum nomina hæc ſunt. Nam primùm *inuenta* dicitur, deinde *pacta*, tertio *deſponſata*, quarto *vxor*. Ita vt vicinum nomen iam petitionis oſtenderet circa nuptias, dixit, *Poſtremo deſponſam quoque eſſe dicito* hoc enim vicinum ad vxorem. Nam ſuprà *pacta* dicitur. vt eſt apud Virgilius.

——— *& pacta coniugis oſtro.*

Denique primo Menedemus cùm audiſſet Chremetem, *Dic conueniſſe, egiſſe te de nuptijs* Quoniam conuentæ nomen dixerat, quod longe eſt poſitum, quæſiuit. *Quid deinde?* Quaſi hoc parum eſt & peruenit vſque ad appellationem propè vxoris.

ISTIVS OBSATVRABERE. Facile eius faſtidium habere poteris.

NAM TE SCIENTEM FACIAM. Faciam te ſciente, hoc eſt non te ignaro.

ACT. V. SCEN. I.

EGO ME NON TAM. Hæc ſcena coniecturalem ſtatum continet, quoniam argumentis collectum eſt, Clitiphonem amicam habere meretricem. Hoc vt probari poſſit argumenta dicentur. Denique ſic ſumpſit exordium à perſona ſua & Chremetis. *Ego me non tam aſtutum*: hoc eſt acutum & perſpectorem rerum.

HOC MIHI PRAESTAT. In hoc me antecedit. SET HIC. * ITAPAIT POCAOYETA ..... ponis eum tractat, in ſe multa maledicta. CAVDEX STIPES &c. *Caudex* eſt truncus arboris, conuerſa O in AV, fit pro *codex caudex*, ſicut pro *cote cautu*, *Stipes* ſimiliter eſt truncus cuiuſlibet ligni, & declinatur *ſtipes ſtipitis*. *Stipes* verò *ſtipis* eſt præbenda militum. Hæc ſingula pronuncianda ſunt per ἀντισμὸν, vt ſtulti vis exprimi poſſit.

IN ILLVM NIHIL. Hoc eſt quod ſuprà dixi, contra opinionem dictum, nam adiecit, *Exuperat ſtultitia eius hæc omnia.*

VVLTVS QVOQVE HOMINEM. Adhuc perſeuerat Chremes, vt credat à Syro ad Menedemum compoſitam eſſe fallaciam, ita vt & vultus hominem ſceleratiſſimum fingat.

SI MAGIS NORIS PVTES. Hic iam aperit veritatem Menedemus. Magis qualis ſit Syrus intelligas, ſi magis quæ feceris cognoſcas.

MANE HOC PRIVS. Cùm narrare vellet Menedemus, vt crederet Syrum aduerſus Chremetem potius inſidias tetendiſſe, intercedit & dicit quid nam perdiderit, quod negatum à Menedemo eſt: Vnde ſe mirari vehementer dicit, quod hæc non fuerit ſuſpicatus.

SET ILLE TVVM QVOQVE. Hic iam prorumpit in narrationem. Ille, inquit, Syrus miſe tuum finxit filium, vt amicam eius tu Bacchidem ſuſpicari non poſſis. Hæc argumenta colligit à factis. Mitto iam oſcu-

lari, & amplexari. Deinde à loco, quod in vltimis ædibus retro conclaue poſitum ſit, quo eis introlatus eſt lectus. vtique diſceſſio hæc longè à conſpectu multorum poſita, ideo ſumta conſpicitur vt magis facinus celaret. Deinde quod ingreſſi ſunt ſolus Clitipho & ſola Bacchis. Hæc dicens à præcedentibus argumentatur, quid conſecutum ſit, ſcilicet concubitus. Vnde quia rem coniecturaliter collegerat addit, *operuere oſtium, & Clinia hæc fieri videbat?* Fieri enim non poteſt, vt ſi amica Cliniæ eſſet meretrix, ipſo præſente cum altero adoleſcente concluderetur. Qua re probata Chremes vehemẽter exclamat, memor cœnæ datæ, *Decem dierum vix mihi eſt familia.* Vt dicat haud eſſe vnde familiam ſuſtentet.

QVID ISTVC TIMES. Inſcitia ſe rem probatam habere Menedemus illudit faceta ſatis vrbanitate.

VT FACILIVS MIHI VERBA DENTVR. Hæc facta ſunt. MERITO MIHI NVNC EGO SVCCENSEO. Hic iam ab argumentis, quæ à Menedemo dicta ſunt, alia colligit Chremes. de præterito, quod illum in ſinum meretricis videret manum inſerere.

NAM IAM. Affectio eſt illa iraſcentis, de qua ſæpe diximus. Vt quod ait Virgilius. *Quos ego.* NON EGO TIBI EXEMPLI. παράδειγμα eſt, ad deterrendum dictum.

FAC TE PATREM. Comœdiarum vice verſa ſunt omnia. Nam ille qui accipiebat ante conſilium, nunc dare cœpit. Mores enim per comœdiam expreſſit, & qualis humana hominum vita declaratur.

AD RASTROS RES. Ad raſtros ſum non dolore, ſed paupertate rediturus.

QVID DOTIS DICAM TE DIXISSE. Proprium iuris eſt verbum, cum dicitur dos, quod exprimitur, *quid obtuliſti?* Poſtea quam dos petita eſt, Chremes diu deliberauit conſilium quærens, non quo ſummam quæreret dotis * quod intelligi datur ex ſequentibus. Compromiſſa dote adiungit, *ſi me vis ſaluum*: aliter enim filium corrigi non poſſe credit, niſi dotis nomine omnia bona filiæ promiſiſſe videatur. vnde crederet filius exheredem ſe. Denique id, inquit, *mirari te ſimulato*, vt ad eius notitiam veniat. Quam quidem rem cùm intellexiſſet Menedemus, explanat ſe idcirco promiſiſſe vt animum adoleſcentis luxuria & laſciuia diffluentem inopiæ retunderet, & ad integram frugem neceſſitate reuocaret.

DICTIS CONFVTABITVR. Solis ſermonibus male tractabitur.

SET SVRVM. Cum vtique maiora tormenta ſeruo minatus ſit, iraſcentis more, quod eſſet facturus, exprimere, non potuit. ADEO EXORNATVM. Id eſt comptum, per ἀντίφρασιν.

ADEO DEPEXVM. Hoc eſt, compoſitum pœnis & tormentis.

VIDVAE MVLIERI. Facilis enim illuſio eſt in eam, quæ & mulier & vidua eſt.

ACT. V. SCEN. II.

ITANE TANDEM. Ad ſatisfaciendum valet hæc ſcæna, & veniam petit. VVLGO FACIVNT. Quod meretrices omnes amant adoleſcentes. & argumentatur: quia quod omnibus licet, vni licet.

QVINQVID EGO HVIVS? Quidquid ego tale feci. ET SVAVIA IN PRAESENTIA. Vt tantùm præſentia cogitares, neque de futuris curam gereres.

VBI DECVIT. Quia primo tibi non licuit dare. Hoc enim optimum eſt parentibus, ſemper filijs bona tradere. Sed hoc cùm mihi non licuerit, proximo tibi qui erat tradidi, hoc eſt leuiro, qui ſororem tuam ducit vxorem. VBI TVAE STVLTITIAE SIT PRAESIDIVM. Circa victum atque veſtitum: & tectum habeas quo te recipias.

QVAE ISTHAEC EST. Seruus iram domini in perſonam ſuam inclinare cupiens, vt adoleſcenti poſſit ſuccurrere, interponit hæc verba. NEC PRECATOREM PARARIS. Ne, inquit, vt adſoleat ſerui, velis & tu habere precatorem, qui pro te roget. Vobis enim non iraſcor cum multa feceritis ita æquum eſt & mihi vos ne iraſcemini. Poſt iracundiam apta ſententia eſt. ABIIT. Quo facilius terreret ſenex diſceſſit.

ADIONS RSM. Optimum equidem ſenſum ex neceſſitate collectum in dolore adoleſcens collocauit. quippe cùm poſtremum omnium malorum fames ſit. Denique, *obſcænámque famem, quæ prima pericula, vito.*

SIC EST. Diu finxit, ſe neſcio quid cogitare, ſeruus: reperit tamen aſtute. Conſulit vti dicat hunc adoleſcentem filium non

eſſe, & quærit argumenta, quod antequam puella eſſet inuenta hunc diligebant: poſtea exheredatur. Adicit & illud, cum matres ſemper pro filiis interuenire conſueuerint, nunc in iracundia non rogat mater. Compellet igitur adoleſcentem, vti parentes roget. aut enim precibus ad miſericordiam commoturus eſt ambos, aut ſuos parentes facile cognoſcet. Sed conuentum ex poſteriori oratione cognoſcimus, cum dixit *Satis recte*. Cùm enim in periculo maiore poſitus fuerit filius, tum facile parentibus poteſt monere pietatem, vel pacem ab iracundo patre ſuſcipere. *Pacem* autem dixit veniam, vt Virgil. *pacemque per auras exquirunt*: id eſt, beneuolentiam ac veniam.

AC SYRO NIHIL SIT GRATIAE. Certus ſum quod ex hoc conſilio in gratiam eſt, filius reuerſurus, vt fortaſſe etiam concedat veniam, & vxorem ducere compellat.

SENI NOSTRO FIDEI. Non credam ſeni quaſi ignoſcenti, itaque Menedemum precatorem parabo.

ACT. V. SCEN. III.

PROFECTO NISI. Coercet hic vxor maritum, quod exheredationem filij velit errore. Ex illo conſilio ſexus iam continuo notatur, quaſi morum vitium eſt; vt alibi. *Te inquam mulier, quæ me omnino lapidem non hominem putas*. Aliud tamen eſt mulierem dicere per naturã, aliud per vitium.

AT SI ROGITEM. Quam ſtulta ſis perſpice. Quid faciam vides, cur faciam neſcis, vnde ſtulte reſiſtis. SVBDITVM SE SVSPICATVR. Hic iam intelligendum veniſſe adoleſcentem, & matri, hoc eſt mitiori de parentibus, ſuam ſuſpicionem indicaſſe.

QVOD FILIA EST INVENTA. Exinde putas poſſe inueniri hunc eſſe filium meum, quod & inuenta eſt filia. Hoc eſt, eodem pacto vt & hic noſter, quemadmodum & illa inuenta eſt, inueniri poſſit.

REM CVM VIDEAS CENSEAS. Cùm videas, ex vultu mores eius agnoſcas.

ACT. V. SCEN. IIII.

SI VNQVAM VLLVM. Ad commouendam pietatem commemorat præteritos affectus, qui ſic facilius poſſit agnoſci. Vt *Si bene quid de te merui fuit aut tibi quidquam Dulce meum*.

GERRO, INERS. *Gerro* eſt piſcis nullius ſaporis vel momenti. aut *gerræ* dicuntur machinamenta, quæ aduerſus ciuitates fiebant, magno impetu cum * deicerent: eadem *gerras* appellabant. HELLVO, eſt inuaſor, & qui plurimum conſumit. GANEO, tabernis operam dans & conuiuiis turpioribus.

QVAERIS QVOD HABES. Scilicet parentes.

QVOD ABEST NON QVAERIS. Hoc eſt, quemadmodum patri obſequaris, & eſt compoſitum ex contrariis, quæ figura dicitur ἀντίθετον, vel ἀκίρεον id eſt æquatio ſententiæ.

ACT. V. SCEN. V.

ENIMVERO CHREMES. Procedit Menedemus vt omnis perſona in poſtrema parte præſens ſit. Venia datur filio vt cunctus error poſſit abſolui. Adhuc tamen perſeuerans Chremes conuenit Menedemum, vt filiam ducat.

AD ME RECIPIO. Id eſt, ego facio vt hic promittat.

HAEC DVM INCIPIAS. In exordio habent hæc ſemper difficultatem, vbi aggreſſus fueris, facilia fiunt.

EGO TIBI ILLAM. Hic illudit, vt ioco triſtitia ſoluatur, cum promittit filiam neſcio cuius, admodum fœdam. CAESIAM. Id eſt oculis obtortis, vel cæſuras, id eſt rugas habentem; aut lenticuloſam. SPARSO ORE. Id eſt, diſſoluto. aut *ore* dixit vultu, & ſignificat *ſparſo*, aſperſo, quaſi maculis quibuſdam infecto vultu.

VT ELEGANS EST. Id eſt, prudens in diſcernendis puellis. quia *Ibi*, id eſt in hac electione totus eſt. Quod verò ſubiunxit *Archonidis filiam* aut Bacchidem dicit, aut aliam quamlibet, ad quam adoleſcens contumeliis patris appulerat animum.

SYRO VT IGNOSCAS. Petit veniam etiã Syro, ſed non omnium factorum, ne infinitum eſſet quod petere videtur. Et transfert in ſe crimen ſerui, dicens; *quod fecit mea cauſa fecit*.

Explicit Comment. in Heautontimor.

INCIPIT IN ADELPHOS.

PROLOGVS.

Postqvam poeta sensit. Eadem conſuetudo prologi ſemel ſignata apud Terentium perſeuerat, vti magis maledicis aduerſariis reſpondeat. Neque ſunt prologorum officia, quę compleat.

Postqvam poeta sensit ab iniqvis observari. Ab aduerſariis, hoc eſt à Luſcio Lanuino. In peiorem partem qvam acturi svmvs. Animaduertit, iniquos rapere aliter quod dictum eſt à Terentio, quam nos acturi ſumus.

Indicio de se ipse erit. Ipſe voluit de ſe indiciū dare, vti vos iudices eſſe poſſitis, id quod facit an laudandum ſit, an vituperandum. In prima fabvla, id eſt in prima parte fabulæ. vt Virg.

Vidimus obſcuru primam ſub vallibus vrbem.

Dixi in aliis Comœdiis, & magis in Andria, hanc fuiſſe conſuetudinem poëtis Latinis, vt crimen non eſſet, aliquid de Græco transferre in Latinum: verum illud eſſe criminis ſimulata contingere, vel ſi id diceret, quod iam à Latino fuiſſet expreſſum. ergo quod adoleſcens quidam meretricem eripit, de comœdia tractum videtur, quæ iam cùm Græca fuiſſet, à Latino tranſlata eſt: ſed hæc pars comœdiæ prætermiſſa eſt, vbi adoleſcens lenoni eripit meretricem: quod ſi ita eſt vt ille qui tranſtulerit aliam comœdiam Græcam, hanc partem reliquerit, non videtur à Terentio vllum crimen admiſſum, ſi id tranſtulit, quod apud Græcos intactum manebat, ideo adiecit: *Eandem nos acturi ſumus nouam.* vt non iam hoc ſit furtum, quia non à Latino dictum eſt: ſed potius reprehenſus hic locus eſt, qui eſt prætermiſſus. *reprehenſus* autem interdum ſignificat iterum prehenſus. Alia ſubinde proponitur quæſtio, quod maledici homines frequentiſſimè dicant, Terentium adiuuari à nobilioribus: erat enim opinio quod à Lælio, & Scipione, & Seruilio adiuuaretur. ſed hoc crimen ad gloriam reuocat, & confitetur, laudabile ſatis eſſe viris talibus placere.

Qvorvm opera in bello. Hic Scipio Africanus eſt. In otio. Lælius ſapientiſſimus. In negotio. Vel Philus vel Seruilius. Svo qvisqve tempore. Quorum opera vnuſquiſque vſus eſt in neceſſitatibus ſuis, ſine aliqua eorum ſuperbia. Deinde ſubiungit eur officium ſuum non compleat, vt argumentum narret, quod ſeneri, qui primi veniunt, argumenti continent expoſitionem: & breuiter poſtulat audientiam. Facile aeqvanimitas. Hæc eſt, æquos animos vt habeatis.

ACT. I. SCEN. I.

Storax non rediit. Videtur hic quanta cura ſit de filio cogitare, ac primo conquiſitio eſt, & interrogatio præcedens. quæ duplici ſenſu intelligi poteſt. Nam nomen ſerui cum dixiſſet, poſſumus intelligere quod non reſponderit: & ex hoc cæperit, quod non reuerſurus ſit filius, vt pronuntiemus per confirmationem.

Neqve servolorvm qvisqve. Rurſus pronuntiatio altera eſſe poteſt, tanquam ſeruus vocatus reſponderit, & ipſum interroget.

Si absis vspiam. Id eſt, alicubi otioſus viuas, melius eſt, tibi euenire, quod de te cogitat vxor irata: quæ vtique animo coniugali de marito ſuſpicatur, quod aliteram amet, ac illi ſoli ſit bene.

Parentes propitii. Id eſt, ſancti & religioſi timent, ne abſentibus filijs, aliquid mali eueniat. Dehinc à generali ad ſpeciale tranſit. *Ego quia non redit*, &c. Alserit. Id eſt, mortuus ſit. quia morientes frigent. Deinde theſis, quod dicit: *quod ſit carius, quam ipſe eſt ſibi.* Quod ſuprà prologus nuntiauit, quod argumenti partem ſenes qui primi ſunt, explicabunt. Nam docet quod hic adoleſcens in adoptionem ſibi à fratre

ſit datus.

Pro meo ivre agere. Ius enim patris eſt, peccata corrigere filiorum. At hic per indulgentiam dixit, non neceſſario ſibi hoc incumbere, vt omnia peccata corrigat, ſed aliquid de iure proprio obliuiſcatur. Deinde iam theſis illa ſupponitur, vt non metu, ſed melius liberi amore teneantur, *Pudore*, inquit, *& liberalitate liberos retinere ſatius.* Hic ſermo magis à perſona Demeæ accipiendus eſt, qui Micionem dicat durum præter æquum & bonum, dum clementiam cuſtodit nimiam circa filium, ſic eum in peccata prouocet: quod eſt quaſi quoddam duriciei genus, non ſentire quid criminis ſit, quod ad dedecus perueniat.

Et errat longe. Multum errat Demea, quod credit id grauius eſſe imperium quod vi conficitur, quam illud quod per amicitiam copulatur. Vt illud Salluſtij. *Non theſauri, neque exercitus, præſidia regni ſunt: verum amici, quos neque armis ſuperare, neque pretio comparare quiſquam poſſunt.*

Malo coactvs. Vt oſtendat non rectum eſſe id quod comparatur vi, quam illud quod amicitia, adiungit. Quandoquidem quod oportet ex perſona tua, id efficitur non ſponte, ſed vi. At vero ille qui ex animo facit, beneficio victus, non terrore compulſus vult multam referre gratiam. Hoc ergo ad patres potius pertinet, vti filij quod faciunt recte, ſua ſponte faciant, non alieno metu: quippe cum interſit inter dominum & patrem. nam pater lenitate, dominus metu valet.

ACT. I. SCEN. II.

Ehem opportvne. Iracundi hominis continuo pronunciata ſententia eſt, qui ſalutatus reſalutare noluit.

Rogas me. Interrogas me quid ego triſtis ſim, cum Aeſchinum filium habemus. Deinde ſumpſit generalem accuſationem, *Quem neque pudet, neque metuit quenquam, &c.*

Dissignavit. *Diſſignare* proprie dicitur aliquid ſignatum legibus rumpere. Deinde poſitio ipſa eſt criminis, ſed per argumentum. Nam cùm lenonis domum vel cellam potius adoleſcens fuiſſet ingreſſus, vt meretricem abduceret, hic exaggerans dicit, *Fores effregit, atque in ædis irruit alienas. Ipſum dominum* lenonem appellauit; deinde meretricem, *mulierem.* Et hoc quaſi criminis genus probauit à teſtibus, quod omnes clamant, indigniſſime factum. Deinde adiecit comparationem, quod facilius vita poſſit deprehendi ex hoc, quia frater eius ruri operam det. neſciens quod eadem meretrix ipſi adoleſcenti rapta ſit. Sed omnis concluſio accuſationis in Micionem, qui eius pater eſt, retorquetur & transferetur, quod ipſe filium corruperit lenitate.

Homine imperito. Defenſionem parans, ab ea incœpit parte, quæ obiurgationem tenet: quia imperitus ſemper ſatis iniuſtus eſt. Parat autem defenſionem adoleſcentiæ, ſciens meretricem raptam. *Non eſt flagitium*, &c. Non laus eſt ibi eſſe integrum, vbi non poſſibilitas corrumpendi.

Alieniori aetate. Hoc eſt, poſt adoleſcentiam.

Tv natvra pater. Vt Salluſt. *Curæ ſimilitudine patres appellabantur.* Poſtremò concludit: quòd iam repetat filium, quem dediſſet. Hac re territus ſenex, cùm iracundia tamen conqueritur, quod alienus non ſit filio, ac propterea cogatur de eo cogitare.

Nec nihil. Λιθότης, pro aliquid. Sed ostendere me aegre. Sed ſimulate ago: quia ſi fratris iracundiam iuuarem protinus inſaniret.

Etsi Aeschinvs nonnvllam. Iam redit ad æſtimationem, an vere Aeſchinus peccauerit.

ACT. II. SCEN. I.

Obsecro popvlares. Hæc ſcena vim certaminis continet, ſine vlla ſpecie controuerſiæ: tantum in dictis quædam qualitas habetur. Popvlares. hoc nomen ſignificat de populo ſocios eiuſdem conditionis.

Hic consiste. Hoc intelligendum, dici ad mulierem quæ ſublata eſt. Dein adiecit: *Quid reſpectas? Nihil periculi eſt.*

Iterum vt vapvlet. Supra enim cum meretrix raperetur, leno vapulauit.

Ne te ignarvm fvisse. Prodeſt enim abſolutioni reorum imprudentia, aut neceſſitas. Leno, inquit, ego svm. Cùm audiſſet Aeſchinus, quod potius intellexit, quod leno facilis eſſet, qui plagis ac verberibus ſubiceretur, magiſque ad contemptum

temptum hoc nomen audiuit: ideo adiecit leno, ſed talis qualis fuit fide quiſquam optuma.

TV QVOD TE POSTERIVS. Tu poſterius fortaſſe ſic te purgare incipies, quod mihi nolles feciſſe iniuriam.

HVIVS NON FACIAM. Hoc eſt, ne huius paruuli te faciam, ac propterea contemnam ac deſpiciam.

IVSIVRANDVM DABITVR. Quemadmodum ſponſio ante iudicium fieri ſolet, ita hic dixit, iuſiurandum dabitur, quod indignus fueris qui hanc iniuriam mihi faceres.

PRAESTRENVE. Valde, obſequenter.

VERVM IN ISTAM PARTEM. Vt lenonem cæderet ſeruus non iuſſerat adoleſcens, ſed hac, inquit, parte potius peccato. Licet enim contra imperium meum feciſti, tamen id feciſti quod vellem.

ORNATVS ESSES, &c. *Virtutes* hic per ἀντιφρασιν, pro vitiis collocauit. INFORTVNIVM. Malam fortunam.

LIBERTATEM AEQVAM. Athenis, vbi communis omnium fuerat libertas, populi enim iuſſu reſpublica agebatur.

LENO INIQVA. Satis oſtendit quam iniquus ipſe ſit, cùm dixerit, Leno ſum, fateor. Senſus eſt: ſum quidem quod dicis, etiam quod pernicies communis adoleſcentum, etiam quod periurus: nulla tamen tibi à me facta eſt iniuria.

NAM EGO AN LIBERALI CAVSA. Liberali manu dicit, vt eius oſtendat libertatem.

DVM EGO REDEO. Concluſit id, quod conuicio dolorem pareret. Cum mora igitur pronuntiandum *leno*. PROMERVIT. Hoc eſt, multa mihi præſtitit. ARIOLOR. Diuino, vel vaticinor.

MOX CRAS REDI. Singula pronuncianda ſunt, quæ ſolent dicere debitores, vt non reddant quod debent.

MVSITANDA. Hoc eſt, tacenda & animo continenda.

ACT. II. SCEN. II.

TACE, EGOMET CONVENIAM. Aeſchinus poſteaquam verberato lenone abduxit mulierem, vehementer timuit ne hoc pater audiret. Mandat igitur ſeruo, vt lenonis iracundiam frangat.

PECVNIAM IN LOCO. Id eſt, vbi oportet, vbi ille qui accipit memor eſt. ideo inquit, *interdum*.

DE TVO IVRE. Hoc eſt, ne plurimum leno eſſes. vt intelligamus auaritiam .... EGO SPEM. Malo prætium, quam emam pretio ſpem. quaſi ſi id amiſero, poſtea plura accepturus.

NVNQVAM REM FACIES. Hoc eſt, nunquam diuitias, neque pecuniam quæres.

NESCIS INESCARE. Id eſt, iactata eſca vt in hamo maiora lucra captare. Et eſt *inescare*, decipere.

QVASI SINT XX. MINAE. Quaſi aliquod emolumentum apud te habeant viginti minæ, dummodo domino obſequaris.

PROFICISCI CYPRVM. Hoc inicit ſeruus, vel antequam audierit leno profectus eſt Cyprum, vti meretrices inde aduehat: quod Cyprus Veneri ſit dicata. INIECI SCRVPVLVM. Hoc eſt, dubietatem.

IN IPSO ARTICVLO. Articuli ſunt in digitis: quorum nodo atque flexu ad actus facilis explicatio eſt. Ac ſi in ipſo articulo quis aliquem teneat rigore confecto, confixura nulla ſit, nihil agi exinde poteſt. Ita hic temporis articulum collocauit, quoniam oppreſſus actus ſuos ducit implicatos.

NVNC DEMVM VENIS. Verba ſunt quæ dici poſſunt, ſi ad mercatum leno ierit, & poſt rediens exigere pecuniam cœperit.

VNVM HOC HABEO. Vnum poſſum præſtare, id eſt, minas decem poſſe corradi, hoc eſt cum labore expediri.

ETIAM DE SORTE. Leno enim ſupra dixerat, *tantidem poſtulat*. Hæc quaſi ſors eſt. Nam cum decem minæ offerantur, in dubium venit, an poſſit tantùm accipere, quantum dedit.

INSVPER DEFRVDAT. Poſtquam verberauit, etiam fraudem fecit.

VTVT HAEC SVNT. Id eſt, poſtquam hæc ſunt facta, quia verberatus ſum, peto mihi reddatur quanti eſt empta.

SEDVLO FACIAM. Sine dolo: mendacijs volens lenonem decipere.

ACT. II. SCEN. III.

ABS QVIVIS HOMINE. Cteſipho gaudet vehementer, quod rapta ſit meretrix.

& eſt oratio exultantis. Abs qvovis. Pro, abs quouis.

O frater, frater, ἀναδίπλωσις. & eſt ſenſus: nemini homini magis eſſe fratrem principem artium maximarum, quam mihi. Quod verò ait, *nemini homini*, πλεονασμὸς eſt: ſignificat enim *nemo homo*. Hæc autem omnia tanquam præſente dixit fratre, cùm abſens ſit. Denique poſtea à Syro quærit, vbi ſit.

ACT. II. SCEN. IIII.

Vbi ille est. Rediens domum Aeſchinus ſimulato furore procedit, vt illo metu libenter accipiat, quidquid affertur. Nvmqvidnam. Morem expreſſit auari lenonis, vti licet audierit minas, oculos tamen intenderit in manum debitoris.

Vereor. Vehementer confundor præſente te aliquid laudis dicere, ne magis aſſentandi, id eſt adulandi gratia facere videar. *

Age inepte. Cteſipho inquit, ſtultum eſt quod laudare deſideras, quaſi noſtros animos neſciamus.

Nihil tibi possent. Quoniam alij puellam leno venderet: & tibi nullum poſſet auxilium ferri.

Poene ex patria. Si enim illa diſcederet propter paruum pretium, pænè & tu amore in exilium pergeres.

Hic properat cyprvm. Inſultandi modo dictum, quo lenoni omne reddat. Ecce iam beneficium incipit eſſe.

Hominem impvrissimvm. Malum: vt ſæpe docui.

ACT. III. SCEN. I.

Obsecro mea nvtrix. Hæc ſcena æſtus habet & quærelas, quod mulier parturiat, quam Aeſchinus compreſſit, & hodie non venerit, quod rapuerit meretricem fratri.

Dolores mea tv occepivnt. *Mea tu*, hæc pronomina beneuolentiam audientis mercantur. *Primulum* vero, aduerbialiter ait.

Times. Facile illam ſolatur quæ virum experta ſit, vt & pepererit & parturienti adfuerit.

Ere nata. Id eſt, dominæ vitium oblatum eſt: melius tamen illud, quia hic vitiator eſt, qui optimo ingenio, hoc eſt, qui nobili genere & animo natus eſt, vt non erubeſceret, ni eam vxorem duceret, quam ipſe vitiaſſet.

Ita pol est. Receperat enim aliquo modo animum, dum hæc adiunxit.

ACT. III. SCEN. II.

Nvnc illvd est. Hæc ſcena conqueſtum omnem tenet, quia ſeruus vidit Aeſchinum rapere meretricem, qui ſuæ dominæ vitiator eſt, & qui promiſerat ſe eam vxorem ducturum. Ignorat enim ſeruus quia nō ſibi, ſed fratri Aeſchinus rapuit. Arbitratus igitur dominam derelictam ingemiſcit, & conqueritur apud adoleſcentem, mutatam eſſe fidem. Præſentes mulieres ſunt: quæ cùm audiſſent ſeruum, & ipſæ dolent, & poſt efficitur deliberatio, an perferendum ſit, quòd vitiata puella eſſet: vt coactus legibus adoleſcens eam ducat vxorem. & ſi hic partes ambæ iudicandæ ſunt, vt ſuis locis tractabimus: nunc de quæſtione dicemus, exordium. Tale malum eſt, *vt ſi omnes omnia ſua*, &c. Poſt ſubiungit: *hoccine ſeculum*. Primùm ſeculis detraxit, deinde hominibus. Quemadmodum laudatiue,

——— quæ te tam læta tulerunt
Secula, qui tanti talem genuere parentes.

Qvem neqve fides. Hæc conqueſtionis partes ſunt, quod à nullo reuocatus ſit Aeſchinus, nec quia iurauit, nec quia promiſit, nec quia miſericordia flecti debuit, nec quia iam partus videbatur eſſe vicinus.

Vix svm compos animi. Id eſt, vix ſum apud me. *Compos* ſiquidem eſt ſuæ voluntatis effector: vnde & *impos*.

Dvm illos vlciscar. Erit plena vindicta, ſi modo illos puniam ac perſequar. Exprimit poſt iracundiam ſuam.

Eram hoc malo impertire. Id eſt, participem facere. Oppido oportvne. Valdè. Animvm recipe. Id eſt, ſpiritum reſume. Senſus profertur ille qui plenus eſt. Eſt autem integer talis, gemitu irrumpente: *Et mihi, amare occæpit alium*. Breuiter ſummam propoſuit. ac primum quæritur de fide, an conſtet admiſſum. Ille re-

ſpondit. Se vidiſſe. Rurſus & ipſa conqueritur.

Era lacrvmas mitte. Hinc iam deliberationis propoſitio eſt, cum dicit, *Conſule patiamur an narremus.* Vna pars ſubiungitur, non eſſe narrandum. *Mihi quidem non placet.* Huius rei argumenta illa ſunt, quod primum Aeſchinum conſtat alienum habere circa iſtum animum. Si palam ergo prolatum fuerit, negabit continuo fortaſſe, hoc eſt, *infitias ibit.* Tunc continuo puellę periclitabitur fama, vita veniet in dubiū. Sin autem confeſſus fuerit adoleſcens ſe viciaſſe, & propterea cogatur ducere vxorem, vtile non eſt dare illi puellam, cùm aliam diligat. Vnde ſine dubio quacunque ratione neceſſarium eſt conticeſſere. Deinde ſubiungitur pars altera. *Minime gentium*, inquit, *non faciam*, potius proferam. Cuius rei argumenta hæc ſunt: Quod peiore loco res iam eſſe non poteſt. Eſt enim indotata: ſecunda ei præterea dos quæ eſſe potuiſſet, eſt ablata virginitas. Sed ſi negabit Aeſchinus vitiatam, facile dinoſcetur: *Teſtis enim*, inquit, *mecum eſt annulus, quem amiſerat.* Et certè cum ego cōſcia mihi ſum, à me hanc eſſe culpam amotam, non enim corruptam, neque pretio pudicitiam puellæ vendidi, facile vindicabo, & me & illam indignam illa. Hoc argumento perſuaſit rem eſſe proferendam. Ita conſentiens ſeruus dixit, *Quid iſtuc eſt, accedo vt melius dicas.*

Nostro simvlo fvit svmmvs. * Sed parum iſtuc eſt, etiam nos maxime cofuit.

ACT. III. SCEN. III.

Disperii. Hæc ſcena illuſionem habet, qua vtitur ſeruus vti dominum poſſit fallere. Demea tamen opinione comperit, quod filius ſuus interfuerit raptioni. grauiter ferens ad domum properat: ingemiſcit enim ſi fuerit etiam ipſe corruptus. Disperii. Valde perij, ſi illum poteſt frater etiam corrumpere, qui alicuius ſpei eſt.

De grege illo. De illis qui corrumpunt, & q i corrupti ſunt.

Omnem rem modo seni. Seruus vniuerſa ſeni eſſe narrata * hoc eſt, cui rapta ſit meretrix, & ſenem laudaſſe conſilium, & filium quòd pro fratre laborauit.

Lenoni daretvr in svmptvm. In id quòd neceſſarium eſſet ſumptibus.

Inepta ne dicam dolo et absvrda. Vt ſenem Demea poſſet incitare iracundia, fingit imperare ſe ſeruo, vt piſces ceteri purgentur. Et hic abundantiam declarauit, *ceteros*: quaſi aliquos ipſe purgauerit.

Congrvm istvm in aqva sinito lvdere. Id eſt, moueri. non enim piſcibus aptus eſt ludus. Ita & Virg. *Ludere pendentes pueros.* Sed illic enim infantibus nullus eſt ludus.

Salsamenta haec. &c. *Macerentur* proprie poſitum. Quidquid enim ſalſum eſt, in aquam funditur, vt madefactum ſalis amaritudinem perdat. *

Sex totis mensibvs. Certum numerum poſuit pro incerto: & tamē iſtius conduplicatio frequenter eſt collocata. Sic & alibi. *Sex ego te totos Parmeno hos menſes quietum reddam.*

Abigam hvnc rvs. Hoc eſt, verſus paululum pronunciat, vti conſilium ſumpſerit mentiendi, vt idem eam mittere poſſit. Ad velamen autem tali conſilio vti fingit, illum rus diſceſſiſſe admodum iratum, qui fratrem male tractauerit, quod rapuerit meretricem, quod corruptis moribus viuat, quod oblitus nominis & familiæ luxurietur.

Lacrymo gavdio. Quaſi quædam cauſa eſt vnde lacrumæ oriuntur. Nam ſæpe etiam ex gaudio contingit, quod euenit ex dolore.

Inspicere tanqvam in specvlvm. Ita filius meus plenus eſt præceptorum, vt quotidie omnium vitas inſpiciat, tanquam in ſpeculum, & ex aliis ad viuendum ſumat exemplum. Et *inſpicere in ſpeculum*, noua eſt elocutio. Porro adhuc alia narrare cupiebat Demea, verum ſeruus tædioſus, ne ea quæ nollet audiret, reſpondit non eſſe otium ſibi.

Nam nobis tam flagitivm est. Pari modo flagitium credimus, ſi piſces non recte curentur, quemadmodum vos flagitium ducitis, ſi non recte & honeſte quidem viuatis. Hæc ſunt enim quæ ſupra dixit. Denique ad irridendum Demeam, dicit ſe ad ſimilia præcepta eſſe monitorem, cum ſeruis dicit hoc ſalſum eſt, hoc aduſtum, iterum ſic memento recte. Et ſe-

paratim pronunciandum. ſedulo pro meo iure, pro mea ſapientia. Refert ſimilitudinem omni genere. Quemadmodum enim tu inſpicere in ſpeculum vitas omnium iubes, ita ego in patinas. Adhibet etiam ſententiam quaſi iudex, vt dicat: *Inepta eſſe hæc nos quæ facimus ſentio.* Et tamen dicit, ſibi neceſſitate morem gerendum, quum id vult. Supra enim frater dixit: *Quando ego tuum non curo, ne cura meum.*

HEGIO TRIBVLIS NOSTER. Conuentus iam à Geta, ſeruo dolor eſt commotus, quod ea omiſſa meretricem rapuit. *Tribulis* autem ſignificat, ex eadem tribu, hoc eſt, ex eadem curia.

NE ILLIVSMODI IAM. Bonæ virtutis hominem cum videret, dixit huiuſmodi homines iam in ciuitate non eſſe. Igitur talium virorum & ciuium magna nobis eſt inopia.

HAVT CITO MALI. Ita hic iuſtus, ita ſemper eſt integer, vt nihil mali ex hoc publice naſci poſſit.

ACT. III. SCEN. IIII.

PRO DI INMORTALES. Hæc ſcena accuſationem tenet, reus enim efficitur adoleſcẽs quod vitiauerit virginem; quanquam in coniectura res eſſe potuiſſet. tamen quia nemo negat non accuſatio per coniecturam efficitur, ſed potius per qualitatem. Idem enim vitiator puellæ cùm ad matrem puellæ perueniſſet, promiſit ſe eandem, quam vitiauerat, vxorem eſſe ducturum. Nunc dicitur quod rapuerat meretricem. Reus fit iniuriarum. In hac ſcena accuſatio ſola eſt, defenſio nulla. Habet etiam partem admixtam deliberatiuę. Nam poſt eadem hæc quæ accuſat, & petit vti adoleſcens eandem ducat vxorem. Et omnis illa ſuperior accuſatio ad hoc tendit, vt vxorem potius ducat accuſator, quam reus ſit. Ergo indignitate rei cõmotus primum hoc quærit à ſeruo, an verum ſit cum dicit: *Geta quid narras?* at ille confirmat dicendo: *Sic factum.* Ita comprobata res eſt. Fit ex hoc exaggeratio. Et illan' familia tam inliberale facinus eſſe ortum?

HAVT PATERNVM ISTVC. Hoc quod feciſti non eſt tui patris, neque generis, aut familiæ. NIHIL PENDIT. Contemnit, non curat.

NI FACIANT QVAE ILLOS. Hic verſus declarat magis petitionem eſſe hic, quam accuſationem. vt ſit ſubtilis oratio cum accuſatione, ad aliud venire diſponens.

MAIOR FILIVS TVVS AESCHINVS. Hinc narratio incipit accuſationis, in qua multa denuo dicuntur, quo facilius reus conſtitui poſſit. Nam dictum quod maior filius, ne alius ſentiretur: dictum & nomen proprium Aeſchinus: dictum etiam illud quod contigit, qui fratri adoptandus datus eſt. Ex his omnibus enim ſigna dominus ſumpſerat, ille quid fecit. Deinde ſumma generaliter proponitur: *Neque boni, neque liberalis functus eſt officium viri.* Deinde adiungit perſonæ commendationem eius, cuius filia vitiata eſt. Deinde propoſitio criminis. *Filiam eius virginem vitiauit.* Quamuis non hoc intendebat: non enim facti quæſtio eſt.

NONDVM AVDISTI DEMEA QVOD EST GRAVISSIMVM. Dicit hoc quod virgo vitiata eſt, graue non eſſe, propterea quod veniens adoleſcens mereri poterat ex amore. Illud eſt quod purgari non poteſt, quod ad matrem virginis venit, quod lacrumans orauit, quod fidem dedit, quod iurauit illam ſe vxorem ducturum. Hæc ſunt quæ in accuſationem ponuntur. Deinde quod virgo ex compreſſu grauida facta eſt, quod nunc iam menſis hic eſt decimus. Cumulus enim hactenus ad accuſationem, ſi eo tempore deſerit adoleſcens puellam, quo iam pater eſſe poteſt, cum vicinus eſt partus, ac deſerendi non * olim in adoleſcentia arguit, ſed ipſum tamen factum proponit, quod pſaltriam rapuerit. Eſt enim breue tempus id * amores eſſe cum meretrici. Fit cumulus quod ad id comparauit ſibi pſaltriam, qui cùm viuat. vt hoc perpetuum ſit, adiunxit quod incendebat, *Pro certone tu iſtæc dicis.* Demea audita accuſatione de fide quærit.

MATER VIRGINIS IN MEDIO. Ad rem confirmandam teſtem adhibet accuſator, ipſam virginis matrem, & rem ipſam dixit. .... Ad poſtremum adiunxit & ſeruum Getam, de quo facile poſſit inquiri, vt à teſtibus res probetur.

VT CAPTVS EST SERVORVM, NON MALVS. Quemadmodum mali eſſe poſſunt ſerui, ſicut eſt captus ſeruorum, id eſt, conditio.

IMO HERCLE EXTORQVE. Dixerat *vinci*, & ſolas catenas pro pœna adiecerat: ideo addidit, *extorque*.

CORAM IPSVM CEDO Quo facilius veritas manifeſtaretur, adiecit ſeruus, coram da Aeſchinum, cùm præſens fuerit, non negabit miſeriam.

DIFFEROR DOLORIBVS. Oportuno tempore dolore parturiẽtis exclamat, quo facilius Demea vitiatam puellam poſſit agnoſcere. * illam nunc hæc implorat, tametſi Iunonem Lucinam ad partum implorare videatur. Hic iam petitio illa ſupponitur, vt in excuſatione reus conſtituatur Aeſchinus, & vt cogatur, quam vitiauit ducere vxorem, quod dicit: *Hæc primum vt fiant, deos quæſo vt vobis decet.*

COGNATVS MIHI ERAT. Dicit ſibi neceſſitatem maximam, vt virginem defendat, ſi deſerta fuerit, ex hoc cumul........ .....ſibi fuerat cum puellæ patre.

SET DEMIA HOC TV. Quoniam Demea ſententiam petitioni talem dederat, vt fratrem ſe diceret conuenturum: iam hic amplius agit vt perſuadeat, aliud fieri non debere: propterea quoniam nobiles viri quanto clari ſunt magis, tanto plus debent omnia iuſta complere, ſi velint famam integram ſui nominis continere. Quam rem & perſuaſione impetrant, quod voluerat ſenex. Denique data eſt ſententia: *Fient, quæ fieri æquum eſt, omnia.*

NON ME INDICENTE. Suprà enim dixerat, ex lenitate patris Aeſchinum in periculum eſſe venturum, quòd etiam nunc dicit. *Verum nimia illæc licentia profectò euadet in aliquod magnum malum.*

ACT. III. SCEN. V.

BONO ANIMO FAC SIS. Senex ingreſſus domum, vidit parturientem puellam, eius matrem conſolatur, promittens ſe conuenturum Micionem, Aeſchini patrem, & coacturum vt vitiatam ducat vxorem ille, qui vitiauit.

SI EST FACTVRVS, &c. Ordo eſt: conueniam Micionem, vt faciat, officium ſuum eſt facturus, officium. *

* * *

INCIPIT COMMENT. IN HECYRAM.

PROLOGVS.

NON omnes comœdiæ Terentij à Menandro videntur eſſe tranſlatæ: nam hæc quæ Hecyra eſt, alterum Græcum habet auctorem; quis ille ſit, habetur incertum. Alij Apollodorum volunt. Quid autem nunc ipſa contineat, explicabimus. Prologus inducitur duplex, propterea quia frequenter excluſa eſt, vt intelligitur. Videtur enim primam prologi partem antea dictã: poſteriorem nunc eſſe ſociatam. conſuetudinem quidem in omnibus diximus prologorum ſemper eſſe hanc, poetam commendare, argumentum dicere, audientiam poſtulare. Verum cum cauſa exordij ſemper ita ſit, vt ſuſpicio vel crimẽ quod poſſit opinioni obeſſe in principio defendatur, eſt hic purgandum quod frequenter excluſa eſt: videtur enim quiddam eſſe præiudicium, quod hæc comœdia placere non poſſit. defenditur autem cauſæ deriuatione, per coniecturalem ſtatum. Non enim ideo quia mala, eſt excluſa; ſed quia populus in funambulo animum occupauerit. & hoc addit, quod ſemel excluſa eſt, vel quod rumor eſſet, datum iri gladiatores. populus conuolauit cum tumultu, deſuruit loco: hoc enim ad id pertinet quod iterum videtur excluſa. ita in omnibus excluſionibus per cauſæ mutationem defenſio comparata. nunc verba tractemus. Græcum nomen *Hecyra*, Latine *ſocrus* dicitur. Appoſuit igitur ad faciendos dociles auditores, primum, nomen: deinde proponit quæſtionem cum dicit: *Hæc cum data eſt noua, nouum interuenit vitium & calamitas, vt neque ſpectari neque co-*

gnoſci potuerit. In quo defenſio eſt magna, cum nunc dicit ſpectatam & cognitam repudiare. Deinde concluſio eiuſdem cauſæ: *Ita ſtudio populus ſtupidus in funambulo animum occuparat. nunc hæc plane eſt pro noua.* Ergo ſi antea nullum initium huius agendæ fuit, tanquam redit. *& hic qui ſcripſit hanc ob eam rem noluit iterum referre, vt iterum poſſit vendere.* ne obiiceretur cur non repetita actio eſt poſt funambulum, ſi propter funambulum videtur excluſa, adiecta cauſa eſt, quoniam Terentius referre eam noluit, vt poſſit eam vendere.

ALIAS COGNOSTIS EIVS, QVAESO HANC COGNOSCITE. Optime ammonuit vt de præteritis poëtam datum doceret, quò facilius poſſet ſcire populus, & hanc eius comœdiam poſſe ſimiliter comparari.

ALTER PROLOGVS.

ORATOR AD VOS VENIO ORNATV PROLOGI. SINITE EXORATOR SIM. Alius eſt hic prologus à ſuperiore, qui fuit ſuperioris excluſionis. hic verò propter excluſionem tumultus conuenientis populi, propter ſpectandos gladiatores, *Sinite exorator ſiem* vel *ſim*, ſinite inquit quod oro impetrem.

QVO IVRE SVM VSVS ADVLESCENTIOR. Hic prologus dicitur ab Ambiuio Turpione. quia ſenex fuerat qui eſt in exactore. petit ergo vti pari modo vtatur ſenex beniuolentia populi, qua & adoleſcens.

NOVAS QVI EXACTAS FECI VT INVETERASCERENT. Qui labore meo nouas comœdias excluſas ad populi aures reuocaui, & veteres confeci.

QVAS PRIMVM CAECILI DIDICI NOVAS. Comœdiarum ſcriptor Cæcilius fuit. ergo ad hunc laborem ſuum profert exemplum de altero auctore, qui populo placuerit. & oſtendit populi quodammodo rem, & ſcænæ dubiam fortunam eſſe: vti comœdia excludatur aliquotiens.

SPE INCERTA CERTVM MIHI LABOREM SVSTVLI. Hic ſe commendat, quo facilius impetret quod deſiderat. laborem certiſſimum ſuſtuli. at placendi ſpes eſt & incerta. Vbi ſunt cognitæ, placitæ ſunt vides à ſimili quemadmodum hic argumentum & coniecturam fecerit; ſi quidem illæ Cæcilij comœdiæ, quæ excluſæ ſunt quia ante non erant cognitæ. poſteaquam meo labore cognitæ ſunt placere cœperunt. ergo & iſtæ placebunt, ſine dubio cum cognoſcentur.

QVAM MIHI PER SILENTIVM NVNQVAM AGERE LICITVM EST. Hic iam, comparatione à ſimili ducta & terminata, ad primam quæſtionem redit: docétque quod ſit frequēter excluſus non ſuo vitio, neque iudicio de comœdia. Petit igitur audientiam vt populus præbeat: & ponit hic ipſam duplicem excluſionis cauſam: nam primam ſic colligit, *Cum primum eam agere cœpi, pugilum gloria, Funamboli eodem acceſſit expectatio.* Deinde actionem alteram ſic memorat: *Vetere in noua cœpi vti conſuetudine. in experiunde vt eſſem.* Hoc eſt vt iterum temptarem. *Refero denuo.* deinde adiecit quod vtile fuerat ad comœdiæ iudicium. *Primo actu placeo.* ſupponit deinde cauſam cur excluſus eſt. *cum interea rumor venit datum iri gladiatores. populus conuolat, Tumultuantur, pugnant de loco.* Declarata cauſa vel re, ad officium prologi redit, petens audientiam. *Nunc turba non eſt. otium & ſilentium eſt.* & iam ſublatæ ſunt cauſæ quibus ſum frequenter excluſus. ad audiendum operam date. *Nolite ſinere per vos artem muſicam recidere ad paucos.* Date potius operam vt faueatis comœdias ſcribentibus, ne ars muſica ad paucos reuertatur: & ſi aliquid excludatur, comœdiæ aſcribant.

FACITE VT VESTRA AVCTORITAS MEAE AVCTORITATI ADIVTRIX FAVTRIXQVE SIT. Vos comœdias cùm libenter audire cœperitis, erit ſtudium ſcriptoribus maximum. vnde mea ad clangendum creſcet auctoritas. ſiquidem multæ per me placebunt. & commendat ſe quod numquam pretium ſtatuit artis ſuæ maximum, vt auarus videretur. & quod maxime ipſum quæſtum putauerit, populo ſemper placere.

QVI IN TVTELAM MEAM STVDIVM SVVM, ET SE IN VESTRAM COMMISIT FIDEM. Poeta enim quodammodo auctore commendatus eſt.

MEA CAVSA CAVSAM HANC ACCIPITE, AC DATE. Scit ſe optimi meriti eſſe, & quam frequenter populo placuerit: & ideirco propter ſe dicit audientiam eſſe comœdiæ dandam.

INCIPIT IN PHORMIONEM.

PROLOGVS.

SEm s l tibi datum præceptum circa prologos perſeuerat: oumquam. Terentium ratiooe vti in prologis, qua vtuotur omnes. quippe cùm aduerſarius Luſcius Lanuions maledictis frequētiſſime eum perſecutus ſit, qnibus oporret in prologo reſpoodere. Hanc quidem quæſtionem etiam ipſe fecit: quod eoim Terentius oumquam prologis vieretur, oiſi haberet aduerſarium cui maledieeret, certum eſt. Ita naſcitur hic quaſi quædam controuerſia, qua reus efficitur Tereotius, qnod facit cootra legem, quod iniuſtè agat, omittendo prologoium cooſuetudinem. & tantùm maledicta ponendo. huic per qualitatem reſpondet: aduerſarinm ſuum cogere ſe, vt iſtud quod Terentius facit, poſſit efficere.

POSTQVAM POETA VETVS. Ideſt, Luſcius Lanuinus poetam noſtrum Terentium noo potuit coercere, quomious comœdias ſcriberet, & homioem ad otium reuocaret, cępit eum maledictis terrere, eredens noo ſcripturum comœdias Terentium, ſi ei ſæpè maledieeret. Obicit præterea primam quæſtiunculam, quod leues comœdias Terentius fecerit. Criminatur quod noo fecit, quod Luſcius Laouinus in comœdijs fecit. Ita ſit obiecti crimiois ex quadam aduerſarij accuſatiooe purgatio.

TENVI ESSE ORATIONE ET SCRIPTVRA LEVI. Hoc eſt ſoliditatem io verbis nullam, onllam in rebus. Hoc obiectum eſt, oſtendit etiam nullam granitatem: quoniam iſtud quod obiecerat, iſta feciſſe. ideo obiecit quod ooo fecit, quod fecit idem Luſcius Lanuinus.

ET SECTARI CANES. ET EAM PLORARE, ORARE VT SVBVENIAT SIBI. In qua vtique perſpicis uihil quod comœdiarum ſit. noo enim aut amator erat, aut ſuſpiciooe ducitur, aut affectus eſt alicuius, aut iraſcitur pater, quod nolit filius ducere vxorem, aot aliquid horum, quod ſolet eſſe in comœdijs vt debet. Primum enim quod ad comœdiam pertinet id eſt, adoleſceos iofanus, qui affectus à comœdijs longè videtur alienus. qood deiode ceruam videt fugere, & ſequi caoes: iſtud omoino à comœdia alienum eſt. Ita oeſcio quod genus dicendi eſt alienum. ſiquidem Luſcius Lanuious io eo ſit Terentius oſteodit vitia ſe magis iſta vitare: vt ſi quid in aduerſario eſſe cognouerit, reprehendat quod intelligeret.

CVM STETIT OLIM NOVA, ACTORIS OPERA MAGIS STETISSE QVAM SVA. Comœdia iſta, quam reprehendit, dicta à Lanuioo eſt, & placuit. cur poteſt eſſe præſcriptio, quod reprehendi non poſſit ex eo qnod iam populo placuit. Occurrit huic Terentios dicendo, quod ſi animaduerteret, quoniam eum ooua comœdia quam reprehcodit, data eſt, actoris opera ſtetit, non ſua. vt non magis ingenio placuerit poetæ, quam actoris artificio.

NVNC SI QVIS EST. Hæc eſt illa propoſitio quæſtionis, quod numquam prologus à Terentio ponatur cauſa qua ſolet prologus dici, vt poetam commendet, vt argumentum dicat, ſed tantummodo maledicat aduerſario. Hanc quæſtionem vt dixiſſet, ſuperuacuos eſſe quodammodo prologos, neque illi comœdiæ contiueri: omnis enim palma, omois victoria, omoe certamen, in ipſa fabula continetur. comœdiæ ſunt illæ vbi virtus & ingenium poſſit peruenire ad gloriam. Hic igitur dixit in medio palmam omoibus poſitam, qui tractant artem Muſicam. Non priocipia, neque extremitatem oportere conſiderare, ſed illa quæ ſunt media, quæ comœdiam tenent, vbi ars muſica tota verſatur.

ILLE AD FAMEM AB STVDIO VOLVIT HVNC REICERE. Nota aduerſarij voluntatem, quod maligne perſecutus ſit, vt Terentius à fama reiceretur: vendebant enim comœdias, & inde quæſtum habe-

bant. certè optimè reſpondit, etiam aduerſum quòd dixit, *Hic reſpondere voluit non laceſſere.* Fit enim iuſtum cum reſpondemus potius maledicis, quam maledictis aliquem prouocamus. Ita cum paria referimus crimen eſt nullum. Quod adiunxit. *Quod ab illo allatum, hoc ſibi relatum putet.* Commendat nunc poetam cum ſubiungit, *De illo iam finem faciam dicendo, cum ipſe de ſe non facit.* Hic grauiter & illum peccare multa docuit, & ſe contentum eſſe reſpondere.

NVNC QVID VELIM ANIMADVERTITE. Supponit perpaucos verſus ad officium prologi, vt aliquid inſtruat de comœdia.

APPORTO EPIDICAZOMENON QVAM VOCANT GRAECI COMOEDIAM. Nomen comœdiæ dicere aliquid argumenti tangere, prologi officium eſt. *Quia primas partes*, hoc eſt ſummas dicet qui fecerit paraſitus Phormio, non priores. ſiquidem comœdiæ nomen impoſitum eſt, ab eo auctore per quem plurima aguntur.

ADESTE AEQVO ANIMO. Subiungit illam beniuolentiam, quam ſemper petit prologus. & rogat etiam vt audiatur cum ſilentio.

NE SIMILI FORTVNA. Datur hic intelligi, quod hæc comœdia poſt illam comœdiam quæ dicitur Hecyra, eſt. vt hoc hic tetigerit ne tali fortuna vt amur, qua vſi ſumus, frequentiſſimè excluſi. aliquando tamen cum labore maximò comœdiam egimus, virtute potius perſeuerantis actoris, qui totiens ſit excluſus. Ne tantùm quaſi actori illam comœdiam fecerit audiri virtute, ſed perſeuerantia. Et ne ex hoc iniuriam populo feciſſet, adiecit, *Æquitas veſtra adiutans, atque æquanimitas.*

ACT. I. SCEN. I.

AMICVS SVMMVS. Argumentum fabulæ in prima ſcena plurima parte tractatur. Hec continet rationem: nihil aliud tenet, quam expoſitionem rerum geſtarum, vnde formam nullius eſuſæ habet. Ergo verba ac ſenſus qui obſcuri fiunt ſequamur.

AMICVS SVMMVS ET POPVLARIS. *Popularem* tribus modis accipimus, de populo ſocius, & eiuſdem conditionis de populo, vt in Salluſt. accipimus eos qui in populo ſunt eiuſdem conditionis. *Cum ad ſuſtinendum popularis ſui ſceleris adegeret.* hoc eſt ſocios. Eiuſdem conditionis. Vt, *obſecro populares, ferte miſero atque innocenti auxilium.* quamquam illic etiam de populo poteſt. At verò hic, *Amicus ſummus meus ac popularis Geta*, quid aliud quam ſeruum inducit, quod eſt eiuſdem conditionis?

ERAT EI RATIVNCVLA. De ratiuncula quam apud me habet, erat ei reliquum nummorum, ſed aliquantulum. ID VT CONFICEREM. Hoc eſt vt id reddendum pararem.

EI CREDO MVNVS. Paratur ſicuti arbitror domini filio, ducenti vxorem. *Conraditur* autem magno labore & inopia colligitur.

QVAM INIQVE COMPARATVM. Scilicet inique id effectum atque diſpoſitum vt ſemper pauperes ditioribus, hoc eſt diuitibus aliquid velint adhib... dum munera eis mittunt, à quibus accipere eas debeant.

QVOD ILLE VNCIATIM. Hoc eſt paulatim, velut per ſingulas vncias. DE DEMENSO. De cibario, hoc eſt quod ſibi ſit demenſum: à metiendo. SVVM DEFRVDANS GENIVM. Fraudare ſuum .... bibit, ſi quis parcius .... Bene genio facit, ſi quis vitam l ....* *inuitat genialis hyems* * genio perſuadet fieri .... *Lucent genialibus altis Aurea fulcra toris.*— COMPARSIT MISER. Parcendo ſeruauit.

FERIETVR ALIO MVNERE. Expreſſit impetus damni, cum dixit, vacua remittent.

PVERO NATALIS DIES. Semper natalis dies cum pueri initiantur. Natalis annus, natalis dies, natalis .. .. Alioquin per ſe vix dici poteſt. quod quidem Virgil. in Bucolicis. *Phyllida mitte mihi meus eſt natalis Iola*, vt ſolum per ſe enuntiaſſet.

VBI INITIABITVR. *Initiare* eſt ad cibum infantem inſtruere, qui & ipſe dies natalis eſt quodammodo.

ACT. I. SCEN. II.

SI QVIS ME QVAERET. Egreditur ſeruus qui narraturus eſt illa quæ ſuprà dixit. Mandat domina ad ſe veniat ille qui

debitor.

debitor ſuus fuit, & qui fortaſſe vix nomen tenere poſſet.

Accipe. Pulchre, antequam peteret aliquid, obtulit quod debebat ...... quibus intelligemus, metum eſſe circa accipientem ...... ne diſpliceret eſt dictum, *Lectum eſt*. Deinde ...... conueniens numerus crederetur adiecit. *Conuenies numerus quantum debui.*

Qvo in metv. Omne malum duo habet tempora, præteritum & futurum. Præteritum verò ſimul iungitur & præſenti. Ita in præſenti vel præterito malum: in futuro metus eſt. Magnus igitur confeſſus dolor eſt, cum dixit. neſcis quo in metu, & quanto in periculo ſim. Quod vtique iunctim expreſſum eſt in Virgilio.

Talia iactanti ſtridens Aquilone procella.

Velum aduerſa ferit hoc vtique periculum. ——*Fluctuſque ad ſidera tollit*: hic metus eſt.

Abi sis insciens Diſcede ſtultiſſimè cùm tu mihi pecuniam credideris, vbi fidem meam integritatémque vidiſti, verba mihi metues commodare, in quibus quid lucri habeo, ſi te fefellero.

Ergo avscvlta. Ergo audi. Hanc operam tibi dico. Audiendi tibi operam trado * dominos rogent. Nunc dicit, ſtulte eos facere, qui precatores parent & adhibent, quorum oratio hæc eſſe poteſt: Interim venia tribuatur, poſtea cum ipſe qui precatur diſceſſerit, dominus iracundiam ſuam compleat.

Qvid ille paedagogvs. Apto nomine appellauit ipſum adoleſcentulum qui meretricem amat, vt pædagogus diceret qui eum in ludum ducebat & reducebat.

Nisi spem meram. Solam inquit ſpem, quia nihil habet.

Ad portitores. Ad eos ſcilicet, qui in portu ſunt.

ACT. I. SCEN. III.

Adeon rem. Hæc ſcena vitæ comparationem tenet Antiphonis & Phædriæ, eius qui vxorem duxit abſente patre eam quam diligebat, & eius qui amat meretricem, & ſumptus non habet. In quo negotio efficitur qualitas comparatiua, qui miſerior ſit. Et eſt cauſæ genus demonſtratiuum, cum vitam vtriuſque in miſerijs, comparatione vitæ ſ[illegible]æ, dicit eſſe felicem.

Adeon rem redisse. Eouſque rem eſſe deductam, vt cum mihi pater conſultum optime cupiat, ego tamen non pertimeſcam, cum mihi venit in mentem i[illegible]m iam iámque eſſe venturum.

Nisi fvissem incogitans. Quòd niſi minimum cogitarem, propter id quod vxorem duxi eo abſente, ſic eius aduentum & eum exſpectarem ſicuti decuit.

Rogitas, qvi tam. Interrogas me cur iſtud dicam. vxorem duxi, & eius facinoris mihi & auctor fuiſti & conſcius.

Vtinam ne Phormionem. Hic exponit miſerias ſuas, pænitet enim conſilij. vt ne Phormioni in mentem incidiſſet tale conſilium, vt mihi perſuaderet atque impelleret in id, vnde mihi initiũ eſt malorũ.

Non potitvs essem. Sed ſi conſilium mihi Phormio non dediſſet, ad fructum cupiditatis meæ non peruenirem. Hæc quæſtio eſt, quæ ſoluitur malorum comparatione. Siquidem magna commoda maioribus incommodis capta ...... vtile conſilium fuit: id malum quòd minus habebatur, commutatum eſt grauiore & deteriore malo: quòd hodie cotidiana cura angit animum.

Dvm expecto qvam mox, &c. Comparatio efficitur per alterius vitæ comparationem. Ipſe enim Phædria amat meretricem, qua potiri propter inopiam non poteſt.

Amore abvndas. Hoc eſt, tibi quod deſideras abundat & præſto eſt, neque eges.

Ita me di. Vt feliciorem multo Phædriam Antipho poſſet oſtendere, non ſolum ..... mala eſſe vita numerat, verum etiam iurauit per id ipſum quod Antipho habet, quod tam diu fruatur amore ſuo.

Iam depecisci morte. Hoc eſt, mori volo vel paciſci mortem. Deinde ipſa incommoda commodis vitæ Antiphonis enumerat: ſiquidem ille habet ſine ſumptu ingenuam: quod habeat quam deſiderauit vxorem: quod ſine mala opinione: quod publicè. Contra quòd hic cum lenone rem agitet.

Beatvs ni vnvm. Omni parte felix ac beatus, ni tibi tantummodo vnum, animus videlicet, deſit, qui hæc tolerabiliter ſuſtineat.

At tv fortvnatvs. Reuocat comparationem Antipho, & hæc .... vt meliorem feliciorémque dicat Phædriam, quod in poteſtate habeat omnem conſultationem, vtrum velit mittere, an vero retinere.

ACT. I. SCEN. IIII.

NVllvs es geta. Hæc ſcena .... domini venientis * Antiphonis, quod patrem ſuum audiat venire, quod eo abſente duxit vxorem.

Inparatvm svbito. Ita tanta mala impendent in te & parantur. Vti devitem, &c. Duo poſuit ..... enim mala deuitemus, ita vt nos non contingant. Aut quod ſecundum eſt, ſi forte celeri ...... tu in nos irrepſerint, in hoc proſpicere quo modo inde nos liberare poſſimus.

Senis nostri davi fratrem. Narratio hic ſumit exordium .... vt oportet ab eo incipit, quod ſciri poteſt ..... Virgil. frequentiſſimè dixit. vt, *

Fando aliquid ſi forte tuas peruenit ad aures
Pelidæ nomen Palamedis.

&. *Cernis vt inſultent Rutuli.* Item in Eunucho. *Hanc quam amat noſtin?*

Pellexit. Decepit, fefellit. Virgil.
Inuidia poſtquam pellacis Vlyxis.

Regem me esse. Antiqui etiam maxime in Comœdiis ditiſſimos quoſque reges dicebant: vti paraſiti eos à quibus paſcebantur, reges appellarent.

Qvasi magistrvm. Quaſi monitorem atque cuſtodem. Provinciam. Officium. Mihi vsvs venit. Aliquando mihi contigit. Deo irato meo. Teneo in memoria dimitti irato deo meo, vel domino, vel genio: vel certe Deo. noſter enim Deus eſt, qui fauet nobis: quaſi iratus fuerit, aduerſa omnia patimur. Vt Virgil.

Vadimus immixti Danais, & numine noſtro.

Seni fidelis dvm svm. Dum ſeni fidem præſto vt monitor perſeuerarem, vapulando ſcapulas perdidi.

Inscitia est, advorsvm stimvlvm. Etenim inſcitia eſt, calces velle iactare cum ſtimulus imminet: te enim magis incipias vulnerare. Scisti vti foro. Intellexiſti quid te oporteat facere.

Continvo qvandam. Bene adiecit *continuo*, vt adoleſcens abſentiam patris quodammodo expectaſſe videretur, vt in delitias amorémque labi poſſit.

Neqve qvod daretvr. Hoc eſt, iam inopiam in domo relinquerat, vt quod dari poſſet lenoni, non haberetur. Curauerat ergo quadam diligentia, ac fecerat ne pecunia filiis relinqueretur in domo.

Sectari, in lvdvm. Cùm ille pergeret in ludum, hoc eſt in locum vbi forte diſcebat. Ex advorsvm. Contra ipſum locum. Tonstrina qvaedam. Officina tonſorum.

Neqve illi benivolvs. Hoc eſt nullus erat qui beniuolentia aut notitia, aut vicinitate ſuccurreret & adiuuaret. Commorat. Ita narratione ſua exprimebat affectum, vt nos omnes commoueret. *Commorat* autem, commouerat. Ni vis boni. Magna vis bonitatis & pulchritudinis in forma erat: idcirco iſta quæ ex luctu & lachrumis fuerant, formam extinguere non valebant.

Tantvmmodo satis. Hoc eſt tantummodo laudabat. Ille autem al... amare cœpit. Qvo evadat vide. Quo res perueniat animaduerte.

Bonam bonis prognatam. Et ipſam ingenuam & bonis parentibus natam.

Non si redisset. Hoc eſt, cùm rediſſet, neom in ſenſum poſitum videamus.

Est qvidam phormio. Hic interponitur alia narratio quæ perſonam declarat.

Lex est, orbae. Leges illas narrat, quas oratores ſæpe in controuerſiis collocarunt. Orbam proximus ducat, Orba proximo nubat.

Tibi scribam dicam. Tibi calumniam indicam & cauſam impingam. Qvod erit mihi bonvm &c. Facile iſta quæ ſunt mendacia, quæ ego fingam, & comprobabo iudiciis: tu nihil relinquis.

Pater aderit? Hoc quaſi quæſtionis loco propoſitum eſt à Phormione. Sed cum duxeris vxorem, veniet pater & mihi litem intendet. cui paratur reſponſio: quid intereſt? quid mea? iam enim illa, quam tu cupis, in tua erit poteſtate.

Iocvlarem avdaciam. Quæ eſt in ioco, veniat in periculum. Vt, *Iocularem in malum ſciens pene incidi.*

Ventvm est, vincimvr. * Vt ſuprà, *Imus, venimus, videmus*, ſimiliter in Eunucho. *It, lauit, redit.*

FORS FERET, FEREMVS. Nunc narrationem finit, de euentu reſpondet: omne ſe æquo animo paſſurum quod euentus adtulerit in peccatis AD PRECATOREM ADEAM. Solent ſerui, quotiens fuerint.... .....conſtituti, habere ſibi precatores qui pro eis.* PVRGEM ME? LATEREM LAVEM. Omnia aduerſa ſunt inquit. ſi loquar, magis incendam: ſi conticeſcam, vehementer inſtigem & compellam ad iracundiam: ſi me purgauero, nihil eſt. Hoc eſt enim laterem lauare.. .enim non puriorem laterem lauando reddimus, quam ipſum laterem perdimus.

VLTVS ESSEM IRACVNDIAM. Vltus hoc more, dum aliquid ſuſtuliſſem, quòd dixit. *Aliquid conuaſaſſem, & me protinus conicerem in pedes.* hoc eſt, fugiſſem. Diſceſſio enim quodammodo vltio eſt, in * gmalionem, ** In vlta de loco fugit, cum dicis vita virum.*

QVID AIS? HVIVS PATREM. Expreſſum bene eſt, quod ille qui me tuebat, facile etiam intelligit. quod ſermonibus non fuerat explicatum: contra is, qui alienus à metu erat, interrogat quid illud ſit. Ergo parum intelligenti congeminat ſenſum, *huius patrem cum dicit vidiſſe me patrum tuum.*

ADVIGILARE AEQVVM. Exhortatur vt forti animo ſit, & quo magis periculum maius eſt, quod imminet, hoc debet...... vigilare. Simul ei ſpem meliorem promiſit dicendo. FORTIS FORTVNA ADIVVAT.

* * *

NON POSSVM ADESSE. Omnis illa confirmatio, ſimul atque patrem vidit, perturbata eſt, & parat diſceſſum.

VOBIS COMMENDO PHANIVM. In commendatione prius illam collocauit, quam diligebat: dein ſubiunxit ſalutem ſuam. quoniam in amore ea ſalus es.

EGO PLECTAR PENDENS. Ego puniar pendens. at tu tantummodo audies lites, & ex verbis tibi periculum erit.

AVFER ISNQ OPORTET. Rebus faciundis cum neceſſitas cogit, non id quærendum quòd oporteat. Ideo adiecit. Tolle oportet, potius mone quod faciundum ſit.

IN RE INCIPIENDA. Quaſi ſæpius peccauerit adoleſcens, & ſe defenderit: ideo quærit exemplum defenſionis.

HIC EGO SVCCENTVRIATVS. Metaphora à bello. Illi qui priori loco pugnant in principiis ſunt qui vero ſecundum vel in aliis poſterioribus, ſuccenturiati dicuntur. quaſi ſubpoſiti ad aciem, vt illis deficientibus ipſi in certamen procedant.

ACT. II. SCEN. I.

ITANE TANDEM. In portu ſenex duxiſſe filium ſuum vxorem audiuit. ſecum ergo conqueritur ſatis admiratus quod ille tantùm facinus auſus ſit implere. Hæc ergo ſcena continet accuſationem, & habet controuerſiam talem. Quod contra imperium patris vxorem duxerit, filius reus eſt. Qui defenditur: ſe feciſſe dicit coactus in iudicio, & coactus legibus. Cui occurritur: potuiſti ducere vxorem, maxime cum lex ſit: orba nubat proximo. orbam proximus ducat, aut dotem det. At ſi in parte legis eſt vt dotem adhibeat, etiam te dare oportuit. Sed hoc ſoluitur, quod inopia non potuit iſtud implere: vt & hic venialis ſtat* ſit. Huic rurſus quæſtioni opponitur, quod mutua pecunia ſumi potuit. Sed hic occurrit qualitate abſoluta. an filio in familia conſtituto pecuniam mutuam accipere liceat. an aliquis huic pecuniam potuit eredere. Ita omnis oratio argumentis, ſed per quæſtiones proponitur, & per argumenta diſſoluitur.

INVITVS FECI, LEX COEGIT. Reperit argumentum ſenex, quo oſtenderet non inuitum vxorem duxiſſe filium, ex eo quòd ad iudicium ductus tacuerit, & nihil reſponderit: quæ res indicat voluntatem. ITA SVM IRRITATVS. Ita ſum prouocatus, vt non poſſim animo conſiſtere ad cogitandum.

QVAMOBREM OMNES. Ergo, inquit, quoniam ita ſunt, oportet omnes rebus felicioribus cõſtitutis magis de aduerſariis cogitare, quo pacto poſſint ea quæ acciderunt ſuſtinere. VT NE QVID ANIMO SIT NOVVM. Quod vtique eſt ſapientis, omnia quæ accidere poſſint prævidere, ne noua ſint. Vt eſt illud ſapientis Æneæ:

——— *Non vlla laborum*
O virgo, noua mi facies, inopináue ſurgit.
Omnia percepi, atque animo mecum ante peregi.

INCREDIBILE EST QVANTVM. Seruus dicit de ſuis ſe incommodis ante cogitaſſe vnde ſapientia ſua ait dominum præter ... e.

SALVVM VENIRE. Cùm interrogatur

ſit, vbi ſit Antipho, perſeuerat in ſalutatione, vt iracundiam obſequio frangat.

VALET, HIC EST. Cùm ille de loco quęreret, vbi nam eſſet Antipho, hic de ſalute reſpondit.

BONAS ME ABSENTE. Et accuſaret totius criminis, ſed ſummæ eſt collocatio. Subiungitur iracundia, quod dixit. *Ipſum geſtio dari mihi in conſpectũ. Geſtio* autem, cupio & deſidero, vt ſua culpa intelligat, patrem leuem acerrimum factum.

ATQVI NIHIL FECIT. Hic iam defenſionis eſt generale principium. OMNES CONGRVVNT. Omnes conueniunt, æquales vniuerſi ſunt.

NAM NI HAEC ITA. Si hæc quemadmodum dicis non eſſent, vt vobis pariter ad veſtra crimina * cum Antiphone tu non ſtare potuiſſes.

SI EST PATRVE. Hoc eſt exordium pleniſſimæ intentionis & defenſionis, in quo docet non ſe deprecari neque defendere Antiphonem, ſi modo aliquam culpam in ſe Antipho admiſerit, vnde famam ſuam vulneraret. Deinde ſubiunxit: *Sed ſi aliquis forte malitia ſua fretus inſidias fecit noſtræ adoleſcentiæ.* Et bene *noſtra* adiecit, vt ſocietatem non tam culpæ, quam malorum * ſeſe adiunxit.

NOSTRA EST CVLPA AN IVDICVM. Quòd ſi oppreſſi iudicio ſumus, crimen noſtrum nullum eſt, ſed iudicum potius: qui frequenter inuidia tollunt diuitibus, aut propter miſericordiam addunt pauperibus.

NI NOSSEM CAVSAM. Satis laudauit orationem Phædriæ, ſiquidem tantam vim argumentorum duxit eſſe in oratione, vti crederet vera dici, ni ipſe melius noſſet veritatem.

AN QVISQVAM EST IVDEX. Hoc proponet, quod inuitus coactus ſit: ſiquidem tacuit, neque verbum vllum reſpondit. Hic defenſio illa ponitur, quòd adoleſcens cogitare quidem potuit, vt præ dolore & verecundia oppreſſus.

COGITATA NON POTVIT PROLOQVI. Hæc pars ve[illegible]ialis eſt, ex ætate.

SALVVM TE ADVENIRE. Opportune ſeruus cum duos locos perdidiſſet, accuſator vehementer iam confractam ſenis iracundiam videret, ſupponit *

COLVMEN VERO FAMILIAE. Dignitas vel certe ſuſtentatio, vnde *columnæ* dicuntur *

VERVM SI COGNATA EST. Senex omnia argumenta concedit...... ad veniam, ſed opponit leges .... vt dos orbæ dari poſſit. Sed hic vt * occurrit per venialem ſtatum, quod arg .... defuit. quam rem cùm ſoluiſſet ſenex, dicit *Sumeret alicunde*, vel fœnore. Soluta eſt tamen .... quod negauit licere filio familiæ mutuam .... pecuniam credi.

NON SIC FVTVRVM EST. Conuictus in .... ſenex ad iracundiam redit, negátque permiſſum .... vti cum filio ſuo maneat illa nupta.

* * *

ACT. II. SCEN. II.

* * *

FORTITVDO IN NERVVM. Denique vehementer metuo ne hæc virtus & fortitudo mittatur in neruum: hoc eſt, in contrariam rem. Facile enim .... fortitudo, ſi neruum forte percuſſerit. ſolidior .... ſtte reſiſtente, ille qui percutit vulnerum.

IAM PEDVM VISA EST VIA. Iam res quemadmodum it habe * DICES DVCENT DAMNATVM DOMVM. Sed proponis mihi, ... ſi fortunas non habeam, ex quibus condemnatus .... ſuſtineam, tamen addici poſſum ad ſeruitutem: hoc eſt enim *ducere damnatum.*

* * *

PRIOR BIBAS. PRIOR DISCVMBAS. Hoc vtrúque ſeruorum eſt quædam libertas, vt iſta prius ſibi præſtent.

HAEC SI CVM RATIONE. Cùm hæc igitur ratione collegeris, quam ſint ſuauia, ſine dubio illum, qui tibi hæc præbuerit, præſentem Deum poteris nominare.

PRIMA COITIO EST ACERRIMA. Sola tibi cæpta, & ingreſſus eſt arduus, cetera pro voluntate vt videbitur, intludes.

ACT. II. SCEN. III.

EN VNQVAM CVIQVAM. Hæc ſcena tenet controuerſiam talem. Orba proximo nubat, orbam proximus ducat. Bis de eadem re actio ne ſit. Quidam quaſi or-

bam in iudicio coactus eſt ducere abſente patre. Pater cùm rediſſet vult agi, an illa ſit proxima: Contradicitur. Hic prima præſcriptio eſt, quod non licet ex eadem re aliquid bis agere: & hoc plurimum valet. Veruntamen tentatur vt orba eſſe dicatur: tentatur & illud, quod in lege ſcriptum eſt, vel poſitum. Orbam proximus ducat, aut decem milia dotis det, vt accepta dote diſcedat. Verum hoc frangitur, non licere: propterea quod matrimonio collocata eſt. Eſſe enim iniquum, vti nuue in matrimonium accepta, dote data diſcederet. Liberum fuiſſe ante aut ducere, aut dotem dare. Cùm alterum ſit factum, alterum eſſe non poſſe.

Pro devm immortalivm. Hic indignationem ſibi ſuſcitat Phormio, qui terrere poſſit facile ſenem. quod egens relicta eſt miſera quod ignoratur parens, quod ipſa diuitiis orba, paupertima eſt: idcirco pater iraſcitur. Cvi opera vita erat. Expreſſit paupertatem, cui victus quotidianus opera quærebatur.

Neglegere cognatvm. Cognatum narrabat, quod ſe negligeret hic cognatus ſuus.

Videas te atqve illvm. Seruus narrat pro domino ſeſe agere: cognoſce, inquit, te atque illum cùm quo loqueris.

Nvnqvam tam graves. Niſi talem ... virum credere puellæ patrem propter eam pu... .... tales inimicitias caperem, aduerſus dominum tuum in familiam meam.

Adolescens primvm abs te. Primæ pars actionis quæritur, quæ eſt, an illa proxima ſit. cui reſpondet Phormio, ſcire ipſum qui interrogat: Proinde expiscare qvasi non noscas. Ita à me inquiris quaſi neſcias.

Si meministi qvod olim. Excidit enim nomen quod ſupra poſuerat. *Nec Stilphonem ipſum qui fuerat.*

Talentvm rem reliqvisset. Hoc eſt, tale patrimonium quod in decem talentis eſt, Memoriter progeniem. Memoriter totam progeniem parentum à ſumma origine contineres.

Ita vt dicis. ego tvm. Si hereditatem peterem, neceſſitas mihi imponeretur, vt vnde mihi eſſet cognata dicerem: nunc cùm tu intendas, debes dicere vnde ſit iſta cognata.

Dilvcide expedivi. Continuo ſumit argumentum præſcriptionis, eum conturbatus eſſet Phormio. denique concluditur. *At tu qui ſapiens es, magiſtratus adi, iudicium de eadem cauſa iterum vt reddant tibi.* Vt ſcilicet hic iudicium bis de eadem cauſa adipiſcatur.

Qvod lex ivbet dare dotem. Victus præſcriptione ſenex, ad illam legem deſcendit, vt dotem det, etiam ſi ſit cognata. Cui vt ſuprà dixi reſpondetur: *Itane tandem quæſo vt meretricem* &c. quod vtique iniquum eſt, ex eo quod iam vna pars videtur impleta. Aliter ergo iam non poteſt rurſus quemcunque diceret ſenex Proximo ad hos vnde aut quamobrem. * Redit etiam paraſitus ad præſcriptionem: *Actum aiunt ne agas.*

Postremo tecvm nihil rei. Iam ludit paraſitus: tu, inquit, ſenex iam alterius ætatis es, addictus filius tuus eſt.

Tvte idem feceris. Hoc ipſum tu rectè feceris. Metvit hic nos. Quoniam dixerat ſubmiſſiore dictione, *Itane es paratus facere me aduerſum omnia.* Quæ res oſtendit iracundiam eſſe limitam.

Qvod est ferendvm. Quia res tolerandas ſuſtinere * & dignum tuis factis feceris.

Si tv illam adtigeris. Reuocat iracundiam, quia ille dixerat: *Niſi properas mulierem abducere, ego illam eiciam.* & hic contra. *Si tu illam adtigeris aliter quam dignum eſt liberam, dicam tibi impingam grandem.*

ACT. II. SCEN. IIII.

Qvanta me cvra. Hæc ſcena deliberatiua tenet. Delibérat enim ſenex, an iudicium, quod ſe abſente filius egit, reſcindat denuo. Igitur ſententiæ ab aduocatis .... vna diſſuadentis, perſuadentis altera. tertia quæ accedere ad ſententiam poſſit talis eſt, vt rurſus deliberatione opus eſſe videatur. Eſt igitur prima pars, cuius principium tale eſt: *quod quæ in rem tuam ſint ea velim facias.* Ego quæ tibi proſint facere te volo. Deinde ipſa ſententia: *Mihi ſic hoc videtur, quod te abſente hic filius egit, reſtitui in integrum.* Deinde breuiter à iuſto, *æquum eſt & bonum.* An fieri poſſit *id impetrabis.* Contraria ſententia, cuius hoc principium: *Ego*

ſedulo hunc dixiſſe arbitror, ne contraria dicturus, videatur inimicitias exercere, defendit contrariæ patris patronum, vt dicat illum ſedulo, hoc eſt ſine fraude & dolo dixiſſe, quòd dixerit.

* * *

ACT. IIII. SCEN. I.

* * *

QVID GNATO OBTIGERIT. Quoniam præterito tempore ſenes fecerant pactum, vt filiam Chremetis vxorem duceret filius Demiphonis. aliter enim res celari non poteſt, ñ per huiuſmodi nuptias puella vinceretur, & hunc per .... filium ſuum aliam duxiſſe, idcirco cupit...... duxerit filius. Denique adiungit: *Quod quidem me factum conſilij incertum facis, nam hanc conditionem ſi cui tulero extrario.* Rationem reddit, cur ex eo quod filius eius vxorem duxerit, non eam quam hic voluit, ſibi conſilium vacillet & incertum ſit. Hanc enim conditionem ſi extraneo ante detulero, habeo neceſſitatem expo......

VNDE MIHI SIT. Te autem fidelem eſſe mihi ita, quemadmodum ego mihi ſum cognouero* vt ille...... alienus ad quam conditionem iſtam defero. Siue non erit vt affinitatem tacere poterit, quouſque familiaritas copuletur. ſin autem me contempſerit atque ſpreuerit plus ſciet quam opus eſt, ſi quidem in poteſtate habebit narrare quod cœperit. Quæres mihi magnam ſollicitudinem generat, ne aliquo pacto hanc vxorem meam cognoſcat. Eſt .... mihi leuis metus. Nam hoc ſi cœperit, ſuper eſt vt me excludat, & domo egrediar. Ego enim meorum ſolus meus ſum. Hoc eſt, illa diues eſt, ego pauper.

NEQVE DEFETISCOR. Neque laſſabor.

ADEO EXPERTRIER. Semper tentare.

ACT. IIII. SCEN. II.

EGO HOMINEM. Hæc ſcena expoſitionem tenet, quid cū Phormione actionem ſit. vt argentum quæreret [illegible] d lenoni ferri poſſet pro Phædria. vt Phædriæ ſe oſtendat nihilo minus amicū eſſe, quam Antiphoni. Aiebat dis gratiam, datum ſibi eſſe tempus, in quo oſtendere ſe poſſet ſimili modo ſe amicum Phædriæ eſſe, quemadmodum fuerat Antiphoni. Nam ipſius opera Antipho vxorem duxerat, rurſus ipſius opera Phædria redimeret meretricem, ex eo quam mox recipiat ſeſe Geta. vti error cumulari poſſit. Inter eſſe ...... Antipho. Ita enim ſumptum eſt conſilium. Vti...... Phormio velit illam ducere vxorem quam habet Antipho.

* * *

ACT. IIII. SCEN. III.

* * *

NAM HERCLE EGO. Commendat conſilium ex cura: ſi quidem dicit ſe, vti etiam ipſi domini fecerunt, de hac te plurimum cogitaſſe.

IS QVI ISTAM. Quo facilius cognoſci poſſet, quia Phormio, breuiter conſilium dedit: Is qui iſtam aut defendit, aut cognatam dicit.

CVM BONA VT COMPONANTVR. Vide potius vt hæc cum bona gratia componamus non mala, per iniuriam atque litem.

ERVS LIBERALIS EST. Perſuaſurus Phormio mal: quid eſt, primo terrorem ...... atque inicit. Deinde blanditur ab vtili, & dicit, dominus liberalis eſt, qui facile donare poteſt, & lites fugere ſei ñx, &c. an fieri poſſit ex auctoritate multorum, quod expelli puella poteſt.

QVID HIC COEPTAT. Nunc accipiens ſerui conſilium Antipho iraſcitur.

AN LEGIBVS DATVRVM POENAS. Reſponſio ex ſola permiſſione eſt. Hoc eſt, non id metuimus, habemus enim certum conſilium. Poſt quæſtionem ſola promiſſione diſſolutam terret, quo facilius perſuadeat Phormioni.

VERVM PONE ESSE VICTVM. Etiamſi contraria euentu efficiatur tota perſuaſio facile, & vincatur Demipho, pœnam pecuniæ eſſe, non capitis. Hoc eſt, condemnari poterit quod effecerit, & liberatus* pecuniaria iſta multa futura eſt. non metuit eiectionem.

QVID VIS DARI TIBI IN MANVM. Hoc eſt, quantam pecuniam in præſenti accipere vis, vt dominus ab hac lite diſcedat.

IMMO NON POTVIT MELIVS. Chremes

arripit conſilium quod fuit commodi . . . . excluſa iſta poſſit filiam ſuam Demiphonis filio collocare.

* * *

ACT. V. SCEN. I.

* * *

NAM VEREOR ERA NE. Vehementer pertimeſco ne Philumena propter meum conſilium graui afficiatur iniuria.

NAM QVAE HAEC ANVS. Ordo: quæ nam hæc anus eſt. Virgilius. *Nam quis te iuuenum confidentiſſime*: pro, quis nam.

QVOD VT FACEREM. Hic eſt illa tota prærogatio, quod inopia fecit, vt puellam illam matrimonio collocaret: cum firmas nuptias eſſe crederet, quod abſente patre filius duxiſſet vxorem. Quamquam tentat etiam quandam compenſationem cum dicit: *vt id conſulerem, vita vt in tuto foret* . . . . eſt profui.

NISI ME ANIMVS FALLIT, AVT PARVM. Duobus modis conceptam veritatem tenemus, dum & oculi proſpiciunt, cum animus populos integeteras * mittitur, ne viſus aliquo errore fallatur.

EST NE HIC STILPHO. Cognitum dominum eo nomine appellauit, quod apud villam, & quoniam in ciuitatem ſic eſt ibi hoc nomine dicebatur Chremis. Sed idcirco nomen negauit, metuens ne vxor ſua hoc poſſit agnoſcere. Denique admonet vt à foribus paululum concedat, & non iam ſe hoc nomine appellet.

FORIS EFFVTIRETIS. Sub oſtium aliquid diceretis.

ISTHOC POL NOS TE. Hæc cauſa eſt, cur te non potuimus reperire, quod hoc nomine nuncuparis.

MISERAM ME. Interrogata Sophrona anus vbi illa eſt, quaſi dolens cùm audiſſet vxorem mortuam, prius gemitum commodauit, cùm ille acceptutus aliter ſit, quippe leuabitur . . . . an duæ vxores in vna ciuitate ſint.

EX AEGRITVDINE MISERAM. Breuiter & caſus & cauſa modo oſtenditur. EGO AVTEM CVM ESSEM. Hic iam purgatio eſt illa, veniali ſtatu poſita, cum dicit neceſſitate factum quod anus fuerit quod egens, quod ignota: & tamen non malè conſuluerit cum adoleſcenti, & diuiti dederit, de quo dixit, *Heru qui eſt dominus aedium*.

QVIN? NVPSIT. Miratur potius, quam interrogat: id enim audiuit quod fieri per vota cupiebat.

SAEPE FORTE TEMERE EVENIVNT. Frequenter obtinentur per caſum atque fortunam, quæ vix exoptare quis audeat. Nam cum modo inueni filiam cum eo nuptam, cum quo eſſe cupiebã, & eã diligi.* Quod quidem magna nos cura & opere vt fieret laborabamus: at nunc ſola hæc anus cuncta compleuit.

NVNC QVID OPVS FACTO. Neſcies quid votis maximè petamus. Quaſi admonet ſenem vti proſpiciat filiæ, quod adoleſcentuli pater iracunde ferat, filium ſuum duxiſſe vxorem ſe abſente.

SET PER DEOS ATQVE HOMINES . . . . . . poſſet ſilentium, ne aliquis eius eſſe filiam recognoſceret, per deos atque homines rogat potius, quam terret.

NEMO EX ME SCIBIT. Docta reſponſio: noſtri etenim ſilentij promiſſio eſſe debet. res enim alio pacto fortaſſe poſſit agnoſci, quid id nobis? noſtram taciturnitatem debemus polliceri.

ACT. V. SCEN. II.

NOSTRAPTE CVLPA. Hæc ſcena verba tenet Demiphonis tenerten . . . . . . tea mandatum eſt argentum.*

ITA FVGIAS NE PRAETER CAVSAM. In prouerbio hoc eſt, fugias non ante caſam, ſed in caſam. Enim ſtultum eſt, cum auxilium habere poſſis, ante illam fugere, non in illam. vtique enim auxilium tuæ domus debes petere, non alienum.

HIS NVNC PRAEMIVM EST. Sine dubio munus ac premium his datur, qui mali ſunt, & directa pra . . facinore . . . . . ſi nos benigni volumus eſſe, poſtulata concedamus.

MODO VT HOC CONSILIO. Ne pœniteret dominum amplius pecuniæ datæ, & erroris aliquid ſeruus adiecit, videri . . . geſtum ſi modo perſeueret vt ille eandem quam promiſit ducat vxorem.

ITA FACIAM VT FRATER. Mandatorum memor pergere ad vxorem volt, vt eam ducat ad puellam, ac perſuadeat puellæ, vti cum voluntate diſcedat à viro.

ARGENTVM INVENTVMST. Secum loquitur ſeruus acta enumerans, & quid argentum ſit conſtitnens. Inuentum eſt Phędriæ argentum, quod lenoui det, lis nulla proferatur Phormioni *

IN EODEM LVTO HABISTAS. Hac in re verſaris. vorſutam ſoluens, creditorem mutans. Cui reſpondetur, ſcilicet, Præſens malum in fututum abijt, ſed plagæ creſcunt. Ergo inſpice: hic conſilium confirmauit, quid facere debeat.

ACT. V. SCEN. III.

AGEDVM VT SOLES. Sicut adſoles benignitatem tuam præſta, effice vt placata nobis ſit, ne ſe dicat eiectam, ſed credatur propria voluntate * * *

ACT. V. SCEN. VI.

* * *

SVMMA ELVDENDI OCCASIO. Poſteaquam puellæ cogniti ſunt parentes, Phormio consilium repetit, quemadmodum propter argentum, quod Phędriæ datum eſt, ſenes ludat, vti non reddatur. Fingit quippe ſe .... vxorem eam vello ducere quæ iam ſeparari non poteſt, vt cùm illi non dederint vxorem, neceſſario dotem perdant. * *

ACT. V. SCEN. VII.

DIS MAGNAS MERITO. Hæc ſcena concertationem habet atque tenet Phormionis, paraſiti & ſenum. illi argentum repetunt: hic pugnat ex pacto, vti aut argentum perdant, aut vxorem dent. Quæ res ſtatum continet qualitatis negotialis, qui quidem ita proponitur. nam non æquum eſt, me propter vos decipi.

PRIVSQVAM DILAPIDET. Perdat, conſumat.

QVANTA HAEC MEA PAVPERTAS. Fingit ſe fidelem: licet inquit paupertas in me ſit, tamen curati ſemper fides ſit.

QVI ERIT RVMOR. Cauſam reddit ſenex cur non pacta ſeruet, quod rumoris infamiam metuens, puellam de domo noluit eicere.

IVBE RESCRIBI. Quoniam argenti accepti * per ſcripturam fiebat, ideo *reſcribi*, quod eſt renumerari.

ENIM VERO SI ODIO. Turbatus ſenum iracundia & violentia Phormio, iam vult procedere, quod aliam Chremes habuit .... vxorem.

* * *

Hactenus membranæ veteres.

GLOSS.

GLOSSARIVM

VOCVM QVARVNDAM

Apud Pub. Terentium.

Ex veteri codice.

HEus, Ohe, Eho, Ehodum, *vocandi.*
Antehac, Quoad, Poſthac, *temporis.*
Vſquam, Vſpiam, Nuſquam, Quopiam, *loci.*
Amâbo, Sodes, Hem, Mea tu, *blandientis.*
Pol. Edepol, Caſtor, Hercle, *iurandi.*
Eu, Euge, Eia, Age, Agedum, *hortandi.*
Nullus, *pro non.*
Vtut, *qualitercunque.* Vbiubi, *vbicunque.* Cuicui, *cuicunque.*
Heu, Heu, *dolentis.*
Hui, Phy, Papæ, *admirantis.*
Vaha, *deridentis vel indignantis.*
Atat, *expauescentis.*
Ha ha hæ, *deridentis.*
Heu heu, au au *flentis.*
Nequidquam, *fruſtra.* Neutiquam, *nullo modo.*
Itidem, *ſimiliter.*
Apprimè, *Valde.*
Atqui, *Certè.*
Potis eſt, *poteſt*: Pote, *potes.*
Etſi, tam etſi, *pro, quamuis.*
Quî, *quare vel quomodo.*
Quàm, *quantùm.*
Maximè, *ſæpe pro libenter.*
Eccum, *ecce eum vel ipſum.*
Ecca ipſa, *ecce ea ipſa.*
Hicce, *pro hic.* hiccine, *pro hicne*: hiice, *pro hij*: iſtoccine, *pro iſtône.* huiuſce, *pro huius*: hiiſcine, *pro hiiſne.*

Illaclon', *pro illaclóne.*
Malùm, *interiectio.*
Tute, *tuipſe.*
Scelus, *quandóque pro ſceleſto.*
Periculum, *pro experientia.*
Res, *pro prædiis vel vtilitate.*
Facinus, *quandóque factum.*
Mala, *maxilla.*
Dica, *ſcedula.*
Angiportum, *via arcta.*
Occipio, *incipio.*
Ceſſo, *tardo.*
Faxo, faxim, *pro faciam vel fecerim.* Faxint, *facient, fecerint.*
Dedo, *do*: dedim, *dabo*: duint, *dent.*
Sies, *pro ſis*: Sient, *pro ſint.*
Face, *pro fac.* Adduce, *pro adduc.*
Mitte, *pro dimitte.* Rogo, *pro interrogo.*
Offendi, *pro inueni.*
Mane *pro auſculta.*
Opperior, *expecto.*
Percontor, *inquiro.*
Maturo, *accelero.*
Obtundo, *eneco, de magna moleſtia.*
Concedo, *obedio.*
Exigo, *expello & ſperno.*
Arceſſor, *vocor.*
Vereor, *timeo*: Reuereor, *obſeruo.*
Calleo, *callidè ſcio.*
Abnuo, *nego & ſubtraho.*
Refello, *contradico.*
Gannit, *latrat, inaniter loquitur.*
Diſperij, *per deos perij*

Poſterdie, *pro poſtridie, hoc eſt, poſtero die.*
Aſtu, *aſtutia vel prouidentia.*
Aſtu *pro ciuitate.*
Miſerè, *interdum pro immoderatè.*
Præuiſo, *videre deſidero.*
Sedulò, *intentò.* Vtiliter, *ſtudioſè.*
Ex animo *ſine dolo.*
Ambages, *verba fruſtratoria.*
Phaleræ, *inſidioſa.*
Clientela *ſeruitium, vel multitudo clientum.*
Conclamatum, *ſatis dictum.*
Faceſſere, *libenter & cum deſiderio facere.*
Id propterea, *propter id.*
Oſtentare, *vanè ſe iactare vel oſtendere.*
Propediem, *breui vel cito.*
Diem, *breue tempus:* Aetatem, *tempus longum ſignificat, aduerbialiter.*
Debacchari, *furere, à furore non ceſſare.*
Deſpicatus, *deſpectus.*
AErumna. *moleſtia vel miſeria.*
Flocci facere, *contemnere, deſpicere.*
Laceſſere, *prouocare.*
Suffarcinatus, *ſuccinctus.*
Iurandum, *pro iusiurandum.*
Exemplum facere, *id eſt, pœnam conſtituere.*
Poteſſe, potis eſſe, *poſſe.*
Quis, *pro qui.* Quiuis, *pro quæuis.*
Quiſnam, *pro quænam.*
Sycophanta, *pro comedone.*
Succenturiatus, *ſub centuria poſitus.*

EXPLICIT.

INCIPIVNT

OBSERVATIONES IN PVBLII TERENTII FABVLAS.

IN ANDRIAM.

PVB. TERENTI, CARTHAGINIENSIS] Aſſerere hunc titulum Comico noſtro volui, quẽ in quibuſdam exemplaribus ita conceptum repperi. Itaque ſic vocatur à Donato, & à quibuſcunque alijs vitam illius deſcriptam habemus. Fuit alius quidam Terentius Libo, de quo in Prolegomenis. cuius fortean fragmenta ſunt, quæ laudant Varro lib. v. de L L. *Gaudia ſua ſi omnes homines conferent vnum in locum, tamen mea exſuperet letitia*: Et Feſtus in Anagnorizomene. *Quod potes, ſile, cala, occulta, tege, tace, muſſa, mane.*

Ex Carthaginienſis verò huius ſex quæ reliquæ ſunt, quum primum in ſcenam producta Andria, pronunciata fuit ANDRIA TERENTI. vt & ADELPHOE. quemadmodum docet Donatus. At in reliquis omnibus nomẽ autoris præpoſitum. quod ſcire nos ſuffecerit. Nam ita quoque nunc edi debere, futilis ratio eſt. nec puto quemquam adeo inepte religioſum, vt in hoc me erraſſe dicat.

TIBIIS PARIBVS DEXTRIS &c.] In quibuſdam vett. *Tibiis parilibus.* vt Mar. Victor in Geneſi, capit. 1. *Noctem interciſa parilem fecere tenebræ.* Quæ vero tibiis paribus vel imparibus acta dicatur, explicat Diomed. lib. III. *Cuius rei indicia produnt nobis antiqua comœdiæ, in quibus inuenimus, acta tibijs parib' aut imparib', aut ſerranis. Quando enim chorus canebat choricis tibijs, id eſt choraulicus artifex concinebat, in canticis autem pithaulicis reſponſabat. Sed quod paribus tibijs aut imparibus inuenimus ſcriptum, hoc ſignificat quod ſi quando monodio agebat, vnam tibiam inflabat, ſi quando ſynodio, vtramque.*

Ex Donati ſententia Comœdiæ agebantur, tibiis aut parib' dextris & ſiniſtris: aut imparibus: videlicet dexteris Lydiis, ſiniſtris ſerranis. *Tibiæ pares* erant qui vno ſpiratu ſimul animabantur, vt clarè nos docet Apuleius Floridor. 1. *Primus Hyagnis in canendo manus diſcapedinauit, primus duas tibias vno ſpiritu animauit, primus leuis & dextris foraminibus acuto finitu, graui bombo concentum muſicum miſcuit. Impares* Feſtus dicit, numero foraminum diſcretas. De dexteris & ſiniſtris Varro lib. 1. c. 2. de Re Ruſtic. *Dextera tibia alia quam ſiniſtra, ita vt tamen ſit quodammodo coniuncta, quòd eſt altera euſdem carminis modorum incentiua, altera ſuccentiua.* Et paulo poſt. ---- *eſt inferior, vt tibia ſiniſtra à dextra foraminibus.* At de Lydiis & Serranis variat Seruius à Donato. Eius hæc verba lib. 9. Aeneid. *Biforem dat tibia cantum*] *Tibiæ aut ſerranæ dicuntur quæ ſunt pares & æquales habent cauernas: aut Phrygiæ quæ & impa-*

res ſunt, & inæquales habent cauernas. Ergo biforem diſſonum diſsimilémque. Non ſunt pari modulatione compoſita. vt cum ait Varro: Tibia Phrygis dextra vnum foramen habet, ſiniſtra duo: quorum vnum acutum ſonũ habet, alterum grauem. Quod ſi Seruij ſententia vera eſt, corrigenda quæ ſcribit Donatus in prologomenis & argumentis, ad Adelphos & Phormionem. at ſi huius præpondetat, illius verò inclinat, tum emendanda inſcriptio Adelph. & pro Serranis legend. Imparibvs lydiis. quamuis exemplaria omnia Terentij repugnẽt. *Lydiarum tibiarũ* plurimi veterum meminere: etiam Solinus. qui eaſdem *Tutorias* vocat, cap. 5. Atque vt hæ comœdiis adhibitæ, ſic Ioniæ tragœdiis. Athenæus lib. xiiii. διόπερ οὐδὲ τὸ τῆς ἰαστὶ γένος ἁρμονίας, οὔτε ἀνθηρὸν, οὔτε ἱλαρόν ἐστι, ἀλλὰ αὐϛηρὸν, καὶ σκληρόν. ὄγκον δὲ ἔχει οὐκ ἀγεννῆ, διόπερ καὶ τῇ τραγῳδίᾳ προσφιλὴς ἡ ἁρμονία.

Tota graeca. Palliata ſcilicet. In his enim, etiamſi Latinæ ſunt, Græca omnia ſeruantur. Aſconius Pædian. in Diuinat.

PROLOGVS.

Contaminari non decere] Exempl. Regiæ biblioth. *debere.*

Facivnt ne intelligendo. Hieronym. de optim. gener. interpt. *Faciunt ne intelligendo, vt nihil intelligant: & dum alienam imperitiam volunt arguere, ſuam produnt.* Vid. Chariſ. lib. 2 Diomed. lib. 1. cap. 4.

Vt qviescant porro. Hierony. de vita clerie. *Obſecro vt quieſcant & deſinant maledicere: non enim vt aduerſarijs, ſed vt amicis ſcripſimus.* Vid. Non. Marcell.

Vt pernoſcatis] ms. r. *Vt pernoſcatis, quid ſp. V. C. Vt ſi is pernoſcat quid,* &c.

Spectandae an exigendae. Græco more hoc dictum potuit: quippe Athenis certi cenſores fuere, qui de Comicis ac comœdiis iudicare ſoliti. Notat hoc Zenobius ex Epicharmo, in prouerb. Ἐν πέντε κριτῶν γούνασι κεῖται. vbi ſic ſcribit. εἴρηται δὲ ἡ παροιμία, παρόσον πέντε κριταὶ τοὺς κωμικοὺς ἔκρινον. &c. Idem Suidas. Vid. Scholiaſt. Ariſtoph. in Aues.

ACT. I. SCEN. I.

Seruiebas liberaliter] ve *ſeruibas.*

Svmmvm pretivm. Dio Pruſæus περὶ δουλείας. φασὶ τὴν ἐλευθερίαν μέγιστον τῶν ἀγαθῶν. Vlpian. l. 1. ff. de bon. libert. *Grande beneficium, quod in libertos confertur, cum ex ſeruitute ad ciuitatem Romanam perducuntur.* Iuſtinian. Inſtit. Qui & quib. ex cauſ. *Ineſtimabilis libertas.*

Adversvm te. Priſcian. lib. 14. pag. 157. Non. Marcell.

Istaec commemoratio. Auſonius Symmacho, Epiſt. xvii. *Sed abeamus ab his, ne iſthæc commemoratio ad illam Soſiæ formidinem videatur accedere.* Et quoniam inibi ſum, non pigebit ex eadem elegantiſſima epiſtola inſignẽ maculam eluere, ope *MS.* codicis, in quo ſic recte legitur. *In comitatu tui itineris fui, nedum me peregrinũ exiſtimes compoſita fabulari.* Hactenus fuit, *in comitatu tibi verus fui.* ſenſu, inſulſo imo nullo: quod miror à viris doctiſſ. non obſeruatum. Conferendus verò cum hoc loco Terentij, non abſimilis alius apud Salluſt. in oratione Micipſæ, & Cornel. Tacit. lib. iiii.

Excessit ex ephebis. Xenoph. lib. α. ἐξελθεῖν ἐκ ἐφήβων. Plaut. Mercator. Prolog. *Extemplo ex ephebis poſtquam exceſſerit.* Gloſſ. ἔφηβος, *pubis.* Prudent. in Caſſian.

——— *diſcenti ſemper ephebo.*

Plaut. Pſeudol. *Edico omnibus, pubi præſenti, in concione, omni populo.*

Plerique omnes. Vid. Seru. Æneid. 1. p. 181. A Gell. lib. 8. cap. 12.

Canes ad venandvm. Horat. de arte.

Imberbis iuuenis tandem cuſtode remoto

Gaudet equis, canibúſque ——— : ibi hunc Terentij locum laudat Acro. Et quidem inſtituto Græcorum iuuenes ad venaturam ſeſe exercebant, qui ad bellum redderentur aptiores. Athenæus lib. 1. pag. 24. καὶ ἐπὶ κυνηγεσίᾳ δὲ ἐξίασιν οἱ νέοι, πρὸς μελέτην τῶν πολεμικῶν κινδύνων. &c. Nam & venationem Martis quoddam ſimulachrum vocarunt veteres: Ariſtides oratione in Mineruam pagin. 69. θῆραι τοίνυν καὶ κυνηγέσια ἐστι μὲν ἀπόλλωνος καὶ ἀρτέμιδος παιδιά, καθίσταται

δ' εἰς τὸ προσήκειν τῷ Θεῷ, δι' ἓν μὲν, ὅτι τῆς πολεμικῆς μέρος τέχνης ἐσὶ μᾶλλον ἢ εἰκὼν, &c.

Nihil egregie. Priſcian. lib. vi.

Apprime in vita. Priſcian. lib. 3. p. 26. lib. 15. p. 169.

Ne quid nimis. Menander,
ἡ δ' μεσότης ἐν πᾶσιν ἀσφαλέστερα.

Idē. τὸ μηδὲν εἰκῆ πανταχοῦ ἐσὶ χρήσιμον.

Auſonius in vii. Sapientum ludo:

Α̉ριςον μέτρον, an ſit optimus modus,
Dic, annuiſti? gratiam habeo. perſequar
Per ordinem. poëta dixe iſthoc loco
Afer videtur veſter, vt ne quid nimis.
Et noſter quidam, μηδὲν ἄγαν.

Hieronym. Epiſtol. ad Demetriad. *Philoſophorum quoque ſententia eſt, μεσότητας, ἀρετὰς, ὑπερβολὰς κακίας εἶναι: quod Latinus ita poteſt ſermo reſonare. moderatas eſſe virtutes, excedentes modum atque menſuram, inter vitia deputari. Vnde & vnus de ſeptem ſapientibus, μηδὲν ἄγαν, id eſt, ne quid nimis. Quod tam celebre factum eſt, vt comico quoque verſu expreſſum ſit.* Idem Epitaph. ad Nepotianum.

Sine invidia. Priſcian. lib. 1. p 6.

Obseqvium amicos. Cicero in Lælio. *Sed neſcio quomodo verum eſt, quod in Andria familiaris meus Terentius dixit, Obſequium* &c. Quinctil. lib. viii. c. v. Hieronym. lib. 1. aduerſ. Pelagian. Lib. 2. cap. 4. in Epiſtol. ad Galat. D. Auguſtin. Epiſt. 18. Sulp. Seuer. Dial. 1. p. 251. *Nam quia ſcholaſticus es, non immeritò te verſu Comici illius admonebo, Obſequium amicos, veritas odium parit.*

Hvc viciniae. In regio exemplari, *Huic vicinia.* quam lectionem omnes veteres agnoſcunt, Chariſius, Priſcianus, alij. Deſumptus autem hic locus ex Antiphane videtur.

Ἐκ γειτόνων αὐτῷ κατοικούσης τινὸς
Ἰδὼν ἑταίρας εἰς ἔρωτ' ἀφίκετο
Ἀστῆς, ἐρήμου δ' ἐπιτρόπου καὶ συγγενῶν.
ἦθος τι χρυσοῦν πρὸς ἀρετὴν κεκτημένης, &c.

Ingenivm est omnivm. Seneca in Epiſt. Iuuenal. Satyr. xiiii.

——— *dociles imitandis*
Turpibus & prauis omnes ſumus.

Notatur ibi à ſcholiaſte locus Terentij.

Qvaestvm occipit. *Quæſtus* πόρος, πρόσοδος. vnde *quæſtuaria*, quæ rem corpore facit. Gloſſar. *Quæſtuaria*, πορνικὴ γυνή. ſic enim locus ille legendus, qui ab alijs neglectus. Vlpian. l. 43. §. 7. ff. de rit. nupt. *Lenas eas dicimus, quæ mulieres quæſtuarias proſtituunt.* & §. 9. *corpora quæſtuaria.* vt. l. 4. §. 2. ff. de his qui not. infam. *quæſtuaria mancipia* D. Irenæus p. 31. b. *Hic Selenem quandam, quam ipſe à Tyro ciuitate Phœnices quæſtuariam cum redemiſſet, ſecum circumducebat.* Tertull. de Spectacul. *Fabri aut quæſtuariæ filios.* Plautus etiam *quæſtuoſam* dixit, in Milit. *Sit quæſtuoſa, quæ alat corpus corpore.*

Qvid symbolam. Ita *MS.* quomodo & Plaut. in Curcul. *Symbolarum collatores apud forum piſcarium.* Eubulus.

ὅστις δ' ἐπὶ δεῖπνον ἢ φίλον τιν' ἢ ξένον
Καλίσας, ἔπειτα συμβολὰς ἐπράξατο, &c.

Attinere] v. c. *Attingere.*

Cremes vetro ad me. Hunc locum Seruius explicat Aeneid. 7. verſ. 32.

Fere in diebvs pavcis. Ita omnes libb. tamen Chariſius diuerſam lectionem adfert, lib. 2. in voce *Ferme.*

Qvid hic mihi faciet patri. Cicero lib. 9. Epiſt. 7. ad Familiar.

Adeo modesto. Diſcrepant exemplaria Priſciani lib. 14. p. 159. *Adeo modeſta, adeo venuſta,*

Quia tum] v. c. *Qua.*

Percuſſit illico] Ita Donatus, & vett. omnes. vulg. *perculſit.*

Qvid facias illi. Τί ἂν ποιήσαις ἐκείνῳ, ὃς ἄρα ἀδικεῖς ἢ ζημίαν, ἢ κακόν. Priſcian. lib. 18.

In ignem poſita. Reg. exempl. *impoſita.*

Instat factvm. Gloſſar. *Inſtat*, ὀχλεῖ. & *Inſtantia*, ἔνστασις. Scæuola, l. 43. ff. de pignor. action. *Inſtantia Gaij Seij creditoris.*

Prope adest. Priſcian. lib. 14.

Mihi vt incommodet. Nempe ſeruis naturale hoc, odiſſe dominos, vt eſt apud Querol. ac damno mactare: adeo vt dictum ſit, *Quot ſerui, tot hoſtes.* Feſtus, Seneca, & ex eo Macrob. Simplicius, Theophilus. Marcellinus in Hermogenem, pag. 135. Πονηροὶ τὸν τρόπον de ſeruis loquitur)

ὡς ἐπὶ τὸ πλεῖστον, καὶ ἀκόλαστοι. οὐχ ἥκιστα, ὅτι τοῖς δεσπόταις ἀεὶ ἐχθρὸν καὶ πολέμιον, κἂν χρηστοῖς δεσπόταις δουλεύωσιν. Hinc eſt quod ſcribit Vegetius Mulomedicinæ lib. I. *Neque enim de damno domini cogitant, quod eidem contingere gratulantur.* Et eleganter Ariſtides Sicula I. pag. 37. ὅλως δὲ τῇ δούλων φύσει χρωμένους. ἡ καθάπερ τῷ προσρήματι τοῖς δεσπόταις ἐναντία, οὕτω κἂν τοῖς βουλήμασιν. ἀντὶ γὰρ ὧν εὖ πάσχουσι, μισοῦσι, καὶ δίκην ἐθέλουσι λαμβάνειν, ὡς χάριν ἐκτίνειν εἰκὸς ἦν. αὕτη δὲ οὐκ ἐᾷ μὴ παντάπασιν ἔχειν ἀδεῶς τοῖς δεσπόταις.

SPERO CONFORE. Apud Priſcian. lib. VIII. *Et id ſpero confore.*

OBSERVES FILIVM. Seruius Georgicor. IIII. ad illa verba ——— *Medus Hydaſpes obſeruant.*

ACT. I. SCEN. II.

NON DVBIVM. Priſcian. lib. VIII.

SI SIC ABIRET. Vt Seneca Epiſt. 3. *Hoc abiret.*

HERI SEMPER LENITAS. Diomedes lib. I. cap. 4. τὸ *ſemper* non habet.

SINE ANIMVM. Ita *MSS.* quæ lectio ex Diomede probari poteſt. lib. I. *Sino, ſini.* vt Publius de vita ſua. *Quod ſi me inuitum abire ſiniſſet.* Item Scaurus: *Prædium non ſini fieri. Melius tamen dicitur ſini. ſicut Varro complexionum VI. Ad mortem non ſini me producens.* & quæ ſequuntur.

NVNC HIC DIES. Vtitur hoc verſu Cicero. lib. XII. Epiſt. XXV. ad famil. Non abſimile prouerbium apud Zenob. ἄλλος βίος, ἄλλη δίαιτα.

Non hem] In *MSR.* τὸ *hem* deſideratur.

Circuitione vſus eſt] *MS. circumitione.*

Tu haut dicas] *MSR.* & *VC. hoc ſic dices.*

ACT. I. SCEN. III.

FACIAM NVPTIIS. Ita liber Regius. al. *in nuptijs.*

DECREVERVNT TOLLERE. Hoc ex ritu antiquo intelligendum, quo infans ſtatim atque in lucem editus, humi deponebatur. Idque voluit Soranus Epheſius, cap. XVII. Quare infans dum tangit terram, vocem dat? eò quòd inſuetam tangit terram, & tenuis ſpiritus à luce concutitur. eo pertinet Statij illud Syluar. 5.

——— *tellure cadentem Excepi gremióque foui.*

in quam rem multa ab aliis notata.

Atque ipſis commentum] Quidam libri ſcripti: *atqui ipſis.* ſed editam lectionem retinet Donatus.

*

ACT. I. SCEN. V.

PRAETERIENS MODO. Priſcian. lib. XV. p. 172.

Quia me immutatum] al. *quoniam.*

Obſtipui] al. *obſtupui.*

Leni paſſus eſt] *VC. liberali.*

Dum in dubio eſt] *VC. Cum in dub.*

Ego propter me] *MS. Egone propter.*

Haud vereor] *MSR. verear.*

Hanc meritam] In regio exempl. τὸ *hanc* deſideratur.

ILLI NVNC VTRAEQVE INVTILES. Sic ex *MS, R.* editum. quod Priſcianus in parte agnoſcit: apud quem legimus lib. XIIII. p. 165. *Quam illi nunc vtraque res inutiles.*

Et ingenium tuum] al. *& genium tuum.*

Tibi permitto] al. *committo.*

ACT. II. SCEN. I.

HODIE NVPTVM. τὸ *hodie* in *MSR.* deeſt. SPE ATQVE IN TIMORE. Seneca Epiſt V. *Spem metus ſequitur: nec miror iſta ſic ire. Vtrumque pendentis animi eſt, vtrumque futuri exſpectatione ſolliciti.*

NISI PHILVMENAM. &c. D. Auguſt. de Ciuitat. Dei lib. XIX. cap. VIII.

FACILE OMNES CVM VALEMVS. Menander.

ῥᾷον παραινεῖν, ἢ παθόντα καρτερεῖν.

Philemo apud Stobæum Serm. 244.

Τοὺς ἰατροὺς οἶδ' ἐγὼ
ὑπ' ἐγκρατείας τοῖς νοσοῦσι σφόδρα
Πάντας λαλοῦντας.

CONSILII LOCVM NEQVE AVXILII. Plautus in Trucul.

Magíſque adeo ei conſiliarius hic amicus
eſt, quam auxiliarius.

Quam vellem] *V.C. quantum vellem.*

Liberi eſſe hominis.] Ita vc. alij τὸ *hominis* non habent.

ACT. II. SCEN. II.

VT METVM IN QVO NVNC] Seruius Aeneid.1. ad illum verſ. *abolere Sichaeum.*
Aut quo nunc] Regius liber τὸ *aut* non habet.
Id paues] MSR. *pcauet.*
ATQVE ISTVC IPSVM] Priſcian. lib. 2. *Atque hoc ipſum.*
EGO ME CONTINVO] Sic vett. omnes. tamen Priſcian. l. 6. p. 62. *egomet continuo ad Chremem.*
NIHIL ORNATI. Chariſius lib. 1. p. 15.
Magnum ſignum] vc. *Magnum ſignum eſt hoc.*
CONVENS CHREMIS. Probus in Catholicis, Priſcian. lib. 6. p. 62.
FERRE OBOLO IN CARNAM] Sic hoc dictum, vt à Scæuola, *nummo transigere* : cuius locum ſic reſtituo ex ſcriptis membranis, l. 3. §. 2. ff de transactionib. *Debitor, cuius pignus creditor diſtraxit, cum Meuio, qui ſe legitimum creditoris heredem eſſe iactabat, nummo transegit.* Vtrobique enim, & obolo & nũmo, eſt exiguo pretio. Hanc emendationem confirmat Ecloga Baſilicor. lib. 11. p. 543. Ἐὰν ὁ λέγων ἑαυτὸν κληρόνομον, διαλυσάμενος λάβῃ χρήματα.
AC NVLLVS QVIDEM. Priſcian. lib.

ACT. II. SCEN. III.

QVID IGITVR] In vett. codd. nulla hoc loco diſtinctio eſt à priori ſcena, vt neque in Reg. exemplari.
IPSVS SIBI INIVRIVS. Gloſſ. *Iniurius* ἄδικος. Priſcian. lib. 13 p 154.
Ibi culpam in te] V. Cod. *culpam omnem in te.*
Patri dic velle] MS. *velle te.*
HANC FIDEM SIBI. Priſcian. lib. 13.
TE ESSE TRISTEM. Seru. Georg. 1. ad illum verſum. --- *alto nequidquam ſpectat Olympo.*

ACT. II. SCEN. IIII.

MEDITATVS [illegible] EX SOLO LOCO] *Medit*[illegible]. & *ſolo loco:* τῆς ψυχῆς γὰρ ἐρημί[illegible]ης ἡ γνώμη πλάζε[illegible]. in quam rem à Donato elegans Menandri verſus laudatur.

Qua differat] MS. *Qui differat.*
Modo vt poſſim] MS *Modo vt poſſim Daue.*

ACT. II. SCEN. V.

OMNES SSES MALLE] Hegias apud Suidam. ἕκαστῳ γὰρ ἐστὶ τῶν ἴφιον τὸ ἀγαθὸν πρὸς ἑαυτὸν μᾶλλον, ἢ πρὸς ἕτερον. Menander.
φιλεῖ ἑαυτοῦ πλεῖον οὐδεὶς οὐδένα.
MEMINI VIDERE] Seru. Georg. 4.

ACT. II. SCEN. VI.

POTIN ES MIHI VERVM DICERE. Menander;
ἀεὶ κράτιστόν ἐστι τ' ἀληθῆ λέγειν.
Eam rem reputauit] vc. *eam ſecum ipſe rem recta reputauit via.*
TV QVOQVE PERPARCE] Priſcian. lib. 15.
VETERATOR] Mancipiorum vſualium duplex genus, nouitiorum & veteranorum. Ac plerumque nouitia mancipia intelliguntur, quæ annum non dum ſeruierunt, & propterea rudia ſunt ac ſimpliciora. Veterana autem quæ anno continuo in vrbe ſeruierunt, & id propter aſtuta & callida. Marcianus leg. 16. § 3. ff de Publicanis. Vlpian. l. 37. ff de ædil. edict. Hinc itaque verſuti, & multa arte exercitati, *Veteratores* dicti ſunt. Gloſſar. *Veterator,* παλαιομάλου, παλί. τρι, τρίβακος, ἀπατεών. Feſtus in Veterator.

ACT. III. SCEN. I.

HANC SIMVLANT PARERE] Priſcian. lib. x. p. 124.
IVNO LVCINA] In Regio exempl. vt & in aliis MSS. ſic erat. *Intus, Iuno Lucina.* Sed τὸ *intus* ideo ab exſcriptore additum eſt, vt intelligamus hæc poſt ſcænam fieri. vt in Adelph. Act 3. Scen. 4 *Miſeram me, differor doloribus.* nam & hic quoque vet. Cod. addit *intus.* Itaque huc pertinet verſus Horatij in arte. ——— *nec tamen intus*
Digna geri, promes in ſcenam.
Quod frequenter in comœdiis. Plautus in Aſinaria. ——— *immo intus potius.* Caſina. *quod futurum eſt intus, hic memorabimus.* Ciſtellar. *intus conficient negotium.* Perſa. *I intro amabo ad cenam.* Terent. *Intus deſpon-*

τὰς ἀνοιγομένας ἔξω, ἐπιπλήσσειν. Nam hic differitatis cauſa, τὰς ἔξω ἀνοιγομένας opponit ταῖς ἔσω. Plutarchus in commune de omnibus id ſcribit: τὰς δ' ἑλληνικὰς πρότερον οὕτως ἀνακόπτειν λέγουσιν &c. ſed comœdijs cùm rem probare vult, comicũ hoc plane teſtimonium: niſi quod lenonium ſiue meretricum ædes hoc modo leguntur apertæ, quia & ipſæ quaſi publicæ. Falluntur vero qui pulſandi fores, & ſtrependi diſcrimen confundunt. quod nobis dilucide explicat Scholiaſt. Ariſtophan. in Nubib. ὄχὶ κόπτω τὴν θύραν.] παρατηρητέον ὅτι τῶν μὲν τῶν ἔξωθεν κρουόντων, κόπτειν λέγουσι. τῶν δὲ τῶν ἔσω, ἐψόφησε τὴν θύραν ἐξιών. Ergo κόπτειν ſiue pulſant ianuam intraturi, ψοφεῖν ſiue ſtrepunt qui exituri. Vid. Scholiaſt. Euripid. in Oreſtem. p. 129 t.

ACT. IIII. SCEN. II.

ORARE TVSSIT. Priſcian libb. 2 & 6.

HOC MALVM INTEGRASCIT. Ariſtophan. in Veſpis, prope finem. τουτί ἦ, δὴ χωρεῖ τὸ κακόν.

VALEANT QVI INTER NOS. Seru. Aeneid. lib. 9.

Atque, atque ego] Poſtremæ duæ voces in *MS.* non erant.

Non tibi habeo, ne erres] in τὸ *habeo* MS. deeſt.

NON SATIS HABES. Priſcian. lib. 5.

Eho impudens, non ſat habes.

DIECVLAM ADDO. Chariſius libro 1. *Quid ſi tibi addo dieculam.*

ACT. IIII. SCEN. III.

QVæ nunc vna eſt ſcena, in vulgatis diuiſa erat: ſed quidquid huius factum, vett. codd. fide factum, quos hic ſequuti ſumus autores: quamuis Donatus priorem editionem agnoſcere videatur.

NIHIL ME ESSE PROPRIVM. Menander. Βίβαιον οὐδὲν ἐν βίῳ δοκεῖ τιλᾶν

Diphilus. Βέβαιον οὐδέν ἐστιν ἐν θνητῷ βίῳ. Quod imitatur Lucilius apud Nonium: *Nihil eſſe in vita proprium mortali datum.*

Virum in quouis loco] τὸ *virum* in MS. deeſt

Exprompta memoria] VC. *malitia.*

Iurandum mihi] MSR. *Iuſiurandum mihi.*

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Tun' ad poſuiſti] MS. *Tun poſuiſti.*

Satinſanus es] In MSR. τὸ *es*, deſideratur.

AV. CONCEDE. Priſcian. lib. 15.

ADFERRE VESPERE. Priſcian. lib. 1[illegible].

CANTHARAM SVFFARCINATAM. More ſiue lege potius Athenis receptum fuit, cum quid natum, quod natum nollent, vt morti id darent, vel alienæ miſericordiæ exponerent. Ariſtotel. lib. 7. Polit. cap. xvi. περὶ δὲ ἀποθέσεως καὶ τροφῆς τῶν γιγνομένων, ἔστω νόμος, μηδὲν πεπηρωμένον τρέφειν Iſtæ expoſitiones ἐν χύτραις fiebãt, vnde χυτρίζειν: & obſtetrices quæ hoc munus obibant, ἐγχυτρίστριαι. Etymolog. magnum. Ariſtophan. ſcholiaſt. in Ranis.

Vel etiam in corbibus vel vannis exponebantur infantes, vt Eugraphius obſeruauit: nam & quos tollere volebant in illis ponebant. Scholiaſt. Callimach. Hymn. in Ioue: ἐν λίκνοις τὸ παλαιὸν κατεκοίμιζον τὰ βρέφη, πλοῦτον καὶ καρποὺς οἰωνιζόμενοι. Hinc ergo interpretatio huius loci petenda eſt. Ceterum vt impium hoc conſilium tanti philoſophi, inhumanáque ſapientis populi lex: ſic meliori iure Thebani vſi, apud quos capitale erat, partum expoſuiſſe. Ælian. Variar. libr. 2. cap. vii. Νόμος Θηβαϊκὸς, ὅτι οὐκ ἔξεστιν ἀνδρὶ Θηβαίῳ ἐκθεῖναι παιδίον, οὐδὲ εἰς ἐρημίαν αὐτὸ ῥίψαι, θάνατον αὐτοῦ καταψηφισάμενος. &c. Vt & apud Romanos l. 4. ff. de agnoſcend. lib. l. 2. & final. C. de infantib. exponend.

SVFFARCINATAM. Plaut. Curcul. *Qui incedunt ſuffarcinati cum libris cum ſportulis.*

ALIQVOT ADFVERVNT LIBERÆ. Vt hic, ſic & in l. 2. §. 10. ff. *de ventr. inſpic.* mulierum teſtimonium ſufficit, quoniam virorum propter pudorem non admittitur. Vid. Synopſ. Attaliat. xv. Harmenopul. lib. 1. Tit. 6. § 14. & 52. 53.

IOCVLARIVM IN MALVM. Vt in Phormion. *Iocularis audacia.* Gloſſar. *Iocularis* γελοιώδης. Cicero de Fato. Amm. Marcel. lib. xx. *Ioculares caſus.* niſi tamen locus mendoſus eſt.

An ne tu omnia] MSR. *an hec tu omnia.*

Ne me attingas. Turpilius apud Nonium, in Attingas.

ACT. IIII. SCEN. V.

Honeste pauper vivers. Ita pleríque *MS.* & Priſcian. lib. v. p. 41. tamen in *MSR. viuere*, erat.

Vt Qvimvs aivnt. Apud Zenobium. ζῶμεν γὰρ, οὐχ ὡς θέλομεν, ἀλλ' ὡς δυνάμεθα.

Tetvlissem pedem. Ita Diomedes lib. 1. ac *MSS.*

Dicta est eivs haec. Variant hic ſcripti codices. *eius dicta eſt eſſe hac.* ſed melius quod in *MSR. Semper enim dicta eius hæc, atque habita eſt ſoror.*

Defenſerem ei] VC. *eius.*

Profectaſt illinc] MSR. *profectaſt illinc clam: clamitent,* &c.

ACT. V. SCEN. I.

Dum ſtudeo] CV. *ſtudui.*

Pre ſtudio] Priſcian. lib. xv. p. 164.

Onerare inivriis. Plaut. Pſeud. Scen. Pſeudole non audis. *Aſſiſte altrinſecus, atque onera hunc maledictis.*

ACT. V. SCEN. II.

Aduentam, tempus] MSR. *aduentum ad tempus.*

Iam ſunt intus] In MSR. τὸ *iam* deeſt..

Id enimuero] MSR. *Is enimu.*

Quam dudum, rogem] VC. *quam dudum id rogem.*

Videtur eſſe] MS. *Videtur quantivis p.* eſt autem Plautina imitatio, in Pſeudol. Scen. Exite.

At faciem cum aſpicias eorum, haud mali videntur, opera fallunt.

Tristis Severitas. Thraſea apud Tacit. Seru Georg. iii. ad illum verſ.

——— *amnemque ſeuerum*

Tametsi hoc verum S. Tamen] In vett. libb. *tametsi hoc verum eſt. S. audin? quadrupedem.*

Ah ne saevi. Priſcian. libr. vii. Plaut. Bacchid. *Leniter qui ſæuiunt, ſapiunt magis.*

ACT. V. SCEN. III.

Color pvdoris signvm. Alexand. Aphrodiſ. problemat. lib. 1. διὰ τί αἰδούμενοι ἐρυθριῶσι. Ariſtophan. in Equitib.

ὡς δ' πρὸς τῶν ἀγκιδίων:

καὶ μεθίσταται τὸ χρώματος τὸ παρεστηκότος.

Cum ſummo probro] In MSR. ſic legitur: *Tamen habere cupiat cum ſummo probro.*

Domvs, vxor, liberi. Hæc ergo cauſarum vna eſt, cur filij familias ſine conſenſu paterno matrimonium contrahere nequeant: ne videlicet inuito patri ſuus heres agnaſcatur. Inſtit. Tit. de nupt. l. 35. ff. de nupt. l. 12. Cod. eod. Quapropter etiam in emancipatis hæc ſollemnitas non obſeruatur. l. 25. ff. eod.

Tamen Simo] MSR. *Tandem Simo.*

ACT. V. SCEN. IIII.

Quid tu Athenas inſolens. CR. *euenit*] Priſcian. lib. xv. p. 168.

Itane adtemperate] MSR. *Ita adtemp.*

Si mihi pergit. Alexis.

Τὸ κακῶς λέγειν γὰρ ἀρχὴ γίγνεται ἂν δ' ἄπας ἅπαξ.

Εὐθὺς ἀντάκουσας ἤδη, λοιδορεῖσθαι λοιπόν.

Ego iſtæc moneo] *MSS. metuo*, al. *moneo.*

Olim naui fracta] Priſcian. lib. 8.

Arrige avris. Plautus Rudent. *Suo mihi hic ſermone arrexit auris.* huius locutionis illud Salluſt. apud Diomed. *arrexit animos militum.*

Ne iſtam multimodis] VC. *Sane iſtam multis modis.*

Qui?] V.C. vt & Regium exemp. *Qui, non poteſt?*

Nos gavdere. Priſcian. lib. 7.

ACT. V. SCEN. V.

Forſan me putet] *MSR.* & VC. *forſitan.*

Nunc ſic eſſe] τὸ *ſic* in *MS.* deeſt.

Deorvm vitam. Apollodorus.

ὃ τοῦτο τὸ ζῆν ἐστὶ τὸ καλούμενον

Θεῶν ἀληθῶς βίον. in Heautont. *Deorum vitam apti.*

Parta eſt] V. C. *Parata eſt.*

ACT. V. SCEN. VI.

Q*Vin eam vxorem*] *MSR. Quin iam.*

Conloquar] *MSR. Adibo & conloquar.*

Abi domum : propera] *MSR. abi domum propere.*

Ω. PLAVOITE. Hæc nota in omnibus VV. codd. & regio exemplari habetur.

CALLIOPIVS] In quibuſdam libb. *Calliopus.* Quiſquis ſit, ne amplius nugemur, criticum fuiſſe Calliopium intelligimus, atque has fabulas ad priſca exemplaria correxiſſe. Sic Vettius Agerius Baſilius Horatium recenſuit, vt teſtantur vetuſti codices, in quibus ita ſcriptum. VETTIVS AGERIVS BASILIVS MAVORTIVS VC. ET INL. EX COMMEN. DOM. EXCONS. ORO. LEGI ET VT POTVI EMENDAVI. Sic in antiquis Priſciani exemplaribus, *Flaccus Theodorus memorialis ſacri ſcrinij* nominatur. & in Mart Capulla, *Securus Melior Felix Aſper.* Ergo qui apud Iul. Firm lib. 7. cap. 15. *Calliopici Muſici* vocantur, aliunde denominationem habent.

IN EVNVCHVM.

MODOS FECIT. Vett. fere omnes & *MSR. modulauit.* Poſtea, *Flac. Claudi tibijs duabus dextris, &c.* & ſane alieniori loco in vulg. libb. poſita videntur.

GAIO FANNIO. Sic melioris notę exemplaria: tamen in quibuſdam, MSS. erat, G. MVMMIO FANNIO.

*

PROLOGVS.

DICTVM IN SE INCLEMENTIVS. Sic Plaut. paſſim *inclementer loqui.* Græci μὴ δικαίως λέγειν. Dio Pruſæus περὶ βασιλείας. Plautus in Bacchid. *nerecte.*

EX GRAECIS BONIS. Hieronym. in lib. Didymi de S.S. *Iuxta Comici ſententiam, ex Græcis bonis, Latina vidi non bona.*

ATQVE A THENSAVRO] Ita plurimi vett. tamen in regio exemplari, *Atq; à theſauro.* Sed *thenſaurus, formonſus,* aliáq; ſimilia olim dicebant. vt in π. Florent. Cod. Theod. Scholiaſt. Iuuenal. & alibi legimus. Theſaurum Menander ſcripſerat, & Philemo, eámque Plautus vertit, vt ipſe inquit, Trinummum vocans.

IN PATRIVM MONVMENTVM. Mos hic antiquorum fuit, theſauros in monumentis ſepelire: cuius exemplum nobis exhibet hiſtoria Cyri, quam abunde deſcripſit Arrianus libr. 6. περὶ Ἀλεξάνδρου ἀναβάσεως. In illius monumento inuenta fuerunt, vt pauca è plurimis enumerem, καὶ τράπεζα καὶ ἀκινάκης, καὶ ἐνώτια χρυσοῦ τε καὶ λίθων κολλητά. Idcirco Theodoticus Italiæ rex apud Caſſiodor. Epiſt. 33. iubet in ſepulchris inquiri theſauros. Quin etiam Hyrcanus atque Herodes, è monumento Dauidis abſtulerunt ἀργυρίου τρισχίλια τάλαντα, κόσμον δὲ χρυσοῦ καὶ κειμηλίων πολύν. Ioſeph. antiquitat. lib. 16. cap. 11. Romanis vero legibus interdictum eſt, ne pecunia ſepeliatur. l. 4. §. 6. ff. ad leg. Iul. peculat. Neue etiã aurũ vel ornamenta cum corporibus condantur, l. 14. §. 5. ff. de religioſ. & in fragmentis XII. Tabular. Quod tamen à ſimplicioribus fieri, Vlpianus d. l. notat. Dein; iuris quæſtio olim fuit, theſaurus inuentus cuius eſſet. Apud Philoſtratum Apollonij ſentẽtia obtinuit, vt totus cederet inuentori. lib. 2. ἐκράτησεν ἡ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώμη, καὶ ἀπῆλθεν ὁ χρυσός, ὡς παρὰ τῶν Θεῶν ταῦτα ἔχων, quaſi Dei munus, vt loquitur. I.C. Tryphoninus l. 63. §. 1. ff. de acquir. & omitt. poſſ. l. 2. C. Theod. de the-

ſaur. At iure ciuili aliter ſancitum. Inſtitut. Tit. de diuiſ. rer. l. 63. ff. de adquir. & omitt. poſſeſ. Eratque moris, vt quicunq; theſaurum inueniſſet, ſiue in ſuo ſiue in alieno, Imperatori eius indicium faceret. vt videmus apud Philoſtrat. in vita Attici, cuius hæc ad Neruam Imp. verba referuntur. Θησαυρὸν ὦ βασιλεῦ ἐπὶ τῆς ἐμαυτοῦ οἰκίας εὕρηκα, τί οὖν περὶ αὐτοῦ κελεύεις. quem locum Photius tranſcripſit in bibliothecam ſuam, & Zonaras in Nerua. Sed id immutatum mandato. D. Hadriani. Spartianus in Hadrian. & Inſtitut. dict. loc. quamuis Calliſtratus l. 3. §. 10. ff. de iur. fiſc. diuis fratribus tribuat, quorum conſtitutionibus quod tunc dubij, nunc certi atque explorati iuris eſt.

Ne fruſtretur ipſe] *MSR. fruſtret.* in alijs, *fraudet.*

Deſinat laceſſere] *MS R. ceſſet lac.*

AEDILES EMSRVNT. Diomed. lib. 1.

Currentes ſerui] *MSR. diſcurrentes.*

MERETRIX MALA] Plaut. Captiu.

Hic neq; periurus leno eſt, nec meretrix mala,
Neque miles glorioſus.

Cum ſilentio animaduertite] *MSR. animum adtendite.*

ACT. I. CEN. I.

QVID IGITVR FACIAM. Cicer. 3. de Natur. Deor. Fab. Quintil. libr. 11. cap. vlt.

Non perpeti.] Seru. AEneid. 2. ad illum verſ.
——— *veſtrum teſtor numen.*

NEQVE PERTENDES. Chariſ. lib. 2. *Neque pol tendes nauiter.*

ACTVMST. ILICET. Chariſ. lib. 2.

NEQVE CONSILIVM NEQVE MODVM. Cicer 4. Tuſcul. *Qui modum vitæ quærit.* Senec. Controu. *Facilius in amore finem impetres, quam modum.*

Sed vnus omnium elegantiſſime expreſſit hunc locum Horat. lib. 2. Sat. 3.

Egone illam] Chariſ. lib. 2.

FALSA LACRYMVLA. Iuuenal. Sat. 13.
——— *Vexare oculos humore coacto.*

Vbi vetus ſcholiaſt hunc Terentij locum laudat. Vid. Ouid. Petron. Arbit. Seru. 2. Æneid. ——— *lacrumiſque coactis.* &c.

TERENDO MISERE. Chariſ. lib. 2.

ACT. I. SCEN. II.

ACCEDE AD IGNEM. Apul. Mileſ. 2. *Quam procul a meo foculo diſcede. Nam ſi te vel modice meus igniculus afflauerit, vreris intime.*

TREMO HORREOQVE. Chariſ. lib. 2.

PLVS SATIS. Quinctilian. libr. 9. capit. 3. Priſcian. lib. 15.

PARS AEQVA AMORIS. Ioan. Saliſber. lib. 8. cap. 3.

AGE, SET HVC. In *MS.* alterius lectionis veſtigia extant, *age ſis huc* &c. quod verius arbitror.

Continuo palam] Priſcian. lib. 14.

SAMIA MIHI MATER. Sidon. Apollin. lib. 2. Epiſt. 1.

Interea loci cognoui] Chariſ. lib. 2.

HAVT EGO NESCIEBAM. Fab. Quinctil. lib 9. cap 2. *At ego neſciebam,* &c.

In te claudier] *MSR.* & vett. codd. *interclaudier.*

SINCERE DICI. Chariſ. libb. 1. & 2.

LABASCIT. Diomed lib. 1.

Adeo nobilem] Seru. 4. AEneid ad illum verſum ——— *nec me adeo fallit.*

ACT. II. SCEN. I.

F*Ac ita vt iuſſi.*] Diomed. lib. 1. c. 4.

Munus noſtrum ornate.] Chariſ lib. 2.

Memini tametſi] *MS. Au! memini.*

OPVS FACIAM VT DEFATIGER. Alexan. Aphrodiſ. Προβλημάτων libro 2. διὰ τί ὁ κόπος ποιεῖ ὕπνον &c.

Nimis me indulgeo] *MSR. nimis mihi.*

Minus ineptus, magis ſeuerus] Priſcian libro 3.

HAEC SVPERAT IPSAM. Priſcian lib. 15. *Papæ! hæc ſuperat ipſam.*

ACT. II. SCEN. II.

HOMO HOMINI. Symmach. lib. 4. Ep. 56. Antiphanes.

Ἀνδρὸς διαφέρει τοῦτ' ἀνήρ.

ABLIGVRRIERAT BONA. Gloſſar. *Abligurio* καταλιχνεύω. *& obliguritores.* Iul. Firmic. lib. 5 cap. 5.

VIDEO SENTVM. Apuleius Floridor. 1. *Vultu ſetino trux, hiſpidus, illutibarbus, ſpinis*

& pilis obſitus. Operæ prætium videre Seruium lib. 3. Æneid. ad illum verſ. ~*conſertum tegmin ſpinis.*

PANNIS ANNISQVE Hieronym. Epiſt. ad Euſtoch. *Anus quædam annis panniſque obſita procucurrit.* Iul. Firmic. lib. 4. *pannis obſitos & pauperes* Ammian. Marcell. lib 15. *Fruſtis ſqualere pannorum*: & alibi apud alios.

HIC EGO ILLVM. Priſcian. lib. 14. cap. 4. lib. 15 c. 3.

NIHIL DEFIT. Priſcian. lib. 5. cap. 2.

NEQVE RIDICVLVS. Gloſſ. Latinæ, *Scur, qui res ridiculas dicit & facit Scurra, paraſitus, buccellarius.* Plaut. in Capteiu. Scen. *Miſer homo eſt.* Nicolaus apud Stobæum Serm. 64. δεῖ σκωπτόμενον ἐφ' ἑαυτῷ γελᾷν.

NEQVE PLAGAS PATI. Axionicus apud Athen. lib. 6. p. 239.

πληγὰς ὑπομένειν κονδύλων κὰ τρυβλίων
Ὀξεῖν τε, ——— Nicolaus apud Stobæum, Serm. 64. γνάθον ἀκάματον, αὐτὸς ὑπομένειν πληγὰς φέρειν. Plaut. Capteiu.

Qui colaphos perpeti
Potis paraſitus, frangique aulas in caput.

QVID QVID DICVNT LAVDO. Eupolis, apud Athenæum. --ἐπειδὰν
κατίδω τιν' ἄνδρ' ἠλίθιον, πλουτοῦντα
δ', εὐθὺς περὶ τοῦτόν εἰμι,
κἂν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ'
ἐπαινῶ καὶ καταπλήττομαι,
δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν. Salisber. lib. 3. cap. 4. lib. 8. cap 3.

Me tanto honore] al. *me eſſe in tantum honorem*, quod non reſpuendum. ſ mihi enim locutione Spartianus in Seuero vtitur, ſed loci non memini.

VIDEN OTIVM ET CIBVS. Dionyſius PP. Epiſt. ad Seuerum. *Vos otioſi vultis comedere alienum cibum, videte ne in vos illud conueniat: vide quid facias otium & alienus cibus.* In MSR. ἀντὶ τοῦ *faciat, facit* erat. vt & poſtea *rogare*, pro *rogitare*.

HICE HOC MVNERE. Priſcian. lib. 12.

Summum ſuum impertit] Priſcian. lib. 8.

Profectus alia fueras] In multis ſcriptis libb. additur, *ſi te non detinuiſſem.* ſed illud emblema eſt manus ſiniſtræ.

Sed video] MSS. *Sed videon.*

ACT. II. SCEN. III.

PRÆ VT HVIVS RABIES. Priſci. lib. 14.

Senium perdant] V C. *Senem omnes perdant.*

QVIDVE ES ALACRIS.] Chariſ. Lib. 1. Priſcian lib. 3.

CVM IN CELLVLAM. Hieronym. aduerſ. Rufin. lib. 1.

VINCTO PECTORE. Vet. Cod. *Vincto corpore.* Hieronym. de vitand. ſuſp. *Papilla faſciolis comprimuntur, & criſpanti cingulo anguſtius pectus arctatur.* Inde apud Feſtum. *Cingulos appellabant homines, qui in his locis, vbi cingi ſolet, ſatis ſunt tenues.*

HABITIOR. Plaut. Epidico.

Corpulentior videre atque habitior.

Tametſi bona] MSS. *Tamenetſi*

IVNCEAS.] Gloſ. *Eiuncidum* ἰσχνότατον.

CORPVS SOLIDVM ET SVCCI PLENVM. *Succum* eleganter hoc loco vocat Comicus, τὴν ὑγρότητα. vt Apul. Apolog. 1. *Facies eius decora & ſucci plena* nec minus ſcite Arnobius, *liquoris fœminei laxitatem.* Vt Martial.

Et placido fulget viuus in ore liquor.

Hunc totum vero locum optime expreſſit Auſon. Epiſt. ad Heſperium. *Si qua tibi in his verſiculis videbuntur, nam vereor vt multa ſint, fucatius concinnata quam verius, & plus coloris quam ſucci habere, ipſe ſciens fluere permiſi, venuſtula vt eſſent magis, quam forticula, inſtar virginum quas matres ſtudent,* &c. Hieronym. Epiſt. ad Paulum Concordienſem. *Dentes candidi, vox ſonora, corpus ſolidum & ſucci plenum.*

CLAM, VEL VI, VEL PRECARIO. Cicero in Topicis. Iuſtinian. Inſtit. Tit. de interdict.

Dum hæc dicit.] *MSR.* & VC. *Dum hæc loquitur.*

DOMI VIDERIT, CONLOQVETVR &c. Achill. Tatius lib. 1. αὐτὴν σοι δέδωκε τὴν ἐρωμένην ἡ τύχη, καὶ φέρουσα ἔνδον ἵδρυσεν. & paulò poſt, σὺ δὲ βλέπεις ἀεὶ, καὶ ἀκούεις ἀεὶ, καὶ συνδειπνεῖς, καὶ συμπίνεις.

Neque ſcit] VC. *ſciet.*

Quantum potes] VC. *poteſt.*

Iubeo, cogo] MSR. *Iubeo, imo cogo.*

ACT. III. SCEN. I.

GRATA MIHI SINT QVAE. Cicero apud Amm. Marcell. lib. 27. *Cum nihil ad gratiam faceret, omnia tamen grata viderentur, quæ faciebat.*

QVI HABET SALEM. Priſcian. lib. 5.

QVOD IN TE EST] Acro Epod. Od. 2.

Perpavcorvm hominvm. πάνυ παυρῶν ἀνθρώπων. Charit. lib. 2.
Ego non flocci] MSR. τὸ *non* omittit.

Elephantis qvem indicis. Elephantorum præſtantiſſimi Indici. Achill. Tatius lib. 4. ἀλλ' ἐστὶν ὡς ὁ παῖς ἐλέφας Αἰγύπτιος. καὶ γὰρ δεύτερος φαίνεται εἰς ἀλκὴν ἐλέφαντος Ἰνδοῦ. Philoſtrat. de vita Apollon. lib. 2. ὅσον δὲ ἵππου νισαίου μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους. Vide quæ notat Donat. & Seru. Georg. 1. ad illum verſ. *India mittit ebur.* vbi hunc locum Terentij laudat.

Eone es ferox. Ariſtot. Politicor. lib. 1. cap 5. ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ, ἡ τῶν βελτιόνων ἀρχομένων: οἷον ἀνθρώπου, ἢ θηρίου.

Rhodivm tetigerim. Turpilius. *Quia ſe talento argento tetigi.* Plaut. Pſeud. *Bene ego illum tetigi.*

Lepvs tvte es et pvlpamentvm. Liuij Andronici hoc dictum, vt Fl. Vopiſcus autor in Numeriano.
Et fertur in primis] vc. *effertur inpr.*

Vbi nominabit. Cicero lib. 1. Epiſt. 9. ad familiar.
Iam dudum te amat] Seru. Aeneid. 4. ad illum verſum. *Iamdudum saucia cura.*

ACT. III. SCEN. II.

Thais mea. Priſcian. lib. 13.
Bene feciſti] MSR. *Bene pol feciſti.*
Perpulchra credo dona] Priſcian. lib. 14. *perpulchra credo munera.*

Ex aethiopia est. Alciph. lib. 2. Ep. 2. Seru. Aeneid. 1. ——— *Iliacis erepta ruinis.* Iunius Philarg. 4. Georg.

In mvsicis. Lucian. in amorib. κἂν εἰς μουσικὴν δέοι ψυχῶν, ἐμμελὴς λύρα: & c.

Qvae liberum scire. Lucian in amorib. τὸ σῶμα ταῖς ἐλευθερίοις ἀσκήσεσιν ἐκπονεῖ. quin immo vide totum locum, nam huc pertinet
Infra omnes infimos] Priſcian li. 14.

E flamma cibvm. Homerus apud Sueton. in Tiberio cap. 21.
Haut conuenit.] MSR. *non conu.*
Domi adſiet] MS. *Domi vt aſſiet.*

ACT. III. SCEN. III.

Roget quis] MSR. *Si roget quis.*
Rem diuinam feciſſe] MSR. *feciſſe ſe.*
Sperat ſe à me] VC. *Sperat ſe poſtea à me.*
Muſcula eſt] Priſcian. lib. 3.
Ecquis hic] MSR. *Ecquis hic eſt.*

Insidias fieri. Ad Menandri dictum forſan reſpicit.

τότε τὰς γυναῖκας δεδιέναι μάλιστα δεῖ
ὅταν περιπλέκωσι τοῖς χρηστοῖς λόγοις.

Deduce ad militem] MSR. *Deduc ad mil.*

ACT. III. SCEN. IIII.

Coimvs in piraeo. Ideo nempe in Piræo, vt rectius quæ in conuiuium neceſſaria, præſtinarentur: quandoquidem rerum venalium magnus ibi prouentus, ac velut δεῖγμα. Schol. Ariſtophan. in Equit. pag. 243. Plaut Bachid.

Ibo in Piræum, viſam ecqua aduenerit
In portum ex Epheſo nauis mercatoria.

Idem in Moſtell.

Ego ire in Piræum volo,
In veſperum parare piſcatum mihi.

De symbolis essemvs. Vt Græci, ἀπὸ συμβολῆς δειπνεῖν. Euſtat. in Homer.

Dati anvli. In ſponſionibus annul. olim dati. Plinius lib. 33. cap. 1. *ad ſponſiones etiam nunc annulo proſiliente.* l. 17. §. 5. ff. de præſcrip. verb. l. 11. § 6 ff. de acti. empt. & vend. l. 5. §. 15. ff. de inſtit. action. Sic Athenis attic is qui iudicio ſe prouocabant, annulos inuicem deponebant. Demoſthen. πρὸς τὸν Ναύσιμον: παρακαλοῦμαι σὲ τουτί, δέχομαι. φέρε τὸ δακτύλιον, λαβέ. τίς δ' ἐγγυητής.
Idque adeo viſam] MSR. *Ibo ad eum, viſam.*
Quiſnam hinc] MSR. *Sed quis nam.*

Sciscitari. Priſcian. lib. 8.

ACT. III. SCEN. V.

Quid ſibi] VC. *Aut quid ſibi.*
Nemoſt hominum] MSR. *nemoſt omnium.*
Tacitus, citius] v.c. *Tacitus ſis, citius.*
Cum eo mutem] MSR. *Cum illo mutem.*

Terram intvens. Pudoris hoc ſignum & verecundiæ. Alexand. Trallian. lib. 2.

προβλημάτων. Achill. Tatius lib. viii. καὶ ἡ Λευκίππη δὲ τὰ πολλὰ εἰς γῆν ἔβλεπεν. & quæ ſequuntur.

Qvo pacto Danae miſiſſe. Ita omnes ſcripti ac vulgati libri: nec aliter ab Auguſtino adducitur, lib. 7. cap. 2. de ciuit. Dei. Fabula nemini veterum mythiſtoricorum prætermiſſa. Zenob. in prouerb. Αὐτὸς χρυσῆ. Georg. Cedren. p. 17.

Lvſerat iam olim. Nequiori ſignificatu hic τὸ *ludere* ſumitur, vt & in illo *Ede, bibe, lude*. &c. Sic Græci παίζειν. Arrian. ἀναβάσεως Alexandr. lib. 1. τὸ παίζειν ἐφ᾽ ἑταίροις γεγόνασιν ἐπιχαρίσαντι. ἐρωτῶν, τῷ ἀσυνήθει ὀνόματι.

Atque in alienas.] MSR. *Et in alienas.*

Fvcvm factvm. Sic vett. & Acro ad Horat. lib. 2. Sat. 2. Placid. tamen Lactant. legit *furtum factum*, quod pro vero nolim probare: licet nihil ſi equentius, quã furtum amoris gaudia vocare. Petron. *Ergo amor furtum potius eſt*. Statius in Achill.

——— *denſa noctis gaviſus in vmbra.*

Tempeſtiua ſuis torpere ſilentia furtis: &c.

Ego homvncio hoc non facerem. Elegans locus Ariſtophan in Nubib.

Μοιχὸς γὰρ ἢν τύχῃς ἁλούς, τάδ᾽ ἀντερεῖς
πρὸς αὐτόν,
ὡς οὐδὲν ἠδίκηκας· εἶτ᾽ ἐς τὸν Δί᾽ ἐπανενεγκεῖν·
Κἀκεῖνος ὡς ἥττων ἔρωτός ἐστι, καὶ γυναικῶν·
Καί τοι σὺ θνητὸς ὢν, Θεοῦ πῶς μεῖζον ἂν δύναιο.

Arceſſitur lautum] Priſcian. lib. 9.

It, lauit,] MSR. *Iit, lauit.*

Limis specto sic. Limi oculi propriè amatorum. Quinctilian lib. 11. cap. 3 *quadam voluptate ſuffuſi, aut limi, & vt ſic dicam, venerei*. Adamant. lib. 1. cap. vii. οἷοι δὲ τὰ μὲν ἄλλα τῶν βλεφάρων καθ᾽ ἕλκεσι, τὰ δὲ ἰκανεπόθεν αὐχενῶσι καὶ ἄκμ ἰλλώπτουσιν, τοὺς καὶ αὐτοὺς μοιχικοὺς λέγων, οὐκ ἂν ἁμάρτοις. Apul. Milet. 2. de Fotide. *Ad me conuerſa limis & morſicãtibus oculis*. Hinc Varro apud Nonium in voce Strabones. *Multi enim qui limine intrarunt integris oculis, ſtrabones ſunt facti, habet quiddam* ἰλλυσικὸν *prominentialis formoſula vxor*.

Qvid tvm? fatve. Seruius lib. 4. Aeneid. ad illum vſum. *deueniunt prima*, &c.

ACT. IIII. SCEN. I.

Sermonem occipit] V. C. *incipit.*

ACT. IIII. SCEN. II.

Dvm rvs eo. Seru. ad 7. Virgil. p. 450.

Dum hæc puto] MSR. *reputo.*

Ad ipsvm veni diverticvlvm. Gloſſarium vetus: καταγώγιον, *Diuerſorium, diuerſiculum.*

Extrema linea. Chariſ. lib. 2.

ACT. IIII. SCEN. III.

Lvdificatvs est virg. Priſcian. lib 8.

Ne audiui quidem] V. C. *audiſti.*

Amatores mvlierum esse. Inde Hieronym. ad Demetriad. *Truncatorum corporum violentam pudicitiam*, dixit. & D. Petr. Chryſologus. Serm. 56. *Inuitam caſtitatem.*

Sed nihil posse. Alexand. προβλημάτων lib. 1. de ennuchis. ὅτι περὶ φαντάζονται μὲν τὴν χρῆσιν, οὐκ ὀργῶσι δὲ τὴν ἐπιθυμίαν. Ariſtenæt. lib. 2. Epiſt. 21. καθάπερ εὐνοῦχος τὰ ἐρωτικὰ περιφυγαζόμενος καὶ λιχνεύων. Vnde apud Sopatrum quæritur in Hermogen. p. 93. 223. Eunuchus ſi eum muliere rem babeat, adulterium ne committat. πῶς γὰρ ἂν εὐνοῦχος μοιχεύσειεν, ὁ μὴ χρῆσθαι δυνάμενος, μὴ δὲ τὸ γένος ἀμφίβολον τῇ συνουσίᾳ ποιῶν. Sed voluntatis reos eſſe, non etiam facti, Donati ſententia eſt: μηδὲν διαφέρειν πρὸς τὸ εἶναι αὐτὸν μοιχὸν, ὅτι δυνατὸς χρῆσθαι, ὅτι μὴ τὴν τῆς προαιρέσεως ἐξετάζειν δεῖ.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Ornarat fugam] V. C *adornabat.*

Au! ne comparandus] Priſcian. lib. 15.

Victus, votus] Vid. Feſt. & Porphyr. ad Oden 12.

Quæ hæc eſt] In MSR. τὸ *eſt*, deſideratur.

Egomet neſciam] MSR. *ego neſciam.*

Fraterne ita. Priſcian. lib 15.

Modo ait, modo negat. Priſcian. lib. 15.

Cauſes Dorias] V. C. *ſuades Dorias.*

Quod ſcis, neſcis] VC *Quod ſcis.* ſic in Heautont. *Tu neſcis id, quod ſcis.*
Tu fer aurum.] MSR. & VC. *Tu aufer aurum.*

ACT. IIII. SCEN. V.

POL MVLTO HILARIOR. Ita omnes libri ſcripti, Donatus tamen *alacrior* legiſſe videtur.

SINE CERERE ET LIBERO. Hieronym. Epiſt. ad Furiam: *Etiam Comicus, cui ac finis eſt humanos mores noſſe atque deſcribere, dixerit: Sine Cerere & Libero friget Venus.* Euripid.

Οὐκ ἔστι μὴ κἂν ὄντος, οὐκ ἔστιν Κύπρις

Achill. Tatius lib. 2.

Οἶνος γὰρ ἔρωτος τροφή.

Pulchre Apul. lib. 2 Mileſ. *Veneris hortator & armiger Liber advenit vltro, vinum illud ſorbeamus hodie omne, quod nobis reſtinguat pudoris ignaviam, & alacrem vigorem incutiat: hac enim ſitarcia navigium Veneris indiget ſola.* Theo in Aratum, Καὶ ὀρθῶς· Διόνυσος καὶ Ἀφροδίτη λέγεται μετ' ἀλλήλων εἶναι &c. Cicer 2. de natur. deor. Fulgentius Mytholog. lib 2 Seruius lib. 1 AEneid.

An abijt] V C. *iamne abijt.*

ABIENS MIHI INNVIT. Inter ſigna quibus meretrices ſuis ſe amatoribus adprobare ſolent, oculorum hi nutus, quos νεύματα δόλια Cyrill. vocat, maximè obſeruantur. Næuius apud Iſidor. Orig. lib. 1. cap. 25.

Alium tenet, alij adnictat, alibi manus
Eſt occupata. ———

Id propter non neglexit Plautinus Diabolus, dum amicæ leges præſcribit, in Aſinaria. Scen. Agedum iſtum.

Neque illa vlli homini nutet, nictet, annuat,

Sic amatorium erat, os alicui ad ſuauiandũ formare: Apuleius in Mileſ. vel in cõuiuio extrema parte potionis cõmunicare, ſiue vt ait Sophoc. in Aiace, ὁμιλῶν βαταιάν τινα τῆς κυλίκων. Plaut. Petr. Arbiter. Vnde apud Fortunatianum. *Meretrix ex tribus amatoribus alium oſculata eſt, alij reſiduum poculi dedit, alium coronauit. contendunt quem magis diligat.* Quod ipſum Photius ex Iamblichi ἐρωτικοῖς refert, Bibliot. p. 133.

καὶ ἔρις τριῶν ἐραστῶν γίνεται &c. ὅτι τῷ μὲν ἡ Μιζονοτα, ἐκ τῆς φιάλης ἐξ ἧς ἔπινεν, ἔδωκε. τῷ δὲ τὸν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς ἐξ αὐτῆς ἀφελοῦσα στέφανον περιέθηκε. τὸν δὲ ἐφίλησε.

De Coronis ſimiliter cauit adoleſcens in Aſinaria.

Tum ſi coronas, ſerta, vnguenta iuſſerit
Ancillam ferre ſuam Veneri aut Cupidini,
Tuus ſeruus ſeruet Veneri ne eas det, an viro.

Hæc ergo ſub Veneris ſigno militantium velut παρασυνθήματα. Chremes vt ſimplex ac ruſticus minime ſe intellexiſſe fatetur, ideo à Stratonico ςρατιωτικῶς etiam tractatus.

Set eccam ipſum] MSR. *Set eccam ipſam video.*

Vbi ego huic.] V C. *Vbi ego hinc.*

ACT. IIII. SCEN. VI.

TE *ipſam expectabam*] MSR. *teipſum expecto.*

CVM MONVMENTIS. Infantes antiquitus cum alienæ miſericordiæ exponebantur, moris erat ἀποθήμασι quibuſdam donis muneratos eos relinquere, quæ Græci γνωρίσματα. Latini vocant *Crepundia*, vel *monumenta.* vt in Plauti Comœdiis. Ideirco vero dabantur. vt eſſent ſigna, quibus meliori tempore agnoſcerentur. quod nemini ignotum eſſe poteſt, qui antiquorum fabulas legit & Heliodorum, Longum, Parthenium, Phleg. Trallianum. Neq; ſie tantummodo cum munuſculis, immo interdum in corpus inſigniti abiiciebãtur, notâ agnitionis indicium præbitu â. velut de Oedipo legimus apud Mythologos, & Trogi Iuſtinum lib. 44. de Habild. *Tunc & lineamentorum ſimilitudine, & notis corporis, quæ inuſta paruulo fuerant, nepos agnitus.* Quod eo libentius dico, quia ab omnibus, qui de hac re ſcripſerunt, id neglectum video. At verò quibus eum ludunt pueri *crepundia*, Græcis σπάργανα ſunt: vt etiam in actis Concilij Chalcedonenſ. καὶ ἡ μὲν τιμιότης τοῦ βρέφους διὰ τῶν σπαργάνων ἀπλῶς ἐπιγινώσκεται. Atque ea quidem, vti nunc quoque, è collo pendere ſolebant. Plaut. Milit. *Faciam quaſi puero è collo pendeant crepundia.* Aldhelmus de virginitate: *Crepundia collo gemmiferis lunulis pendentia.*

IN RISCO. Gloſſ. λάρναξ *Arca, Riſcus* Gloſſæ Latinæ. *Scrinium, ri cus.*

TRANSCVRRO AD FORVM &c. In foro cauſidici obambulabant, expectantes cui aduocationem, linguæque venale ſermi-

tium

tium venderent. Amm. Marcellin. lib. 30. *Videre eſt per eos omnes tractus violenta & capaciſſima genera hominum, per fora omnia volitantium,* &c. Iuſtinian. Conſt. de nou. Cod. fac. & alibi paſſim.

Nobis in turba hac. T. mane.] MSR. *aduocatos nobis. T. mane, mane.*

ACT. IIII. SCEN. VII.

SImalio, Donax] MSS. omnes & regium exemplar, *Donax.* vt & in Priſciani ſcriptis exemplarib. lib. 7.

PENICVLONE PVGNARE.] Gloſſar. *Peniculum* σπογγεῖον, σπογγάριον. quo quidem ad vulnera ſiue abſtergenda, ſiue obliganda vti ſolere, ex medicorum libris ſatis notum. L. Apul. Mileſ. 1. *Quod vulnus, quà maxime patebat, ſpongia affulciens.* Auſon. 9. Idyll. *Impingas ſpongiam.* Et apud Plautum Menechm. parataſitus Peniculum ſe vocari dicit, quod menſam, quando edit, detergeat. Arrian. Epict. lib. 7. cap. 26. ἦραν τὰς τραχηλίας, σπόγγισον. Hic ergo primus vſus ſpongiarum. Dein, certa quadam arte coactis, καρδιοφύλακος loco illis vtebantur. Ariſtophanes Ranis.

Εἶτα μοι πρὸς τὴν καρδίαν σπογγιὰν

Ridicularia ſunt quę ſequuntur, & nimia vt hic perſcribantur, ergo ſi lubet ibi legas. Quæ vero ex Liuio, Tertulliano, Ariſtænæto, alijs, addi poſſent, iam pro cognitis cenſentur.

Abſtergere vulnera] Priſcian. lib. 9.

SOLVS SANNIO SERVAT. Amm. Marcell. lib. 14. *Ne Sannione quidem, vt ait Comicus, domi relicto.*

OMNIA PRIVS. VC. *Omnia prorſus.*] Simile vero dictum Dionyſij legat. 11. p. 295. μὴ πρότερον ἄρξαι τῶν ἔργων, πρὶν ἢ πειραθῆναι τῶν λόγων:

Siccine agis] MSR. *Sic agis?*

Nolunt vbi velis] Acro lib. 2. Od. 12.

Domi focique.] Priſcian. lib. 6.

ACT. V. SCEN. I.

PERPLEXE LOQVI. Gloſſ. *Perplexe* ἀπόρως, ἀμφιβόλως, σκολιῶς. Plautus Sticho. *Vtrum ego perplexum laceſſam oratione.* & in Aſinaria *Perplexabile verbum.* vt alibi *Contortiplicata oratio.* Gloſſar. *Tortiloquium.* Συνεστραμμένη ὁμιλία.

Vt tu tuſti] MSR. *ſuſtiſti.*

Scelesta] Iſidor. Different. p. 771.

LVPO OVEM. Herodot. lib. 4. τοιγαροῦν ἔφη αὐτὸν παραλείψειν ὄϊν ἐν λύκοισι. Plaut. Pſeudolo. *Mauelis lupos apud oues linquere, quam hos domi cuſtodes.*

ACT. V. SCEN. II.

SI ALIAM ADMISERO. Cicero. pro Q. Ligario. *Ignoſcite iudices, errauit, lapſus eſt, non putauit, ſi vnquam poſthac: ad parentem ſic agi ſolet* &c.

SI EGO DIGNA HAC. Hieronym. aduerſ. Rufin. *Nonne etiamſi ille dignus eſſet contumelijs, tu facere non deberes?*

DABIT HIC ALIQVAM PVGNAM. Plaut. Bacchidib.

ACT. V. SCEN. III.

QVI HVNC SVPPOSVIT. Frequentes huiuſmodi ſuppoſitiones ab antiquis introducuntur, ſed frequentiores in Comœdiis, quam Tragœdiis. Vlpianus ad illum Demoſthenis locum, κατὰ μειδίαν. Τὰς ἀπορρήτους ὥσπερ ἐν τραγῳδίᾳ, τὰς τούτου γονάς] πλείους, inquit, εἰσὶν ἐν ταῖς κωμῳδίαις ὑποβολιμαῖοι, ὥσπερ ἐν ταῖς τραγῳδίαις, &c. Itaque ſic in Plauti Truculento meretrix alienos dolores ſibi ſuppoſuerat, Stratophanem militem dolis vt ductaret. In Capteiu.

——— *neque vlla amatio, nec pueri ſuppoſitio.*

MOVE VERO OCIVS. Sic κινεῦ apud Theocrit. Idyll. 15. v. 29.

Κινεῦ δὴ, φέρε θᾶσσον ὕδωρ.

Te nutrix] MSR. *moue vero ocius Genitrix.*

DE COGNITIONE. Cognitiones ſiue agnitiones crebræ in comœdijs. quod Placid. Lactantius obſeruauit in Stat. Theb. lib. 5. ad illum. verſ. *Ergo adſunt comites Meretum,* inquit, *comœdia contigit agnitio filiorum.*

ACT. V. SCEN. IIII.

PVTO PALMARIVM. Gloſſar. *Palmarium*, ἀξιόνικον. Priſcian. lib. 2.

Cvm amatore ſvo qvvm caenant, liqvriunt. V C. *cum amatores ſuos vocant*, *lig.* quæ lectio non mala. *Ligurunt* λιχνεύουσι; & *Ligurius, Guloſus, Catullo,* λίχνος.

Qvod moechis ſolet. Scilicet abdomen adimere. Plautus Milit. Scen. vlt. Horat. lib. I Saty. 2. *teſtes caudamque ſalacem Demeteret ferro*. Qua pœna affecti poſtea κτλωοβάτ). Matt. Blaſtares. Ὁ μὲν τοι πολιτικὸς νόμος, ὅτι ἀλογώτεροι φησὶ, ὥστε κτλωοβάτας χαυλοκοπτεῖσθαι. Soliti etiam ῥαφανιδοῦν. Scholiaſt. Ariſtophan. in Plutum. Horat. lib. I. Satyr. 2.

Diſcincta tunica fugiendum eſt, ac pede nudo
Ne nummi pereant, aut pyga, aut denique fama. Vid. quæ viri docti ad Catull. notarunt.

Pro moecho vnqvam vidit. Ergo cum eiuſmodi lupis impune erat voluptatem capere. Hieronym. in epitaph. Fabiolæ. *Aliæ ſunt leges Cæſarum aliæ Chriſti: aliud Papinianus, aliud Paulus noſter præcipit. Apud illos viris impudicitiæ frena laxantur, & ſolo ſtupro atque adulterio condemnato, paſſim per lupanaria atque ancillulas libido permittitur.* Lactant. lib. 6. cap. 23. *Nequis eſſet qui pœnarum metu abſtineret alieno, lupanaria quoque conſtituit, & pudorem infelicium mulierum publicauit.* Eiuſmodi erant cauponæ mulieres, miniſtræque eius. Nam ab iſtis fœminis pudicitiæ ratio non requiritur, quas vitæ vilitas dignas legum obſeruatione non credidit Imp. Conſtant. l. 29. C. ad leg. Iul. de adult. Vlpian. l. 13. §. 2. ff eod. Eclog. Baſilic. lib. 60. Tit. 37.

Vt factum ſiet] MSR. *ſit.*

ACT. V. SCEN. V.

Ex meo propinqvo rvre. Chariſ. lib. I.

Eſt ne ille noſter Parmeno] In *MSR.* τὸ *eſt* omittitur.

Quem præſtolare] Priſcian. lib. 8.

An in astv venit. Aſcon. Pedian, in 2. Contr. Verr. Priſcian. lib. 15. Acro ad 14. Epiſt. Horatij. Stephan. de vrbib. ἐλέγετο δὲ κατ᾽ ἐξοχὴν πόλις (Alexandria) καὶ πολῖται ἐξ αὐτῆς. ὡς ἄστυ αἱ Ἀθῆναι, καὶ ἀστοὶ καὶ ἀστικοὶ οἱ Ἀθηναῖοι. ὡς καὶ ἡ Ῥώμης λέγεται ὄνομα.

ACT. V. SCEN. VI.

Non poſſum ſatis narrare] MSR. *Non poteſt ſatis narrari.*

Meo indicio miser. Auſon. Symmacho. *Latebat inter nugas meas libellus ignobilis: vtinamque latuiſſet, neque indicio ſuo tanquam ſorex periret.* Hieronym. aduerſ. Pelagian. *Suo quaſi mus prodetur indicio, ampliora in vero certamine vulnera ſuſcepturus.*

ACT. V SCEN. VII.

Hercvles servivit omphale. Quinctilian. libro 3. capite 10. *Quædam vero etiam in defenſione ſpeciem cadent, vt ſi in laude Herculis permutatum cum regina Lydiæ habitum, & imperata vt traditur penſa orator excuſet.*

Commitigari videam sandalio. Lucian in Dialogo de hiſtor. ſcribenda. παιόμενον ἀπὸ τῆς ὀμφάλης τῷ σανδάλῳ. Σανδάλιον *galla* eſt. vt in illo dicto; *gallam ſubigo.* & σανδάλιον *gallicula.* in vett. gloſſarijs. Sic interpretatus eſt Rufinus Ioſephũ. lib. 4 Antiquit. cap 8 ἀπολύσα δ᾽ αὐτὸ ἡ γυνὴ τ᾽ ἀδελφοῦ τὰ σάνδαλα, καὶ πτύσασα αὐτοῦ εἰς τὸ πρόσωπον *ſoluens vxor fratris galliculas illius viri, & exſpuens in faciem.* Qui locus facit vt alius reſtituatur. lib. 5. cap. 11. hactenus ſic legitur. ἐκλιπὼν τῷ γυναικὶ ἀπελύσαν αὐτὸν προσελθοῦσαν κατὰ τὸν νόμον, καὶ πτύσαι εἰς τὸ πρόσωπον. ſed ſcribendum, καὶ πτύσαι εἰς τὸ π. in facili eſt agnoſcere: neque aliter Rufinus.

ACT. V. SCEN. VIII.

Miles pellitur foras] MSR. *pelletur.*

Invocato vt sit locvs Plaut. Capt. *Inuocatus ſemper adeſſe ſoleo in conuiuio.*

Cur ergo in his] MSR. & VC. *Cur te ergo in hu ego conſpicio reg.*

Vehementer velim [MSR. & vett. lib. *vehementer volo.*

Quidquid facio] VC. q. *faciam.*

Noctiſque & dies] MR. *Noctes & dies.*

Deridendvm vobis propino. MSR.

prebebo. ſed τὸ *propina* in pleriſque lib. Sic Spartian. in Antonin. Philoſ. *Venenatam partem fratri edendam propinans.* Græci προπίνειν, ἀντὶ τοῦ χαρίζεσθαι Scholiaſt. Pindari Olymp. Od. 7. Philoſtrat. de vit. Apoll. lib. 3. Προπίνω σοι, ἴαρχος, αὐδρα ἄλλων. Marcellinus: τοῖς πολεμίοις τὰ κοινὰ προπίνων πεπραγμένος.

IN HEAVTONTIMORVMENON.

PROLOGVS.

HEAVTONTIMORVMENON. Horatius libr. 1. Satyr. 2.

EX INTEGRA GRAECA. Gloſſ. Integra, id eſt, à nullo tracta Latinorum.

Factum hic eſſe id] *MSR. id eſſe factum hic.*

Valebit] Priſcian. lib. 7.

SERVO CVRRENTI IN VIA. Plaut Amphit. Scen. *Cõcedite atque*, &c. Idem Curcul. Scen. *Date viam mihi.* Hoc autem proprium ſeruilis ingenij. Plautus: Pœnulo. *Seruile eſſe duco feſtinantem currere.* Quale fere Seueri dictum fuit, vt notat Aelius Lamprid. *Curſitem nunquam niſi ſeruum, dicens, ingenuum currere niſi in ſacro certamine non debere.*

Studeant potius, quam ſibi] *Sibi placens*, αὐθάδης, αὐταρεστος. Vt Petron. *Nolo tibi tam valde placeas.* Martial. *Nolo tibi Cinna placere.* Sic apud Quærol. *ſibi ſufficiens*, αὐτάρκης.

ACT. I. SCEN. I.

VEl vicinitas] Seru. Eclog. 3.

Agrum in his regionibus] Seruius 2. Æneid.

FODERE AVT ARARE. Sic Varro de Re ruſt. lib. 1. cap. 31. *Vineas nouellas fodere, aut arare.* Priſcian. lib. 8.

EA QVAE NIHIL QVAS.] VC. *Ea quæ nihil ad te.* Menand.

ἃ μὴ προσήκει, μήτ᾽ ἄκουε, μήτ᾽ ὅρα.

Iſtos] VC. & MSR. *aiſtos.*

Sine vacivom] MSR. *Sine me vac.*

Capit perdite] MSR. *virginem.*

Vbi rem] MSR. *vbi id.*

Humanitus.] φιλανθρώπως, Diomed. lib. 1.

EGO TE MEVM ESSE. Multa hic facta ad Plaut. Mercator. Scen. *Duas res ſimul.* vt illud: ———*interdum mihi ſe colloqui,*

Abnuere, negitare adeo me natum ſuum,

Et breui poſt, *Non vt ego amori, neque deſidiæ in otio Operam dediſſe* ———. quod geminũ cum illo Terentij. *Ego iſtuc ætatis*, &c.

SOCCOS DETRAHVNT. Diomed. lib. 1.

PRO SE QVISQVE. Plaut. Amphitr. *Pro ſe quiſque, idquod quiſque poteſt ac valet, edit, ferit.*

SVMPTVM EXERCENT] Virg.———*ferrum exercebant.*

DECREVI TANTISPER. Cicer. lib. 5. de finib. & 3. Tuſcul.

Peccatum à me] VC. *peccatum meum.*

Monere oportet.] τὸ *oportet*, in omnib. vett. libb. deeſt.

ACT. I. SCEN. II.

TIbi hic ego adfuturam] In VC. omittuntur iſta, *hic ego.*

Quid ais] VC. *Quid vis.*

Aduenientem è naui] Priſcian. lib. 7.

In homine dicuntur] MSR. *Eſſe in homine d.*

Parentes patriam] Priſcian. lib. 7.

VERVM VBI ANIMVS. Demoſt. Olynth. 3. ὅποι᾽ ἄττα ποτ᾽ ἂν τὰ ἐπιτηδεύματα τῶν ἀνθρώπων ᾖ, τοιοῦτον ἀνάγκη καὶ τὸ φρόνημα ἔχειν.

ACT. II. SCEN. I.

QVas fert adoleſcentia] MSR. *Quæ ad adoleſcentia ſinit.*

QVAM INIQVI. Ita in omnibus ſcriptis codicibus hi actus diſtinguntur: quod tamen aliis diſplicuiſſe video.

Iniqui ſunt patres] Plutarch. de puer. educat.

VBI ADBIBIT PLVS PAVLO. Plutarch. de ſui laudat. Ambroſ. de ieiunio cap. 13. *Ibi vnuſquiſque pugnas narrat ſuas, ibi fortia facta prædicat; narrat trophæa. Vino maduli, & ſomnolenti neſciunt mente, quid lingua proferat.*

SVRDO NARRET. Hieronym. de vitand. ſuſpecto contubet. Ariſten. lib. 1. Epiſt. 28. περὶ κωφὸν ᾄδειν.

NEC ME QVISQVAM] Chariſ. lib. 2.

RELIGIO EST. A. Gellius lib. 4. cap. 9.

ACT. II. SCEN II.

I*Am hic adeſſent*] MSR. & VC. *adeſſet.* CLIT. *iam aderit.*

Dum cenantur] Ita plera ſcriptorum codd. pars: tamen in Regio exemplari *cemantur* erat. ſed alterum rectius puto, ad moram mulierum notandum. Niſi tamen τὸ *moliuntur* hic abſtruſiori ſignificatu dictum, vt eſt illud Plauti in Trucul.

Suam non enim ille meretricibus molendis rem coëgit, Verum parſimonia. Vt ſic *cementur* legendum videri poſſit.

ACT. II. SCEN. III.

DVM SERMONES CAEDIMVS. Vide Seruum ad illud Virg. Aeneid. 6. *Multa inter ſeſe, &c.*

ANCILLARVM GREGES. Indecorum iam olim viſum Dominis, ſine comite in publicum prodire. Quæ res ad tantum luxum peruenit, vt parum eſſet, niſi (vt loquitur Ammian. Marcellin. lib. 14) *familiarum agmina, tanquam prædatorios globos poſt terga trahentes,* conſpicerentur. Aldhelm. de virginit. *Spreto baſternarum vehiculo & relictis paraſitis pediſſequis, geminis tantum comitata ſpadonibus proceſſit.* Plaut. in Mercator. Sceo. Homo me miſerior l. 1. § 2. l. 15 §. 15. ff. de iniur. & famos. Ariſtenæt. lib. 1. Ep 9.

MORES CANTABAT MIHI. Plaut. *Hoc tibi quotidie canto, vt caueas.*

Monuiſſe fruſtra] MSR. & VC. *Monuiſſe fruſtra dolet.*

Hoc ipſa in itinere] Priſcian. lib. 6. *Hac ipſa in itin*

Mane: hoc quod] VC. *Sine.*

ANVS QVAEDAM PRODIIT.] Solitæ inter reliquum famulitium, ancillæ quædam in ætate grauiores eſſe: quarum officium, de capillaměto dominę in conſiliū ire, vt recte diſponeretur, ac de forma eius iudicare. Lucianus in Amorib.

Γραῦς δὲ ἡ διὰ τῶν θεραπαινίδων ὁ σύμμετρος ὄχλος, ἐν κύκλῳ παρεστᾶσι, ποικίλοις φαρμάκοις καταφαρμακεύουσαι τὰ δυστυχῆ πρόσωπα. Iuuenal. Satyr. 6.

Eſt in conſilio materna, admotáque lanis,
Emerita quæ ceſſat acu: ſententia prima
Huius erit: poſt hanc ætate atque arte minores,
Cenſebunt. ——— Ergo in Bacchidis quoque familia anus.

EIVS ANVS] Priſcian. libb. 6. & 7.

Quæ erat] VC. *Quæ tum erat.*

ORNANTVR SIBI. Hieronym. ad Gaudent. φιλόκοσμον *genus fœminarum eſt molesta, quæ etiam inſignis pudicitiæ, quamuis nulli virorum, tamen ſibi ſcienius libenter ornari.* Ergo nimius mundus & cultus meretrici potius, quam caſtæ conuenit. Marcellin. in Hermogenem. τὸ μὲν γὰρ ἁπλῶς καλλωπίζεσθαι, οὔπω σημεῖον πορνείας, ἡ δὲ συνέχεια ποιεῖ τὴν ὑποψίαν. In vett. codd. *formantur*, legitur.

NVLLA MALA RES] Plerique omnes quos vidi ſcripti codd. *Nulla mala mie* &c. eamque lectionem veriorem puto. *Mala* eſt maxilla, vt in iiſdem libb. annotatur. Plaut. Moſtell. *Quid ceruſſa opus eſt?* PH. *Qui malas oblinam.*

Ergo genuina erat Bacchidis, non fucata aut lita purpuriſſo vel ceruſſâ facies. vt loquitur Hierony. Epiſt. ad Saluinam *Res muliebres* vocat pigmenta & reliquas offucias, quibus mulieres ſeſe vnctitabant, vt pulchriores abirent. ideoque inter mundum muliebrem referuntur vnguenta, vaſa vnguĕtaria, & ſi quę ſimilia. Vlpian. l. 25 §. 10. ff De auro, argento. Lucian. in. Amorib. Καθάπερ ἐν φαρμακοπώλου πυξίδων ὄχλον, ἀγγεῖα μεστὰ πολλῆς κακοδαιμονίας. ἐν οἷς ὀδόντων σμηκτικαὶ δυνάμεις, ἢ βλέφαρα μελαίνουσα τέχνη θησαυρίζεται.

Vide totum locum, nam vnus omnium rectiſſime hanc muliebris formæ interpolationem deſcribit. Hieronym. Epiſt ad Paulin p. 118 Plures notare longum eſſet.

REIECTVS NEGLIGENTER] Priſcian. lib. 14. *Reiectus negligenter: pax!*

Ita vti credo] VC. *ita vt hic dicit.*

Scin hanc] MSR. *Scin tu hanc.*

ANCILLAS PRIMVM. Hieronym. ad Gaudent. *Solent laſciui comptuli iuuenes, blandimentis, affabilitate, munuſculis aditum ſibi per nutrices ad alumnas quærere.* Ouid. de arte amand.

QVI AFFECTANT. Seru. 3. Aeneid. Iun. Philarg. in Georg.

Quo illam ducis] vc. *abducis.*

NON FIT SINE PERICVLO. Contra Iuuenal. Satyr. 14. *Nullus enim magni ſceleris labor.* Vbi Scholiaſt. priſcus hunc Terentij locum laudat.

Mitte: ad rem] vc. *mitte iſta: atque ad*, & c.

Audiendum hercle eſt: tace] MSR. *audiendum hercle eſt tace.* CLIT. *Quid eſt, vn,* &c. tortè ſuat an legendum.

Quid. ſt. Vn amare. & c.

Huiuſmodi obſecro] v.c. *Iſtiuſmodi.*

IN AVREM VTRAMVIS. Baſilius πρὸς τοὺς νέους, &c. p. 229 ἐπ' ἄμφω καθεύδουσι.

Neglectuſt mihi] MSR. *neglectui.*

Miſere offendi] MSR. *miſerum offendi ibi militem.*

IN TEMPORE AD EAM. Auſon. in Pittaco.

Romana ſic eſt vox, veni in tempore:
Veſter quoque ille Comicus Terentius,
Rerum omnium primum eſſe tempus autumat,
Ad Antiphilam quo venerat ſeruus Dromo,
Nullo impeditam, temporis ſeruans vicem.

Dromoni adtribuit partes Auſonius, quæ Syri ſunt: memoriæ vt puto, lapſu.

ACT. II. SCEN. IIII.

Saluum aduenisse] MSR. *veniſſe.*
Animo exoptata] MSR. *exſpectata.*

ACT. III. SCEN. I.

Quod potero] vc. *qua potero adiuuabo ſenem.*

DIEM ADIMERE. Diphilus.

Αὐτοῖς δὲ πᾶσιν γίγνεται ἰατρὸς χρόνος.

Sulpicius ad Ciceron. lib. 4. Epiſt. 1.

Apud me domi] v.c. *Apud me domi eſt.*

Adaucta ſit.] vc. *fiet.*

Si te tam] vc. *Qui te tam.*

SINE MAGNO INTERTRIMENTO] Gloſſat. *Intertrimentum* ἀτριμμα. Scæuola l. C. inte tri w an dixit l. 34 §. 1 ff. de pignor. act. *Pytiſſando*] Diomed. lib. 1.

RELIVE DOLIA. Ita Diomed. hunc locum legit, lib 2.

CONFERVNT CONSILIA. Συσκέπτονται τὰ βουλεύματα. Plaut. Rudent. *Omnes ſapientes conferre decet.*

Quodcunque inciderit] MSR. & vc. *Quod cuique cunque.*

Quo maxime] MSR. *Qui max.*

Minabitur] MSR. & vc. *minitabitur.*

Incipere fallere] vc. *Incipere velle fallere.*

His ambiguni.] v. c. *hinc amb.*

ACT. III. SCEN. II.

INTENDENDA IN SENEM. Hoc pluribus Plaut. Bacchid.

Compara, fabricare, finge quod lubet, conglutina,
Vt ſenem hodie doctum docte fallas, aurumque auferas.

AQVILAE SENECTVS. Αἰετοῦ γῆρας. Zenobius.

Iam huic] vc. *Nam huic.*

ACT. III. SCEN. III.

MANVM IN SINVM Plaut Aſinar. *papillam pertractare* Ariſtenæt. lib. 1. Epiſt. 21. ἀπτεσθαι τῶν μαστῶν. Sic ex eadem diſciplina Venereorum nepotulorum ſunt molles manuum compreſſiones, incitamentum puta interioris voluptatis. Achil. Tatius lib. 2. τότε δὲ πρόσαγε τὴν δεξιὰν μυχαιτέρω, θίγε χειρός, θλῖβον δακτύλους, θλίβων στέναζε. Hinc ergo apud Plautum, in lege quam iuuenis amaſiæ ſuæ dederat, in Aſinar. *Neque cum deſcendat, inde det cuiquam manum* Ne amator fortaſſis an alius, τοῖς ἐκείνης δακτύλοις τοὺς ἑαυτοῦ περιπλέκων, vel ſic manu ſaltim ſalaci libidinaretur. Ariſtenæt. libr. 1. Epiſt. 9. Vide Themiſt. orat. 5.

AMICAM SVBAGITARE] v.c. *Subigitare.* Acro in Horat. lib. 1 Sat. 2.

In conuiuio] MSR. *in vino* quod non diſplicet.

Menedemo nunc] In MSR. τὸ *nunc*, deeſt.

ACT. IIII. SCEN. I.

Etiam quid fiet] vc. *timeo.*
Primum hoc te] MSR. *Primum te oro*, &c.

Hæc purgatio] Seru. Æneid. 3.

CH rogitas] MSR. & vett. *CH. At rogitas.*

Animus maternus, ſino.] MSR. *Animus maternus ſino te duici.*

Ignoſcentior] MSR. *Ignoſcentior tanto ſit.*
Ne exper. partu] VC. *ne expertu.*

NON LICET HOMINEM. Homer. Odyſſ. 18. Cicero. *Tales ſunt hominum mentes, quales pater ipſe Iuppiter, &c.*

ACT. IIII. SCEN. II.

T*Antum mihi erept.*] VC. *eſſe erept.*

NIHIL TAM DIFFICILE.] Menand.

ἁλωτὰ γίγνετ' ἐπιμελείᾳ καὶ πόνῳ ἅπαντα. Philemo.

Πάντ' ἐστὶν ἐξευρεῖν, ἐὰν μὴ τὸν πόνον
φεύγῃ τις, ὃς πρόσεστι τοῖς ζητουμένοις.

ACT. IIII. SCEN. III.

Q*Vi vſque vna*] VC. *qui vſque nunc.*
Siccine mihi] al. *ſiccine me.*

DEORVM VITAM APTI] Euripid. apud Stobæum, Serm. 254.

Θεοῦ βίον ζῶν ἀξιοῖς ἄνθρωπος ὤν.

Paruipendis] In Reg. exempl. *parum curas*, atque ita in alijs vett. codd.

ARGENTVM ERIPIO, PAX] Plaut. Pſeud.
Itaque dum enitor, pax! iam pene inquinaui pallium. Auſon. Idyll. 12.
Totum opus hoc ſparſum, crinis velut Antiphilæ: pax!

Priſcian. lib. 14. *Pax παντελῶς, aduerbium comicum, quo vtitur Terentius, quod ſimiliter Græcum eſt.* Erit ergo πάξ. Sed antea, vt Heſych. notat, πάξ ἀπόδομα, ἀνταπόδοτον. Latini *baxeas* dixerunt. Plaut.

Pater reſciuerit] VC. *ſenex reſc.*
Rem facias] VC. *& rem f.*

ACT. IIII, SCEN. IIII.

Q*Vid inceptat*] MSR. & vett. libb. *quid hac inceptat.*
Et venturam] VC. *atque venturam.*
Non eſt temere] MSR. *Non hoc temere eſt.*
Sequere hac] MSR. *ſequere me hac.*

ACT. IIII. SCEN. V.

I*Llancini mulierem*] Priſcian. lib. 12.
Scite in mentem] MSR. *Scite mihi in mentem.*
Superſt fallacia] VC. *Super fallacia eſt.*
Tardas ei] Seruius ad Eclog. 10.

Me rogas? hominis] Ita Reg. exempl. ſed multe variant alij ſcripti libb. quidam, *me rogas? fugitiuo dabo filiam, &c.* al. *homini fugitiuo dabo?*

IVS SVMMVM. Columell. in prolog lib. 7. *Nec ſane eſt vindicandum nobis quidquid licet: nam ſummum ius antiqui putabant ſummam crucem.* Hieronym. ad Innocent. *Et ô vere ius ſummum, ſumma malitia; poſt tanta miracula adhuc ſæuiunt leges.* Menand. apud Stobæum. Serm. 145.

ὁ δ' ὁρῶν τοὺς νόμους
λίαν ἀκριβῶς, συκοφάντης φαίνεται.

ACT. IIII. SCEN. VI.

N*VLLA EST TAM FACILIS.* Ambroſ. Hexaëmer. lib. 5. cap. 15. *Neceſſitas enim quæ inuito imponit obſequium, affert plerumque faſtidium. Nihil eſt enim tam facile, quin habeat difficultatem, quod facias inuitus.*

AD LANGVOREM DEDIT. Plaut. Aſinar.
Vbi ſæpe ad languorem tua duritia dederis octo validos lictores.

Vbi me excarnifices] Priſcian. lib. 8.

ACT. IIII. SCEN. VII.

M*E & familiam*] VC. *me & familiam meam.*
Immo hac] MSR. *Et quidem.* deinde in vett. lib. αὐτὶ τοῦ *hac*, legitur *iſthæc*.
Sed vtinis] VC. *Sed hæc iſta vt ſunt.*

ACT. V. SCEN. I.

I*Ta perſpicacem eſſe*] VC. *tam perſp.* in eodemque libro τὸ *eſſe* deſideratur.
Quidnis harum rerum] VC. *quod harum rerum vis.*
Deſponſam nuntiaſti] VC. *deſponſatam.*

NONNE ID FLAGITIVM. Menander.
Μισῶ σοφιστὴν ὅστις οὐχ αὑτῷ σοφός.

QVAM HIC PER FLAGITIVM] Gloſſ. *Flagitium*, ἀτόπημα, βία. ſignate βία, nimirum vt βιάζεσθαι ἐπ' αἰσχρῷ; quo ſignificatu hic *flagitium* intelligi poteſt. Inde *flagitare* Apul. *Nudatum ſupinatúmque in ventrem execrandis vredinibus flagitabãt.* Cato apud Feſtum, *Intercutibus ſtupris flagitatus.* &

flagitatores. Calpurn. Declam. 20. *Improbi flagitatores, qui detrimenta pueritia ſua mutuo dedecore compenſant. Et Flagitioſus coitus* apud Firmicum. quāuis hæc de puerorum amoribus rectius dicantur.

Quot incommoditates] MSR. & VC. *Quot incommoda tibi in hac re capies.*

Et id ingratum] V. C. *Et id erit ingratum.*

Quod manu] V.C. *quod malu.*

Acceſſat pates] V C. *preparet.*

Adeo depexum] Non. Marcell.

FACERE VIDVAS MVLIERI] Quinctil. declam. 338. *Imbecilla res eſt foemina, & affert infirmitati naturali non leue pondus, quod vidua eſt.*

ACT. V. SCEN. II.

QVid me incuſas] Seru. Æneid. 1. ad illum verſum ——— *talibus incuſat.*

Quidquid hominis ſies] Priſcian. lib. 14.

DISCE QVID SIT VIVERE. Lactant. lib. 3. cap. 18. *De vita quæreris, quaſi vixeris, aut vnquam tibi ratio conſtiterit, cur omnino ſis natus. Nonne igitur verus ille & communis omnium pater Terentianum illud iure increpauerit: Prius diſce quid ſit viuere.*

NEC TV ARAM TIBI. Quæcunque de hoc ritu dici poſſunt, iam alibi notata. Plutarch. περὶ δεισιδαιμ. Vlpian. lib. 17. §. 12. ff. de ædil. edict. Achill. Tatius lib. 8. καὶ τοῖς μὲν πονηροῖς αἱ τῶν ἱερῶν ἀσφάλειαι δέδονται καταφυγήν. ἐγὼ δὲ μηδὲν ἀδικήσας, ἱκέτης δὲ τῆς ἀρτέμιδος γενόμενος, τύπτομαι παρ' αὐτῷ τῷ βωμῷ. Cui non abſimilis locus Plauti in Rudent. Scen. *Nunc id eſt.* Euripid. in Andromeda

ἔχει γὰρ καταφυγὴν, θὴρ μὲν πέτραν,
Δοῦλοι δὲ βωμοὺς θεῶν.

Hinc etiam ἐσφῆ οἱ οἰκέται, ἀπὸ τῦ καταφεύγειν εἰς τὴν ἑστίαν. Etymol. magnum. De precatore Plautus in Aſinar. Epidic. Paulus I. Ctus. l. 43. §. 1. ff. de ædilic. edict. & alibi ſæpe.

Tibi iam eſſe ad ſororem] MSR. *Ita nos alieuanit ſibi: iam iſſe ad ſororem* &c.

Quæ propior] VC. *quæ prior.*

MATRES OMNES FILIIS. Menander,

Ἐστὶ δὲ μήτηρ φιλότεκνος μᾶλλον πατρός.

Apul. Florid. 3. *ſeruulus callidus, & amica illudens, & vxor inhibens, & mater indulgens.*

Ad Menedemum hunc] MSR. *hinc nunc ad Menedemum pergam.*

ACT. V. SEN. III.

COnfidenter reſtas] Plaut. *Etiam nunc reſtas carnifex.*

Hac eadem oratio] In reg. exempl. τὸ *hac* deeſt.

Tuum non eſſe] VC. *tuum non eſſe filium.*

Sed quod magis] MSR. *Sed quo mag.*

ACT. V. SCEN. IIII.

QVod peto & volo] Priſcian lib. 7.

Fraus, helluo] MSR. *helluo, glutto.*

Pigeat facere] VC. *Pudeat f.*

Principium inueniam] MSR. *pr. incipiam.*

ACT. V. SCEN. V.

FActiam, ſi facit] MSR. *ſi id facit.*

DVM INCIPIAS GRAVIA. Lactant. lib. 6. cap. 23 *Omnia grauia ſunt dum ignorat: vbi cognouerit, facilia.*

Illam virginem] VC. *illam puellam.*

ARCHONIDI HVIVS. Priſcian. lib 6.

IN ADELPHOS.

PROLOGVS.

IN PRIMA FABVLA. Chariſ. lib. 2.

Eum hic locum] MSR. *eum hunc l.*

HOMINES NOBILES] Cicero ad Atticum libr. 7. Epiſt. 3. *Terentij fabellæ propter elegantiam ſermonis putabantur à C. Lælio ſcribi.*

FACITE AEQVANIMITAS. Ouidus. *Excitat auditor ſtudium.*

ACT. I. SCEN. I.

NE AVT ILLE ALSERIT. Plaut. in Milit. Scen. Cohibete.

Pol ſi habuiſſem, ſatu capiſſem miſeriarum liberu,

Cenſerem emori, cecidiſſet ne ebrius aut de equo uſpiam

Metuerem, ne ſibi defregiſſet crura, aut ceruices ſibi.

ATQVE EX ME Chariſ. lib 1.

FORTVNATVM ISTI PVTANT. Hieronim. aduerſ. Iouinian. lib. 1. *Noſter Comicus fortunatum putat, qui uxorem nunquam duxerit.*

DVRITER SE HABERE. Elegans hæc locutio; indeque *exhibere ſe*, αὐτὸ τὸ alere. Papinianus l. 54. ff. de donat. int. vir. & vxor. Vlpian. l. 1. § 6. ff. de tut. & rationib. Idem l. 11. §. 1. ff. ad exhibend. *Si forte ipſe ſeruus ex operis vel artificio ſuo ſolebat ſe exhibere, nunc vero cogitur vacare* Quæ ita redduntur in Eclog. Βασιλικῶν. lib. 15. p. 169. εἰ μὴ ἄρα τεχνίτης ὢν εἰώθει ἐκ τῆς ἐργασίας αὐτοῦ τρέφεσθαι, καὶ νῦν σχολάζει. Scæuola l. 5. ff. de naut. fœnor.

PVDORE ET LIBERALITATE. Menander.

οὐ δεῖ λιπόντα τὸ παιδάριον ὀρθοῦν,

ἀλλὰ πείθοντά τι.

Themiſt. Euphrada orat. 5. αἰδοῖ μᾶλλον φέροντο δεῖν καὶ εὐνοίᾳ φιλεῖν, ἢ φόβῳ κατέχειν τοὺς νεανικούς. Afran. apud A. Gell. lib. 15. cap. 13.

Hem iſto parentum eſt viſa vilis liberis,

Vbi malunt metui, quam vereri ab ſuis.

ILLE QVEM BENEFICIO. Menand.

Υἱὸς προθύμως τ' ἀξιούμενον πατρὸς

Καλῶς γ' ἀλυπῶς, οὐκ ἐφόδιον ἕξεις βίου.

ACT. I. SCEN. II.

QVEM NEQVE PVDET. Priſcian. lib. 18. Menand.

Ὅστις γὰρ ἐρυθριᾶν οὐδὲν, οὐδὲ δεδιέναι,

Τὰ πρῶτα πάσης τῆς ἀναιδείας ἔχει.

HOMINE IMPERITO. Menand.

Οὐκ ἔστ' ἀνοίας οὐδὲν τολμηρότερον.

Quidquam iniuſtius] MSR. *iniuſtius eſt*,

Non ſinit egeſtas] Diomed. lib. 1.

Poſt, fuceret] Chariſ. lib 1.

Adiges me] MSR. *redigesme.*

Potat olet vnguenta] Priſcian. lib. 8.

Dum erit commodum] Aſconius 4. Verrin.

Qui vere ſciunt] VC. *qui viuere.*

Verbum vnum] MSR. *vllum.*

Iſte tuus] Priſcian. lib 17.

Poſterius nolo] Chariſ. lib. 1.

QVVM PLACO ADVORSOR. Diomed. lib. 1.

ACT. II. SCEN. I.

POſterius purges] Chariſ. lib. 1.

O facinus indignum] In MSR. τὸ *indignum* deeſt.

Miſero mihi] MSR. *ei miſerum.*

I nunc iam.] MSR. & VC. *I nunc iam tu.*

ANTE AEDIS NON FECISSE. Placid. Lact. in 2. ad Stat Thebaid.

LIBERALI ILLAM ASSERO. In VC. Pithœor. *Liberali am aſſero.* quomodo etiam in Eugraphio. *Am* igitur antique *eam*: vt *im*, *eum* αὐτόν. Gloſſ. Feſt. & XII. Tabb. *Liberali manu aſſerere*, eſt liberali iudicio natalibus reſtituere, καρπίζειν: Et *Aſſertor*, *vindex*, καρπιστής. Arrian. in Epict. lib. 2. cap. 26. μὴ ὅτι φιλοσοφεῖς ἔσω σερπικὸν τὸ ὄνομα) ἀλλ' ὅτι καρπιστὴν δίδως; τοῦτο γάρ ἐστιν ἡ τοῖς ἀληθείαις ἐλευθερία. quem locum male intellexit interpres; vt & Hernetus illum Clementis Alexandr. Stromat. lib. 5. τὰ διὰ δικαιοσύνης ἐκεῖνα ζυγὰ καὶ ἀσάφεια, καρπισμοῖς τε καὶ αἱ τῶν ἐπίψαυσις. &c. Bene in Gloſſar. καρπισμὸς *Vindicta Aſſertio*; inde καρπισίαι, vindiciæ ſecundum libertatem.

Quæſtum occeperis] Vett. codd. *inceperis.*

ACCIPIVNDA ET MVSSITANDA. Querolus; *Sed quidnam hic fiet? accipienda & muſſitanda iniuria eſt.*

ACT. II. SCEN. II.

PEcVNIAM IN LOCO. Menander;

Βέλτιστον ἐστὶ τὸ κέρδος ἐν τῷ καιρῷ τιθέν.

Plaut. Capteiu. Scen. Iam ego. *Eſt etiam vbi profecto damnum praeſtet facere, quam lucrum.*

DIVID.

Dividvvm faci. Gloſſ. *Diuiduum* ἰνμέρισον. *Diuiduus* ἰνδιαίρετος, ἀνεκμέριστος, ἀνμέριστος διαμεμερισμένος. Columell. lib. 12. *Nihil conſpiciebatur in domo diuiduum.* Et *diuiduitas* l. 80. §. 1 ff. ad l. Falcid. *Legata quæ diuiduitatem non recipiunt.*

Scio te non vſum] MSR. & VC. *Scio te non eſſe vſum*

ACT. II. SCEN. III.

Fratrem hominis] VC. *Fratrem hominum.*

Nihil ſupra pote] MSR. & VC. *Nil ſupra poteſt? quidnam*, &c.

ACT. II. SCEN. IIII.

Num quiduam affert] VC. *affert.*

Ego illam hercle] MSR. *facile.*

Hilarem hunc ſumamus] Chariſ. lib. 2.

ACT. III. SCEN. I.

Occipivnt primvlvm. Priſcian. lib. 15.

Geta avtem hic. Priſcian. lib. 7.

Nunquam tute pepereris] VC. *peperiſti.*

ACT. III. SCEN. II.

Neqve ivsivrandvm] Cato apud Nonium. *Qui neque fidem, neque iusiurandum, neque pudicitiam multi facit.*

Neqve illvm] τὸ *illum* παρέλκει Donatus monuit. ergo etiam in illo Senecæ loco, Controuerſ. 30 *timeo neſcio quem illum, qui patrem meum occidit* Quod ni ſic? eadem certe ratione *illum* ſine aſpiratione hic dictum, vt in Gloſſario; *Illum* νάρτηκος τὸ ἐπτός. Lucill. ——*nec proficit hilum.*

Satis mihi. Chariſ. lib. 2.

Secvnda ei dos. Plaut. Amphitr.

Non ego illam mihi dotem duco eſſe quæ dos dicitur:

Sed pudicitiam, & pudorem, & ſedatum cupidinem.

ACT III. SCEN. III.

Est hercle inepta] Priſcian. lib. 15.

Qvod ante probs] Thucid. lib. 8. τὰς ἐμποδὼν αἰτίας. μόνον ἐπισκοποῦντα. Priſcian. lib. 18. Ariſtot. apud Stobæum. Serm. 98. οὐκ ἐπὶ βλέπειν τὸ κείμενον ἐν τοῖς ποσίν. Dio Pruſæus περὶ βασιλείας. p 395. Lucianus in Pſeudologiſt. Cicero 2. de diuinat. *Quod ante pedes nemo ſpectat.*

Hascine fieri. In Reg. exempl. additur, *flagitia*: ſed aliena manu. in alio cod. *Hacine fieri ſc. poſſunt apud fratrem meum.*

Nihil nisi sapientia. Sic Aelian Var. lib. 7 c. 6 πᾶς καὶ μέτωπον αἷμα. Et *totus naſus*, apud Catull.

Qvidqvam coeperit. Priſcian. lib. 10. Non. Marcell.

Lacrvmo gavdio. Alex. Aphrod. προβλημάτων lib. 1. Apul. *Nam & lacrumæ nonnunquam gaudio proueniunt.* Fab. Quinct. lib. 11. cap. 3. *Quin etiam lacrumas ijs natura mentis indices dedit, quæ aut erumpunt dolore, aut lætitia manant.*

ACT. III. SCEN. IIII.

Salvere hegionem. Priſcian. lib. 18.

Functus officium] VC *officio.*

An quidquam eſt] In MSR. *ne eſt*, deſideratur.

Persvasit nox, amor] Demoſth. κατὰ Μειδίου. πρὸς ἄγε προφάσεις, μέθην, ἔρωτα, ἄγνοιαν. διὰ τὸ σκότος ἢ νυκτὸς τὸ πρᾶγμα γενέσθαι. Ennius apud Feſtum. *Perſuaſit nox, vinum, Deus qui multo eſt maxumus.* Plaut Aulular. Scen. Quis homo.

Ego me iniuriam feciſſe filiæ fateor tuæ,

Cereris vigilijs per vinum, atque impulſu adoleſcentiæ

Ignotum eſt] Priſcian. lib. 10.

Hic Geta] Priſcian. lib. 7.

Alii illas] MSR. *alii dicam.*

Certe Hegio] VC. *certe parturit.*

Vobis decet] MSR *vos decet.*

Non me indicente] Gloſſ. maeg. *Indicente*, μὴ λέγοντος, *tacente, hortante.*

ACT. IIII. SCEN. I.

Miserere nimis] τὸ *nimis* in MSR. deeſt.

Qvam vellem noctv. Symmachus lib. 1. Ep 17.

Cvm pervit. Priſcian. lib. 9.

Tam placidvm qvam ovem. Lucian in Alino. καὶ σοὶ τέως σωφρονέστερον προβάτου παρέξω τῇ τιμῇ. Philippid. apud Stob.

ὁ τραχύτατος δὲ συκοφάντης, μνᾶς δύο λαβὼν ἄπεισιν ἀρνὸς μαλακώτερος. Plaut. *Ouem meam vides.*

Facio te apvd illvm. Priſcian. lib. 13.

Lvpvs in fabvla. Vid. Suid. εἰ καὶ λύκου ἐμνήσθης. Plaut. in Stich.

Atque eccam tibi lupum in ſermone, præſens eſuriens adeſt.

ACT. IIII. SCEN. II.

NEgat esse rvri. Chariſ. lib. 1.

Non hercle hic qvidem] Pertinet huc locus Dionis Pruſæi ex orat. περὶ δόξης. πᾶσα μὲν ἐν ὅλη δουλεία χαλεπή. τοὺς δὲ ἀπὸ τύχης ἐν οἰκίᾳ τῇ αὐτῇ δουλεύοντας, ἐν ᾗ δύο τρεῖς δεσπόται &c.

Hvic rei capvt] Quinctil. lib. 3. cap. vlt. *Vt dicimus caput rei eſt; apud Menandrum,* κεφάλαιόν ἐστι. Plaut. Aſinar.

Ego caput huic argento fui hodie reperiundo.

Diminvetvr tibi. Ex Priſciani ſententia, *dimminuetur* legendum, lib. 1.

Est pistrilia. Chariſ. lib. 1. p. 32. 70.

Carpam et cyathos] Themiſt. Euphrada orat. 6. πάσχω δὲ ὥσπερ οἱ λίχνοι τῶν δαιτυμόνων, ἀπογίνομαι ἀεὶ τῶν ἀεὶ παραφερομένων ἁρπάζων, ἐμπίπλαμαι δὲ οὐδενὸς ἱκανῶς.

ACT. IIII. SCEN. III.

OMnes qvibvs res. Menander.

ἴνωπισον ἀτυχῶν ἐστὶν ἄνθρωπος φύσει.

Credvnt negligi. Sic fere omnes MSS. tamen in nonnullis eſt *claudier.* Diceret aliquis legendum, *Se credunt caluier.* vt in XII. Tab. *Si caluitur, pedemue ſtruit.* Sed veriorem cenſeo editam lectionem. Menand.

πρὸς ἅπαντα δειλὸς ὁ πένης ἐστὶ πράγματα;

Καὶ πάντας αὑτοῦ καταφρονεῖν ὑπολαμβάνει.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

COnſilij quis] vc. *quid poteſt.*

Me reprehendi] vc. *me pallio reprehendi.*

Egomet rapvi. Priſcian. lib. 13.

ACT. IIII. SCEN. V.

ITa vt dixi.] vc. *dixti.* Vid. Diomed. lib. 1.

Non equidem iſtas] MSR. *iuſtas.*

Ervbvit salva res. Lampridius in Heliogab. *Cum ad vindemias vocaſſet amicos nobiles, & ad corbes ſediſſet, grauiſſimum quemque percontari cœpit, an promptus eſſet in Venerem: erubeſcentibúſque ſenibus, exclamabat: Erubuit ſalua res eſt. ſilentium ac ruborem pro conſenſu ducens.*

Præſens præſenti eripi] Seru. lib. 4 Aeneid. ad verſ. illum; *abſens abſentem audit.*

Qvid credebas? dormienti. Menander.

Αὐτόματα γὰρ τὰ πράγματ' ἐπὶ τὸ συμφέρον ῥεῖ, κἂν καθεύδῃς.

Cicer. 7. Verrin. *Quibus omnia populi Romani beneficia dormientibus deferunt.*

Obſecro non ludis] Diomed. lib. 1.

Iam vxorem] MSR. & vc. *Iam vxorem ducam.*

Qvam ocvlos nvnc amo.] MSR *nunc ego amo.* Catull. *Ni te plus oculis meis amarem.*

ACT. IIII. SCEN. VII.

DVcenda indotata st.] Lege Attica, ſi quis puellam deuirginaſſet, eius ἢ γάμον ἄπροικον, ἢ θάνατον, eligere cogebatur. Syrian. Sopat. in Hermog. Plaut. Aulular.

Si quid ego erga te imprudens peccaui, aut gnatam tuam

Vt mihi ignoſcas, eámque vxorem mihi des, vt leges iubent.

Ita vita st hominvm. Alexis apud Stobæum.

Τοιοῦτο τὸ ζῆν ἐστὶν ὥσπερ οἱ κύβοι,

οὐ ταὔτ' ἀεὶ πίπτουσιν· οὐδὲ τῷ βίῳ

ταὐτὸν διαμένει σχῆμα. μεταβολὰς δ' ἔχει. Quem locum imitatus eſt

Tzetzes, Chiliad. 10. cap. 341.

-----ὥσπερ γὰρ ἐν τοῖς κύβοις

Ἄλλοτε ἄλλα βάλλονται. οὕτω καὶ ἐν τῷ βίῳ

Ἄλλοτε ἄλλα γίνονται μεταβολαῖς ποικίλαις.

Ambroſ. de Tobia cap. 11. *verſatur enim eorum vita vt teſſera.* Vid. Platonem lib. 10. de

Repub. apud Stob. Serm. 256. Sophocl. apud eundem, Serm. 254. Arrian. in Epictet. lib 2. cap. 5.

QVI CVM CANTITES] Amatoria videlicet cantica & meretricia: nam ita Cyrill. ea vocat, περὶ ἱερῶν ψυχῆς. Καὶ φιλημάτων ᾀσμάτων καὶ ἀπρεπῶν, καὶ ᾀσμάτων πορνικῶν. Velut erat ἀχροικὸν illud Virgiliani bubſequæ, in Eclog.

Formoſam reſonare doces Amaryllida ſyluas.

Quin etiam θυμελικὰ ᾄσματα à Cyrillo dicuntur. nam εἰς θυμέλην ſiue ſcenam prodire ſoliti, qui ſpectatores aſſa voce oblectarent, ſaltarentq́ue. Macer IC. l. 24. ff. ad leg. Iul. de adult. *in ſcenam ſaltandi cantandiue cauſa prodierit.* Baſilicῶν lib. 60. Tit. 37. Et quidem huiuſmodi cantilenis cum alias, tum maxime vino incaleſcente conuiuia perſtrepebant. Baſilius περὶ μεθυόντων. γέλωτες παρ' ἀμφοτέρων, ᾄσματα αἰσχρά, σχήματα πορνικὰ, ἐρεθίζοντα πρὸς ἀσέλγειαν. Iuuenal. Satyr. 11. ———— *illo fruatur*

Vocibus obſcænis, omnique libidinis arte. & quæ ſequuntur. Vbi vid. Scholiaſt.

RESTIM DVCTANS SALTABIS] Fuere veteribus in vſu duo potiſſimum genera chorearum, bellicrepa ſiue πυρρίχη, & illa γελαστική, quibus in theatris ſiue commeſſationibus vtebantur. Sed theatrales variæ erant; ἐμμέλεια enim τραγική, κόρδαξ κωμική, σίκιννις σατυρική. inuentoréſque earum Satyri. Lucian. περὶ ὀρχήσεως. Οἱ Διονύσῳ θεράποντες, οἱ Σάτυροι, πάντας ἐφευρόντες, ἀφ' αὑτῶν ἑκάστην ὠνόμασαν. Ideoque Arrian. in Indicis, κόρδακα σατυρικὴν vocat γενικῶς, à repertore eius, non quî ſic diſcriminaret à reliquis: ἢ ὄρχησιν αὐτὸν δεῖξαι (Dionyſius) τὴν σατυρικὴν, τὸν κόρδακα παρ' Ἕλλησι καλούμενον. Itaque *reſtim ducere* Terentio eſt, quod κόρδακα ἕλκειν Ariſtoph. vtrumque Comicum. cuiuſmodi ſane ſaltationes frequentes introducuntur in fabulis, Ariſtophan. in Veſp. Plaut. in Pſeud. Stich. & alibi. Vid. Pollucē, & Scholiaſt. Ariſtoph. in Nub. Vlpian in Demoſth. Olynth. 2 Etymol. magnum.

SI CVPIAT SALVS. Inſcriptio vetus in Hiſpania.

NEC HERCVLES QVEM GADES COLVNT.

NEC BELLONA QVAM CAMERTES ADORANT.

NEC DI OMNES ROMANI ERIPERE ME

A MORTE POTVERE.

Plaut Capteiu. *Neque iam ſeruare ſalus, ſi volt, me poteſt, nec copia eſt.*

ACT. V. SCEN. I.

AEDEPOL SYRISCE. Priſcian. lib. 13 & 18.

Nollem hoc exitum] MSR. *Nollem hunc exitum.*

ACT. V. SCEN. II.

PArasitaſter parvolus] MSR. & vett. codd. *paraſitaſter paululus.*

Edormiſcam hoc villi] MSR. & VC. *hoc vini.*

ACT. V. SCEN. III.

COMMVNIA ESSE AMICORVM Ariſtid. Panegyr p. 61. κοινὰ τῶν φίλων, &c. Hieronym. aduerſ. Rufin. *Pythagorica & illa præcepta ſunt, Amicorum omnia ſunt communia.* Seneca de benef. lib. 7 cap. 4. *Meſitio & de amicis interrogare, omnia dicitis illis eſſe cōmunia; ergo nemo quidquā amico donare poteſt.*

IO NE MORDET] Sic Græci quoque τοῦτ' ἐμὲ δάκνει.

HOC LICET IMPVNE] Auguſtin. Epiſt. 5. *Quod enim in diuerſitate perſonarum vno tempore accidere poteſt, vt huic liceat aliquid impune facere, quod illi non liceat, non quod diſſimilis ſit res, ſed is qui facit: ita ab vna eademque perſona diuerſis temporibus, tunc oportet aliquid fieri, tunc non oportet, non quod ſui diſſimilis ſit qui facit, ſed quando facit.*

SOLVM VNVM HOC VITIVM] Cicero de Seneſt.

Hominibus] VC. *omnibus.*

Animus æquus ſubnorttit] VC. *ſubnortiant.* al. *enortant.*

FAVILLAE PLENA, FVMI] Nicet Choniat. καὶ γραῦ καπνοῦ ἴσον ἐκ τοῦ κατὰ Σωλῆνος πυρί.

Vna cubet.] VC. *cum illa tunc cubet.*

ACT. V. SCEN. IIII.

AGRESTIS SAEVOS] Afranius apud Nonium, in Temere.

Vixiſti triſtis, durus, difficilis, tenax.

Hoc frvcti pro labore. Chariſ. lib. 1. Priſcian. lib. 6.

Patria potitvr commoda. Seruius 3. Aeneid. pag. 282.

ACT. V. SCEN. VII.

T*V hic eras*] vc. *Tun hic eras.*

Vxorem accerſis] msr. & vc. *vxorem quaſo accerſis.*

Hymenæum qui cantent.] msr. & vett. codd. *qui canat.*

Hymenaevm, tvrbas, lampadas] Hæc nuptiarũ ſollénia obſeruauit: Apul. Mileſ. 4. *Iam feraliũ nuptiarũ miſerrimæ virgini choragium ſtruitur, iam tedæ lumẽ atræ fuliginis cinerẽ arceſſit, & ſonus tibiæ Zygiæ mutatur in querulum Lidij modum; cantúſque lætus Hymenæi lugubri finitur vlulatu; & puella nuptura deterget lacrimas ipſo ſuo flammeo.*

Illi Babylo] msr. *Ille Bab.*

Quid ago] vc. *quid agam.*

Huc per viam] msr. & vett. codd. *hac per viam.*

ACT. V. SCEN. VIII.

PArere iam div. Priſcian. lib. 10.

Da veniam filio] msr. & vett. codd. *Da veniam quæſo filio.*

Promiſti autem] msr. *promiſiſti.* Diomed. lib. 1.

Dt te largitor] vc. *de teſis largitor p.*

Non omittis] vc. *Non omittitis.*

Svo sibi gladio. Simile fere illud apud Treb. Pollion. in Mario. *Addidiſſe hæc verba dicitur interemptor: Hic eſt gladius quem ipſe feciſti.* Variant autem ſcripti libb. quorum magna pars ſic habet. *Gaudeo & ſuo gladio hunc iugulo.*

ACT. V. SCEN. IX.

Q*Vod iuſſi*] vc. *Iuſſiſti.*

Aedepol vir bonus es] τὸ *es*, in msr. deeſt.

Lepidvm capvt. Seru. lib. 1. Aeneid. ad illum verſ. *purpúſque tuæ, pubéſque*

Haut dubium quin] msr. & vc. *Haut dubium eſt, quin.*

IN HECYRAM.

LVdis megalensibvs] msr. & vet. codd. *Ludis Romanis.*

Tibiis paribvs] msr. *tibijs parilibus.*

Acta primo sine prologo] Variant hic ſcripti libb. quorum plurimi ſic habent. *Gn. Octauio Tito Manlio Coſſ. relata eſt iterum ludis funebribus. relata eſt 3. Quinto Fuluio*, &c.

PROLOGVS.

PLacitae svnt. Seru. 10. Aeneid.

Acceſſit exſpectatio] vett. codd. *acceſſit ſpectatio.*

Vt libeat] msr. *vt lubeat.*

ACT. I. SCEN. I.

PErpol qvam. Seru. Aeneid. 1. ad illum verſ. *Rapidum ad naues.*

Ne cuiuſque miſereat] vett. codd. *cuiuſquam te miſ.*

ACT. I. SCEN. II.

D*I bene amabunt*] vc. *ament.*

Plus potes] Priſcian. lib. 9.

Magis procax] Non. Marcell. in Procacitas.

Elapſus Bacchidi] vc. *elapſus eſt à Bacchide.*

Relinquit cum matre] msr. & vc. *reliquit.*

Non quit. pati.] msr. *non quiuit pati.*

Dies est complvris. Priſcian. lib. 5.

It visere ad eam. Macrob. de different.

ACT. II. SCEN. I.

NEqve declinatam] Menand. γυνὴ γυναικὸς πάντοτ' οὐδὲν διαφέρει.

Omnes socrvs oderunt. Hieronym. aduerſ. Iouinian. cap. 29. *In Lepti vrbe ſemibarbara & poſita in ſolitudine moris eſt, vt nurus altera die ollam mutuam poſtulet. Cui illa negat, vt ſcias illud verum eſſe Terentij, quod con-*

pulte ambigue extulit : Omnes ſocrus oderunt nurus.

Tv inqvam mvlier. Conuicium hoc ſequioris ſexus, *MVLIER*. Manet Caſin. I. *Foras, Mulier es*. Euripid.

ὦ παγκακίστη καὶ γυνή. τί γὰρ λέγων
μεῖζον τί τοῦδ' ὄνειδος ἐξείποι τις ἄν.

Fama foris] vet cod. *pro fama foris*.

Sed non credidi Priſcian. lib.

Me odiſſe adſimulaueris] msr. *me odiſſe ſe adſ.*

Morbum magis] In msr. τὸ *magis deſideratur*.

ACT. II. SCEN. II.

Apprime obseqventem. Chariſ. lib. 2.

Incertum amiſti] msr. *amiſiſti*.

Seipſum magnificare] vc. *magnifacere*.

Et benignitatem] Additur in msr. & vett. libb. *quam exhibebis erga meam filiam*. ſed alia manu.

ACT. III. SCEN. I.

Parsi perdere. Diomed. lib. 1. Priſcian. lib. 10.

Scio reuerituras] msr. *reueritas*.

Obſtrudit pater] vc. *obtulit pater*.

Ex ea re me] τὸ *me in* msr. *deeſt*.

Nam maxvmas. Ouidius,

Magnáque de faculi iurgia lite cadunt.

Gvbernat animvs. Lucret. lib. 3.

Nam veluti infirmo pueri, teneróque vagantur
Corpore: ſic animi ſequitur ſententia tenuis.

Plutarch. περὶ ὀργιζίας.

Rurſum, prorſum] al. *ſurſum prorſum*. Plaut. Amphitr.

Ego cunas receſſim rurſum vorſum trahere & ducere.

Me celas] vett. omnes & msr. *me celant*.

ACT. III. SCEN. II.

Philumenæ dolores] vc. *Philumenam*.

ACT. III. SCEN. III.

Praecvcvrrit nvntians. Priſcian. lib. 10.

Ad genva accidit lacrymans. Diodor. Sicul. Eclog. 34. τοῖς μὲν πρὸς τὰ γόνατα πίπτων, τοῖς δὲ τοῖς χερσὶν ὀρεγόμενος ἱκέτευε, καὶ μετὰ δακρύων καθικέτευε, βοηθῆσαι τοῖς ἐκλαμβάνουσι.

Obſeſtamur ambæ] al. *obſecramus*.

Fieri id non] τὸ *id*, in msr. deeſt.

Idem nunc] msr. *Item nunc*.

Olim ſoli credidi] vc. *olim ſibi cred*.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Nescio qvid mali. Poſidippus.

ὁ μὴ πεπλευκὼς, οὐδὲν ἑόρακεν κακόν.

Plvs eo, in navi. Priſcian. lib 7.

Si eo mihi redevndvm fiet. Pertinet huc Amphidis dictum apud Stobæum, Serm. 250.

Ἐν οἷς ἂν ἀτυχήσῃ τις ἄνθρωπος τόποις,
Ἥκιστα τούτοις πλησιάζειν ἥδεται.

Callidemidem hospitem. Priſcian. lib. 6.

Cadaverosa facies. Sidon. Apoll. lib. 13. Epiſt. 3. *Sordidior eſt atque deformior cadauere rogali*.

ACT. III. SCEN. V.

Dixiſſe ſe expectare] τὸ *ſe* in msr. deeſt.

Atque adeo] msr. *Et adeo*.

Audiui omnia] msr. *Audiui omnia modo*.

Et benigno in illam] Plurimi vett. & msr. *Quam fideli animo in illam, & clementi fui*, quod verius puto.

Ni te ex ipſa] vc. *Niſi ex ipſa*.

Quum te poſtputaſſe] in msr. τὸ *te*, omiſſum eſt.

Si ſanus fies] vc. *ſi ſanus ſatis fies*.

ACT. IIII. SCEN. I.

Nam si vtrvmvis horvm &c. Priſc. lib. 8.

Patrem rogare] msr. *rogitare*.

Tantopere omnes] vett. & msr. *tantopere hoc omnes*.

Pepererit] msr. *peperit*.

Sciam ita eſſe] In msr. τὸ *ita* deeſt.

Iam adderis] vett. & msr. *Iam adderis tempus*.

Hominem ducerem] v c. *dicerem.*

Nosci non qvita] Priſcian lib.10.

Virgini adiens anvlvm] Pacuuius apud Feſtum. *Repugnanti ego porro hunc vi detraxi vngulum.*

ACT. IIII. SCEN. II.

Cognatas deserere et festos dies Interpretari hic locus debet ex Val. Max lib.2.cap.2. § 8. *Conuiuium etiam ſollemne maiores inſtituerunt, idque Chariſtia appellauerunt, cui præter cognatos & affines nemo interponebatur*, &c. Hoc in Gloſſ. eſt *Cara cognatio*, συγγένεια. Tertullian. de Idololatr. *Caræ cognationis honoraria exigẽda omnia.* Vid. Kal. Ruſticum.

Longinquitas ætatis] v c. *Longuitas.*

ACT. IIII. SCEN. III.

Istvc est sapere. Alexis.

εἰ μὴ γὰρ ὢν ἄνθρωπος ἀνθρώπου τύχαις

ὑπηρετήσω, οὐ φανήσομαι φρονῶν.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

Mater te impulit] MSR. & vett. Codd. *mater quæ te imp.*

Sane perpetvam volo] Nuptiarum quippe hoc votum eſt, ætatem eæ vt durent atque perpetuæ ſint. l. 1. ff. de rit. nupt. Virg Aeneid. 1.

Connubio iungam ſtabili, propriámque dicabo,

Omneis vt tecum meritis pro talibus annos

Exigat —— Quinctilian. Declam. 376. *Vxor mihi ſocia thori, vitæ conſors, in omnem ætatem iungenda.* Ideo diuortium matrimonij quædam velut calamitas, qua interueniente ſocietas hæc diſſoluitur. Vid. Gratian. 27. Quæſt. 2. & ſeqq.

Conſultatio eſt] v c. *conſolatio eſt.*

Nec conuenturum] MSR. *Neque conu.*

Conſon' te poſſe] v c. *Cenſeſne te poſſe.*

Id quod ſollicitere] MSR. *quid ſit hoc, id quod ſollicitere.*

Huc animum vt adiungas] Vett. & Reg. exempl. *vt adducas.*

Immo vero abi] τὸ *vero* in MSR. & vett. deeſt.

ACT. V. SCEN. I.

Obſtet apud te] Poſtremæ duæ voces in MSR. deſunt.

Erit ætatem] τὸ *ætatem* in vett. & MSR. omiſſum eſt.

ACT. V. SCEN. II.

Et qvvm tv satvra] Priſcian. lib. 6.

Suſpicione exolues] MSR. *euelles.*

ACT. V. SCEN. III.

Tva qvod nihil. Ariſtides περὶ τοῦ παραφθέγματος p. 50. ἵνα τοίνυν εἰδῇς, ὅτι καὶ ὅλως ἀρχαῖον νόμιμον τοῦτο, καὶ ἑλληνικὸν, φρονεῖν ἐπὶ τοῖς ἑαυτοῦ.

Dum luctat.] Ita MSR. & vett. libb. al. *luctatur.*

Qvaesti gratia ad malas] Priſcian. lib. 6 Fab. Fulgent. de priſco ſerm. in voce Diobolares.

ACT. V. SCEN. IIII.

Devs svm si hoc ita Plaut.

Rex ſum; regem autem quid loquor? imo Deus.

Et in Curgul. Scen. Placide. ---- *Sum Deus.*

Venvstatisqve] Non. Marcell.

Neque in me ipſo] MSR. *neque in memetipſo tibi*, &c.

Morem antiqvvm. Reſpexit ad verſum Ennij lib. 5. Annal. *Moribus antiquis res ſtat* &c. quem citant Cicero lib. 5. de Rep. D. Auguſtin. lib. 2. cap. 21. de ciuit Dei. Valcat. Gallican. in vit Auidio. Plaut. Captei.

Ille demum antiquis eſt adoleſcens moribus,

Cuius nunquam vultum tranquillum gratijs.

Perliberalis visast] Vid. Feſt. in voce Liberales.

Feci imprvdens qvam sciens. Plaut. Capteiu.

Vt ſæpe iam in multis locis

Plus inſciens quis fecit, quam ſciens boni.

IN PHORMIONEM.

PROLOGVS.

T*Ranſilere hominem*] Vett.codd.& MSR. *tradere.*

Et magis placerent] Hic verſus abeſt à pleriſque MSS.

BENEDICTIS SI CERTASSET. Plaut. Pſeud. *Contumeliam ſi dices, audies.* Hieronym. aduerſ. Pelagian. *Cum dixeris quæ volueris, audies quæ nequaquam velis.* Et aduerſus Rufin. *Nihilque ſuper hoc amplius, niſi illud è triuio, cum dixeris quod vis, audies quod non vis. Aut ſi tibi videtur vulgare prouerbium, & homo ſapientiſſimus magis Philoſophorum ac poëtarum ſententijs delectaris, lege illud Homericum,* ὁπποῖον κ' εἴπῃσθα ἔπος, τοῖον κ' ἐπακούσαις. Quinctil. lib. 5. de eis qui latius euagantur.

Res agetur] MSR. *geretur.*

ACT. I. SCEN. I.

DE RATIVNCVLA. Priſcian. lib. 3.

Vnciatim] Chariſ. lib. 2.

DEFRVDANS GENIVM. Plaut. Aulul. *Tantum auri ſeruaui fraudans animum geniúmque meum.* Cenſorinus de die natali. Seru. 1. Georg. ——— *genialis hyems.* Nonius Marcell. in voce *Genius.*

FERIETVR ALIO MVNERE. Seneca de benef. 7. cap. 4 *Nunquid dubium eſt, quin ſeruus cum peculio domini ſit! Dat tamen domino ſuo munus.*

VBI ERIT NATALIS DIES] Summa hoc cura & religione ab antiquis obſeruabatur, ne diem natalem ſiue munere dimitterent. Symmach. lib. 6 Epiſt. 49. *Natalitio munere quod frequentari à nobis per multos annos communis felicitas facies, noſtrum Inlatæſtis animum.* Pomponius l. 31. §. 8. ff. de donat. int. vir. & vxor. *Si vir vxori munus inmodicum Kal Martijs, aut natali die dediſſet, donatio eſt.* Plaut. Pſeud. Scen. Exite, agite.

Ille vero cuius natalis erat, hoc agebat vt genialiter eo die & ſe & amicos acciperet. Perſius. Saty. 2.

> *Hunc Macrine diem numera meliore lapillo,*
> *Qui tibi labentes apponet candidus annos;*
> *Funde merum* GENIO.

Plaut. Pſeudol.

> *Mihi hodie natalis dies eſt, decet eum omnes vos concelebrare;*
> *Pernam, callum, glandium, ſumen, facito in aqua iaceant ſatin' audis?*
> *Magnifice volo enim ſummos viros accipere.*

Idem in Perſa. Act. 5. Iuuenal. Sat 5. Symmach lib. 6. Epiſt. 82. Adeo quidem vt non priuatum, ſed publicum ſæpe conuiuium daretur. Inſcriptio vetus Spoleti.

TRIB MIL LEG. XV. APOLLINARIS. ET LEG. V. MACEDONIC. HIC.
LEGAVIT. TESTAMENTO MVNICIPIB. HS. LXVI. C. MONET. VT. EX
REDITV. EIVS. SVMMAE. QVOT ANNIS. VIII. IDVS NOVEMB. NATALE.
SVO. MVNICIPIB. EPVLVM. ET CRVST. ET MVLSVM DARETVR.

Similiter initiationis dies magnis poculis. Peragebatur, non Romæ ſolummodo, ſed & alibi locorum; velut de Abrahamo legimus Geneſ. cap. 21. *Creuit igitur puer, & ablactatus eſt: fecitque Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius.* Sic Geneſ. cap. 40. in natali Pharaonis opipare conuiuatur. Quare etiam nè tale quid à populo Iudaico committeretur, legibus cautum fuiſſe Ioſeph ſcribit contra Apionem. οὐ μὴν οὐδ' ἐπὶ ταῖς τῶν παίδων γενέσεσιν ἐπέτρεψεν, εὐωχίας συνάγειν, καὶ προφάσεις ποιεῖσθαι μέθης, ἀλλὰ σώφρονα τὴν ἀρχὴν εὐθύς.

ACT. I. SCEN. II.

SI QVIS QVID REDDIT] Iuuenal. Sat. 13.

> *Nunc ſi depoſitum non inficietur amicus,*
> *Si reddat veterem cum tota arugine follem*
> *Prodigioſa fides.*

Pellexit] Priſcian lib 10.

Montes avri pollicens. Menand.

Βαζιλικῶς ὑπισχνέμενος, τί δὲ λεγόμενον

τοῦτο, τὰ τῆς γῆς ἀγαθά. Hyeronym. aduerſ. Paulin. *Cum montis aureos pollicitus fueris, ne ſcorteum quidem nummum de theſauris tuis proferas* Plaut. in Milite.

——— *præter theſaurum,*

Tum argenti montes & maſſas habet.

Prudent. in Laurent. ——— *fulgida*

Montes monetæ condidos.

Advorsvm stimvlvm] Zenobius in prouerb. πρὸς κέντρα λακτίζειν. Chariſ. Soſipat. lib. 4. p. 299.

Amare coepit perdite] Chariſ. lib 1.

Ocvlos pascere] D Ambroſ. Hexam. lib. 3. cap. 8. *Paſcuntur oculi grato ſpectaculo.*

Lex est vt orbae] ſ Adelph. Act. 4 Scen. 5. Demoſthen πρὸς Λεώχαρην. Ὁ νομοθέτης, &c. τὰς ἀτυχίας τῶν οἰκείων, καὶ τὰς ἐνδείας τῶν γυναικῶν τοῖς ἐγγυτάτω γένους προστάττει. Fortunatianus; *Orba proximo nubat, vel ſi eam noluerit in matrimonium ducere, det x. millia* De decem millibus recte etiam Eugraphius pag. 581. quam ſummam dicis gratia adiectam arbitror; alioquin ἄτοπον eſſet, eandem quantitatem in pauperiore virgine obſeruari debere, quæ in nobili aliqua ac diuite. Ita apud Iuuenal. Satyr. 10.

———*ritu decies centena dabuntur*

Antiquo -- & Iuſtinian. Nouell. 22. cap. 18. in dotem cccc. auri libræ nominantur: non quod omnis dos hiſce terminis circumſcripta, ſed quod maxima illa pleróumque erat. Martial. lib. 2. Epig 65 lib 11 Epig. 24 l. 6. § 1. ff. de vſuris. Videriint ergo, qui hæc aliter interpretantur.

ACT. I. SCEN. III.

Eivs adventi. Vett. codd. & msr. *aduentus.* Vid Priſcian. lib. 6.

Qvod vtinam Priſcian. lib. 15.

Tum illos] vc. *tum illud.*

Nostri nosmet poenitet] Publij verſus apud Saluianum. *Aliena nobis, noſtra plus alijs placent.* A. Gellius lib. 20. cap. 6.

ACT. I. SEN. IIII.

Iam aliquod tibi] In vc. τὸ *tibi* deeſt. vid. Priſcian. lib. 7.

Conſilium celere] Diomed. lib. 2. Priſcian. lib. 5.

Laterem lavem] πλίνθον πλύνειν. Suid.

Senis essem vltvs, &c Gloſſæ Philoxeni ἔκδικος τιμωρός. *Vltor vltus.* *Terent. Phormio Et ſenis eſſem vltus iracundiam.*

Protinvs in pedes Charit. lib. 2.

Ibi plvrimvm est. Charit. lib. 2.

Verbo expedi] msr. *Verbo expedi vno.*

Fortis fortvna. Sophocl

οὐ τοῖς ἀθύμοις ἡ τύχη ξυλλαμβάνει.

Sauidici dictu.] ita ex Mss. editum al. *ſauie dictu.* Vid Non. Marcell.

Ego plectar Priſcian. lib 10.

Si quid poteſt.] vc. *potes.*

ACT. II. SCEN. I.

Qvum secvndae res. Auſonius in Menand.

Aduerſa rerum, vel ſecunda prædicat

Meditanda cunctis comicus Terentius.

Locare ſedes, bellum gerere, aut ponere, &c.

Deputare eſſe] msr *deputa eſſe.*

Meditata mihi] Priſcian. lib. 8.

Quid iſtuc] msr. & vett. cod. *Quid iſtuc eſt.*

Hic in noxa est. Aſcon. Pedian. 4. in verrem.

Probe eorum] vc. *probe horum.*

Propter misericordiam Sotades.

Ὁ πένης ἐλεεῖται, ὁ δὲ πλούσιος φθονεῖται.

Antiphanes.

Καλῶς πένεσθαι μᾶλλον, ἢ πλουτεῖν κακῶς,

Τὸ μὲν γὰρ ἔλεον, τὸ δὲ ἐπίφθονον φέρει.

Non potvit cogitata. Simile quid de Thucidide narrat Ariſtophan. in Veſpis.

.... ἐκεῖνό μοι δοκεῖ πεπονθέναι,

Ὅτι ποτὲ φεύγων ἔπαθε καὶ Θουκυδίδης·

Ἀπόπληκτος ἐξαίφνης ἐγένετο τὰς

γνάθους. Vid ibid Scholiaſt.

Siqvidem qvisqvam crederet. Vid. Tit. π. de Scto. Macedoniano.

ACT. II. SCEN. II.

Eccere] msr. *Eceres.* ſed alterum rectius. Gloſſar. *Ecce.* κατὰ τ. δ. μητρός.

Eccere

Eccire ἰδοὺ. Vid. Feſt. & Chariſ.

INSTRVCTA SVNT. Cicero lib. 3. de nat. Deor.

ASYMBOLVM VENIRE. Ἀσυμβόλως δειπνεῖν. Euſtat. in Homer. Didior.

ἀπερχόμενοι εἰκῆ, ἢ καταβαλὼν ſυμβολάς.

CAENA DVBIA. παντοδαπία. Ariſtophanes in Pace. πυκνὸν καὶ γεραὸν ὥσπερ μᾶζα ἐν παντοδαπίᾳ. Leg. ibid. Scholiaſt. Horat. lib. 1. Satyr. 1. ---. -*vides vt pallidus omnis Cena deſurgat dubia.* Hieronym. ad Euſtoch. de virginit. *Caſta vocantur & nonne, poſt cœnam dubiam Apoſtolos ſomniant.* Sic Pacuuius apud Nonium in voce Copis. *O multimodis varie dubium & proſperum copem diem.*

QVID SVMAS POTISSIMVM. Priſc. lib. 3.

ACT. II. SCEN. III.

AVARITIA QVID FACIT. Menand.

ἔργον εὑρεῖν ſυγγενῆ
πένητός ἐστιν, οὐδεὶς γὰρ ὁμολογεῖ
αὐτῷ προσήκειν τὸν βοηθείας τινὸς
δεόμενον.

Inſimulabis malitia] VC. *auaritia*.

CVI OPERA VITA. Ita meliores libb. nec aliter Priſcian. lib. 15. Eſtque Atticum loquendi genus, vt illud veteris Poëtæ apud Athen. lib. 1.

Οὐδὲν ὁ μάγειρος τοῦ ποιητοῦ διαφέρει,
ὁ νοῦς γὰρ ἐστὶν ἑκατέρῳ τούτων τέχνη.

Nam ſimili modo dictum, ὁ νοῦς, τέχνη; vt à Terentio *vita opera*. Aliud ergo Donatus egiſſe videtur, dum hæc aliter explicat.

In malam crucem] Vett. lib. & MSR. *Hinc in malam crucem*.

BONORVM EXTORTOR. Priſcian. lib. 9.

NON DICO. Aſcon. Pedian. 3 in. Verrem.

IVDICIVM DE EADEM CAVSA] Iuris ſententia eſt: Semel lite terminata, de eadem re actio iterum ne detur. Syrianus, & Sopater in Hermog. pag. 110. *δὶς περὶ τῶν αὐτῶν δίκας μὴ εἶναι*. Vid. Donat. Andr. Act. 3. Sc. 1.

ACT. III. SCEN. I.

SPES OPESQVE. Plaut. Capt.
Spes opeſque atque auxilia à me ſegregant ſpernuntque ſe. Salluſt. in Iugurt. *Spes atque opes ciuitatis in illo ſita.*

ACT. III. SCEN. II.

NON MIHI CREDIS. D. HARIOLARE]. Tale illud Plautin. *Nihili cocio eſt.*

Vnquam vſus] VC. *Vnquam tibi vſus.*

AVRIBVS TENEO LVPVM. Ariſtænet. lib. 2. Epiſt 3. ἐγὼ γὰρ τὸν λύκον τῶν ὤτων ἔχω, ὃν οὔτε κατέχειν ἐστὶ πολὺ δυνατὸν, οὔτε μὴν ἀκινδύνως ἀφεῖναι. Querol⁹. *Auribus lupum teneo: neque vt ſallam, neque vt confitear, ſcio.*

NE PARVM SIS LENO. Aſcon. Pedian. 3. in Verrem.

STERQVILINIVM.] Sic Græcis in vſu eſt, κόπριος ἀνήρ. Suid. Plaut Pſeud. *Fraudulente,* CA. *impure leno.* PH. *cænum.*

ACT. IIII. SCEN. I.

SENECTVS IPSA EST MORBVS. Ariſtot. νόσον μὲν νόσον εἶναι γῆρας ἐπίκτητον, τὸ δὲ γῆρας νόσον φυσικήν. Galenus ὑγιεινῶν lib. 1. τὸ γῆρας νόσον οὐδὲν λέγουσιν ἔνιοι.

Quod ſi ſit] MSR. *quod ſi ſcit.*

MEORVM SOLVS SVM. Priſcian. lib. 12.

DEFETISCAR] Vett. libb. *Defeciſcar.* Priſcian. lib. 10.

Experirier.] VC. *experier.*

ACT. IIII. SCEN. III.

NOVA HIC COMPLVRIA] Chariſ. lib. 1. duobus locis. Priſcian. lib. 3.

HINC FACESSAT. Diomed. lib. 1.

NIMIVM QVANTVM. Chariſ. lib. 2.

TALENTVM MAGNVM. Priſcian. lib. de ponderibus.

GETA OCCIDISTI ME, &c] Abeſt hic verſus à vett. codd.

ACT. IIII. SCEN. IIII.

AD RESTIM MIHI. Priſcian. lib. 7.

Vt te quidem omnes] Chariſ. lib. 2.

Minus vtibile] Plaut. Menechm. *Solent eſſe heris vtibiles.*

SACRIFICANDI DABITVR] Tertull. de Idol. *Nuptias quoque celebrari non magis Deus prohibet, quam nomen imponi. Sed hu accommodantur ſacrificia.* Hoc ipſum, & magis etiam, nomen ſacrificij indicat interpres Ariſtoph. in ſcholiis non dum editis, ad

Θεσμοφόρ Ἥρα ἡ τὴν τελείαν] Ἥρα τελεία καὶ ζεὺς τέλει⊙ ἐτιμῶντο ἐν τοῖς ...... ὡς πρυτάνεις ὄντες τῶν γάμων. τέλ⊙ ἡ ὁ γάμος, καὶ προτέλεια θυσία, ἡ πρὸ τῶν γάμων γινομένη. Itaque Plaut. Aulul. in nuptijs Megadori,

Ego niſi quid me vis, eo lauatū vt ſacrificem.

Puta, vti re diuina facta Di Gamelij placarentur, omēnque de ſucceſſu matrimonij captaretur: cui rei auſpices quoque adhibiti. Lucan. lib. 2.

Iunguntur taciti contentique auſpice Bruto.

Vbi vetus Scholiaſtes, quem MS. habeo: *Auſpex dicitur, qui nuptijs intereſt, diuinationem quærens.* Plaut. Caſina.

Vltro ibi nuptum non manebit auſpices.

Iuuenal. *Veniet cum ſignatoribus auſpex.*

INTROIIT IN AEDES] Varia admodum ac multigeneris fuit τῆς μαντικῆς doctrina: ſed de qua hic agitur, ea proprie οἰκοσκοπικὴ dicebatur. Atque vt de alijs alij abūdè ſcripſerunt, ita Xenocrates librum compoſuit, in quo de domeſticis propriè egit. Notauit id Suidas, cuius hæc ſunt verba. Οὗτ⊙ συνεγράψατο τὸ οἰκοσκοπικὸν οἰώνισμα, οἷον ὅτι εἰ ἐν τῇ στέγῃ ἐφάνη γαλῆ ἢ ὄφις, τὸ δὲ τί σημαίνει. Apposite ſane, nec melius poterat. Nam & de muſtela meminit Plaut. in Sticho. Act. 2.

Muſtela murem abſtulit præter pedes,

Eum ſtrenua obſonauit. Dio Caſſ. lib. 58. de Seiano. προϊόντ⊙ αὐτοῦ ἐκ τῆς οἰκίας, γαλῆ διὰ μέσων σφῶν διῆξεν. Apul. lib. 9. Mileſiar. cuius locum poſtea adducemus.

ATER CANIS] Hæc eſt quam Plautus *Caninam ſcæuam* vocat. Apuleius Mileſ. 9. *De ore paſtoritij canis virens exſiluit ranula; ipſúmque canem qui proxime conſiſtebat, aries appetitum vnico morſu ſtrangulauit.* Nec ſic vero canis tantùm ominoſus erat, quinimmo ſi vianti occurriſſet, infauſtum omne iter putabatur. Tzetzes Chiliad. 13 Hiſt. 474.

Κἂν τοῦτον ζύμπαν μάντευμα καταχθονικωτέρως

Κληδὼν, παρμὸς, σύναντημα κυνῶν, &c.

Horatius Od. 28.

Impios parræ recinentis omen

Ducat, & prægnans canis, & ab agro

Raua decurrens lupa Lanuuino

Fetáque vulpes,

Rumpat & ſerpens iter inſtitutum.

Et velut ἐν παρέργῳ hoc loco notandum, quod Horatius de lupa ait, diuerſum id eſſe à lupo, quem inter bona portenta nominat Petr. Bleſenſis Epiſt. 65. *Ne te illorum errore inuoluas, qui occurſum leporis timent, qui mulierem ſparſis crinibus, qui hominem orbatum oculis, aut mutilatum pede, aut cucullatum habere obuiam deteſtantur: qui de iucundo glorientur hoſpitio, ſi eis lupus occurſauerit aut columba*, & quæ ſequūtur. Vt cucullatus hic chriſtianis, ſic chriſtianus fere omnis dirum paganis omen. Photius ex Martyrolog. vet. bibliothecæ pag. 764. νομίζας, ὡς οἰωνὸς αὐτῷ γέγονεν οὐκ ἀγαθὸς, ἢ κατὰ τὸ στάδιον ἀπιόντι τοῦ ἁγίου συνάντησις. Vid. Ioan. Saliſberienſ. Policratic. Et quidem etiamnunc ſuperſtitio multos inuaſit, ἀπράκτους cenſere dies, in quibus ſors exeūtes domo inteſtabili occurreretur vel abſciſſo. Quod & ipſum ſuo ſæculo notauit Lucian. in Pſeudolog. εἴ τις σάκκηλον, ἢ εὐνοῦχον ἴδοι, ἢ πίθηκον, εὐθὺς ἐξιὼν τῆς οἰκίας, ἐπὶ πόδα ἀναστρέψει, καὶ ἐπανέρχεται, οὐκ ἀγαθὰς μαντευόμενος τὰς ἐφημέρους ἐκείνας πράξεις ἔσεσθαι αὐτῷ, ὑπὸ πονηρῷ τῷ πρώτῳ καὶ δυσφήμῳ κληδονίσματι.

ANGVIS PER IMPLVVIVM.] Plaut. Amphitr.

Deuolant angues iubati deorſum per impluuium duo.

Clemens Alexandr. Stromat. lib. 7. Εὖγ' οὖν καὶ Διογένης πρὸς τὸν θαυμάζοντα, ὅτι εὗρεν τὸν ὄφιν ἐν τῷ ὑπέρῳ περιειλημμένον, μὴ θαύμαζε, ἔφη, ἦν γὰρ παραδοξότερον ἐκεῖνο, εἰ τὸ ὕπερον περὶ ὀρθῷ τῷ ὄφει κατειλημμένον ἐθεάσω. Theophraſt. περὶ δεισιδαιμ. ἐὰν ἴδῃ ὄφιν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἱερὸν ἐνταῦθα ἱδρύσασθαι. Vbi quid ſit ἱερὸν ἱδρύσασθαι ex Cornuto diſcendum, ad illa Perſij ——— *Pinge duos angues.* Iſidor. Origin. lib. 12. cap. 4.

GALLINA CECINIT.] Et in Apul. oſtentum tale narratur. lib. 9. Mileſ. *Vna de cetera cohorte gallina, per mediam curſitans aream, clamore genuino, velut ouum parere geſtiens perſonabat.* Clem. Alexandr. Stromat. lib. 7.

ἀλεκτρυόνων περὶ φθόγγους, ἐὰν ἀπὸ ἑσπέρας ᾄσῃ, πένθιμον τοῦτο σημεῖον τινός. Et nunc quoque anilibus fabulis imbuti feruntur, ſi gallus triſtem ſonum ediderit, vel gallina cecinerit, id mortem alicui ex familia, aut damnum ſignificare. Huiuſmodi ergo monſtra cùm euenirent, qui religioſiores erant, ſtatim ad ariolos abire ſolebant, atque ab illis conſilium expetere. Theophraſt. περὶ δεισιδαιμ. ἐὰν μῦς θύλακον ἀλφίτων διαφάγῃ πρὸς τὸν ἐξηγητὴν ἐλθὼν ἐρωτᾶν τί χρὴ ποιεῖν. Ideoque addidit Comicus noſter, INTERDIXIT HARIOLVS. Sic & in Plauti Sticho, Gelaſimus paraſitus in re ſimili aruſpicum libros ſe conſuluiſſe dicit.

Libros inſpexi, tam confido quam potiſſ.

ACT. V. SCEN. I.

M*Agis cognoſco*] MSR. & vett. codd. *magis cognoſcam.*

FORTE TEMERE EVENIVNT. Menand.

Ταὐτόματον ἡμῶν κάλλιω βουλεύεται.

Plaut. Moſtell.

Inſperata accidunt magis ſæpe, quam quæ ſperes.

OFFENDI ADVENIENS. Priſcian lib. II.

Maxima ſua cura] Exempl. reg. *Maxime ſua cura.*

ACT. V. SCEN. II.

IN EODEM LVTO.] Cæl. Lactant. lib. 7. cap. 2. *Ex quibus exitum non haberent, & eodem luto, ſicut Comicus ait, hæſitauerunt.* Idem lib. 2. cap. 9. *In eodem luto hæſitans verſuram ſoluis Geta.*

ACT. V. SCEN. III.

E*X his prædijs*] MSR. & vet. cod. *ex ſuis pr.*

Mulier defetiget] Vett. libb. *adfetiget.*

Qui, non poteſt] VC. *Quid? non p.*

Quid hoc fiet] vet. cod. & MSR. *quid hoc eſt.*

Itane paruam] MSR. *Itane paruum.*

Vin me credere] MSR. *vis me cred.* al. *vin' me hoc cred.*

Quid? illa filia] VC. *Quid? de illa fil.*

ACT. V. SCEN. IIII.

PAVLO MEDERI. Priſcian. lib. 8.

Ex his turbis] MSR. & vett. codd. *ex iſtis turbis.*

Spes oſtenſa] MSR. *oſtentata.*

ACT. V. SCEN. VI.

O FORTVNA. Priſcian. lib. 5.

VAPVLA. Ita meliores libri. Vid. Feſtum in Vapula Papiria.

AB DIS SOLVS DILIGERE. Plautus Milit.

Solus quem di diligunt.

Quod nam arbitrare] Priſcian. lib. 5.

Illam inaudiui] Hæc MSS. lectio, quam Donatus quoque agnoſcit.

Sed hinc concedam] Priſcian. lib. 6.

Quis me inſimularam] MSR. & vett. codd. *adſimularam*; idque rectius arbitror.

ACT. V. SCEN. VII.

PRIVSQVAM DILAPIDET] Vlpian. l. 25. §. 11. ff. de hered. pet. *Si quid dilapidauerunt, perdiderunt, dum re ſua ſe abuti putant.* Idem L. 11. §. 6. ff. de minorib. Iul. Firmic. Aſtron. lib. 4. cap. 6. *Patrimonium miſera laceratione dilapidet.* Hieronym. Epitaph. Fabiolæ. *Quin potius omnem cenſum, quem habere poterat, erat autem ampliſſimus & reſpondens generi eius, dilapidauit ac vendidit.*

INVITVM EAM, INQVE] Priſcian. lib. 10. Sed poſt τὸ *eam*, in VC. additur *Silentes.* fortaſſis vt ſignificet, ſubmiſſe hæc dici. id quod à Pithæo viro ſummo, atque amico noſtro annotatum repperi.

Hic maneat] VC. *Hic omnis maneat.*

SEPVLTVS SVM. Plaut. Amphitr.

Ante ianuam ſepultus iacet.

& alibi. *Sepulta hæc res eſt.*

ARGENTVM QVOD HABES. Afranius apud Nonium. *Id aurum me condonat.* Plaut. Bacchidib. Scen. Quis ſonitu.

Si quam debes, te condono, tibi habe, nunquam abs te petam.

GLADIATORIO ANIMO. Latinus Pacatus in panegyr. Theodoſ. Aug. *Gladiatoria deſperatione pugnare, nec gradu cedere, ſed veſtigio ſtare vel cadere.*

Ain tu?] MSR. & VC. *Ain tu tandem.*

FOEMINAE PRIMARIAE.] Cicero lib. 5. Epiſt. 11. ad famil. *Mihi fœminam primariam Pompeiam, vxorem tuam, commendas.*

Venias nunc] VC. *Venias nunc mihi.*

Si extillaueris] VC. *diſtillaueris.*

MALVM QVOD ISTI.] Integer verſus.

Planti in Moſtell. Scen. Sceleſtiorem.

Malum quod iſti di deæque omnes duint,
Ita mea conſilia perturbas peniſſime.

NONNE HOC PVBLICITVS] Pretium operæ videre Chariſ. lib. 2. p. 233.

Huc ſeruos euoco] MSR. & vett. codd. *hinc ſeruos*, &c.

OCVLVM EXCLVDS] al. *exculpe.*

ACT. V. SCEN. VIII.

HOc *actum eſt*] τὸ *hoc* in MS. deeſt.

Fructus minuebat] MSR. *minuit.*

Vinolentus] VC. *vinolenter.*

Set quid ſperem] MSR. *Sed qui ſp.*

EXEQVIAS CHREMETI.] Ita ex melioribus libb. emendatum eſt, ad ritum funerum indictiuorum, cuius hæc formula erat.

L. TITIVS VIXIT. L. TITIO EXEQVIAS IRE CVI COMMODVM EST, HEM TEMPVS EST, OLLVS ECFERTVR.

FIERI INFECTVM.] Simonid.

τὸ γὰρ γεγενημένον οὐκ ἔτ' ἄρρεκτον ἔσται.

Adeon hoc] To *hoc* in MSR. deſideratur.

QVO ORE ILLVM OBIVRGABIS.] Sic ſ. Act. 5. Scen. 7. *Quo redibo ore ad eam.* Iuuenal. Sat. 14.

Vnde tibi frontem. ——— ad quæ verba vetus Scholiaſt. hunc Terentij locum laudat. Gloſſæ Philoxeni, *ποίῳ προσώπῳ, Qua perſona, qua fronte.* Papinian. l. 38. §. 2. ff. de admin. & peric. tut. *Qua fronte poteris hoc deſiderari.*

VALETE ET PLAVDITE] Apul. Florid. 3. *Enimuero iam dixiſſe rebus humanis, Valere & Plaudere.* Fab. Quinctil. lib. 6. cap. 2. *Tunc eſt commouendum theatrum, cum ventum eſt ad ipſum illud, quo veteres comœdiæ tragœdiæque clauduntur, PLAVDITE.*

INCIPIVNT
OBSERVATIONES
IN ÆLII DONATI, VC, COMMENT.

COMMENTARIVM hunc, qui Aelio Donato V C. adtribuitur, ſic quidem illius eſſe cenſeo, vt integriorem multo olim extitiſſe mea quidem opinio ſit: & qualem nunc habemus, collectanea potius ſiue excerpta dicenda eſſe, quam ipſiſſimum Donati opus. Hinc eſt quod toriens eadem repetantur, quædam omittantur; velut indicio nobis tot aſteriſci, & ipſus in partem cum ſcribit, *ſepulchrum* κατ' *ἀντίφρασιν vt diximus.* id verò ante ab eodem dictum, non legimus. Vnde melior MS. cod. lectio videri poſſit, *ſepulchrũ* κατ' *ἀντίφρασιν dicimus.* Porro quæ hic è Probo & alijs adferuntur, quis ſcit anne collectoris potius ſtudio inſerta ſint, quam Donati iudicio. Præter hunc enim & alios plures obſeruaui, in Terentium commentaria edidiſſe, Euanthium, Aruntium Celſum, Flauium Caprum, Helenium Acronem, Aſprum, Probum, Nigidium, & ſi vera lectio, Adeſionem. De Euanthio Rufinus Grammaticus de metris Terentianis: *Euanthius in commentario Terentij de fabula, hoc eſt, de Comœdia ſic dicit.* Reliquos Chariſius Soſipater lib. 2. & Donatus in his commentarijs laudant. At quidquid ſit, contenti ſimus hoc Catone, qui ex tantorum naufragijs ſolus periculum qualiter qualiter euaſit.

ÆLII DONATI] Ita expreſſim libb. Pithœor. & P. Danielis, quos hic autores ſequor; quamuis in commentarijs Virgilianis (quæ & illa Donato adtribuuntur, & quidem ab antiquis) CL. Tiberius vocetur. Donatus nomẽ Africanum eſt D. Auguſtin. Epiſt. 163. *Quamquam enim Donati nomen Afrum eſſe ſoleat, non tamen repugnares à vero, vt vel partium illarum aliquis vocaretur nomine Afro.* inde Donatus Proconſul Africæ; ad quem ſcribit Auguſtinus Epiſt. 127. & Donatus iſte Carthaginienſis, qui poſtea ſectæ ſuæ nomen dedit; & Donatus Bagaienſis, Optat. Mileuit. lib. 3. & alij, qui hic minime recenſendi ſunt.

IN TERENTII VITAM.

ET QVI CONSVLARIBVS.] MSS. *Cuius conſularib.*

Nauim cum ſemel] MS. Dan. *Nauim vt ſemel.*

QV. COSCONIVS] Ita ex MSS. edidimus. vulg. hactenus fuit, *Conſentius.* Sed Coſconium laudat. Varro lib. 5. de ling. Lat.

Amiſſarum ſarcinarum] Nihil rectius hac lectione, quam omnes ſcripti codd. præferunt. in editis libris eſt, *ſatyrarum*, ſed id ne titiuillitij quidem.

MORTVVM ESSE IN ARCADE] Auſon. ad Vrſulum de ſenario numero.

Protulit in ſcenam quot dramata fabellarum
Arcadiæ medio qui iacet in gremio.

In medio populi] MS. Dan. *In medium nobis ſedatis*, &c.
Quidquid come] MS. *Quidlam come.*
Deſpecta parte] MS. Dan. *deſpecta parte.*
Cuiae ſunt!] Sic lib. Dan. al. *cuius ſunt?*
Terentius dabat] Ita ex MSS. reſtitututum eſt, quorum alter ſic habet -----*end' ibus dabat.* vulg. *petentibus dabat.*

DE TRAGOEDIA ET COMOEDIA.

QVæ hic de tragœdia & comœdia referuntur, non vt alij ex Cornuto vel Aſpro uctumpta, ſed ex Euanthij cōmentario in Terentium ſelecta eſſe arbitror. Nec euidentius vllum argumentum, quam quod ſub huius eruditiſſimi Grammatici nomine (quem iiſdem cum Donato temporibus, hoc eſt Olymp. 285. regnante Conſtantio Fil. Conſtantini, CP. floruiſſe notat Hieronym.) hæc verba adferat Rufinus Antiochenſis Grammat. lib. de metris Terentianis. *Concinna argumento, conſuetudine congrua, vtilis ſententijs, grata ſalibus, apta metro.* Et poſtea, ſic, *veteres & ſi vſi ipſi quoque metris* &c. Quæ ipſiſſima nunc leguntur in hiſce prolegomenis.

Καὶ τῆς ᾠδῆς] Hoc ex MSS. additum.

DICVNTVR GRACE ΤΡΥΓΕϹ] Athen. lib. 2. Ἀπὸ μέθης καὶ ἡ τῆς κωμῳδίας καὶ ἡ τῆς τραγῳδίας εὕρεσις ἐν Ἰκαρίῳ τῆς Ἀττικῆς εὑρέθη, καὶ κατ' αὐτὸν τὸν τῆς τρύγης καιρόν, ἀφ' οὗ δὴ καὶ τρυγῳδία τὸ πρῶτον ἐκλήθη ἡ κωμῳδία. Vid. Etymolog. Magnum in τραγῳδία.

APOLLINI NOMIO VEL AFYAOω] Hæc eſt ſcriptura priſcorum codd. quæ refingenda videtur hoc modo. *Apollini Nomio vel Agyieo.* Ἀγυιὰς Elei appellarunt, teſte Pauſania in Eliacis, τοὺς ἐν ἀθλητῶν καλλινίκους ... Et hinc Apollo Agyieus, de quo fuſe Græci. Horat. Carm. lib. 4 Od. 6. *Leuis Agyieus.* & ibi Porphyr. Macrob. Saturnal. lib. 1. cap. 9.

Poſtea ſic legitur in MSS. *paſtorum vicinorum Deo.* vbi in editis eſt, *vicinorū̄ que praſidi Deo.*

Feſtum carmen] In MS. Dan. *Feſtiuum carmen ſollemniter cantaretur* ; ἀπὸ τῶν κωμῶν καὶ τῆς ᾠδῆς. *Comœdia vocitata eſt, vt opinor à pagis & cantilena compoſito nomine, vel* ἀπὸ τοῦ κωμάζειν, &c.

Κωμῳδία ἐπώνυμος καὶ ἀρχαία] MSS. ἀρχαία κωμῳδία & EPONOMATOS.

Ἐπώνυμος *autem*] MSS. EPONOMATOS *autem.*

PASSIM LAEDERE EX LIBIDINE] Veteris Comœdiæ ſcommata & maledicta eleganter indicat Artemidor. lib. 1. cap. 58. τὸ δὲ κωμῳδεῖν ἀκούειν, ἢ κωμικὰ ἔχειν αἰνίγματα, ἢ βιβλία, τὰ μὲν τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας σκώμματα, καὶ ταραχάς, καὶ ἐπιβουλὰς ... σημαίνει. τὰ δὲ τῆς καθ' ἡμᾶς κωμῳδίας, τὰ μὲν ἄλλα ἴσα τῇ τραγῳδίᾳ σημαίνει, τὰ δὲ τέλη χρηστὰ καὶ ἀγαθὰ ὑπαγορεύει. τοιαῦτα γὰρ αἱ ὑποθέσεις τῶν κωμικῶν δραμάτων. Vid. Schol. Ariſtophan.

Non cauerit, aut curauerit] MS. Dan. *Non aut cauerit, aut curauerit.*

Comœdia eſt fabula] In MSS. ſic eſt. DE COMOEDIA. *Comœdia eſt f.* Adeo vt quæ ſequuntur, non Euanthij amplius, ſed alterius autoris eſſe videantur.

Populus detinebatur] MS. *Populus adtineb.* vt & ſ.

Minutius & Prothonius] MS. *Minutius & Prothimus.*

Dicta πρόλογος] MS. *Dicta πρῶτος λόγος.*

Ἀναφορικὸς] MS. ἐπιτιμητικός.

Ὑποθετικὸς] MS. δραματικός. Quæ mox ſequuntur, ex collectaneis Regij exemplaris immutata ſunt.

Μεγαλησίους appellant] MSS. ΜΕΠΟΥCΙΟΥC. Videtur legendum (vt & in Pith. lib. emendatum erat) μεγάλους θεούς. Vult Megalenſes ludos nomen inueniſſe, ἀπὸ τῶν μεγάλων θεῶν, hoc eſt dis magnis. Nam Doribus, vt & Plato & Ariſtoteles teſtantur, σιὸς eſt Deus.

CANDIDVS VESTITVS] De veſtitu Comico vid. Pollucem.

EX ATTALICA REGIA] Sil. Italicus lib. 14.
——— *quæque Attalicis variata per artem Aulæis ſcribuntur acu* ———.

MIMICVM VELVM] Hæc vera eſt lectio. Apul. *Siparium mimicum dimoueto.* Feſt. Iuuenal. Schol. ad Saty. 8 & alij.

IN ARGVMENTVM ANDRIÆ.

PAg. 2. HAEC PRIMA ACTA.] Vet. cod. Petr. Danielis. *Hac prima facta eſt, acta lud.*

M. FVLVIO ET.] al. *M. Fulvio ædile, & M. Glabrione. Q. Minucio Valerio curulibus.*

DIVERBIIS AVTHENTICIS] Sic quidem omnes ſcripti libri; ſed non dubito quin vera ſit emendatio hæc: *Diverbijs aut canticis.* Tertullian. de Spectacul. *Si ſcenica doctrina delectant, ſatis nobis litterarum eſt, ſatis verſuum eſt, ſatis ſententiarum, ſatis etiam canticorum.* Vid. Diomed. lib. 3 & prologom.

POST SCENAM FIERI] Vid. quæ notaui ad Andr. Act. 3. Scen. 1.

Sibi exhibeas] Excerpta. MSR *ſibi exhibiturus.*

Hunc enim orbem] Ita MSR. al *ordinem.*

Poëtica virtutis] al *poëtica artis & virtutis.*

PROLOG.

PAg 6. *Minimeque errantem*] MSR. Dan. *minimeque errati.*

Lucio Lanuino] Dan *Luſcio Lauinino* al. *Luſc. Lanuino.* Hieronym. in Quæſt. Hebraic. *Qui in principijs librorum debebam ſequuturi operis argumenta proponere, cogor reſpondere maledictis: Terentij quippiam ſuſtinens, qui comœdiarum prologos in defenſionem ſui ſcenis dabat. Vrgebat enim eum Luſcius Lauinius noſtro Luſcio ſimilis, & quaſi publici ærarij furem poëtam criminabatur.* Vid. Sal. ſber. Policrat.

Quæ ab amantibus ſalue] Vitioſus hic locus. lib. Daniel. *quæ amantib. ſal.* Excerpta Reg. *quæ à manentibus.*

Pag. 7. *Quaſi rancidi*] MS. *rancioli.*

An nunc vitio] MS. *non nunc vi d.*

Prolata oratione] MS. *in probata orat.*

In poëmate] Excerpta Reg & Dan. *& poema.*

Pag. 8 *Nam quieſcere illi*] Rectius puto quod in MSR. & Daniel *Nam* QVIESCE *illi dicitur.*

Ante denuntio] MS. Dan. *prædico, admoneo.*

ACT. I.

PAg. 12. *Properanter diſcernit*] MSS. *properat & diſ.*

Figura ellipſis] Excerpta Reg. *figura ſyllepſis.*

Medicina famulatrix] MS. *adulatrix.*

Pag. 13 *Generales ſunt partes*] MSR *ſpecies.*

Et Temperantia] MSR. *Patientia.* Hieronym. ad Pammach. *Quatuor virtutes ſcribunt Stoici ita ſibi inuicem nexas, & mutuo cohærentes, vt qui vnam non habuerit, omnibus careat: prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem, temperantiam.*

Perfectionem deſignat] R. *deſiderat.*

Moderata, æqualis] R *moderatæ qualitas.*

Patres plebem] Ita MS. al. P.C.

Ad aliquem dicitur] Excerpta Reg. *ad aliquid*; ſic ergo legend.

Beneficium erogatum] R. *beneficij prorogatum.*

Pag. 14. SECVNDVM IVS] l. 6 ff. de alend. & agnoſ. lib. l. 5. ff. de iur. patronat. l. 2. C de libert. & eor. lib. Legum Burgund. Tit. 40. de manumiſſ. Ambroſ. de Iacob & beata vita.

Admirabiliter] MSS. & excerpta Reg. *aduerbialiter.*

Quod præcedit] Reg. excerpta: *quod ſequitur id quod præcedit.*

Incipit mala ibi] MS. *I. m. ab.*

Pag. 15. *Pleriique* περίλογον] A. Gell. lib. 8. cap. 12.

Omnes ſubiguntur] al. *ſubiungunt.*

Pag. 16. *Obſequium primum*] Quinctil. lib. 8.

Huc loci vel huc locorum] Reg excerp. *vt huic locorum.*

Neque addendum iam ſit] Ariſtot. ad Nicomach. lib. 2. cap 6.

Pag. 17. *Victus in paruis aridiſque*] Plaut. Capt. Act. 1.——— *Aſper meus victus ſane eſt.*

Ibidem Act. 3.

Redibo huc ad ſenem, ad cœnam aſperam.

Conditio eſt pactio] Vt Plaut. Capt.

Quaſi fundum vendens meis me addicā legibus.

Habet qui letaliter] Ita Prudent. in Pſychomach. Virgil. & alij.

Mane aduerb.] MS. *Vtrum Pamphilum an aduer.*

Vt ſis, ſi vis. nam deliras, &c.] Hæc eſt lectio vett. codd. Apparet antem fuiſſe tam acute fatuos nonnullos qui hariolarentur, *ſodes* Græcam eſſe vocem, pro ζῶοις ζῆς, *ita viuas* quæ eſt vſitata obteſtandi formula, ad verbum: *Ita ſaluus atque incolumis viuas.*

Peregrina mulieri] MSS. *peregrinis meretricibus.*

Et quidem] MS. *& quod tacitum.*

Pag. 19. *Frequens vt miles*] A. Gell lib. 16. cap. 4.

ALIENIS LACRVMIS SVAS COMMODABAT] Hoc non protriti ſermonis eſt; & quouis pacto contendere auſim ſic Petron. Arbitrum ſcripſiſſe; *Adſidebat ægra fidiſſima ancilla, ſimúlque & lacrumas commodabat lu-*

gentis, & quotiens defecerat poſitum in monumento lumen renouabas. Vulgo relictum, *commendabat lug.* Atque ſunt tamen qui id explicare conantur: non magis hercle rectè, quam alterum eiuſdem autoris. *Audimus murmur inſolitum, & ſub dicta magiſtri, quaſi cupientis exire belluæ gemitum* Legendum autem, *quaſi rugientis ex ira b.g.* ſenſu aperto.

FVNES ET IN GENV] Ita in MS. Pith. at in Dan. *Funes & ingenium cereos f.* æque corrupte. Sed vitioſam ſcripturam exprimere malui, quam ex ingenio quid ſubſtituere. Nam quod in vulg. legitur, *delibuti funes & cerei fomites;* dubito an pro vero accipiendum ſit. Iſidor. Origin. lib 20. cap. 10. *Funalia candelabra apud veteres extantes ſtimulos habuerant aduncos, quibus funiculi cera vel huiuſmodi alimento luminis obliti figebantur.* Seru. lib. 1. Æneid. ad illum verſ. *Flammis funalia vincunt.* vbi & de papyro additur. Antipater Epigramm. lib. 6.

Λαμπάδα κηροχίτωνα χρόνου τηρήτρια λύχνου,

Σχοίνῳ καὶ λεπτῇ σφιγγόμενον παπύρῳ.

Pag. 20. FORMA INMOBILIS] Iſidor. lib. different.

POST IPSAM MORITVRI] Adhunc fere modum in vett. inſcript.

VALE DVLCISSIME. NOS
TE QVO FATA IVSSERINT.
ORDINE SEQVEMVR.

Pag 21. *Per rationem*] MS *per ratiocinationem.*

Vt appareat verum] MS *euerſum.*

Pag. 22. *Omnibus membris*] MSS Pith. Dan. *omnib. verbis.* fortaſſisan fuit *neruis.*

Nulla cauſa] MS *vlla cauſa.*

Pag. 24. *Narratione iam habita*] MS. *narr. peracta.*

Da rus, Ser Fus] Vid. Quinctil. lib. 1. cap. de litteris.

Florentis honoris] Vera lectio in lib. Dan. *Florentis Homeri.*

Miranda locutio] Reg. excerpt. *Imitanda loc.*

Vultuoſe agunt] Excerp. R. *Inuidioſe ag.*

Pag. 25. *Spectat pronuncians.*] Ni tardius ad man' meas perueniſſet MS. cod. Danielis, ſic ex eo edi debuiſſet. *Vos hoc agite ſpectatores nunc iam.* quæ vera eſt lectio. Locus Plauti extat Prolog. Aſinar.

Trepida confeſſio] MS. *tepida conſenſio.*

Auſpicijs ſeruatis] Reg. excerp. & Dan. *Auſp. ſeruaticijs.*

Pag. 26. *Vnam affirmatiuam*] MSS. *confeſſiuam.*

Pag. 27. *Metu & cura æſtuantis*] Ita excerp. Reg. quibus eum in parte conſentiunt MSS. reliqui.

Παρόμοιον dicitur] Reg. *Paromonea.* Dan. ΠΑΡΩΝΟΜΑCΙΑΙ.

Pag 28. NOMINA COMICORVM SERVOR] Bene de his Helladius in biblioth. Photij. pag. 870 cuius locum integrè adſeribam. ὅτι οἱ κωμικοὶ τοὺς οἰκέτας τὸ μὲν πλέον ἀπὸ τοῦ γένους ἐκάλουν, οἷον Σῦρον, Καρίωνα, Μίδαν, Γέταν, καὶ ὁμοῖα. ἐκάλουν δὲ τὰ ἐξ ἐπιθέτων, ὡς ἀπὸ τοῦ χρώματος μὲν Πυῤῥίαν καὶ Ξανθίαν· ἀπὸ τοῦ ἔργου δὲ Παρμένοντα, καὶ Πιστὸν, καὶ Δρόμωνα. ἐκάλουν δὲ καὶ ἀπὸ τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ὠνήσαντο τὸν οἰκέτην, ἐξ οὗ καὶ τοὺς νουμηνίας ὠνόμαζον. Vid. quæ notat Donat. ad Act. 1. Scen 1. Adelph. Illud porro antiquitus obſeruabatur, vt Comica nomina duarum ſyllabarum, tragica vero plurium eſſent. Athenæus id docet, lib. 14. φιλόγελως δὲ ἦν καὶ Δημήτριος ὁ πολιορκητὴς, ὥς φησι Εὔλαρχος ἐν τῇ ἕκτῃ τῶν ἱστορικῶν, ὅς γε τὴν Λυσιμάχου αὐλὴν κωμικῆς σκηνῆς οὐδὲν διαφέρειν ἔλεγεν. ἐξιέναι γὰρ ἀπ' αὐτῆς πάντας δισυλλάβους. De tragicis ibidem mox additur.

In comœdia frequentiſſimus Dauus. Philoſtrat. lib. 1. Icon. χεῖται δὲ αὐτῇ (ἀλωπεκι) ὁ Αἰσώπος διακόνῳ τὴν πλεῖστον ἀποθίζων, ὥσπερ ἡ κωμῳδία τῷ Δάῳ. Horat de arte.

Intererit multum, Dauus ne loquatur herus ne.

& alibi eodem lib.

Vt nihil interſit Dauus ne loquatur, an audax
Pythias, emuncto lucrata Symone talentum.

Dio Chryſoſtom. πρὸς Ἀλεξανδρ. Lucian. περὶ ὀρχήσεως. At minus recte à patria Dauum dici autumo. verius vero à Gloſſario ſcriptum. *Dauus* ἄφρων, ἄπειρος. indeque interpretandū illud, *Dauus ſum, non Oedipus.*

Sic Getæ nomen non raro frequentabatur. Arrian. in Epict. lib. 7. cap. 26 πρῶτον μὲν ἐξελήλυθε νυκτὸς, ὅτι ὁ Γέτας οὐ τολμᾷ ἐξελθεῖν. Cæl. Sedulius in opere Paſch. *Siue clamoribus cothurnata tragœdia, ſeu ridiculis Getæ comica fœditate.* Quod Caracallæ tēporibus adeo odioſū fuit, vt ſi quis illud vel ſcripſiſſet, vel verbo ten' protuliſſet, ſtatim is de vita periclitaretur. οὕτω οὐδ' ἐν ταῖς κωμῳδίαις οἱ ποιηταὶ ἔτι αὐτῷ ἐχρῶντο. Xiphilinus in Caracalla.

De

De Phormione Quinctil. ex Cicer. lib. 6. cap. 4. *Nec minus niger, inquit, nec minus confidens, quam ille Terentianus eſt Phormio.* Auſon. Epiſt. 22.

Canus, comoſus, hiſpidus, trux, attubus
Terentianus Phormio.

Parmenonem & Syrum, præter Terentium Plautus inducit, Bacchidib.

Non mihi iſti placent Parmenones, Syri, qui duas aut tres minas Auferunt heris.

Parmeno παρμένων τοῦτ' ὅσ' ἀπὸ παρμένων. Dio Chryſoſtom. Rhodiac. pag. 219. ἀνδρεῖον μέν τις αἰνέσειε, εἴ ποτε ἀποδρῶν σταίη, καὶ εἰ μὴ παραμένων τῷ δεσπότῃ δέξοιτο. Horat. lib. 2 Epiſt. 2.

——ſemel hic ceſſauit, & vt fit
In ſcalis latuit —— Vbi ſic Porphyr. *Iam nunc verba ſunt quibus mango vtitur vt monſtret ceſſatorem eſſe quem vendidit, hoc eſt, fugitiuum.* Hinc vera nominis ratio.

VT THYLACVS] Sic ex Reg. excerpt. reſtituimus, cum antea corrupte legebatur *Chylacus.* Eſt autem hic *Thylacus,* vt in Pandecte *Saccus.* l. 44. de fideicom. libert. *Saccus ſeruus meus, & Eutychia, & Hirena ancilla mea.* Quo quidem nomine ventrioſi & vinarij potiſſimum vocabatur. Antiphanes vetus comicus ——τοῦτον ἐν

Διὰ οἰνοφλυγίαν ἐ παχος τοῦ σώματος
Κώρυκον καλοῦσι πάντες οἱ ἐπιχώριοι.

Vt & Alexis quodam in loco: cuius verba in notis ad Theophraſt. notauit, qui fere ſolus è ſitu vindicat litteras, vir doctiſſimus Iſaac. Caſaubonus.

Pag. 28. ABSTEMIVS, SOBRIVS] Quinctil. lib. 1. A. Gell. lib. 10. Ouid. lib. 15. Metamorp.

Clitorio quicunque ſitim de fonte leuarit
Vina fugit gaudetque, meris abſtemius, vndis.

Pag. 31. *Cum ſtomacho dictum*] MS. *cum ſtom.* δεκτικόν.

Pag 32. *Infringi. impingi*] MS. *Inſligi, impingi.*
Conflatur excuſatio] MS. *accuſatio.*

Ἀπὸ τοῦ αἰτίου] MS ἀπὸ τοῦ ὁσίου.

Pag 33. *Nam vtraque*] MS. *nam vtrumque.*

VOLVNTAS NON FACTVM DAMNATVR] Punitur videlicet voluntas in atrocioribus cauſis l. 1 ff ad Leg. Iul Maieſt l. 1 ff ad l. Cornel. de ſicar. l. 1 π De leg. Pomp. de Parricid l. 16. §. 8 ff. de pœnis. l. ſanit. ff. de extraord. At quod l. 18 ff de pœnis habetur; *cogitationis pœnam nemo patitur*; id de leuioribus culpis intelligendum eſt, vt recte in Synopſi Attaliat. Tit. 78. pag. 69. ὑπὲρ ψιλῆς ἐννοίας οὐδεὶς ὑφίσταται ποινήν.

Pag. 35. *Iunctis dextris.*] MS. *iungens dextras.*

IN MANVM CONVENTION] Cicero & Boetius in Topicis.

ACT. II.

PAg. 37. *Pauoribus gaudijſque*] Dan. MS. *periculis gaudijſque.*

Ne τεχνικώτερον fieret] MS. *Ne* ΑΠΟΘΕΑΤΟΝ Quæ vox ſi proba ſatis eſſet, non male iſti loco aptari poſſet, pro re quam inuiti ſpectent ſpectatores; vel aliena à theatro, id eſt, contra artem & legem ſcenicam. Sed non facile in animum induco eſſe id verbi δόκιμον. Itaque vulgatam lectionem retinere ſatius eſt.

Pag. 47. TVM FIERI PAVVM] Hæc veriſſima lectio eſt, quam MSS. debemus. antea nimis quam inepte, *tum fieri pauidum.* Tertullian. de anima: *Pauum ſe meminit Homerus Ennio ſomniante: ſed poëtis nec vigilantibus credam, & ſi pulcherrimus pauus, & quo velit colore cultiſſimus,* &c. Cornutus in Perſium. Horat. lib. 2. Epiſt. 1. & ibid. Acro.

Pag. 49. *Nullus ſpectator.*] MS. *ſpectator non ſenex.* & poſt *hoc agit,* non *ait.*

ACT. III.

PAg. 51. *Peregrinæ inhoneſtæ*] Vid. quæ notat. Iſ. Caſaubonus ad Theophr. Charact.

Pag. 52. *Preſtamus ceteris animalib.*] Hoc Salluſtianum eſt.

IVNO LVCINA] Reſtitui hic locus in melius poteſt ex ſcripto cod. Daniel. hoc modo. *Iuno Lucina Iunonis filia, Græce* εἰλείθυια. *Latini nixos dicunt. Iuno à iuuando dicta; Lucina ab eo,* &c. Phornut. δοκεῖ δὲ καὶ πλείους ἡ αὐτὴ εἶναι καὶ εἰλείθυιαι. ἀπαύστως εἰλυφθεῖν καὶ διὰ τοῦτο· περὶ τὴν γῆν ... ἐλθεῖν αὐταῖς ἤπιας καὶ λυσιζώνους αἱ ὠδίνουσαι. De Nixis Feſtus. *Nixi dij appellantur tria ſigna in Capitolio ante cellam Mineruæ genibus nixa, velut præſidentes parientium nixibus.* Vt in illo verſu *Lucinam Nixóſque pares clamore vocabam.* Et nixus lunæ ὠδῖνες. Virgil. 4. Georgicor. Et Ruffinus

in expoſitione Symboli. *Apet neſcire coniugia, nec fœtus nixibus edere omnibus palam eſt.* Gloſſ. Philox. *Nixe*, ὠδῖνες.

Pag. 54. *Firme nuntiabant*] MS. *firme intimabāt.*

Αὐσαπι αὐτῷ τισα *] Hæc eſt ſcriptura MSS. codd. Palàm verò legi debere vel ὕδισα, vel, quod Iſ. Caſaubono placebat, τάχισα, vel quid tale.

In verſu Lucillij, *Date bibere ſummo.* diuiſim legendum cenſeo: *Date biber è ſummo. Biber* τὸ πίειν, vt notauit Chariſius lib. 1. Dein, *è ſummo*; vt Plautus Aſinar. Scen. Aio te. *Da puere ab ſummo.* Conferendus verò eum hoc loco Donati Quinctilian. lib. 9. & Seru. ad illud. Virgil. ——— *comam diffundere.*

Pag. 55. *A matre ſanguinolentum*] Iuuenal. Satyr. 7.

Et adhuc à matre rubentem.

Mar. Vict. in Geneſ.

Et adhuc à matre recentes.

De Sanguinolentis in Rubr. eod. De infantib. expoſit. & l. 1. Cod. Theod. eod. tit.

Fieri potuerit] MS. *oportuerit.*

Pag. 56. *Nec dico, nec facio*] Sine dubio legend. *Nec dico, nec faciomu. Vnde & mutire dicimus*, &c. Vid. Chariſ. lib. 2.

Pag. 59. τω ιλλυτισμον] Vitioſam ſcriptutam reliquimus, vt cuiuis emendandi liberū ſit arbitrium. Non multum autem à vero abeſſe cenſeo, ſi legatur, τῷ ἰλλυτισμῷ. Μὴ λιτάνευε, μὴ μάχου. Vt etiam Pith. ſuo codici aſcripſerat.

Pag. 61. τὸ δῆπο τ' ἀκούσω.] MS. ΠΡΟΤΟΝΚΥΜΕ.

Pag. 63. ἈΝ ΘΕΟϹ ΘΕΤΤΕΙ &c.] In Dan. lib. ſic erat. ΑΝΘΕΟϹΘΕΤΗΟΧΑΝΑ ΠΟΛΕΙΜΑΤΕ. æque corrupte; tamen amiciſſimo Iſ. Caſaubono ſic legendum videbatur. Ἐ' νθεν ἀποφεύγων, οὐκ αὖ ἀπολοίμην ποτὶ vel. ἐκ ποθεν ἀφύγ, &c.

Pag. 64. *Quibus vultu.*] Nihil hic variant ſcripti codd. rectius tamen opinor eſſe: *quibus vltro opera p.*

ACT. IIII.

PAg. 71 NE ILLA TAVRO PARIA SVNT] al. *parita.* Sed alterum minus vitioſe; quod intelligi de Phalaridis tauro poteſt. Senec. Controuerſ. 8. lib. 5. *Siciliæ dicitur fuiſſe dominus, qui incluſos aneis tauris homines ſubiectis vrebat ignibus, vt mugitum ederent.* Tertull. de pall. *Incluſus in Phalaridis tauro hanc vocem emittat.* Iuuenal.

——— *admoto dictet periuria tauro.*

Lactant. lib. 3 *Iam crueres, & ignes, & taurum contemneret.*

Pag. 72. *Fortuna neque dare, neque*] Salluſtianum hoc eſt.

EX ARA APOLLINIS, &c.] Suid. ὅτι δ' μετὰ τὴν ὀρχήστραν βωμὸς τ Διονύσου, ὅς καλεῖται θυμέλη, παρὰ τὸ θύειν. Iſid. Orig. lib. 18. cap. 44. *pulpitū quod thymele vocatur.* Iuſtinian. Nouel. 5. -- *& thymeles delectatione.* Vidd. Plutarch. Quæſt Rom. 107. Sueton. in Calig. cap. 54. Vitruu. Architect.

LIBERO PATRI TRAGOEDIA] Olympiodorus non ſolum tragœdiæ præſidem, ſed etiam Comœdiæ facit Dionyſium. eius hæc verba ſunt in Platonis Phœdonem. ἔφορος γὰρ πάσης βακχείας (Dionyſius ſcil. nam de illo hic ſermo) διὸ οὐ μόνων κωμικῶν ἔφορός ἐστιν, ὡς ἀεὶ ἡδονὰς καταγινομένων, ἀλλὰ καὶ τραγικῶν, ἀεὶ λύπας καὶ θανάτους καταγινομένων, ὡς τὸ εἰκὸς. Huius opinionis & alij videntur eſſe.

HERBENÆ RIDIMICVLA.] Horat.

——— *ara caſtis*

Vincta verbenis, auet immolato

Spargier agno.

Pag. 76. CONTVMELIAE GENVS EST] Vlpian. l. 15. §. 1. ff. de iniur. & fam.

Pag. 77. MEMOREM MENDACEM] Apul. Apologet. *Sæpe audiui non de nihilo dici: Mendacem memorem eſſe oportere.* Hieronym. aduerſ. Rufin. *Interim in te dum aliud agis, crimen fortiſſimum prodidiſti, & oblitus es veteris prouerbij, Mendaces memores eſſe debere.* Inde Quinctilian. *Mendacia plerùmque confutari ſolent inconſtantia ſermonis.*

Pag. 79. IN FAMILIAM REDEVNT] Inſtitut. Iuſtin lib. 3. Tit. 11.

Pag. 80. *Totum* ἐμπάσιν.] ἐμπάσιως.

Pariter poſitum eſt] MS *pariliter.*

ACT. V.

PAg. 86. *Et an vna*] MS. *Et an vnde ſit.*

Sed fiducia] MS. *Sed fidentia.*

Pag. 87. τ' ἐρωμένης] al. τ' ἱερ.

Pag. 90. *Amorem in filium*] MS. *filio.*

CAECVM TESTIMONIVM.] Græcis

ἐκμαρτυρία. Val. Harpocration. ἐκμαρτυρία τῶν ἀπόντων: vt Donatus, *in cæco abſentis perſonæ*. Ariſtid. πρὸς Πλάτωνα p. 116. οἶμαι γὰρ ὑμῖν ὥσπερ ἀπόντος ἐκμαρτυρίαν εἶ).

Nec potest videri datum] l. 69 ff. de reg. iur. l. 19 §. 2. ff. de donat.

Pag. 93. *Duarum ſororum*] vc. *duorum ſociorum*.

Pag. 94. *Lucilius in ſecundo*] ms. *in ſeptimo*.

IN COMMENT. EVNVCHI.

PROVERBIA MVLTA.] Legendum arbitror, *Diuerbia*. Vid. ſ. ad argum. Andriæ.

ACT. I.

PAg. 109. *Ignis effectum frig.*] Vid. Alexan. προβλήμ.

Pag. 113. HELLANICVS AVTOR.] Laudatur non ſemel Hellanicus hic ab antiquis. Val. Maxim. lib. 8. cap. 13. Val. Harpocrat. in ἄλωπα, & alibi. Exiſtimem vero hunc locum ex eius hiſtoria Perſica deſumptum, in qua & de rebus Babylonicis egit, vt apud Stephan. de vrbib. videmus.

Pag. 122. ROMANIVS MACELLVS] Ita mss. codd. al. *Nomanius*. Vid. Varron. de Ling. Lat. lib. 4.

FORVM CVPIDINIS.] Apul. lib. 1. Mileſ.

QVI INSITIA.] Forte legend. *qui iſicia. Iſicia* ἰσίκια. Alexand. Trallian. lib. 7. p. 132. & προβλημάτων lib. 1.

BOLONAS EXERCENT] Arnob. lib. 2. *Quid bigarios, ſalinatores, bolonas, vnguentarios*. Gloſſ. *Bolonæ* μετὰ πρᾶ), παλιγκάπηλοι. Gloſſ. Iſidori: *Bolonæ ipſi cetarij, qui diuerſa genera piſcium emunt*. Papias. *Bolona redemptor cetariarum tabernarum, in quibus ſalſamenta conduntur, quas tabernas vulgo cetarias vocant*.

ACT. II.

PAg. 129. ANTIQVI ENIM GRAECI.] Tale quid apud Apollon. Rhodium videre eſt. lib. 4.

Pag. 130. LIQVET VERBVM IVRIS.] Vid. Aſcon. Pædian.

Pag. 133. *Ducimur quo volumus*] ſ. *quo nolumus*. Vid. ſ. p. 123.

PLAVSTRVM PERCVLIT.] Feſtus in voce *Plancæ*.

ACT. III.

PAg. 138. CRISSANDO VT LVCRET.] Locus Lucretij extat. lib. 4.

A PHYSICIS DICATVR] Ariſtot. Animal. lib. 7. cap. 33. Cl. Aelian. de animal. lib. 13. cap. 12. Philoſtratus Icon. de amorib. οἶδα γάρ που τὸ περὶ τῶν λαγῶν λεγόμενον, ὡς πολὺ τῆς Ἀφροδίτης μέτεστιν αὐτῷ. λέγεται γοῦν περὶ μὲν τῆς θηλείας θηλάζειν τε αὐτὴν ἃ ἔτεκε, καὶ ἀποτίκτειν πάλιν ἐπὶ ταῦτα γάλακτι. καὶ ἐπικυΐσκειν δὲ, καὶ οὐδεὶς χρόνος αὐτῷ τοῦ τόκου κενός. τὸ δὲ ἄρρεν, ὥσπερ τὸ ὡς φύσις ἀρρένων, καὶ ἀποκυΐσκει, παρ' ὃ πέφυκεν.

Pag. 146. IN DVODECIM TAB.] l. 1. §. 3 ff. de dolo malo. Vid. A. Gell. Feſt.

LVCRETIVS POETA.] Locus quem notat eſt initio lib. 4. Cui ſimilis alius apud Themiſt. orat. ζ. & Auſon. Epiſt. ad Symmach. *Abſynthium meum reſipit, & circumlita melle tuo pocula deprehendo.*

Pag 147. *Intendere eſt crimen.*] Plaut. Mil.

Pergin ſceleſte intendere atque hanc arguere.

Eodem modo *intrahere*, contumeliam intorquere. Feſt.

Pag. 151. PECVNIAE SPECTATORES] *Pecuniæ ſpectatores* non ſunt, qui alias III. viri monetales æris, argenti, auri. l. 2. § 30. de orig. iur. & vett. Inſcript. quorum diligentiæ erat inſpicere, ne quis pecunias publicas conflaturarum adulterinis artificiis imitaretur: vt apud Iul. Firmic. lib. 6. cap. 31. Sed ſunt nummularij, ad quos nummi probandi deferebantur. l. 39. ff. de ſolut. Apul. Mileſ. l. 10.

Ne forte aliquis iſtorum quos offers aureorum nequam vel adulter reperiatur, in hoc ipſo ſacculo conditos eos annulo tuo pranota, donec altera die nummulario praſente comprobentur Ipſum illud in Græcia fuit obſeruatum. vnde Menand.

ἀλλ᾽ ἐπὶ τραπέζαν μὲν φέρειν τὴν προῖχ᾽, ἵνα
εἴτ᾽ ἀργύριον καλόν ἐστι, δοκιμαστὴς ἴδῃ.

ACT. IIII.

PAg.157. QVINQVE LINEAE] Lucianus copioſe περὶ ἔρωτος. p.219. Ouid.

Viſus & alloquium, tactus, poſt oſcula factum,

Pag.159. IMPVDICA FIERI.] Tale quid in Hieronymo eſt, quod inpræſentiarum non ſuccurrit: nec abſimile multum illud Achil. Tatij lib. 4. *ἔτι μένει παρθένος, μέχρι μόνου τῶν φιλημάτων ἐστὶ μόνου γυνή.*

Pag 162. *Lucillius in Satyra Athymnidis* *] Ita MS. In Pith. cod. adnotatum erat; *in Satyra Attii. diligens ex f.*

Pag.163. *Adeſionem ſequor*] MS. *Edeſionium.*

VT EX GALLIS.] Ammian. Marcel. lib. 15. *Celſioris ſtatura & candidi penè Galli.* Vidd. Petr. Arbit. Adamant. Sophiſta l. 2. Iſidor.

Pag. 166. TRES μετωνυμίας CERERERM.] Quinctil. lib. 8. cap. 6. *Liberum & Cererem pro vino & pane licentius, quam vt fori ſeueritas ferat.* Næuius apud Feſtum. *Coquus inquit, dedit Neptunum, Venerem, Cererem. ſignificat per Cererem panem, per Neptunum piſces, per Venerem holera.*

Pag.169. VIOLENTO CIVILITER] Vlpian. l.1 § 2 π. Quod vi aut clam.

Pag.172. DICITVR EVOCATIO.] Duplex Euocationis, vel Euocatorum genus. De queis hic agitur ij proprie erant, qui ſubita aliqua neceſſitate vrgente euocabantur. vt Donatus docet, & ex eo Seruius tribus locis. lib. 2. Aeneid. ad illum verſum --- *ſacrata reſoluere iura.* lib. 7. ——— *ipſe vocat pugnas,* & initio lib 8. vbi hæc dilucide explicantur. Altera Euocatorum notio de ijs intelligenda eſt, qui ſemel miſſione impetrata denuo ad nomen reſpōdere cogebantur. Dio lib. 45. *τὸ τῶν Ἠουοκάτων ἢ Ὀυοκάτων σύστημα (οὓς ἀνακλήτους ἄν τις ἑλληνίσας, ὅτι πεπαυμένοι τῆς στρατείας, ἐπ᾽ αὐτὴν αὖθις ἀνακληθεῖσαν, ὀνομάσειεν) ἐνομίσθη.* Falluntur ergo qui hæc confundunt.

MANIPVLVM FVRVM, COQVI] Coqui pro furibus olim habiti. Plautus Aulular.

mihi omnis angulos
Furum impleuiſti in adibus miſero mihi:
Qui mihi intromiſiſti in ades quingentos coquos.

Idem in Pſeud.

Forum coquinum qui vocant, ſtulte vocant:
Nam non coquinum, verum furinum eſt forum.

Pag.176. ALIENAM REM SVAM DICERE.] Puta ſi nullam cauſam vel titulum dixerit cur poſſideat. l.12. l.13 ff. de heredit. petit.

ACT. V.

PAg.190. *Licet ſimul* * *vt non poſſit dicere*] MS. *quidem ſimul vt poſſit dicere.*

Pag.198. *Vir fortis optet quod volet*] Sæpe hoc apud Senecam in Controuerſ. Quinctil. & Calpur. declamationib. & Scholiaſt. Hermogen.

Pag.200. FATVI SVNT.] Vid. Martian. Capell.

IN COMMENT. ADELPHOR.

IN SVLPITIO.

FAmam rei] Omnes ſcripti libb. --- *Famamque Amoris in ſeſe.*

Ducet Aeſchinus] MSS. ——— *ducit Aeſchinus*
Se viti itam ciuem Atticam virginem
Vxorem potitur Cteſipho ———.

IN ARGVMENT.

Pag.239. *Cantica mutauit*] Cod. Pith. *mutatis per ſcenam modis cantauit.* Dan. *cantata.*

D. & M.] Danielis cod. D. & V.

Per adoptionem] MS. *adoptationem.*

Vxorem non duxit] Rectius in MS. *vxorem ducere & filias procreare noluit.*

Pag.240. *Faceti ſſimam decertationem*] MS. *diſſertationem.*

Paginarum dinumer.] Vt Petron.

——— *vbi ridendas incluſit pagina partes,*

PROLOG.

PAg.242. Μικτὸς *Rhintonica*] MSS. μικτὸς *rithmus*. Sed de Rhintonica in prolegomenis. *Rhintonicas ab actoris nomine.* Suid. Ῥίνθων ταραντῖνος κωμικὸς, ἀρχηγὸς τῆς καλουμένης ἱλαροτραγῳδίας, ὅ ἐστι φλυακογραφία. Hic ergo Rhinton Hilarotragœdiam introduxit, vt alij Tragicocomœdiam; qualis adhuc extat Plauti Amphitruo.

Pag.243. *Furij Pij*] MS. *Dan. Furi Pili.* In alio ſcripto cod. ſic erat, in vita Terentij. *Propter elegantiam ſtudiorum morumque in amicitiam perductus Pub. Scipionis, Lælij Sapientis, Furij Publij.* Idque verius arbitror.

Imo potius cetera] MS. *ſed & cetera.*

Sed ipſi ſenes] MS. *Haud ipſi.*

ACT. I.

PAg.245. ἐνθυμηματικός.] MS. ἐνδιάθετος.

Παραχορηγ'] MS. ἐπαναχορηγ'. quod magis placet.

Figura ipſa.] MS. Dan. *Figurata ipſata.* vnde quid elici poſſit, cogitemus.

Pag. 245. ΕιτΑ ΦΙΛΟΣ] Vitioſam hanc ſcripturam ſic tentabat reſtituere Iſ. Caſaubonus. εἶτα φίλης ξενίῳ 'μποδούμενον. *deinde amica vinculo impeditũ.* Vel hoc modo. ἔπειτα φίλον κοινίῳ (vel γυναίῳ) ἐμποδούμενον (vel ζυμποδούμενον) ὀλεῖ. Increpatio eſt eius qui ducendæ vxoris erat auctor. Itane tu amicum nexu amoris is perditum? Sequentia perſpicua ſunt.

Γαμεῖ Πάμφιλος. γαμείτω. καὶ γὰρ κ' ἠδίκηκέ με. In Pith. codice Ioan. Aurati, Viri clariſſimi emendatio adſcripta erat. εἶτα φίλος ἔχθιμος νῦν ἀπολύμενον. & poſtea:

Πάμφιλος γαμεῖ, γαμείτω. καὶ γὰρ ἠδίκησέ με. Pleni ſunt Græcorum libri dictis huiuſmodi, apud Stobæum & alios, quæ ibi legere ſatius eſt, quam hic tranſcribere.

Pag.247. *Modeſte* & ἰδιωτικῶς.] ſr. ἠθικῶς.

Καλαντιθηναν *] Quantum ex Donati verbis conijcere licet, videtur ſane legendum, καθ' αὑτὸν.

Pag. 250. DESIGNATORES DICTI.] Helen. Acro ad Horat. lib.1. Epiſt.7.

Deſignatorem decorat lictoribus atris.

Seneca de benef. lib.9. cap.38. *An tu Arruntium, & Aterium, & ceteros, qui captandorum teſtamentorum artem profeſſi ſunt, non putas eadem habere, quæ deſignatores & libitinarios vota?* Numquid ergo Plauti Pœnulus funebrib. ludis acta? Sic enim in prologo eius fabulæ:

Neu deſignator præteriens obambulet,
Neu ſeſſum ducat, dum hiſtrio in ſcena ſiet.

Inſignis locus Vlpiani, l.4. §.1. ff de his qui notant. inf. *Deſignatores autem, quos Græci βραβευτὰς appellant, artem ludicram non facere Celſus probat, quia miniſterium non artem ludicram exerceant. Et ſane locus iſte hodie à principe non pro medico beneficio datur.* Inſcriptio vetus.

C. MATIENI. C. F. OVF.
OVICVLAE. ANNORVM. XXVII.
PRAECO. IDEMQ. DISSIGNATOR.

Pag. 252. *Odioſum & male vita*] MS. *Odioſ. & moleſta v.*

CONFESSIONIS GENVS SIT.] Gerbertus ad Siguinum Senoneuſ. Archiepiſc. *Qui enim accuſatus ante iudicem tacet, confitetur, & qui iudice iudicante pœnæ ſe addicit, confitetur.*

Pag.257. *Stipulam aut floccum moueat, aut ſummum digitum*] Sic in Sardanapali monumenti inſcriptione;

Ω ΞΕΝΕ
ΕΣΘΙΕ, ΚΑΙ ΠΙΝΕ. ΚΑΙ ΠΑΙΖΕ.
ΩΣ Τ'ΑΛΛΑ ΤΑ ΑΝΘΡΩΠΙΝΑ
ΟΥΚ ΟΝΤΑ ΤΟΥΤΟΥ ΑΞΙΑ.

Quemadmodum enim Terentius, *huius non faciam*; ita in hac inſcriptione, οὐκ τούτου ἄξια. Ad quæ verba ſic Arrianus, Alexand. ἀναβάσ. lib.2. τὸν ψόφον αἰνισσόμενος ὅνπερ αἱ χεῖρες ἐπὶ τῷ κρότῳ ποιοῦσι. & Stephan. de vrbib. in voce ἀγχίαλη. τ' ἄλλα τούτου οὐκ ἄξια τοῦ ἀποκροτήματος. Atque hoc Donatus; *moueat ſummum digitum.*

SAEPE IRAE AC LITES.] Vt Alcumena in Plaut. Amphitr.

——*ſatis. faciat mihi, atque adiuret inſuper*
Nolle eſſe dicta, quæ in me inſontem protulit.

Pag.258. ET MAXIME PROXIMI] Verius puto ſi legatur. *& maxime à proximis.* quod

ex hiſtoriis Græcis ſcire poſſumus.

pag.259. *Abſque voluntate*] MS. *Et cum voluntate.*

Colaphizatvm.] Gloſſar. Κολαφίζομαι colaficor Hieronym. Epitaph. Paulæ. *Eam colaphizaret, ne ſe extolleret.*

Summæ deſperatio] MS. *extra errorem orationis.*

ACT. II.

Pag. 261. Διαζύγι] MS. ἐν δίᾳ δίαιτ.

Pares faciens] Vt Petron. *ſic paria conſtitueram.*

pag.262. *Aſſentatione*] MS. *aſſenſione cap.*

Serui lenonem] MS *ſuam & lenonis.*

pag.268. *Etiam velle*] MS *etiamſi vellet.*

τῷ ἰδιοποιῷ] MS. τῷ ἀπλικισμῷ.

De mensae scriptvra.] Nempe pecuniæ locandæ vel ſoluendæ duplex ratio: aut in foro de menſa, aut domi ex arca. i.p. 497. De menſa erat, quam argentarij nummularijue exponebant. l. 4. ff. de edendo. l. 47. ff. de pactis. & inde *Menſularij*. d. l. 47. Gloſſ. *Menſularius* τραπεζίτης. De arca quam ſerui exercebant, vel quicunque alij Kalendarijs præpoſiti. l. 41. §. 1. ff. de reb. cred. & inde *arcarij*. Gloſſæ. Lat. *Arcarius, diſpenſator* l. 41. §. 17. ff. de fideicom. lib. Qualis ille diſpenſator Atbitti, in prætorio aureos dinumerans. Plaut. Curcul. *Amici compulerunt, reddit argentum domo.* De *ſcriptura* vero *menſæ*: quia acceptæ & erogatæ pecuniæ probatio ſcriptura codicibúſque maxime continebatur, notato videlicet die & conſule. l. 9. §. 2 ff. de edendo. Vnde chirographis perditis, vel incendio exuſtis, ex inuentario, puta ſcripturæ nummulariorum, debitores conuenire poſſunt. l. 37. ff de admin. & peric. tut.

Etiam ſerui illi ſolui] MS. *Dicuntur autem & illi ſerui, qui &c.*

Debitores potiorum] al. *deb. preciorum.*

pag.269. *Exclamationem facere denotetur*] MS. *exclamatione agendi.*

Hoc verbo] MS. *Hoc reſponſo.*

Homo quam planius dictat] v.c. *planitis dictitat*; al. *plurima d.*

ACT. III.

P.270. *Medicus, orator*] MS. *medicus, vt tutor.*

* *recitatu*] MS. *reſcitatu.*

Pag.271. παρέκτασις] MS. πεῖσασις.

pag.274. *Hominem impurum*] MS. *impium.*

pag. 275. *Amoris induces*] Tale quid apud Hieronym. in epiſtolis.

pag 280. *Ducimus enim volentes*] MS. *ducim. etiam orantes.*

Nugæ, quod nihil agant] Aliter Hieronym. in Sophoniam cap. 3. Chariſ. Soſipater lib. 1. & 2.

Meritoriam tabernam] Gloſſar. *Meritorium* ξενοδοχεῖον.

Grex vel bonorum, vel mal.] MS. *Grex vel malorum eſt, vel leu.*

Pro ganeo] MS. *pro gauli.*

pag. 281. Qvod ante pedes est.] Gabrias fab. 22.

νῦν δ᾽ οἷς αἰῶ, βέλτιςε γλῶ οὐ βλέπεις.

Nicet. Choniat. οἱ περικαχήνασιν οὐρανὸν, τὰ δ᾽ ἐν ποσὶ μόλις ἔχουσι διορᾶν.

pag.283. *Cui contrarium in ſignif.*] MS. *Cui contrarium eſt idem ſignificans.*

Emendatio vvltvs] Apul. in Apologet. de Socrate & Demoſthene.

Formae per imaginem resvlt.] Apul. Apologet. de ſpeculi imagine. *Reſultent ad facies ſuas reduces.* Id Lucianus eleganter in Amorib. ἐνθ᾽ ἰσόπτερα τῆς αὐτομόρφου χαρακτῆρων ἀγράφους εἰκόνας.

Vt alluſionem] MS. *Vt ludentem de ſua.*

Ciceronis dictvm] Fab. Quinctil. lib. 6. cap. 4. *Ne illa quidem quæ Ciceroni aliquando, ſed non in agendo exciderunt, vt dixi, quum is candidatus qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret, Ego quoque tibi iure fauebo.* Similis fere iocus Varron. de Re ruſt. lib. 3. cap. 17. *Hos piſces nemo coquus in ius vocare audet.*

pag.284. *Quo indignetur*] MS. *quod indign.*

Super Aeſchino] MS. *ſit pro Aeſch.*

pag.287. Nemo enim moriens] Placid. Lactant. ad Stat. Thebaid. p.268. *Aiunt futura ſentire morituros.*

In ivre vltima ivdicia.] Vlpian. l. 1. init. π. Si quis omiſſ. *Prætor voluntates defunctorum tuetur.* Paulus IC. l. 5. ff. Teſtam. quemad. aper. *Publice expedit ſuprema hominum iudicia exitum habere.*

Pag. 288. τῷ ἰδιοποιῷ] MS. τῷ ἀπλικισμῷ.

pag.289. *Pondus vteri*] Stat. Syluar 4.

Ferre timent famulæ, natorum pondera matres.

Pag. 290. RESPONDERE P. D. CVM LIS.] Verba prætoris apud Vlpian. l. 4. §. 1. ff. de interrogat. in iure. *Qui in iure interrogatus reſponderit.* l. 1. §. 1. l. 11. §. 5. & ſeqq. ff. eod.

ACT. IIII.

PAg. 293. *Ceſſare viſum*] τὸ *viſum* in MS. deeſt.

LVPVM VIDISSE HOMINES] Themiſt. Euphrad. orat. 1. *καὶ τοιαῦτα ἄττα μορμολύκεια, ὥστε τοὺς ἀκούοντας στρέφειν καὶ ἀδημονεῖν, καὶ μικροῦ γίνεσθαι ἀναύδεις. καθάπερ φασὶ τοὺς ὑπὸ λύκου προτέρους ὀφθέντας.* Ambroſ. Hexamer. lib. 6. cap. 4. *Lupus ſi prior hominem viderit, vocem eripit, & deſpicit eum tanquam victor vocis ablatæ.* Idem, lib. 6. in Luc. cap. 10. *Si quem priores* (Lupi) *hominem viderint vocem eius quadam natura vi feruntur eripere. Si autem homo prius eos viderit, exagitari memorantur.* Vid. eundem. Serm. 10. in Pſalm. 118. Locus Virgil. eſt Eclog. 9. vbi Seruius ſimilia refert, & Theociti Scholiaſt. ad Idyll. 14.

PVEROS LVDIFICANTIVM TERRORE LVPI.] Vt in hoc dicto vetulæ Æſopicæ puerum increpantis, Fab. *Λύκος καὶ γραῦς. παῦσαι τοῦ κλαίειν. εἰ δὲ μὴ, τῇ ὥρᾳ ταύτῃ ἐπιδώσω σε τῷ λύκῳ.* Hieronym aduerſ. Pelag. 3. *Ne quaſi paruulis, triſtior quadam imago monſtretur.*

Pag. 295. *Cicero in Catilinam*] MS. Cicer. in Catone.

Pag. 296. *Sed ſic ipſe egit*] MS. *vt ipſe ait.*

Pag. 268. *Salluſt. ad Iouis mandem*] Locus corruptus, cui nec à MS. auxilium, in quo ſic eſt. *Ad iouis manacuani.* æque vitioſe.

PORTA DICTA] Varro de Ling. Lat. lib. 4.

PISTRINA VT SVTRINAM ET MEDICINAM.] Plaut. Amphit.

In medicinis, in tonſtrinis, apud omnis ædis ſacras.

Et in Epidico,

Per medicinas, per tonſtrinas, in gymnaſio, atque in foro.

Per myropolia & lanienas, circumque argentarias.

Pag. 301. *Vt quam ſignificet*] MS. *Niſi forte ſignificat, vt ſit ô quam.*

Pag. 303. *Nunc dicit*] MS. *Non dum dixit.*

Græci dicunt ἀπτὶς] Variant ſcripti codd. HTAΠTECTOS. al. HTAΠICCTOS.

Plena gladiatoria] *io. plane glad.*

Pag. 313. *Eſurientibus ceteris*] MS. *cunctis.*

Iracundiam Demea] MS. *vel conſentiendo mitigare ſibi amorem, fieri iracundum Demeam.*

VIRGINEM QVAE CVM VIRO.] Eadem ratione *virginem maritum* vocat P. Chryſol. Serm. 148. *Inducta virgo inducit virginem mox maritum.* Nam & *virginem puerum* dixere iueſtem, qui bona ſua nemini dum vendidiſſet. Paulinus in Epithalamio hactenus inedito, in Iulianum & Titiam.

Concordes animæ caſto ſociantur amore
Virgo puer Chriſti, virgo puella Dei.

Marcell. Empiricus aliquotiens: apud quem & *chartam virginem* legimus, cap. 8. quam Vlpian. l. 52. §. 4. ff. de leg. 3. *chartam puram* vocat. Sed Martial. lib. 1. Epigr. 67. *virginem chartam,* non puram intelligit, ſed recens ſcriptam, plane ad Donati mentem;

ſcrinioque ſignatas
Cuſtodit ipſe virginis pater charta.

ACT. V.

PAg. 315. AD DELICIAS EXPRIMENDAS] Id propter Laconica lege vetitum erat. Ælianus Var. hiſtor. lib. 2. cap. 5. *Ἀκούσαντες οἱ ἔφοροι Λακεδαιμονίων, τοὺς Δεκέλειαν καταλαβόντας περιπάτῳ χρῆσθαι δειλινῷ, ἐπέστειλαν αὐτοῖς, Μὴ περιπατεῖτε· ὡς τρυφώντων αὐτῶν μᾶλλον, ἢ τὸ σῶμα ἐκπονούντων.*

Pag. 324. *Apud alium & palam*] MS. *apud alium quempiam.*

In verſu Actij. *Feras potiuntur*] MS. *Siras pot.*

Pag. 326. *Aut, vt exiſtimo*] MS. *aut in Syro nihil.*

Poſtquam ipſo dixit] γρ. *Poſtquam ipſo audiuit bis nomine appellatum Getam.*

Pag. 328. *Alicuius demacerata*] MS. *non alius demac.*

Tanquam de præſento] MS. *quaſi cum præſ.*

Pag. 330. *Modeſta apud alios*] MS. *modeſta alij.*

Pag 331. COMICORVM SENVM] Cicer. in Lælio, *Hodie me ante omnes Comicos ſtultos ſenes.* &c. Plaut. etiam ſenibus illam ætatem præſcribit, qua ſcortari deſinant. Mercat.

Annos natus ſexaginta qui erit, ſi quem ſciuerimus ſiue maritum, ſiue hercle adeo cælibem ſcortarier,
Cum eo nos hic lege agemus.

Mitio velut inſuani] MS. *Mitio velut inſanis.*

Non voto filiorvm] Vlpian.l.1.§.8 π. de ventr. inſpic. *Voto liberorum ſuſcipiendorum ductus.* l.22 §.7.ff. Solut.matr. *Procreandæ ſobolis cauſa dixit.* Enim matrimonij hæc erat formula. Liberorvm qværendorvm gratia, &c. Athenienſes dicebant ἐπ' ἀρότῳ παίδων. Iſidorus Peluſ. Ep. 243. τὴν γὰρ παρθένον ὁ ἀνὴρ ζευγνύμενος γυναῖκα, τουτέστι γόνιμον ποιεῖ. διὸ καὶ παρ' Ἀθηναίοις ἡ ζευκτὴ κατὰ νόμον, ἐπ' ΑΡΟΤΡΩ ΠΑΙΔΩΝ ἐλέγετο γυνή. Iuſtinus Mart. Apolog.2. εἰ μὴ ἐγαμούμεθα, εἰ μὴ ἐπὶ παίδων ἀνατροφῇ.

Recte, non vxoris cognati] γρ. *Recte; nam vxoris.*

Pag.333. κυριολογία] MS. ψευδολογία.

Adscribi cavsas manvmissionis] Marcian. l. 9. & ſeqq. π. de manumiſſ. & vind.

Pag.334. *Secundum quem apparet*] MS. *Sed app.*

Confirmantia περίληψιν] MS. *Confirmantia, cum περίληψιν.*

Vt alas manvmissvm.] Vlpian. l. 14 & paſſim Tit.π. de aliment & cibar.

Pag.335 *Velis, nolis*] MS *fas, nefas.*

Εἰρωνεία] MS. ΠΟΙΚΙΛΙΑ.

IN HECYRÆ COMMENT.

Haec fabvla Apollodori] Vid. Sidon. Apoll. lib 4. Epiſt. 12.

Pag.337. *Vt mox loquatur cum ipſo*] Rectius MS. *Et mox cum ipſo.*

PROLOG.

Pag.341. *Quæ ſcita ſit nomine*] MS. *hoc eſt q̃ ſit oio.*

Ivs gentivm est.] L. 17. ff. de Legation. l. 7. ad leg. Iul. de vi publ l.8. de diuiſ. ter Dio Chryſoſt. περὶ νόμου. τὸν γοῦν παρὰ τῶν ἐχθίστων κήρυκα πεμπόμενον οὗτος ἐστιν ὁ σώζων καὶ διαφυλάττων, καὶ τοὺς θωρακας καὶ πάσης ἀσπίδος ἰσχυρότερον αὐτῷ δοὺς ὅπλον τὸ κηρύκειον. Idem in fine orationis περὶ ἔθους. Liuius lib.1. *Poſt aliquot annos propinqui regis Tatij legatos Laurentium pulſant: cumque Laurentes iure gentium agerent, apud Tatium gratia ſuorum & preces plus poterant; igitur illorum gratiam in ſe vertit. Nam Lauinij cum ad ſollemne ſacrificium eo veniſſet, interficitur.* Vell. Patercul. initio lib. 2.

Pag. 343. *dicitur ἀπηθεῖς*] MS. ἀνάκλασις.

Ab auditorum perſona] MS. *A iudicum perſ.*

Etiam glorioſe] MS *ſed glorioſe*

Pag 346. *Mutis dicti ſunt boues*] Rectiſſime ad mentem Donati Hyginus tab 201. *In quamcunque effigiem vellet transformaretur, ex albo in nigrum, vel ex nigro in album; in cornutum ex mutilo, in mutilum ex cornuto.*

Eximia pecora] Vid. Feſt.

Non eam perſuaſiſſe] MS *Non ſe perſ.*

Ἐμπαθῶς ait] MS. ΕΝΠΑΓΟΠΑΛΗΝ.

Pag.351. *ante παδοικὴν*] Ita MS. Heſych. παδοίκας, μετοίκους vocat. hinc ergo de medela cogitandum.

Pag.355. Qvae familiae debetvr] Iuſtin. Inſtit. lib 3. Tit. de bonor. poſſeſſ.

Pag 359. ἄπεχτος πίσις] ἰ. 405. 409. Marcellin. in Hermog p. 298.

Nisi ad telvm] Petron. *Vt primum extra teli coniectum licuit conſiſtere.* paulo ante dixerat. *Lapides in Eumolpum recitantem miſerunt.* Inſtit. Tit. de pub. iud

Pag.360. *Hoc eſt amorem*] MS. *Hoc amare.*

ACT. II.

Pag. 364. *Eſſe compulſam*] MS. *eſſe collapſam.*

Aurem propiorem] MS. *aurem propriorem.*

ACT. III.

Pag. 358. *Nimis cothurnati*] al. *conturbati.*

Pag. 369. *Plenum erat*] MS. *planum erat.*

Pag. 370. *In vultu proloq*] M..s *vultum* ;rol.

Pag. 373. *Eſt μετάνοια*] MS *eſt ὑπαλλαγή.*

Pag 377. Foemina qvae leges nesciat]

Iib.

l. 11. l. 13. C. de iur. & fact. ignor. l. 8. ff. eod.

Pag. 380. *Sine continuctiine*] MS. *coniunctione*.

Μυκόνι☉ φαλακρὸς] Strabo lib. 10. τοὺς φαλακροὺς δέ τινες Μυκονίους καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ πάθους τούτου ἐπιχωριάζειν τῇ νήσῳ. Vid. Stephan. de vrbib. & adagiographos.

Pag. 384. *Et propinquitate Terentius frequentatata monetur vt heredum*] MS. *Et ac. p. t. frequentate monent' aut heredum*.

Pag. 385. *Dotem relinquere*] ἴσ. *dos retinere*.

Pag. 386. DOS PECVNIA EST] Plaut. Epid. *Pulchra adepol dos pecunia eſt*. Ariſtænæt. lib. 1. Epiſt. 1. αὐτίκα χρημάτων εἰς προῖκα τὸ ζῆν δεῖσθαι πᾶσι. Vid. quæ notata. p. 616.

ACT. IIII.

PAg. 390. SEPTIMO MENSE NASCI.] Pet. Chryſologus Serm. 56. *Homo ſæpe menſis decimi deſpiciens terminum, ſeptimo menſe anguſtias primæ domus, & arctas vteri abiicit & deſerit manſiones, vt prælator nouus ante ſe tempus euiciſſe gaudeat, quam dependat ipſe ſuam temporis ſeruitutem*. l. 12. ff de ſtat. homin. Cenſorin. de die nat. A. Gell. lib. 3 cap. 16. ſ. p. 377.

Pag. 371. *Qua minor eſt*] MS. *Qua huius eſt*.

Ita non eſſe certo] MS. *ita eſſe*.

Arbitrum capere] Plaut. Amphitr. *Blepharo captus arbiter*.

In ingenio] MS. *in genero*.

Me eſſe cenſes] MS *pernicioſamque cenſes*.

Pag. 3, 2. ἰδιωτισμὸς] MS. τοῦ ἰδιωτισμοῦ.

Miſericerdia, animus] ἴσ. *Mitte, animus*, &c.

Reſpondeatur] MS. *repandatur*.

Pag. 393. PRAETORIS EDICTA ET INTERDICTA] Petron. Arbit. *Ad interdictum venire*.

Pag. 396. ἄχθος. *quid*] MS. *oclous quid enim*.

Pag. 398. *reuocare vult*] MS. *ad ſe vocare vult*.

CAVTE SATIS.] MS. *Acute ſatis*.

Conſentientes ſint aut diſſentientes] MS. *Concordes ſint anne diſcordes*.

Pag. 399. *Caput indicant*] Ita ex MS hunc locum emendauimus. aliter Muretus Var. lib. 18. cap. 18.

Pag. 402. *Aut etiam ſocrui*] MS. *aut non ſolum*. ſed verius puto, *at etiam ſ.*

Ipſe dicit] MS *ipſe determinat*.

Quomodo volebam] MS *Quando volib.*

Odiſſe Soſtratam] MS *odiſſe ſocrum*.

Pag. 430. LIBERI PATREM SEQVVNTVR.] Puta, ex iuſtis nuptijs procreati. Inſtit. Tit. de patr. poteſt. l. 19. l. 24 ff. de ſtat. homin. Sic Canuleius TRP. apud Liuium lib. 4. *Patrem ſequuntur liberi*. Dio Chryſoſtom Orat. ad Apomenſes. τὸ μὲν οὖν ἀναγκαῖον ξυνακολουθεῖν τὰ τέκνα τῷ πατρί. Ex iniuſtis vero quæſiti matrem ſequuntur, Inſtit. de nupt. l. 1. §. 2. ff ad Municip. l. 5 §. 3. ff. de agnoſ. & alend. lib.

ACT. V.

PAg. 409. *Et deeſt, Quod eſt*] MS. *Quem exerceo ſcilicet, id eſt, quod eſt quæſtui mihi*.

Pag. 411. ἀποζῶσιν] MS. κατὰ ταύτης μετὰ κ... *

Pag. 414. *Quod factum eſt*] Variant libb. al. *falſum eſt*, al. *fictum eſt*.

Alia ſcilicet] MS. *hoſtis eſt aliis inimica*.

Pag. 417. *Capella quadam eſt mire facta*] MS. *Myrræ facta*.

Conſugere anhelantem] Vid. Quinctil. lib. 1. cap. 6.

Pag. 418. *Incluſis narrationem*] MS. *Concluſit n.*

IN COMMENT. PHORMION.

ARGVMENT.

FISCVS SPARTEVS. Gloſſ.] *Formio* Κόφινος. παρῆκται δὲ ἀπὸ τοῦ ἑλληνικοῦ, ὡς ὁ φορμός. Verba Heſiodi laudantur in Etymol. Magno: ὥσπερ δὲ ἐν φορμῷ. in voce φορμίζειν. Baſil. Magn. in exercitationib. φορμὸς ὁ καλαθίσκος.

Pag. 422. *Ante actionem*] MS. *ante narrationem*.

PROLOGVS.

PAg. 426 *Magis lædere*] MS. *magis delere*.

Pag. 472. περιεργστικῶς] MS. περιεργ-στικῶς αὐτὶ τοῦ, qui &c.

Pag. 424. *Nove ſic voluntatem*] MS. *Nove ſic Cicero voluntatem*.

SVAS HORAS NON OBTINVERIT] Etiam in iure *ſuas horas obtinere* dicuntur actor & reus. Aſcon. Pædian. 3 in Verr.

ACT. I.

PAg. 429. *Conditionis gentiſque*] MS. *cond. gregiſque.*

Pag. 430. τρόφιμον *Græci*] Seru. Aeneid. lib. 11. ad illum verſum,

——— charo datus ibat alumno.

Dicere poterant] MS. *dicere poterint.*

Quo parentalia] MS. *Quo denicalis.*

DEMENSVM] Gloſſar. *Demenſum* ἀπομέτρημα.

Pacem exiſtimaretis] MS. *parum exiſt.*

Pag. 431. EDVLIAE, ET POTICAE.] Arnob. aduerſus gent. lib. 3.

NVTRIX AN VERA MATER] Plaut. Menæch.

vti mater ſua
Non internoſſe poſſit, quæ mammam dabat:
Neque adeo mater ipſa, quæ illos pepererat.

Ariſtænæt. lib. 1. Epiſt 6 vbi puella nutricem ſuam ſic alloquitur. Νὴ τὴν Ἄρτεμιν, ὦ μῆτερ, καί τοι πρὸς τὸν ἔρωτα ἐλεγχομένη ὅμως ἐπανάξω ὑπερφρονεῖν.

Pag. 434. *Tribus modis debitum*] Similiter Plaut. Pſeud.

Accipe, hic ſunt quinque argentei lecti numerati minæ.

Condictum non fefelleris] Ita ex MS. reſtituimus. al. *creditum.*

Pag. 436. ἐπίτασιν] MS. ἐκστασιν.

Pag. 437. PVELLAE COMAM OB LVCTVM ABSTVLISSE] Bene de hoc ritu Theodoretus Quæſt. in Deuteron. cap. 13. τινὲς μὲν τῶν ἀλλοφύλων ἐθνῶν, τὰς τῆς κεφαλῆς ἀπεκείροντο τρίχας, καὶ ταύτας προσέφερον τοῖς νεκροῖς. τινὲς δὲ τὰς τῶν γενείων, ἄλλοι τὰς τῶν ὀφρύων, ταῦτα γίνεσθαι ὁ θεῖος ἀπαγορεύει νόμος. Artemidor. lib. 1. cap. 27. ἔθος γὰρ παλαιὸν, ἐπὶ πένθει τὰς κόμας ψιλοῦσθαι.

Pag 438. *Ipſe hortari*] MS. *Ipſe hortater.*

ὑπὸ τῆς κατὰ τὸ] MS. ἀπὸ τῆς κατ.

Pag. 439. *Facta ex eo*] MS *factura ex eo.*

Principaliter petuntur] MS. *p. expetuntur.*

Pag. 440. *Eromem dicimus*] Alfenus IC. l. 31. ff. locat. cond.

εὐσπλαγχνία] MS. ἐν ὑποκρίσει.

Pag 442. *Subaudi venit. Iam non*] MS. *Quia venit. Nam non*

Pag. 444 In verſu Lucillij ——— *in locum Hiſpanus.*] MS. *in locum hiſpinnis.* indicium veri. Sed totus locus ita legi debet:

Ille alter abundans
Cum ſeptem incolumis pinnis redit ac recipit ſe.

Et recte in partem ita à Scholiaſte Iuuenal. laudatur ad Satyr. 3.

Pag. 445. περίαλψις] MS. διαπαρατρίψις.

Niſi ad dominationem] In MS. τὸ *ad* deſideratur, idque rectius ad phraſin Salluſtian.

IN METV SEMPER EST PRAESAGA MALE MENS] Tale eſt illud Petron. *Quam male eſt extra legem viuentibus, quidquid meruerunt ſemper exſpectant.*

Pag. 447. *aut* ἀναστροφὴ] Longe diuerſa lectio in MS. *tu es corſalis ſaxa pereſa.* folium Sibyllæ.

Pag. 450. *Commachinatus*] MS. *vide ſatis artifex.*

Pag. 451. SVCCENTVRIARI DICVNTVR] Gloſſ. Placidi. *Centurias dicimus partes exemptas in centenos milites diuiſas; vnde & qui his præſunt centuriones dicuntur. Ergo ſuccenturiati ſunt, non qui in prima, ſed qui in ſecunda centuria ſunt, quaſi ſub prima centuria. Tamen inſtructi etiam ipſi in ſpeculis poſiti in bello ſunt, vt ſi primi defecerint, iſti quos ſubeſſe diximus laborantibus primis ſubueniant; vnde & ad inſidiandum ponitur ſuccenturiatus, quaſi armis doloſis inſtructus.* Vid. Feſt. & Non. Marcell.

Vim hortantis] MS. *vim hortationis.*

ACT. II.

PAg. 456. *Tum ſi eorum*] MS. *eum Siculiorum.*

Pag. 457. *Duplex* μετάθεσις] MS. *dup.* μετάστασις.

Notum alteri] MS. *ô eum alteri dictum, qui.*

Vt cedentibus mos eſt] MS. *quod cedentibus moris eſt.*

Pag. 458. TVBERO] Sic rectiſſime hunc locum edidimus, cum antea corrupte legebatur. Tuberonis hiſtorici rerum Romanarum libros laudat Choriſius, qui indubie Hipſus eſt, cuius hic auctoritate Donatus vtitur.

Pag. 490. ADESSE ENIM DICVNTVR ADVOCATI] I. p. 467. Seneca de breu. vitæ. *Hic aduocat, hic adeſt.* Labeo apud Vlpian. l. 19. §. 1. ff. de donat. *Si tibi adfuero, ſi ſatis pro te dedero, &c.*

pag. 461. AVREM MINIMO INSCALPENS DIGITVLO] Aurem ſiue caput minimo digito ſcalpere χυδαϊκτης exiſtimatur ſuperbi vel diſſoluti hominis. Ammian. Marcell. lib. 17. de Pompeio. Sed nil poteſt dici melius, quam quod notatur à Lucani veteri ſcholiaſte: cuius hæc verba ſunt. lib. 7. *Non tibi vera fides.* ——— *Duobus*, inquit, *vitiis Pompeius laborabat, nam & fauoribus multum gaudebat; vt in primo ipſe Lucanus,*

———famaeque petitor,

Multa dare in vulgus, totus popularibus auris

Impelli ———. *Et vitio ſuperbiæ quodammodo tangebatur: nam vno digito caput ſcalpebat, quod eſt ſuperbiæ indicium. vnde Martialis de eo in Epigrammate:*

Magnus, quem metuunt homines, digito caput vno

Scalpit, quid dicas hunc ſibi velle? Virum.

Quidam autem luxuria vitium eſſe dicunt, vno digito caput ſcalpere; vt Iuuenal.

——— nunquam pathicus tibi deerit amicus

Stantibus & ſaluis his collibus: vndique ad illos

Conuenient, & carpentis, & nauibus omnes

Qui digito ſcalpunt vno caput. Hæc ex antiquiſſimis ſcripti codicis membranis. Vid. Senec. lib. 7. Controuerſ. 4. Iulianus Imperat. in Cæsarib. Οὐ δὴ οὖν θαυμαστὸν, ἢ κεκράτηκας Πομπηίου δακτύλῳ κνώμενος, καὶ τἄλλα ἀλωπηξ μᾶλλον ἢ λέων. Erat etiam iratorum nota. Apul. Mileſ. l. 6. *Latiſſimum cachinnum extulit, & qualem ſolent furenter irati: caputque quatiens, & adſcalpens aurem dextra.* Contra vero caput tota manu ſcalpere, τῶν ἀπορούντων ſignum. Cicero pro Piſone. *Perſcriptis rationibus ſecum ipſe caput ſiniſtra manu perfricans, commurmuratus ſit.* Germani in eadem re dicunt: *Sich bey den ohren kratzen.*

DE ALLIATO MORETARIO] Apicius lib. 10. *Condimenta moretaria.* Vid. Moretum Virgilij.

INTRITA] Gloſſ. *Intritum* ἐμβροχή. Apul. in Mileſ. *Intritum lacte confectum.*

pag. 453. PASCITVR VICTIS] lo. xii. Tabb. *Qui em vinctum habebit libras farris endo dies dato.* Hoc voluit Ambroſ. lib. de Tobia cap 10. *Vnum ſane eſt, quod non temere poſitus, quia poſcere non nouit alimenta, &c.*

PARASITVS REGIS EST] S. p. 121. Ariſtid. πρὸς πλάτωνα. p. 117. ὥσθ᾽ ὅπερ δοῦλος πρὸς δεσπότην, τοῦτο κόλαξ πρὸς τύραννον ξυμβαίνει. Plauti Paraſitus in Aſinar.

Regem perdidi, ex amore tantum eſt homini incendium

Vid. Acron. ad illud Horat. ——— *imperium fer.* lib. 1. Epiſt. 5.

Πλευρὰ ζωὸς] MS. πρὸ ἀρχαῖ ζωῶ.

Pag. 453. MATVRAE VENIVNT, DISCVMBITVR] Si vera hæc lectio, fragmentum erit fabulæ deperditæ, nam in illis quæ nunc extant, non habetur.

pag. 467. *Senſu diſcernitur*] MS. *ſexu diſt.*

pag. 468. *miſericordiam odioſa*] MS. *miſeriam ocioſa.*

QVALITAS INIVRIAE A DIGNITATE PERSONAE] Vlpian. l. 7. §. 8. ff. de iniur. & fam. l. 15. §. 44 ff. eod.

Et in eo quod à viuo fit] MS. *Et quod ad vixit.*

pag. 469. *Et hæc autoritas*] γρ. *Eſt hæc.*

pag. 470. *Deſtruxit quod ſerio intendebat*] MS. *deſtruxit quod protendebat ſenex.*

Pag. 471. *Et conuentionis*] MS. *Et conuentiæ.*

ACT. IIII.

PAg. 482. *Qui ſeparatim accipit*] MS. *Qui furtim acc.*

Pag. 483. Καὶ αὐτὴν, &c.] MS. *Græcum prouerb. ſic ſcriptum.* ΕΙΣ ΚΟΦΙΝΑ ΕΥΔΕΚΥΡΑΣ.

COMICVM ARGENTVM] Plaut. Pœnul.

Agite inſpicite, aurum eſt. CO. *Profecto ſpectatores comicum*

pag 484. *Obſeruatum eſt*] Ita MS. Vulg. *Obſtetricum eſt.*

pag. 485. *Hara autem eſt, in qua pecora includuntur*] MS. *Horia autem eſt locus in quo inclinia ſeruantur.*

Ruſticus, hircus] MS. *Myſticus hircus, haruga miſtellaria fiunt.* Sed hanc lectionem vitioſam arbitror; integer enim locus Plauti hic eſt in Moſtell. Scen. 1.

Germana illuuies, ruſticus, hircus, hara ſuis.

ACT. V.

PAg. 494. FORS FORTVNA EST.] Varro de Latino ſerm. lib. 5. *Dies Fortis fortunæ appellatus ab Seruio Tullio rege, quod is fanum Fortis fortunæ ſecundum Tyberim extra vrbem Romam dedicauit, Iunio menſe.*

Pag. 497. RESCRIBERE DICEBANT.] Acro in Horat. lib. 2. Sat 3.

IVS PRO LOCO] Paulus I.C.l.11. ff. de iuſt.& iur.

Pag. 498. *Alteri alteros ſauciare*] Ita MS. al'. *alter alterum ſ.*

AD PRAETORIS SELLAM] Val.Maxim. *Id egerūt ne aut ſellam ponere aut ius dicere auderet.* Vlpian.l.1 § 5.ff. de poſtuland. *Rofert etiam Labeo Publiū Cacum, Aſprenatis Nonij patrem auerſa ſella à Bruto deſtitutū, cum vellet poſtulare*

Pag.500. *Grauiter vtrumque*] MS. *Grauiter.*

Pag. 501. προσάζειν] MS. *praeterea & alias partes adducit ad deſenſ.*

Nihil faceſſius] MS. *Nihil facilius.*

RELIQVARIVM.

PAg. 5. EGERVNT L. AMBIVIVS] Symmach. lib 1. Epiſt.25. *In comœdiis ſummatem quidem gloriam ſcriptores tulerunt; Roſcio tamen atque Ambiuio ceteriſque actoribus fama non defuit.* Idem lib. 10. Epiſt.2. *Magnis negotiis itidem, vt magnis comœdiis edecumati apponuntur actores. Non idem honos in pronuntiandis fabulis P. Pollioni, qui Ambiuio fuit, neque par Aeſopo & Roſcio fama proceſſit.*

Pag.588. FACIVNT NE INTEL] Cæl. Sedul ad Macedon. de opere Paſch.

SVMMVM PRETIVM] Arrian. lib.3.cap.26. ἀγαθόν σοι δοκεῖ ἡ ἐλευθερία τὸ μέγιστον.

Pag.590. Andr. Act.2 Scen.1. SPE ATQ TIMORE.] Elegans locus Achil. Tatij. lib. 6. τὴν ψυχὴν εἶχεν ἐπὶ τρυτάνης ἐλπίδος καὶ φόβου; καὶ ἐφοβεῖτό μου τὸ ἐλπίζον, καὶ ἤλπιζεν τὸ φοβούμενον.

P.593. Poſt illa, ——— *de infantib. exponend.* Vnde non minus grauiter quam diſerte, in eos qui ſecius faciunt inuehitur Philo Iudæus, lib.1. περὶ τῶν ἐν εἴδει νόμων. qui locus dignus vt cum his conferatur.

Pag.599. SVSPECTANS TABVLAM] D. Auguſtin.202. *Rectè Terentianus ille adoleſcens, qui ſpectans tabulam pictam in pariete, vbi pictura inerat de adulterio regis Deorum, libidinem qua rapiebatur, ſtimulis etiam tantæ autoritatis accendit: nullo modo in illud flagitium concupiſcendo laberetur, vel perpetrando immergeretur, ſi Catonem maluiſſet imitari quam Iouem.*

Pag 599 poſt illa ——— *Formoſula vxor.* Et Venus ipſa ſtraba. In diſſertatione Hadriani & Epict. *Quare Venus ſtraba eſt?* EPICT. *Quia prauus eſt amor.*

P 603. TANTVMNE AB RE] D. Aug Epiſt. 51. *Hinc & ille Comicus (ſicut luculentis ingenijs non deſit reſplendentia veritatis) cum ab vno ſene alteri ſeni dictum componeret;* Tantumne ab re tua eſt otij tibi, aliena vt cures, ea quæ nihil ad te adtinent? *Reſponſum ab altero reddidit;* Homo ſum, humani nihil à me alienum puto. *Cui ſententiæ ferunt etiam theatra tota, plena ſtultis indoctiſque, applauſiſſe.*

Pag. 207. MENEDEME. AT PORRO] Rectius videtur ſi ſic diſtinguatur:

Menedeme, at porro rectè ſpera; illum tibi
Saluum adfuturum eſſe hic confido propediem.

HÆc ſuis locis inſerenda ſunt. Ceterum Eugraphius (incertum vbi gentium & quo tempore vixerit) in quibuſdam locis critica quoque manu indigeret. Sed vt nos plura hic Italis præſtitimus, ſic alij diligentiam noſtram ſi ſupplebunt, non inuidebimus: laus eſt publica.

Corrigenda ſi qua ſane viſa, LECTOR, *hinc erunt,*
Non ero ſtulte repugnans, aut amans praue mea;
Quin ſtatim culpanda delens præbeam rectis locum.

EXPLICITVM
LVNA XIXIMA IVLII.
AN. XPI. ∞ IↃ. CII.

AVTORES
QVI IN HIS COMMENTARIIS ET OBSERVATIONIBVS LAVDANTVR.

ACTA concilij Chalcedonenſis MS 600.
Achilles Tatius 597. 598. 599.600.605.606.628.
Aëtius.324.
Adamantius.599.628.
* Adeſio. 163.
Aelianus. 593 609 631.
Afranius 289.
A.Gellius 588 591.
Alexander Aphrod. 594. 596. 598.599.608. 627.633.
Alexis.594.610.614.
Aldhelmus.600.
Ambroſius.603.606.610.616.631 635.
Ammianus Marcell. 593 597.600.604.
Amphis. 613.
Antipater. 624.
Antiphanes 589. 596.625.
Apollodorus. 345. 360. 368.376. 380. 437. 458.463 477.478.479 483.594.
Apuleius. 587. 596. 599.600.601.606.607. 609.612.618.620 622.627 628.630.635.
Ariſtenætus 599 604 617.633.
Ariſtides. 588 598.611 614.617 635.
Ariſtophanes.163 594 601.616.
Ariſtoteles.892 593 598 609.617.
Arnobius 627.634.
Artemidorus 622 634.
Arrianus.599.601.608.611.624 629.
Aſconius Ped 588.633.
Aſper.275.297.436.
Athenæus.588 617 621 624.
D.Auguſtinus.589.590.611.
Auſonius.588.589.601.602.603.606.621. 627.
emendatur. 588.
Baſilius Magn.605.633.
Baſilicon iuris. 611.
Calpurnius. 606.
Cæcilius.79.162.176 307.
Cælius Sedulius 624.
Caſſiodorus.595.
Cato.482.606.609.
Catullus.73 609 610.
Cicero 6.7.8.16.19.26.27.31 33 38.52 56.60. 61.64.66.73.77.80.84.89 90 91.104. 114 121.141.145 150.159 163.184.186.190. 197.199.251 257.263.273 274.280 282. 283. 288. 295.308 309.320.321.331.352. 359.361.368.387.392 395.398.406 414. 417. 418. 440. 443. 449. 454.456.457. 462.467.468.470.482.483.497.512 518. 519.525.528.532.535.545.549.562.589.592. 596.597.598.601.603.606.610.619.635.
Clemens Alexand.608 618.
Codex Iuſtin. 593. 594. 602 633.
Codex Theod.595.
Columella 606.609.
Curius Fortunatian. 600. 616.
Cyrillus 600.611.
Demoſthenes.436.598.901.609 616 603.
Digeſta iuris. 609. 616. 625. 626.627.628. 630.632 633.
Dio Caſſius.618.628.
Dio Chryſoſtom.588. 595 609. 610. 625. 632.
Diodorus Comicus.617.
Diodorus Siculus 613.
Diomedes.587.590.
Dionyſius.601.
Dionyſius PP. 597.
Diphilus 593 605.
Duodecim tabb. 146. 635.
Ecloga Baſilicor.591.602.608.
Ennius. 47.56.151 153 252 353.436.444 458. 463.473.491.501.609.
Eubulus 589.
Eupolis.597.
Euripides.359.600.60

Euſtathius in Homer.598.
Fabulæ Aeſopi 631.
Feſtus.587.597.625.
Fl. Vopiſcus.598.
Fulgentius.600.
Gabrias 630.
Galenus 617.
Gerbertus.619.
Gloſſ. Philoxeni. 588 589 592.593.596.597. 599. 600. 601. 606. 608. 609. 620. 626. 627. 630. 633.
Gloſſæ Placidi MS.634.
Gloſſæ Latinæ.597.600.
Harmenopulus.593.
Harpocration. 627.
Hegias.591.
Helladius.624.
Hellanicus.113.
Herodotus. 601.
Heſychius.606.
Hieronymus. 588. 589 565. 597. 600. 601. 602. 604. 606. 607. 612. 615. 616. 617. 621.629.630.
Homerus. 45.73.175.287.319.342.375 376. 533. 538.
Horatius. 45. 68 90.138. 197. 263.296.319. 344. 352. 354.360.385.392.396.458.484. 525.588.591.602.617.618 624.625.626.
Hyginus.632.
Inſtituta iuris 588.594.597.626.632.633.
Ioan. Saliſberienſis 597.618.
Ioſephus 595 602.605.
emendatur. 602.
D. Irenæus.589.
Iſidorus Hiſpal.600 624.
Iſidorus Peluſiota.632.
Iul. Firmicus.595 596.597 606.
Iuſtiniani Nouell. 616 626.
Iuuenalis.589.604.605,611 615.620.626.
Iuſtinus Martyr.632
Lactantius.602.606.607.619.626.
Lampridius.603.610.
Latinus Pacatus.619.
Liuius.632.
Lucanus. 111.
Lucianus 592.598.604 609.630.
Lucilius 24 38. 54. 70. 90. 91. 94. 128.131. 143 158. 162 166. 183 258. 269. 271. 322. 324. 380.434 444.447.450.454.458.469. 482.494.609.
emendatur. 626.
Lucretius.24.137.146.163.298 613.
Macer.611.
Marcellinus in Hermogen.589.632.
Marcellinus Hiſtor.603.635.
Marcellus Empir.631.
Marcianus.591.
Marius Victor.587.626.
Martialis.520.616.631.
Matt. Blaſtares MS.602.
Menander.46.52.54.61.63.73.78 79.90.92. 104. 163. 246. 259. 268. 331.527.589.590. 591. 593. 598.603.604.606.607.608.611. 616.617.619. 628.
Moyſes.615.
Naeuius.16.292.293.436.
Nicetas.592.611.630.
Nicolaus.597.
Nigidius.447.448.454.
Nonius Marcellus 588.
Olympiodorus MS.626.
Ouidius 607.613.625.628.
Pacuuius.243.
Papias.627.
Papinianus 607.620.
Paulini epithalam. MS.631.
Perſius.77.299.359.356 395.
Petron. Arbiter.599.600.603 628.932.
emendatur.623 624.
Petrus Bleſenſis.618.
D. Petrus Chryſologus. 599.631. 633.
Philemo.590.606.
Philoſtratus. 595 596.598.603.624.627.
Phornutus. 625
Photius.592.600 618.624.
Placid. Lactantius,630.
Plato.538.
Plautus. 16.18.25. 26.32.39.48 55.63 76.77. 91. 101 104.105.111.117.121.122 130.139. 146.148 151 157.162.166 .169.173.174. 176 184.190.193.242 244.246.274.282. 287.288 307.314.319 328. 334 335.342. 370 470. 458 464. 474 482. 485 490. 494. 498 533.540.588.589.590.592.594. 595 596 597.598 600.601 603 604 606 607.608 609. 611. 614.615.616.617.618. 619.620.626.628.929 631.633.635.
Plutarchus 592 606 613.
Pomponius 158.
Probus.86.104.275 341 443.469.530.
Prudentius.588 616.
Quærolus 603.617.
Quinctilianus 589.599.602.606.609.610. 614 620.625.626.628.630.

Rufinus. 602 626.
Salluſtius. 13. 16. 17. 18. 26. 31. 37. 39. 42. 56. 71. 81. 89. 91. 104. 105. 109. 113. 121. 124. 129. 134. 137 142. 143. 274. 275. 287 298. 307. 309. 355. 363. 372. 373. 376. 390. 391. 411. 430. 436 438. 440. 441. 445. 448. 449 455. 458. 467. 469. 472. 480. 494. 497 497. 498. 505. 506. 532. 533. 546 468.
Scæuola 589 605.
emendatur. 591.
Scholiaſtes. Ariſtophanis. 588 592. 593. 598. 602.
non dum editus. 618.
Callimachi. 593.
Iuuenalis. 595. 596. 634.
Lucani MS. 618 635.
Perſei 618. 625.
Pindari. 603.
Theocriti. 631.
Seneca 590. 596. 609. 611 626. 634. 635.
Silius Italicus. 622.
Simonides. 620.
Sidon. Apollinar. 613.
Socrates. 456.
Sopater. 599.
Sophocles. 600. 616.
Soranus Epheſinus. 590.
Sotades. 616.
Spartianus 596. 597. 603.
Statius Vrſulus. 590. 599. 630.
Stephanus de vrbib. 602. 629. 633.
Suetonius. 598.
Suidas. 616. 617. 218. 626. 629.
Sulpitius Seuerus. 589.
Synopſis iuris. 593. 625.
Syrianus. 610. 617.
Themiſtius 605 608 610. 631.
Theocritus. 293. 601.
Theodoretus. 634.
Theon in Aratum. 600.
Theophraſtus. 618. 619.
Thucidides 609.
Tertullianus. 589 614. 617. 623 625.
Trebellius Pollio. 612.
Trogus Pomp. 600.
Tryphonius. 595.
Tzetzes. 610. 618.
Tubero. 458.
Val. Maximus. 614.
Varro. 122. 158. 298. 331. 332. 431. 587. 599. 621. 630. 635.
Vegetius. 590.
Virgilius. 6. 7. 8. 13. 14. 15. 16. 17. 20. 21. 22. 25. 28 31. 32. 33. 34. 37. 38. 39 42. 44. 46. 47. 48. 50. 51. 55. 56. 58. 59. 63 68. 70. 71. 72. 73. 78. 79. 80. 81. 86. 89. 91. 93. 101. 102. 104. 105. 109. 110. 113. 114. 115. 118. 121. 123. 124. 127. 138. 141. 142. 143. 146. 150. 153. 155. 156. 158. 159. 164. 166. 169. 172. 173. 175. 176. 182. 184. 187. 193. 198. 200. 242. 245. 253. 257. 250. 259. 262. 264. 265. 270. 272. 275. 276. 277. 280. 283. 284. 287. 288. 293 296. 297. 298. 299. 307. 308. 309. 310. 313. 316. 319. 320. 322. 326. 331. 343. 346. 350. 352 353. 355. 359. 360. 363. 365 368. 369. 370. 372. 373. 375. 376. 377. 378. 379. 380. 383 384. 385. 387. 389. 390. 391. 395. 396. 398. 403. 404. 406 409. 410. 411. 413. 414. 417. 427. 431. 435. 436. 437. 438. 439. 441. 448. 449. 450. 451. 459. 462. 463. 464. 468. 469. 470. 471. 474. 479. 480. 483. 492. 498. 501. 506. 510. 512. 513. 517. 518. 519. 520. 522. 523. 526. 532. 535. 539. 541. 548. 553. 562. 564. 566. 567. 575. 576. 577. 578. 579 583.
Vlpianus. 588. 589. 595. 602. 608. 619. 626. 629. 930 931. 632.
Volcatius Gallicanus. 614.
Xiphilinus. 624.
Zenobius. 588 590 594.
Zonaras. 595.

INDEX RERVM ET VERBORVM.

A

ABACTORES. 282.
Abducere 112. 114. 259. 280. 302. 410.
Ab eo, *eius.* 151.
Abi, *blandientis vox.* 315.
Abigere. 282.
Ab illo eſt. 51.
Ablegare. 87.
Abligurire. 120. 532. 545. 596.
Abortus. 377.
Abradi. 463.
Abſente nobis. 158.
Abſolui. 268.
Abſtemus. 28.
Abſtrahere. 56.
Abſurdum. 281.
Abuti. 6. 471.
Ac. 81.
Academicorum ſententia. 166.
Ἄγειν. 592.
Acceſſi. 153.
Accidere. 85. 376.
Accingi. 198.
Accipere. 91. 200. 548.
Acta. 462.
Actum eſt. 51. 104. 276. 449.
Ad. 70.
Adcreſcere. 59.
Adcurat. 59.
Ad Dianæ *ſc. templum.* 298.
Adducere. 155.
Adeo. 60. 115.
Adeo *ſatis.* 124.
Adeſdum. 12.
Adeſſe. 438. *de aduocatu dicitur.* 460. 467.
Adgredi. 409.
Adhuc. 54.
Adire. 58. 451.
Adire ad aliquem. 38.
Adiungere. 15.
Adiutare. 243. 429.
Adiutores. 334.
Admittere. 169.
Admodum. 461.
Adnunciat. 297.
Adorior. 52. 68. 289. 517.
Adornare. 152.
Adoptare. 16.
Adſolent. 54.
Attendere. 7.
Aduenientib. peregre cœna data. 533
Aduentus. 122. 420. 443.
Aduerſitores. 245.
Aduerſum. 14.
Aduerſus. 14.
Aduertere. 7. 14. 70.
Aduocatus male facit cum tacet. 277.
Æcaſtor. 350.
Æger. 25.
Æquanimitas. 428.
Æquitas. 246.
Ære alieno oppreſſi manu capiebantur. 463.
Ætas integra. 16.
Ætatem. 166. 413.
Affectus. 370.
Affectus, factum, dictum. 20.
Affici. 370.
Age. 62. 110. 162.
Ager ab agendo. 282.
Agere. 405.
Agere, *audire.* 25.
Agere, *agitare.* 351.
Agere ſe. 71.
Aggredi. 283. 498.
Agitare. 467.
Agyieus Apollo. 622.
Agnitio liberorum. 500. 601.
Ain. 86.
Ais. 470.
Ait. 112.
Aiunt. 38.
Alacris. 128.
Alia vita. 25.
Aliorſum. 109.
Aliquid monſtri. 32.
Aliquo. 39.
Aliquot. 58.
Aliquis. 303. incerto genere inflexum. 303.
Aliter. 6.
Aliud agere. 131.
Alligare. 176.
Alloeutio ciuium. 172.
Alter. 17.
Altereo. 67. 482.
Alumnus. 410.
Am, *eam.* 608.
Amabo. 17.
Amare. 157.
Amator. 73. 112.
Amatoriæ cantiones. 611.
Amatoris curæ, vincula. 369.
Ambitio. 43.
Ambiuius. 342.

Ambiuius actor fabb. 461.
Ame, i. *meo*. 319.
Amens. 86.
Amentior. 86.
Amicus. 73.113.
Amicos leuiter incuſamus. 402.
Amici teſtes ſiue aduocati. 460.
Amicitiarum duo genera. 290.
Amoliri. 71.522.
Amor. 34. Deus non voluntas. 87.
Amor venenum. 158.
Amoris quinque lineæ. 93.357.
Amor mari cõparatur. 297.
AMPLIVS. 130.288.
Ancillæ dictum in phyſicum. 281.
Ancillæ obliuioſæ. 178.
Ancillarum greges. 604.
Angiportus. 181.298.544.
Animaduertere. 22.102.
Anime mi. 521.
Antecedere. 476.
Annuli in ſponſionib. 598.
Anteo. 455.
Ante oculos. 174.
Antipho. 96.
Antiquum. 80.
Anus ornatrix. 604.
Ἀπαυτᾶν. 78.
Apparati. 68.70.
Appellere. 6.49.
Applicare. 90.
Apprime. 35.363.
Apud ſe eſſe. 46.91.
Aquilæ ſenectus. 558.
Ara Apollinis. 73 626.
Ara Veneris *vulgaria*. 530.
Ara confugij. 606.
Argumẽtorum genera. 289.
Arrhabo. 560.
Arridere. 121.
Arrigere aures. 90.
Ars 13.
Articuli digitorum. 169.
Aſinus. 332.
Aſpernari. 469.
Aſſentationis exitus. 194.
Aſſertor. 608.
Aſſis. 430.
Ἄστυ. 191.
Aſtu i. *vrbs*. 198.602.
Aſtu i. *aſtute*. 186.
Aſtutia. 73.
Aſymbolus. 463.
Ἀτεχνῶς. 307.
Ἄτεχνος ποιεῖν. 405.409.
Athenis liberta æqua omnibus. 47. 569.
Athenienſium lex. 519.
Atellana. 242.
Attingere. 258.
Atque i. *tamen*. 28.
Au. 162.183.
Auceps. 333.
Auctus damno. 560.
Aucupium. 121.122.
Audire. 133.
Auellere. 146.
Auferre. 12.
Augurale verbum, vitium, calamitas. 342.
Αὐθάδεια. 251.
Auſpex in nuptijs. 618.
Ἀξίωμα. 14.114.

B

BΑ'ζεις orationis. 110.
Baſium. 141.
Beare. 507.
Bellaria. 299.
Belonam exercere. 122.
Bene. 20.102.259.
Bene facis. 114.
Benigne. 413.
Biber dare. 192.
Biduum. 156.
Birria. 4.
Bolonæ. 627.
Bolus. 568.
Bona verba. 26.
Bonitas. 428.
Bonus. 288.
Bonus i. *pinguis*. 329.
Bonus i. *magnus*. 330.
Brumæ dies. 485.

C

CAdere ſpe. 47.
Cæcum teſtimoniũ 90
Cælebs. 246.
Cæna dubia. 463.617.
Cæſius. 380.
Calamitas. 105.142.
Calces. 436.
Calidum. 133.
Callidus. 283.
Calliopius. 527.595.
Calliopici Muſici. 595.
Caluier. 610.
Canis occurſus. 618.
Canis. 175.
Canthara. 77.
Capere. 469.
Captus ſeruor. 289.572.
Caput i. *origo*. 50.
Caput pro toto homine. 43.
Caput feſtiuum. 266.
Cara cognatio. 614.
Carnifex. 24.280.380.
Carnifices præſentium & futurarum rerum. 98.
Caro. 380.
Carpere. 299.
Caſtor. 55.550.
Cato. 84.
Catus. 84.
Caue. 186.522.
Cauſa. 452.
Cautione opus. 45.
Cedo. 44.77.
Celere. 445.
Cella. 296.
Cellarium. 296.
Cenſeo. 200.
Cenſores morum. 117.
Ceſſare. 137.
Certamen. 262.
Cetarij. 122.533.
Cetariæ. 533.
Certo. 56.
Certum eſſe. 176.
Charinus. 4.
Charta virgo. 631.
Charta pura. 631.
Chærea. 96.
Chremes. 4.96.
Χρέμπτεσθαι. 4.
Chriſtiani occurſus. 618.
Cibus. 17.
Circuitio. 26.
Circumſpicere. 309.
Circumuallare. 274.

Ciuiliter reſiſtere. 169.
Clades. 347.
Clamare. 21.
Clanculum. 129.
Claudit. 130.
Clemens. 13.245 324.
Coëmptione materfamilias. 526.
Cognoſcere. 355.
Coire. 148.
Colaphizare. 930.
Colaphus. 259.
Colax. 529.
Colere. 177.330.
Collocare. 153.
Colloquium. 142.
Color verus. 129.
Color pudoris. 594.
Columellæ. 458.
Columen. 458.
Columnæ. 570.
Comicum argentum. 483.
Comicus character. 81.153.
Comicum conuicium. 178.
Comica nomina. 244.
Comici ſenes. 631.
Comica ſeruorum nomina. 624. diſyllaba. ibid.
Comicæ villæ. 196.
Comœdia. 242.
Comœdia Apollini ſacra. 73.
Comœdia per biduum acta. 559.
Commeare. 356.
Commeatus. 356.
Commendare. 183.
Commereo 21.
Commereri. 385.
Comminiſcor 561.
Commiſſator 316.
Comiter 474.
Comitas. 344.
Comitum multitudo 604.
Commitigare 194.
Committere 28.63.183.
Commoda 452.
Commode i. blande. 351.
Commotus 44. 84.
Commune 455.
Communes loci 506.
Communia amicorum 316.
Commutare verba 482.
Commutatus. 510.
Comparare 152.261.
Complura 481.
Complure 482.
Compoſito facere 488.
Comprehendere 191.
Comprimere. 501.
Conari. 32.604.
Concertatio. 261.
Conciliare. 162.
Conciliatus. 162.
Conclamatum eſt. 131.
Conclaue. 162.540.
Concludere. 460.
Concludi. 44.
Conditio. 17.
Condonare. 102.497.
Conferre conſilia. 605.
Confeſſio. 358.
Confeſſio peccati plena ſatisfactio. 64.
Confitetur qui tacet. 143.
Conficere. 430.
Confici verb. gladitor. 128.
Confidens. 84.86.440.
Confidentia. 86.
Confidere. 552.
Confiri 22.
Confiteri. 242.
Conflictatio. 18.
Conijcere. 62.
Coniuratio. 358.
Conſilium. 197.253.
Conſilium animi. 121.
Conradere. 576.
Conſentire. 15.
Conſobrinus. 383.
Conſtitutum. 357.
Conſpicor. 134.199.
Conſueſcere ἐν αἴσχει. 307 392.
Conſuetudo. 34.49.444.
Conſultores. 253.
Contaminare. 7.
Contemnere. 141.
Contentus. 468.
Continere ſe. 468.
Contra. 134.246.295.
Contumax. 286.
Contumelia. 172.
Contumelioſa interrogatio. 180.
Conuenire. 147.
Conuentio. 142.
Conuertere. 469.
Copiæ. 169.
Coquina. 72.
Coqui fures. 172.628.
Coquus. 284.
Coram. 55.305.
Corſos. 24.610.
Credere. 176.
Creditores. 435.
Crepidata. 242.
Crepundia. 600.
Crimen. 7.414.
Cruciatus. 78.
Cuba. 431.
Cucullati omen. 518.
Cui par Q. ſcribebatur. 22.
Cuia. 90.
Cum. 18.55.146.
Cum dabam. 59.
Cupedinarij. 122.533.
Cura. 12.119.
Curare. 22.45.
Currere par vias ſeruile eſt. 603.
Curſores. 324.
Curatio. 12.129.
Cyprus inſula Veneri ſacra. 263.

D

DAmnatum ducere. 580.
Damnum. 21.
Dare 25.128.435.
Dare bibere. 14.
Dare biber. 592.
Dare fabulam. 341.
Dare verba. 102.
Datio. 142.
Datus. 4.612.
De i. propter. 141.
Deambulare. 315. otioſi animi indicium. 651.
Deamo. 563.
Decernere. 27.31.
Decet nos, & nobis. 330.
Decij ſe deuouerunt. 354.
Decrepitus. 110.266 331.552.
Deducere. 359.
Dedo. 15.15.87.142.
Deduci. 113 133.
[illegible] 29 [illegible] 487.

Demum. 331.
Deformes maligni. 346.
Defunctus. 290.
Defungi. 101.
Defrudare genium. 430.
Deierare. 130.411.535.
De integro. 445.
Delibutus. 494.
Delirare. 313.500.
Demenſum. 578.
Demolior. 521.
Demum. 86.
Denique. 353.440.
Derepente. 389.
Deridere. 322.
Deriuatio criminis. 462. 508.
Deſignare. 250.
Deſignata. 250.
Deſignatores. 250.629.
Deſpicor. 134.
Deſpicere. 64.
Deſpondere. 18.313.
Deſponſa. 564.
Detineo. 123.
Deuorti. 460.
DEVS RESPICE. 592.
Deus ſum. 614.
Diana. 52.
Διάνοια. 345.
DI BENE VORTANT. 313.
Dica. 440.462.
Dicaces. 101.
Dicare. 435.
Dicere. 56.
Dicere *intelligere.* 321.
Dicere i. *velle.* 166.
Diceres i. *crederes.* 438.
Dic mihi. 68.
Dictum. 101.138.
Dicta dicere. 128.
Diecula. 78.
Dies *pro nocte.* 25.
Differre. 46.
Digamma æolicum. 24.
Dignum. 182.
Digreſſio. 506.
Dilapidare bona. 619.
Dilacro. 193.
Dimidium. 263.
Diminuere caput. 175.
Dimittere. 443.
Dimittere exercitum. 176.
Dionyſia. 554.
Diſcedere. 78.
Diſceſſio. 21.
Diſcipulus. 52.
Diſcus nomen proprium. 154.
Diiungi. 414.
Diſpicere. 64.
Diſſignare. 568.
Diſſimulare. 471.
Diſtributum. 281.
Diuerbia. 623.
Diuerſe trahere. 32.
Diuerticulum. 156.597.
Diuiduum. 236.609.
Diurnare. 405.
Diuinationum genera 618.
Dixi, verbum oratorum. 598.471.
Dolare. 146.
Dolones. 146.
Dolor. 31.
Δοῦλος. 146.
Dolus malus. 146.
Dominus maior. 550.
Domi. 266.
Domum aduerb. 373.
Donatus nomen Africanum. 611.
Donax. 172.
Dono, ablat. iunctum. 102.
Donum. 198.
Dorias. 96.
Dorus. 96.
Dos ſumma. 616.
Dotis datio. 526.
Δόγμα. 242.
Dromo. 4.
Ducere. 24.280.324.592.
Dum. 378.
Duriter. 16.
Darius equus. 314.

E

Ebrioſi eſt pallium trahere. 270.
Ecaſtor. 55.
Ecce. 313.
Eccere. 616.
Eccum. 60.
Ἐχθές. 74.128.
Ecquid. 141.
Edere, *exhibere.* 193.
Edicere. 152.
Edictum. 152.175.
Edicta prætoris. 393.
Educere. 246.393.
Edulia. 431.
Efferre. 19.
Efficere. 13.61.353.
Effugere. 23.
Effutire. 487.
Ego. 200.
Egregiè. 15.31.
Egregij. 246.
Egregium. 19.
Ehem. 268.281.372.
Eho. 91.68.76.
Ehodum. 24.
Eiuncidum. 597.
Ἐκμαρτυρία. 627.
Elephanti indici. 157.598.
Ellus. 84.266.
Eludere. 104.
Emergere. 150.274.
Emerunt *media breui.* 102.
Emoriri. 137.
Emunctus homo. 484.
En. 467.
Enim. 275.498.
Enimuero. 497.
Enitor. 62.
Ennius ante Plautum. 8.
Eò. 128.163.
Eone. 137.
Ἐξαγωγή. 252.
Ephebus. 14.278.
Epidicazomenos Apollodori fabula. 428.
Epicuri ſententia. 41.
Epicurei. 553.
Epitheta quot modis nominibus iunguntur. 332.
Ἐπὶ τῷ χαρίζεσθαι. 474.
E re nata. 271.
Ergo. 297.346.403.435.
Ero. 440.
Erratio. 298.
Error. 288.
Erumpere. 150.
Eſſe. 55.487.

Eſt i. *euenit.* 369.
Etiam. 42.56.92.269.424.
Euanthij in Terent. commeor. 621.622.
Euentus. 403.
Euge. 41.
Eunuchi à Perſis instituti. 113.
Eunuchi in ſenectute liuidi. 163.
Eunuchorum impotens libido. 599.
Euocatio. 272.628.
Euocati. 620.
Euomere. 290.
Εὑρήματα. 54.
Ex i. *cum.* 187.
Ἕξ. ſex. 143.
Exanimus. 29.
Exanimatus. 29.41.
Ex animo alicui facere. 328.
Exceſſis. 77.
Excludere. 104.
Excoctus. 322.
Exempla. 187.193.
Exercere. 552.
Excerpere. 484.
Exhibere ſe. 608.
Exigere. 8.504.
Eximius. 346.
Eximia pecora. 346.
Exin. 104.
Exinde. 104.
Exoluere. 414.
Exordium graue. 61.
Exoriri. 359.
Exoſſare. 281.
Expectare. 12.49.115.153. 252.275.443.
Expedire. 411.
Experiri. 414.
Expiſcari. 470.
Explere. 411.
Expoſitiones liberorũ. 593.
Expoſtulatio. 67.356.
Exprobratio. 14.
Expuere. 137.
Extillare. 498.
Extinguere. 275 438.
Extorquere. 289.
Expoſtulatio. 520.
Extrudere. 355.
Exulo. 154.

F

Fabula. 90.242.
Facere. 3.21.188.
Faceſſere. 482.
Facetus. 138.
Facies. 127.
Facile. 73.
Facilis. 324.
Facilitas. 363.
Facinus facere. 158.
Facta militum. 201.
Factum. 197.
Factum muto. 401.
Factum nolo. 409.
Facul. 482.
Fallere interdum vtile. 501.
Falſum. 52.
Falſus. 47.67.110.
Famæ eſt credendum. 56.
Famelicus. 122.
Familia. 251 271.
Familiariter. 19.
Fana nomen Comœdiæ. 528.
Fautores. 122.533.
Fatuus. 200.
Favere lingvis. 8.
Fauoi fatui. 200.
Faxis. 77.
Febricitantes quare tremat. 109.
Felicitas aduerſa. 130.
Fere plerumque. 437.
Ferme. 34 51.
Ferre. 8.15.449.
Ferre i. *proficiſci.* 525.
Feſtinare. 158.
Feſtiuitas. 198.
Feſtiuus. 198.
Feſtus dies hominis. 539.
Fictus. 110.
Fideiuſſor. 112.
Fides. 13.73.345.435.
Fidelis. 345.436.
Fiducia. 64.
Fidicina. 141. 484.618.
Fidus. 51 436.
Fiat. 145.
Fiet. 145.
Filio familias pecunia credi non poteſt. 380.
Fingitur. 39.
Firmus i. *validus ad coitum.* 392.
Firmus i. *Fidelis.* 410.
Fiſcus ſparteus. 422.
Fit. 39.
Flagella. 134.
Flagitare. 134.
Flagitatio. 134.
Flagitium. 134.606
Flamma. 134.
Floccifacere. 228.
Fœdus. 187.
Fœnerare. 262.
Forium crepitus. 592.593.
Forma. 19.
Formidoloſus. 169.
Formula funer. indictiuorum. 620.
Formula Senatus con. ſ. Si eis ita videatvr. 291.
Formula matrimonij. 632.
Forsfortuna. 376.494.
eius templum. 494.
Forsfuat. 397.
Fortaſſe. 370.
Frequens. 19.
Froore qua. 620.
Fructus. 462.
Frugi. 154.176.338.
Frui. 176.332.
Frumen. 176.332.462.
Fuat, i. *ſit.* 398.
Fucus. 153.
Funambuli. 343.
Fundere. 315.
Funus. 19.20.438.
Furcifer. 64.
Furta i. *adulteria.* 176.
Furti ſe alligare. 176.
Futilis. 63.483.

G

Galli candidi. 628.
Γαλλὲ. 163.
Galla. 602.
Gallicula. 602.
Gallinæ canentis omen. 484.618.
Ganeo. 566.
Ganeum. 280.
Gannitus. 296.
Gaudere. 25.91.
Gemere. 131.
Genus. 271.
Gerræ. 566.

Gestro. 566.
Geſtio. 580.
Geſtire. 150.
Getę nomen odioſum. 614.
Gladiatores in theatro. 344.
Gladiatorius animus. 619.
Glycerium. 4.
Gnauitas. 111.
Gnato. 96.
Gnatonici. 122.
Γνωρίσματα. 169.
Gracilis. 129.
Gracilæ. 555.
Grandior. 468.
Grandis. 80.308.468.
Gratia. 49.61.
Gratiam inire. 151.
Gratulari. 91.
Gratulari aduentum. 122.
Gratus. 264.
Grauis. 411.
Grex. 280.

H

Habet. 17.
Habere i. *intelligere*. 136.246.
Habeo hic neminem. 122.
Habere i. *inuenire*. 143.
Habere i. *ſtuprare*. 258.
Habetur mulier. 282.
Habere ſe. 608.
Habilis. 129.
Habitus. 80.
Habitus miſerorum. 532.
Habitudo corporis. 121.129.
Hæc, i. *hæ*. 152.
Hæc nuptiæ. 68.
Hæc i. *tanta*. 143.
Hanc tuam. 56.
Hariolus. 484.
Haruga. 485.
Haruſpex. 485.
Haut auſpicato. 80.
Hei. 445.
Hellanius autor. 627.
Hem. 94.302.
Hercle. 76.
Hercle ſedulo. 62.
Hercules Lydiæ reginæ ſeruijt. 194.
Hereditas ad familiam redit. 79.
Heri & here. 429.
Herilis filius. 62.
Heus. 67.
Hic. 44.
Hiec. 123.
Hic viciniæ. 434.
Hilarus. 314.
Hillum. 609.
Hinc. 20.62.
Hinc illinc. 308.
Hoc. 251.
Hoc agere. 112.263.
Hodie. 62.262.
Homo. 178.214.
Homerus in pannum. 625.
Honeſtus. 20.118.143.
Horas ſuas obtinere. 428.
Hortari. 346.
Hortatores. 563.
Hoſpes. 80.
Hoſpitalitatis dona. 436.
Hui, hem. 175.
Huius facere. 629.
Homeri demiſſi. 129.
Hymenæum. 328.
Hymnus. 328.

I

Iam. 261.299.
Iamdiu. 146.
Iamdudum. 139.166.
Ibi. 20.122.
Id i. *hoc*. 165.
Id i. *ob id*. 41.136.178.
Idem. 62.
Id te oro. 59.
Idoneus. 55.76.
Ierant pro iuerant. 245.
Igitur. 804.
Ignarus. 118.
Ignauus. 34.
Ignis i. *amor*. 510.
Ignis i. *meretrix*. 109.
Ilicet. 51.104.107.449.536.
Illi i. *illic*. 252.254.351.
Illic. 67.
Illico. 56.
Illiberaliter. 307.
Illud rectum eſt. 173.
Illudo. 497.
Immutatus. 510.
Impeditus. 64.
Impellere. 57.
Impendio 155.
Impenſe. 137.
Impetrare. 134.
Imperfectum tempus pro perfecto. 13.
Imperitus. 183.
Impertire. 555.
Implorare. 289.
Impetrare. 38.47.
Impos. 57.
Imprudent. 111.
Imprudentia. 102.
Impudica ex oſculo. 628.
Impudens. 71.
Impulſio. 288.
Impulſores. 334.
Impurus. 258.280.552.
Innocatus. 198.
In, augendi particula. 131.
Inaudire. 494.
Incipere. 188.194.197.
Inclementer loqui. 595.
Inclementius. 528.
Incœptio. 34.
Incogitans. 445.
Incommodare. 122.
Incredibile. 454.
Incurans. 451.
Inde. 246.
Indicare. 193.592.
Indicio eſſe. 242.
Indicium. 20.
Indigna. 187.
Indigne. 274.
Inducere animum. 365.
Induciæ. 104.
Inductio. 252.516.
Induſtria. 78.
Ineptire. 550.
Ineptum. 32.281.
Iners. 63.
Ineſcare. 569.
Infectum velle. 1[illegible]
Infelix. 31.
Infitias ire. 571.
Infinitus modus ſonantior finito. 136.
Infractus. 131.
Infringere. 259.
Ingenium. 51.18.
Ingratijs. 117.
Initia. 81.
Initiare. 176.
Iniuria. 257.
Iniurium. 346.

Illiberaliter factum. 469.
Illudere in aliquam. 76.
In mentem venire. 119.
In os laudare. 268.
Inſanite. 331.
Inſciens. 435.
Inſcitus. 409.
Inſidiari inſidiantibus. 346.
Inſignia. 172.
Inſignis. 172.
Inſimulare. 468.
Inſolens. 89.525.
Inſomnia. 117.
Inſtantia. 589.
Inſtare factum. 21.
Inſtigari. 448.
Inſula r. domus. 298.
Inſulſus. 200.
Integratio. 59.
Intelligere. 6.120.464.
Intendere. 74.147.
Interdicere. 393.
Interea. 132.
Interea loci. 25.535.
Interibi. 15.
Intercipere. 105.
Interminari. 55.
Internuncius. 124.
Interrogatio contumelioſa 120.
Interrimentum. 557.605.
Intertritura. 605.
Interturbare. 68.
Interruptiones in Terentio. 519.
Interuenire. 283.
Intritum. 461.
Intvs in Comœdia. 591.
Inuenire. 39.117.197.
Inuenta. 564.
Inuenuſtus. 31.
Inueteraſcere. 342.
Inuolare. 182.
Iocularis audacia. 441.593.
Iocularium. 77.
Ipſa. 33.147.
Ipſe. 37.
Ira. 314.320.448.
Iracundia. 31.314.325.448.
Iracundus. 370.
Iratus. 370.
Ire. 39.280.
Ite præ. 22.
Imitari. 269.
Irritatus. 62.454.
Irruere. 174.296.
Iſicia. 122.627.
Iſti. 7.
Iſtorſum. 487.
Ita. 7.
Itaque. 19.
Item. 18.146.
Iubeo. 58.287.
Iubeo r. volo. 174.178.
Iudicare. 242.
Iudices fabularum. 588.
Iudicium. 193.
Iugulare. 138.
Iunocus. 119.
Iuno Lucina. 52.370.517.
Ius. 246.257.497.
Iuſiurandum. 73.
Iuſiurandum ſanctum. 413.
Iuſiurandi fides. 521.
Iuſta ſeruitus. 13.
Iuſti r. iuſſiſti. 178.
K.
Καπνισμὸς. 608.
Καπνίζειν. 608.
Κόλαξ Menandri. 96.
Κόσμος. 55.
L.
Labeones. 131.
Labia. 131.
Labor. 522.
Labra. 131.
Laches. 96.
Lacrumæ ex gaudio. 283. 571.
Lactare. 67.89.525.
Lanij. 122.
Laniſta. 122.
Lacus. 298.
Lapis haut homo. 359.
Λάρναξ. 600.
Lauare poſt. puerperium. 54.
Laudare. 25.151.
Laurus. 138.
Lectæ oues. 346.
Lectum. 434.
Legati inuiolabiles. 342. 632.
Leges auſpicijs ſeruatis latæ. 25.
Lege agere. 498.
Lex de orbis. 616.
Lenitas. 24.
Leno. 258.
Lepidus. 91.138.
Lepos. 91.
Lepus. 138.
Leporum natura. 138.537.
Leſbia. 4.
Lex Athenienſium vt damnati ipſi ſibi pœnam eligerent. 519.
Lex lenonia. 476.
Liberalis. 20.288.307.
Liberalis cauſa. 259.
Liberaliter. 13.
Liberti alendi à patrono. 333.
Libertus patrono debet ſeruitutem. 505.
Libertus ingratus in ſeruitutem reuocari poteſt. 505.
Liberatio. 42.
Liberius. 14.
Libido. 363.486.
Licet, licebit. 157.
Licia. 89.
Ligari. 322.
Ligurire. 110.187.602.
Ligurius. 602.
Limen. 154.
Limi oculi. 504. Venerei. 599.
Limis. 154.
Limus. 154.549.
Linea extrema. 157.
Liquet. 130.535.
Liquido. 73.
Loco motus. 428.
Locus. 428.
Longe. 231.247.
Loquentia ſeruile vitium. 352.
Loqui ſecum qui ſoleãt. 331.
Lora. 158.
Lubens. 39.
Lubet. 174.
Lucina. 52.625.
Lucu. 322.
Ludere. 281.310.599.
Ludificari. 158.
Lupus quos vides, eos voce

priuat. 631.
Luſcius Lanuinus. 6.100.
503.623.

M

MACELLVM. 322.
Maceria. 328.
Macero. 571.
Mage. 366.
Magis verum 70. continens. 118.
Magis oportunum. 200.
Magiſter. 35.52.436.442.
509.
Maior. 80.
Male conciliatus. 162.
Maledicere. 76.
Maledictum. 7.
Malignus. 355.
Malo ſalus. 273.
Malum. 21.173.486.497.
592.
Mancipia. 258.
Mane & mani. 17.429.
Manere. 146.155.
Manibus pedibus. 64.
Manifeſtum teſtimonium.
90.
Manipulus. 172.543.
Manumiſſionis cauſa. 33.
Manuum compreſſio. 605.
Μὰ τὸν ἀπόλλωνα. 350.
Mater i. nutrix. 431.
Mea tu. 270.277.570.
Mecum. 130.146.
Medicina. 298.
Medicorum iactantia. 58.
in Medio ſtare. 399.
Me indulgente. 117.
Memini videre. 47.
Memor. 267.
Memoria. 73.
in Memoria habere. 14.
Menandri Andria. 7.
Menſæ ſcriptura. 630.
Menſes ſex. 134.
Merçri. 34.259.385.
Meretrices Di negligunt.
413.
Meretricum eſt iurare. 346.
Meridies. 321.
Metus & periculum. 435.
Meticuloſi minaces ſunt.
175.
Metuo. 18.55.
Metus. 326.
Me vide. 41.
Mi, i. meum. 70.86.
Mi: ſuppalpatio. 78.109.
Mihi crede. 251.
Mihi dolet. 268.
Μικτός. 242.243.
Miles. 157.
Miles nomen odioſum. 141.
173.
Milites inhumani. 351.
Miletus. 306.
Minime gentium. 155.
Minus multo. 427.
Mira, i. mirum. 124.
Mirari. 76.281.
Miſer. 157.
Miſere. 55.
Miſerorum habitus. 532.
Miſſa facere. 109.
Modeſtus. 19.
Modo. 63.66.128.200.435.
Mœchorum pœnæ. 345.
602.
Moliri. 521.604.
Monere. 346.
Monitor. 454.458.
Monſtrum. 159.
Montes auri. 616.
Monumenta. 199.542.
Morari. 56.
Morata ſententia. 120.
Morbi graues. 572.
More meo, i. vtmolo. 358.
Moroſi. 386.
Moroſa ſenectus. 395.
Mortes comicæ. 18.499.
Mortui noctu ſepulti. 19.
Motoria comœdia. 2.95.
Motorius modus. 243.
Monere. 608.
Moneri. 56.
Mulciber. 151.346.
MVLIER conuicium. 613.
Mulier de viro molli. 132.
Mulieres aduerſantur viris.
355.
Mulierum iræ. 370.
Mulierum eſt manibus ſæuire. 158.182.
Multare. 251.
Multis concurrentibus ſi-
gnis coniectura confſtatur. 56.
Multo i. damno. 14.
Multo comparatiuis additum. 57.
Muſſitare. 259.
Muſtela. 165.
Muſtelæ omen. 618.
Muſtelinus color. 163.
Mutilare. 346.
Mutili. 346.638.
Mutire. 95.
Mutus. 56.
Mutuum. 92.
Myſi. 4.

N

NAm. 242.396.
Nanciſci. 405.
Nares. 286.
Narrare. 74.
Natalis dies. 436.
Natalitia celebrare. 615.
Ne. 28.38.71.72.77.84.96.
124.139.284.
Nebulo. 123.179.553.546.
Nec. 78.
Neceſſe, neceſſus, neceſſis, neceſſitas, neceſſum. 191.
Negatiuæ tres. 26.
Nemo. 2.96.463.570.
Nemo homo. 130.266.
Nemo quiſquam. 18.
Nempe. 91.
Neptunia ſiam. 319.
Neptunus. 319.
NE QVID NIMIS. 301.
Nequitia. 286.
Neſcis. 78.
Neutiquam. 39.177.
Ni. 246.287.
Ni, i. ne & non. 130.166.199.
Nihil. 26.123.183.257.
Nihil eſt. 265.
Nihil prorſus. 49.
Nimirum. 246.
Nimium. 293.
Niſi i. non. 175.
Nizi dæ. 625.
Nobilis gladiator. 413.
Nobilis meretrix. 419.
Nobiles ad pauperiem redacti rum ſe continebant.
468.

Nobis abſente. 558.
Nolle factum. 14.
Nolo. 47.
Nomina comica. 244.
Nomina honeſta & odioſa. 141.
Nomina πρὸς τι. 141.175. 261.270.
Nomina ſeruorum. 334.
Non laudo. 50.
Non poſſum. 147.
Noſcere. 14.
Noſter. 83.132.
Noſtin. 49.
Nouendialia. 430.
Noxa. 370.451.
Noxia. 181.451.
Nubere. 404.
Nubes. 404.
Nugæ. 280.
Nullus. 42.117.350.449. 515.
Nullus ſum. 62.497.
Nulli conſilij. 63.
Numerus finitus pro indefinito. 484.
Nummo tranſfigere. 591.
Numnam. 61.124.
Num quidnam. 19.
Numquiduis. 131.132.
Nunc i. ſero. 105.
Nunc nuper. 101.
Nuncquam. 44.46.134.
Nunc quidem. 49.
Nunc vbi. 113.
Nunquam i. non. 271.293.
Nunquam vſquam. 201.
Nuptiæ legitimæ. 35.
Nuptiæ perpetuæ. 614.
Nuptiarum dies ſeptimus ſollemnis. 430. circa nuptias libera filij voluntas. 510.
Nutricum terriculamenta. 501.
Nutus meretricius. 600.

O

OBBARATI manu capti. 463.
Obijci. 302.
Obire mortem. 12.
Obitus. 420.
Oblatum. 471.
Oblectatio. 89.
Obliquæ orationes. 163.
Obuixe. 22.
Obnunciat. 296.
Obolus. 42.
Obſecrare. 288.
Obſecro. 178.
Obſequium. 16.
Obſerare. 540.
Obſeruatio. 242.
Obſidere. 311.
Obſtetrix. 35.52.
Obſtinare facere. 31.510.
Obteſtatio. 35.55.376.
Obticere. 178.
Obtingere. 454.
Obtrudere. 32.369.
Obtundere. 41.150.252.
Occidere. 297.
Occipere. 56.
Oculi amoris indices. 275.
Odiſſe. 102.
Odium. 98.
Oedipus. 25.
Offerre. 409.
Offerri. 376.
Officium. 31.247.458.
Οἰκονομικὴ diuinatio. 618.
Olim. 59.476.
OLIM, fabularum anilium initium. 90.
Ollus. 84.266.
Omen. 25.
Omiſſiores. 321.
Omnia noſtra, aut mutua, aut propria habemus. 92.
Omphale. 194.
Opem ferre. 27.
Opera. 408.
Opera vita. 617.
Opinari. 42.
Opitulatio. 27.
Opitulari. 27.
Opportune. 402.
Oppido. 361.561.
Optare. 79.198.
Optare, cum accuſatiuo. 324.
Optato. 56.58.
Optio. 298.
Optume. 283.
Opus eſt. 75.
Opus parato. 17.
Orare. 35.38.288.405.406.
Oratio. 7.32.
Orator. 342.406.
Oratores inuiolabiles. 342.
Orbæ dos detur. 580.581.
Orbam proximus ducat. 440.578.581.
Ordo. 280.
Ordo agendi in iudicio. 102
Ordo equeſtris. 280.
Ordo ſenatorius. 280.
Oſcitatio. 24.
Oſculandi modi. 141.
Oſculum. 141.
Oſculu impudica mulier fieri poteſt. 154.
Os diſtorquere. 162.
Os impudicum. 175.
Oſtium crepere quare dicatur in fabulis. 592.
Otium. 533.

P

PACE. 142.
Pactum. 14.86.564.
Παιδαγωγός. 436.
Παῖδες. 451.
Παίζειν. 599.
Palæſtra. domus lenonia. 474.
Palam. 55.301.
Palliata fabula. 588.
Pallium trahere ebrioſi eſt. 170.
Palma. 417.
Palmarium. 187.601.
Pamphilus. 44.
Πάμπολλα. 15.
Παιδισκία. 617.
Pannis annisque obſitus. 120.
Papæ. 129.
Papillam pertractare. 605.
Parmeno. 96.
Παρόμοιον. 27.31.77.
Παρονομασία. 27.31.77.
Parare. 346.
Paraſiraſter. 316.
Paratus. 73.
Parco. 368.
Parens vterque. 186.287.

Pariter.

Pariter. 109.
Partim. 341.
Paſſus capillus. 438.
Patior. 356.
Patriſſare. 297.
Patrueles. 384.
Pauere. 370.
Pauitare. 370.
Pauliſper. 247.
Paulum, paululum, pauxillum, pauxillulum. 430.
Pax. 142.606.
Pax, venia. 566.
Peccare. 21.
Pecunia de menſa. 168.630.
Pecunia fieri dicitur. 430.
in Pecunia quid ſpectari ſoleat. 434.
Pecuniæ ſpectatores. 627.
Pecunias in monumentis ſepeliſe. 595.
Pecuniarum vis in monumento Dauidis. 595.
Pedetentim. 428.
Peſor pars. 242.
Pellere, tragica vox. 305.
Pellicere. 436.
Penus. 129.535.
Per ꝛraſtor. 517.
Percontatio. 79.523.
Percontari. 350.
Perdere. 436.
Per Deos. 488.
Perducere. 17.
Peregrina. 21.
Peregrinæ mulieres pro meretricibus habitæ. 51. 110. 471.625.
Perferre. 15.
Perficere. 197.
Pergere iter. 537. 381.
Periculum. 60.
Perinthia. 7.
Περίεργος. 457.
Perparce nimium. 50.
Perpaucorum hominum. 137.
Perplexe. 601.
Perpol. 345.
Perreptatio. 312.
Per ſalutem filij iuramentum. 59.
Perſequi. 92.257.
Perſoluere. 13.
Perſonati viri. 72.
Perſpicere. 44.435.
Perſtare. 60.
Perſuadere. 280.
Per tempus. 77.
Pertinacia. 359.
Peruicax. 391.
Phædria. 96.
Phalaridis taurus. 625.
Phalerata dicta. 478.
Phaſma Menandri. 101.
Phormio. 421.422.428.440 625.
Phy. 285.
Phyſiognomici. 346.
Piget. 282.
Piræus. 90.114.
Piſcator. 122.
Piſtrilla. 298.
Piſtrina. 298.
Placidus. 324.
Placitum. 49.
Plaga, damnum. 431.
Πλατεῖα. 79.
Platea. 79.
Platonica ſecta. 122.533.
Plaudere. 610.
Plautus poſt Ennium. 8.
Plecti. 450.
Plectrum. 451.
Plerique omnes. 15.109.
Plure i. plus. 482.
Plurimi. 528.
Plus ſatis. 15.
Poëtæ ἀπὸ τοῦ ποιεῖν. 60.
Pol. 524.
Pollicitatio. 45.57.
Popularis. 429.576.
Popularitas. 257.
Populus. 243.
Porro. 8.34.74.113.154. 276.
Porro, poſtea. 147.
PORRO QVIRITES. 62.
Porta. 298.449.
Portitores. 442.
Portus, domus. 298.
Poſt, poſtea. 144.
Poſtquam. 426.
Poſtremum. 38.
Poſtulare. 47.67.263.
Poſtulatio. 356.
Potica Dea. 431.
Pote, potis. 166.
Potior potis. 50.
Potiri. 474.
Potiſſimum. 171.
Πρήγματα. 529.
Probare. 133.
Præcipitare. 198.
Præmium. 197.547.
Prædicare. 151.
Præſciſſe. 31.
Præſentes dij. 464.
Prater. 49.
Præſtolari. 190.
Præſtituunus. 257.
Præter. 86.
Præterire. 476.
Prætexta. 242.
Prætor cum officio. 436.
Præcatores ſeruorum.
Pretium virtutis & ſtultitiæ. 63.
Prex precis. 519.
Prima fabula. 242.
Primæ partes. 418.
Primulum. 270.570.
Primum iam. 27.
Primus. 296.
Principia. 173.543.
Procare. 355.
Procax. 553.
Procus. 355.
Procliue. 17.
Prodeambulare. 321.
Prodere. 98.
Producere. 282.
Producere, funerum verbum. 299.
Produci. 111.
Productare. 64.
Profecto. 19.
Proferre. 39.
Proficiſci. 62.
Proin. 104.
Proinde. 104.470.
Pro Iupiter. 252.
Prolixe. 331.
Prologus. 422.427.
Prologi officium. 7.
Prologorum Terentij ratio. 103.
Proloquium. 335.
Promiſſio. 45.

Promouere. 184.
Promouere, *differre.* 72.
Promoueri. 259.
Προμύθιον. 120.
Pronomina ſpernentis vim habentia. 115.
Propediem. 326.
Propemodum. 61.
Properare. 154.
Propinare. 603.
Propinqui. 67.
Proprium. 72.92.522.
Propulſare. 45.
Propediem. 326.
Propemodum. 61.
Properare. 154.
Propinare. 603.
Propinqui. 67.
Prorſa oratio. 128.
Prorſum. 128.147.370.
Prorſus. 56.322.
Proſpicere. 299.309.392.
Protelare. 450.
Protelum. 450.
Προτέλεια. 618.
Proterue. 386.
Proteruus. 386.
Protinus. 448.
Πρωτοτόκος. 55.
Prouidere. 27.
Prouinciæ. 436.
Prouiſere. 92.
Proximus. 67.
Proximus, *præteritus.* 130.
Prudens. 305.
Publicani. 442.
Φθέγγεσθε. 56.
Publicitus. 498.
Pudet. 282. 414.
Puditum. 49.
Pudor. 54.66.67.
Puer. 45.55.
Puera. 55 517.
Puerorum initiationes in inſula Samothracum. 431.
Puerpera. 55 517.
Pugil. 343.
Pugna. 343.
Pugnare pugnam. 428.
Pugnus. 257.
Pulchre. 138.166.
Pulpa. 380.
Punctum. 447.
Purgare. 281.363.
Pus. 137.
Putare. 19.49.156.176.319.
Putatores. 319.
Pyrrhus peritiſſimus bellator. 173.
Pythragorica ſecta. 122.
Pythagoreorum ſententia, COMMVNIA AMICORVM. 320.
Pythias. 96.
Pytiſſare. 157.

PROVERBIA.

Manibus pedibuſque. 22.
Quo iure quaue iniuria. 27
Fallacia alia aliam trudit. 77.
Periculum in filia facere. 77.
Memorem mendacem eſſe oportet. 77.626.
In vado. 83.
Salua res eſt. 113.
Quid es triſtis, quid es alacris. 128.
Plauſtrum perculit. 133.
Nimium. 133.
In me cudetur faba. 133. 134.
Tute hoc intriſti, tibi exedendum eſt. 134
Lepus tute es & pulamentum quæris. 138.
Petere cibum è flamma. 144.
Quod ſcis, neſcis. 165.
Sine Cerere & Libero friget Venus. 166.
Ouem lupo committere. 178.
Sorex indicio ſuo perit. 193
Præſens abſens. 198.
Saxum voluo. 201.
Actum agere. 263.
Lupus in fabula. 293.610.
Erubuit, ſalua res eſt. 305. 610.
Iuſta iniuſta, fanda nefanda. 335.
Μυκώνιος φαλακρός. 380.
Aiunt diuinare ſapientem 405.
Ait aio. de reb. nugatorijs. 410.
Quod dedit, recepit. 428.
Redire in viam. 25.
Velis quod poſſit. 37.
Dictum ac factum. 44.
Montes auri. 436.
Sciſti vti foro. 436.
Aduerſum ſtimulum calces. 436.
Laterem lauare. 448.
In neruum. 462.484.
Pedum viſa eſt via. 462.
Auribus lupum tenere. 476.617.
Hinc faceſſat. 482.
Animam debere. 483.
Vlcus tangere. 484.
Me reſpue. 485.
Ita fugito ne præter caſam 488. 583.
In me cudetur faba. 536.
Aquilæ ſenectus. 558.
Qui plus poteſt, prius facit. 563.
Ouis. 709.

Q

QVA, *quomodo.* 375.
Qua de re. 242
Quadrupes. 84.
Quam mox. 444.
Quam vellem. 293.

Quæ, qualia. 7.
Quærere. 17.534.
Quæritare. 17.280.
Quæſo. 37.
Quæſo hercle. 131.
Quæſtuaria. 589.
Quæſtus. 121.589.
Quamuis. 84.
Quando. 55.277.
Quantiuis. 84.
Quantum. 27.
Quaqua. 70.
Quam foras. 132.
Qui. 37. 39.144.184.301. 440.
Quicum. 163.
Quid. 14.264.285.442.
Quid, propter quid. 41.
Quid ais. 159.
Quid ad me. 54.
Quid iſtic. 134.
Quid me faciam. 64.
Quid mulieres. 403.
Quid vis tibi faciam. 55.
Quieſcere. 8.
Quietus. 485.
Quin. 41.117.176.181. 183.264.295.324.450.
Quis, qualis. 158.
Quippiam. 49.
Quiritari. 256.
Quis, incerto genere declinatum. 303.
Quis alias. 57.
Quiſquam. 162. fæminino genere. 133.
Quitus. 393.
Quo. aduerb. 288.
Quo, quod. 68.
Quoad. 442.
Quo minus. 25.
Quod. 35.159.
Quod, vt. 199.390.
Quod, quæ. 104.
Quoniam. 242.
Quorſum. 33.
Quotidianæ formæ. 128.
QVOT SERVI, TOT HOSTES 589.
Quum. 21.352.

R

RANA, ranunculus. 298.
Rapina. 280.
Raptus. 280.
Re. ſyllaba. 56.
Recta. 62.
Reddere. 409.
Reddi. 112.168.
Reddam, faciam. 322.
Redire ad ſe. 64.
Refellere. 363.441.470.
Referre. 169.
Refutatio. 474.
Regina. 313.
Relinquuntur res. 47.
Reliquiæ. 284.
Reliquum. 8.
Remedium. 448.
Remittere. 81.
Remora. 74.128.
Remorari. 74.
Renunciare. 56.
Reputare. 356.
Requieſcere. 337.
Res. 324.
Res, fortuna. 121.
Res, pecunia. 111.258.
Res redit. 434.
Res muliebres. 604.
Reſcire. 356.390.
Reſciſcere. 319.420.
Reſcribere. 497.
Reſerare. 542.
Reſipiſco. 70.
Reſpicere. 94.
Reſpondere. 290.
Reſtare. 284.
Reſtim ducere. 324.611.
Reſtitui. 112.168.
Referre. 55.
Reuocare. 104.
Rex & paraſitus. 463.
Rhamnus. 90.
Rhamnuſium. 526.
Rhinton. 629.
Rhintonica. 242.629.
Ridiculum. 52.
Ridere. 322.
Ridiculus. 308.
Rimarum plenus. 110.
Ringi. 463.
Riſcus. 169.
Riuales. 199.533.
Rogo. 17.
Ruere. 275.
Rurſum. 247.370.

S

SACCVS nomen ſerui. 625.
Sacellum. 198.
Sacrificia nuptialia. 627.
Sal, condimentum & ſapientia. 135.
Salitationum genera. 651.
Salſamenta. 252.
Saltem. 38.55.164.
Salue. 33.44.193.
Salutantes iuſiurandum addebant. 350.
Sanctum. 318.
Sanctius, firmius. 410.
Sandalium. 194.547.602.
Sane. 28.198.
Sanna. 96.172.
Sanguis, res noſtra. 431.
Sanguinolenti. 626.
Sapientia verba. 319.
Sapientia σοφία. 282.
Sat habeo. 39.
Satias, ſatietas. 190.
Satrapæ. 557.
Satur. 413.
Saxum. 201.
Sceleroſus. 128.
Sceleſtus. 358.
Scelus. 158.
Scelus homo. 151.
Sciens. 305.
Scilicet. 25.91.287.
Scire. 93.390.
Scirpus. 91.526.
Scirtus. 350.
Sciſcitati. 148.
Scitus. 55.459.517.533.
Scorta. 138.
Scriptor. 242.
Scriptura menſæ. 497.
Scrupulus. 41.263.526.
Scur. 597.
Scutra. 527.
Scutella. 298.
Scutum. 298.
Sectari. 437.
Sectæ. 322.
Seculum priſcum. 321.
Secundare. 350.
Sed. 51.431.450.
Sedere. 308.

Sedulo. 56. 68. 111. 146. 283. 346.
Segregari. 424.
Semper. 13.
Semper lenitas. 24.
Sempiternum. 92.
Senati, *pro ſenatus.* 373.
Senatus decretum. 27.
Senex. 128. 132.
SENEX *atque* ANVS, *initium fabulae.* 399.
Senium. 128.
Senſus quinque. 52.
Sentire. 86. 252.
Sentus. 110.
Seorſum. 205.
Sepulchrum. 20.
Sepultus ſum. 497.
Sequimini. 467.
Sera. 169.
Serare. 542.
Sermo. 155.
Sermonem quaerere. 146.
Seruare. 173.
Seruitium. 68.
Seruitus. 13.
Serui. 258.
Serui dominis ſapientores in palliata finguntur. 104.
Seruorum odium in dominos. 589.
Seruorum nomina vnde ſumantur. 28. 334.
Serui difficile commiſſa tacent. 110.
Seruus homo. 144.
Seruus teſtis eſſe nequit. 458.
Sexcenta. 483.
Sibi placere. 603.
Sibi velle. 44. 102.
Sic. 24. 154.
Sic eſt. 61.
Signum. 42. 86.
Signum magnum. 514.
Silicernium. 298. 299.
Simalio. 172.
Similia his & horum. 142.
Simo. 4.
Sincerum. 114.
Singulari pluralis ſubiunctus. 113. 117.
Sini. 25.
Siparium. 622.
Siquando. 139.
Sis, *ſi vis.* 175.
Sis ſciens, *ſcias.* 77.
Siſyphus ſaxum voluit. 201.
Sit, *videatur.* 408.
Situs. 13. 276.
Sobrini. 79. 383.
Sobrius. 77.
Sodes. 17.
Sola ſolae. 193 271.
Solae terrae. 498.
Solers. 143.
Soli de ſolum. 92.
Solidum. 67.
Sollicitare. 86.
Sollicitatio. 32.
Sollicitudo. 31. 33. 67. 472.
Soluere. 257.
Solui ſerui dicuntur. 268.
Solus. 296.
Solus locus. 46.
Sophrona. 46.
Sordidae profeſſiones. 261. 270.
Sors. 264.
Soſia. 4.
Σπάργανα. 169. 600.
Spectare. 8. 18. 81.
Spectator. 151.
Spectatores pecuniae. 151.
Sperare. 49. 115. 252.
Sperare, *credere.* 185.
Sperare, *timere.* 515.
Spes. 115.
Spoliare. 346.
Spondere. 18. 313.
Spongiarum vſus. 601.
Sponſus. 18.
Sponſa. 18. 197. 563. 564.
Sponſio ante iudicium. 569.
Spurcus. 532.
Statim. 491.
Stat fabula. 341.
Stare. 70.
Stare cum aliquo. 457.
Stataria. 550.
Statarius modus. 243.
Statura. 253.
Status. 553.
Stellio. 163.
Sterquilinium. 6
Stertere. 2
Stillare. 4
Stilus.
Stipes. 5
Strato. 1
Studium. 3
Stultus. 1
Stupiditas ſilici compa- tur. 5
Stupidus. 3
Suadere. 2
Suauium. 1
Sub.
Subagitare. 5
Subducere. 184. 3
Subducta ratio. 3
Subito. 4
Sublatus animus. 3
Sublimis.
Succedere. 5
Succenſere. 49. 4
Succenturiari.
Succenturiati. 5
Succeſſus. 1
Succus. 129. 1
Suere. 4
Suffarcinari.
Suffarcinatus.
Sumere. 2
Summus. 123. 2
Summum bonum. 2
Sumptus. 232. 4
Sunium. 110. 124
Suo ſibi.
Superſtes.
Superſtitioſi.
Supplicare.
Supplicium.
Supponere.
Suppoſitio filiorum. 601.
Supremum.
Suſtinere.
Sutrina.
Sycophanta. 80.
Συνδυασμός. 5
Syriſcus.

T

TABERNA.
Tabernaria. 2
Tace. 261

Tacere. 45.178.
Taciturnitas. 15.143.
Talentum. 470.563.
Tam. 197.269.
Tamdiu. 445.
Tamen. 57.86.
Tamen idem. 57.
Tandem. 57.198.308.
Tangere. 138.
Tantillum. 297.
Tantiſper. 247.
Tantopere. 300
Tardus. 200.
Temeraria. 28.
Temere. 534.
Temetum. 28 159.510.
Temulenta. 28.159.
Temne. 55.
Tempora vitijs infecta Terentij æuo. 121.
Tempori. 76.
Tempus, *oportunitas*. 57.
Tempus quid? 553.
Tendere. 155.
Tenere. 442.
Terentius artificioſiſſimus poëta. 184.
Terentius Menandro deterior. 427.
Terentius Libo. 587.
Tergus. 562.
Teſtimonium cæcum. 90.
Teſtimonium manifeſtum. 90.
Tetulit. 81.
Thais. 96.
Thenſaurus. 101.595.
Θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. 12.
THESAVRVS fabula. 101.
Theſaurus inuentus ad quẽ pertineat. 595.
Thraſo. 96.
Θέρυζος. 344.
Θῶκος. 328.
Thylacus nomen ſerui. 625.
Thymele. 626.
Θυμελικὰ ἄσματα. 611.
Tibiæ Lydiæ. 587.
Tibiæ Serranæ. 587.
Tibiæ pares. 587.
Tibiæ impares. 587.
Timere. 18.448.
Timidus. 357.449.418.
Timor. 66.
Togata comœdia. 242.540.
Tollere liberos. 51.590.
Tolerare. 354.
Tonſtrina. 578.
Torquere. 289.
Tot. 397.
Tragicæ exclamationes. 319.
Tragœdia. 242.
Tragœdia Libero ſacra. 73 626.
Tragœdia in quot partes diuidatur. 270.
Tranſcurrere. 169.
Tranſdere. 426.
Tribulis. 328.
Tribntorum magiſtri. 442.
Triennium. 16.
Triſtis. 153. 155.
Τρόφιμος. 124. 430.
Tuber. 264.
Tulit. 49.
Tum. 33.100.128.
Tumulti, pro tumultus. 373.
Tundere. 353.
Turba. 402.
Turpare. 319.
Tute. 73.
Tutemet. 270.

V

V pro Y veteres ponebant. 350.
Vada. 525.
Vagire. 389.
Valeant. 70.
Valere. 557.
Vale. 70.115.
Validus. 383.
Vanum. 110.
Vapula Papiria. 619.
Vbi. 41.70.83.137.139.153. 166.
Vel. 55.346.
Veterator. 591.
Veteris comœdiæ ſcommata. 622.
Vetus. 163.426.
Venatura Martis ſimulacrum. 588.
Veneficus. 158.
Venia trib. modis impetratur. 528.
Venire in mentem. 443.
Veneris vulgariæ ara. 530.
Venus ſtraba. 599.
Venter. 498.
Venuſtus. 20.
Veterator. 50.
Veternoſus. 163.
Verbum ἀξίωμα. 31.47. 114. 166. 332.
Verba dare. 27.
Verba mutare. 46.
Verba commutare. 482.
Verba ſunt. 102.105.
Verbenæ. 73.
Verecundia. 67.
Vereor. 55.158.
Vero. 109.183.184.187.
Vertere. 101.
Vertumnus Deus. 258.313. 357.
Verum. 131.295.
Verus. 47.
Veſta in atrijs. 522.
Veſtibulum. 522.
Veſtis ſeruilis. 162.
Veſtrorum, *veſtrum*. 360.
Veteres intonſi. 182.
Vetulus. 163.
Vetus. 7.
Vi, clam, precario. 130.
Via, *ratione*. 49.
Victus. 17. 162.
Viceris. 187.
Vide. 467.
Vide tibi. 448.
Vide quid agas. 117.
Videlicet. 287.
Videre. 356.
Videre, *vigilare*. 105.
Videre longe timoris indicium. 169.
Viere. 162.
Viētores. 162.
Vimenta. 162.
Vimina. 162.
Vincibilis. 451.
Vinctum corpus. 129.
Vincula fidei. 110.
Violenter. 487.
Vir. 128. 315.

Vir, *maritus.* 392.
Virgo, *de muliere maritata.* 306.313.631.
Virgo charta. 638.
Virginum palæſtra. 129.
Virtus. 258.
Virtutes. 13.293.
Viſa. 141.370.
Vis boni. 438.
Vis legum. 290.
Viſere. 59.356.372.
Vita. 276.
Vita clemens. 245.
in Vita. 468.
Vita vt theſſara. 610.
Vites. 162.
Vitium *augurale verbum.* 345.
Vitio creati conſules. 341.
Vituperare. 7.
Viuere. 557.
Viuitur trib. modis. 246.
Viuus pereo. 305.
Vix. 275.369.
Vixit. 384.
Vitima platea. 450.
Vltro. 121.300.
Vncia. 430.
Vnciatim. 430.
Vnde. 101.110.283.
Vnde vnde. 70.
Vnus, τῷ ἰδιωτισμῷ. 19.
Vnus & alter. 37.506.
Volare. 380.
Volo. 47.
Voluntas. 428.
Voluntas in maleficijs punitur. 625.
Volup. 482.
Vorſuram facere. 439.
Vſpiam. 245.
Vſque. 37.143.262.
Vſura. 334.
Vt. 6.90.
Vt, *nemo.* 302. *vtinam.* 311.
Vt, *quemadmodum.* 352.
Vti *quæ dicantur.* 6.
Vti. 471.
Vtne. 70.
Vtut. 264.302.
Vulgus. 327.
Vultus. 19.507.
Vxor, vnde dicatur. 353.

X

XENOCRATIS liber de diuinationib. domeſticis. 618.

Y

YΣ *ſus.* 143.
Yμήν. 328.

ERRATA.

PAg.23. *plerũque applicat*] *pl applicant.*
25. *finit egeſtas*] *finit.*
50. verus in aſt] vetus.
77. ἀπ σιων] ἀποσιώπησις.
87. CH. *Saluos*] CR. *Saluosſis.*
Quid in Ath.] CH. *Quid.*
CH. *Euenit*] CR. *Euenit.*
88. *Ego iſthac*] S. *Ego iſth.*
Non tu tuum] CH *Non t. t.*
131. *ante foras*] *ante fores.*
136. aut res perſonæ] aut res aut perſ.
187. ingluuiem] inluuiem.
195. *Quonu don.*] *Quodnis.*
228. *Neue deſp.*] *Neque d.*
231. *Magu vnum*] *magis hoc vnum.*
256. *Maleſecta*] *malefacta.*
259. ſufficere] ſufficeret.
261. verbo tradationis] verbo ponitur, dicitur.
265. Patrem erit bis] fratrem erit b.
269. effunditur amat] eff. manat.
Non *conuertere*] nam c.
288. nihil ſap.] nihil niſi ſap.
298. habere dicere] hab. diceret.
303 Dic *ſodes.*] ÆSC. *Dic ſod.*
322. *magnum pag.*] *magnam p.*
328. *Summanos ſomnia*] *Summanos ſommas.*
346. nunqnam illa] iurabat nunquam illa.
348. communi omnium] Communia omnia quæ ſunt patrum.
354. morem ſignif.] morā.ſ.
357. apud extraneas] a. extraneos.
360. *ſenex menſ.*] *ſex m.*
376. ἐυτ] ἔτος.
400. *Remiſſam*] *Remiſſan.*
Reductam] *reducta.*
hunc animum] *huc a. vt ad.*
428 qui ſit alia] quin. ſ. a.
438. ſubieci exting.] ſubiecit ext.
439. mentionem fecerat] *Hæc continuo ordine, sine interſtitio, legenda ſunt.*
460. *adeſſe* enim dicuntur] A.e.d. aduocati.
462. *Cedo fenem*] C. *ſenem.*
500. tu tuum nomen] *dele* τὸ tu.
533. ſuperior ille ſuperior] *dele vltimum* ſuperior.
535. Et hic quoque] Et hoc q.
animi declarati] anni. d.
550. nobis poẽtus] nouis p.
569. EGO AN] EGO AM.
Pag. 588 *Tuturias* vocat] *Tu-varias* v.
adhibitæ] abhibitæ fuere.
590. λαλῦτες] λαλοῦντες.
535. lenonium] lenonū ſ. m.
595. memorialialis] memorialis.
Capulla] Capella.
Muſci *vocantur*] Muſici v.
600. διὰ ἐω τ] διὰ τὴν τ.
604. Ergo nimius] ideo nimius.
613. manet Caſina] Plaut. caſ.
I. *Foras*] I *foras, mulier et.*
Μεῖξ] Μεῖζον.
ὀρχιζίας] ἀορχιζίας.
Τοῖς χεῖς] τ χ.
ἀπευόμενος, ὀπευόμεν@.
πλευκῶς] πλευκὸς ἔδιν ἔμφερον.
616. πλίνθυ] πλίνθοις.
619. anilibus fabulis] anilibus deliramentis.
622. χρησά] χρηστά.
626. κομικῶν] κωμικῶν.
630. γλῶ ὄ] γλῶ ὄ.

* * *

Hæc notaſſe ſufficiet: nam quæ porro reſtant in facili cuiuis erit corrigere.

A01 1464936